Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/operaomniainunum10deni

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN DANIELEM, ET XII PROPHETAS MINORES

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCC





THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

JAN 16 1932

3920

ENARRATIO

IN DANIELEM PROPHETAM

PROŒMIUM

NON *faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* Amos III, 7.

Deus altissimus, rex et princeps incomparabilis majestatis, cujus sapientiæ *Ps.* CXLVI, 5. non est finis nec numerus, hominum qui actus humanos divinæ providentiæ subesse fuerant negaturi, perversitatem ignorantiamque prænoscens, ut universorum se curam habere, et præsertim hominum providentiam gerere demonstraret : futura, et ea quæ non nisi Deo revelante queunt præsciri, quibusdam hominibus prænuntiavit, ut venientia scirentur divinitus præostensa, et juxta ordinem providentiæ summi Dei completa; sicque soli vero Deo homines latriæ cultum impenderent, totam spem suam in eo ponentes, ejusque judicium metuentes; imo et indesinenter quotidie coram præsentia Creatoris et intuitu sapientiæ ejus reverenter ac virtuose viventes. Hinc itaque Deus in veteri Testamento quosdam a se æternaliter ad hoc electos, supernaturaliter illustravit, et spiritu decoravit prophetico, ita ut futura tanquam præsentia certissime intuerentur : in quibus illud Sapientiæ impletum est, Sapientia in animas sanctas se *Sap.* VII, 27. transfert, Prophetas ac amicos Dei constituens.

Horum unus inter præcipuos non immerito computandus fuit beatissimus Daniel vates præinclytus, æquitatis zelator invictus, et castitatis amator mirabilis. De quo in Prologo expositionis scribit S. Hieronymus : Illud commoneo, nullum Prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit eum esse venturum, quod est commune cum ceteris Prophetis; sed quo tempore venturus fuerit, docet, et reges per ordinem digerit, annos enumerat, ac manifestissima signa prænuntiat. Hinc christianæ fidei impiissimus hostis Porphyrius quidam philosophus Platonicus, deorum cultor sacrilegus, de quo in libris de Civitate Dei plurima recitat Augustinus, contra Danielis librum potissime disputat. Unde Hieronymus : Contra Danielem, inquit, prophetam duodecimum librum scribit Porphyrius, asserens eum a Daniele non esse compositum, sed a quodam, qui temporibus Antiochi qui appellatus est Epiphanes, fuerit in Judæa; nec Danielem tam dixisse ventura, quam illum narrasse præterita : insuper quidquid usque Antiochum dixerit, veram continere historiam; si quid autem ultra opinatus sit, quia futura nescierit, esse mentitum. Cui solertissime responderunt Eusebius Cæsariensis tribus voluminibus, et Apollinarius uno grandi libro, et ante hos ex parte Methodius martyr.

Porro Hebræi Danielem non computant inter Prophetas, sicut nec David, Salomonem, et Job; sed inter eos qui Hagiographa conscripserunt. Hagiographa autem idem sonat quod Sacræ Scripturæ, ab ἅγιος, quod est sanctus, et γραφή, quod est scriptura. Unde Hagiographa nominantur, scripturæ sanctitate auctoritatem habentes : et sunt

tales, quod de earum auctoritate non dubitatur, sed inter canonicas numerantur Scripturas. Hebræi equidem Scripturas veteris Testamenti in tres dividunt partes, puta in legem, in Prophetas, et in libros hagiographos : prout Hieronymus in prologo libri Regum, qui prologus dicitur Galeatus, plenius tractat.

Denique, secundum Albertum Magnum, Daniel in primis sex libri hujus capitulis, mirabilis ostenditur in visionibus aliorum, videlicet regum Babylonis, etc., quas inter-
Dan. II. pretatus est : sive imaginarias sibi in somno factas, ut in Nabuchodonosor, qui statuam aureám vidit in somno; sive sensibiles, utpote in vigilia præsentatas, sicut in Balthasar
Ibid. V. rege, qui vidit scribentis articulos. In quarum visionum expositione Daniel spiritualiter docet, qualiter proficiet et stabit regnum Christi, deficietque ac destruetur regnum mundi. In aliis sex capitulis per totam longitudinem temporis, decursum regni Christi describit ex propriis visionibus sibi per lucem intellectualem ostensis, usque ad ultimum statum resurrectionis communis : et hæc omnia multum lucide enarravit de rege in regem, et de tempore in tempus. Propter quod in Prologo totius sacræ Scripturæ, qui in principio Bibliorum ponitur, de Daniele testatur Hieronymus, quod sit totius mundi philohistoricus et temporum conscius : quia totius mundi statum describit tam evidenter, quasi historiam narret, non prophetiam. Sicque dicere potuit
Ps. CXLII, 5. illud in Psalmo : Memor fui dierum antiquorum ; meditatus sum in omnibus operibus
Eccli. XLVIII, 27. tuis. Illud quoque Ecclesiastici, quod ad litteram fertur de Isaia, Spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion, competit Danieli.

Ibid. XXIV, 44. Præterea, secundum Albertum, Daniel dicere habuit illud Ecclesiastici : Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam in longinquo. Circa quod pulchre scribit Albertus : Doctrina, inquiens, quæ est quasi antelucanum, quod scilicet lucem diei præcedit, doctrina est prophetalis, præsertim in Daniele. Doctrina namque vocatur scientia sub lumine seu notitia suæ causæ proposita, quoniam res doceri non potest, nisi per propriam causam. Scire enim, est rem per causam cognoscere. Hinc prophetia dicitur doctrina, quia sub inspiratione divina, per quam scibilis est, docetur.
Matth. XXIII, 8, 9. Et quoniam unus solus magister est, secundum quod loquitur Christus, Unus est magister vester qui in cœlis est ; ideo proprie doctrina fertur revelatio, sub lumine primæ
Joann. XVI, 13. causæ demonstrata, prout ait Salvator : Spiritus veritatis docebit vos omnem verita-
Ibidem. tem ; et rursus, Quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Sic docere, est Spiritum veritatis in animam transferre, et intus in spiritu quæ discenda sunt, revelare. Sic ergo scientia prophetalis seu prophetia, proprie doctrina dicitur, quia sub luce primæ veritatis, et eadem luce sicut causa seu per causam demonstratur. Hæc doctrina dicitur, Quasi antelucanum. Antelucanum enim habet lucem immixtam tenebris, et tenebras tendentes ac terminatas ad lucem : sic prophetia lucem intellectualis visionis immixtam habet obscuritati imaginariarum aut sensibilium formarum ac visionum ; et has ut tenebras habet, sub quibus latet lux intellectualis significationis : quæ lux tunc aperitur, quando per inspirationem divinam aut prophetalem interpretationem docetur, quid per ima-
Ps. XVII, 12. ginarias similitudines designatur. Ad quod mystice pertinet illud Psalmi, Tenebrosa aqua in nubibus aeris : quoniam aquæ doctrinarum in imaginibus sunt obscuræ, sed modo præfato transeunt in fulgorem.

Postremo de laudibus Danielis aliquid est dicendum : qui licet virtutibus radiaverit cunctis tanquam vir excellenter heroicus, primo tamen specialiter commendatur

de castitate. Ut enim in Scholastica fertur historia, natus fuit in Bethoron superiori, et adeo castus fuit, quod a contribulibus suis spado seu castratus putabatur, quamvis ita non fuerit. Secundo laudatur de carnis nobilitate, quia de regio semine (secundum Josephum et Epiphanium) duxit originem : et hoc infra in textu innuitur. Verumtamen in Scholastica historia dicitur, quod secundum Septuaginta interpretes fuit de tribu Levi, quoniam Septuaginta in titulo fabulæ Belis sic ponunt : Homo quidam erat sacerdos nomine Daniel. Verum, secundum Hieronymum, hoc Septuaginta de isto Daniele non dicunt, quum Danielem et tres pueros de tribu Juda fuisse sancta Scriptura testetur. Posset etiam dici, quod tribus sacerdotalis ac regia seu tribus Juda, matrimonialiter junctæ fuerunt frequenter a tempore Aaron, cujus uxor fuit *Exod.* VI, 23. Elisabeth filia Aminadab de tribu Juda. Idcirco non sequitur, si fuit de tribu sacerdotali, quod non fuerit de tribu regali. Nam et Virgo benedicta, secundum doctores, de utraque est prosapia orta. Tertio commendatur a sapientiæ sibi infusæ eminentia, sicut de hoc infra multa dicentur in littera. Unde Ezechiel regi Tyri increpatorie et subsannatorie dicit : Elevatum est cor tuum, et dedisti cor tuum quasi cor Dei : *Ezech.* XXVIII, 2, 3. ecce sapientior tu es Daniele; omne secretum non est absconditum a te. Quarto commendatur de mirabili abstinentia zeloque legis, quod regios cibos contempsit, malens *Dan.* I, 8, 12. leguminibus uti et aqua in regis palatio, quam aliquo lege prohibito vesci. Quinto, a fortitudine qua pro justitia et unius Dei cultu mori paratissimus fuit, prout in fine hujus libri habetur. Sexto, a fervore caritatis Dei et proximorum, potissime *Ibid.* XIV. boni communis : propter quod ab angelo vir desideriorum vocatus est, et pro repa- *Ibid.* X, 11. ratione templi ac populi sui humillime ac ardentissime exoravit. Septimo, quia de *Ibid.* IX, 4 *et seq.* Christo, ut allegatum est, ceteris apertius prophetavit. Aliæ quoque variæ excellentiæ considerari possunt in eo, quoniam populi sui in captivitate refugium fuit atque solatium, cunctisque provinciis Babylonis a Nabuchodonosor rege prælatus. Nec *Ibid.* II, 48. aliquis Judæorum legitur extra propriam terram sic exaltatus, ut Joseph, Daniel, et *Gen.* XLI, 39-44. Mardochæus. *Esther* VIII, 2, 15.

ENARRATIO

IN DANIELEM PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

EXPLANATIO PRIMI CAPITULI : ANNO TERTIO REGNI JOAKIM REGIS JUDA.

1 *ANNO tertio regni Joakim regis Juda,* A *venit Nabuchodonosor rex Babylonis* IV *Reg.* xxii, 1, 2; xxiii, 30, 32, 34, 37; xxiv, 17, 19; I *Par.* iii, 15; II *Par.* xxxiv, xxxvi. *Jerusalem, et obsedit eam.* Quarto libro Regum et secundo Paralipomenon patet, quemadmodum Josias rex sanctus tres habuerit filios, qui vitiose et impie post patrem se habuerunt, propter quod capti sunt. IV *Reg.* xxiii, 33, 34. Nam primum eorum nomine Joachaz cepit Nechao Pharao rex Ægypti, et fratrem ejus Eliacim pro eo constituit regem, mutans nomen ejus, et Joakim eum appellans. Hic Joakim favit regi Ægypti, a quo promotus fuit, contra Nabuchodonosor regem : idcirco rex Babylonis fecit sibi hunc Joakim *Ibid.* xxiv, 1. tributarium, qui in hac subjectione tribus annis permansit. Postea rebellavit, tuncque protinus Nabuchodonosor venit contra Jerusalem, obsidens eam et vincens.

Unde quod dicitur, In anno tertio regni Joakim, intelligendum est de annis quibus tributarius fuit regis Babylonis, non de tempore illo quo in Jerusalem regnare exorsus est. *Ibid.* xxiii, 36. Undecim quippe annis in Jerusalem regnavit, et quarto anno regni sui cœpit Nabuchodonosor regnare in Babylone, *Jer.* xxv, 1. juxta illud Jeremiæ : Verbum Domini quod factum est ad Jeremiam in anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda (ipse est primus annus Nabuchodonosor regis Babylonis). Unde, secundum Hieronymum et Albertum, Joakim octavo regni sui anno, tradidit se potestati Nabuchodonosor, qui fuit quartus annus regni Nabuchodonosor regis. Tertio autem anno post hoc, scilicet undecimo anno regni sui, Joakim rebellavit, et sicut secundo Paralipomenon II *Par.* xxxvi, 6. legitur, ductus fuit in Babylonem. Quod videtur contrariari ei quod Jeremias prædixit, eum projiciendum extra portas Jerusalem, *Jer.* xxii, 19. et ibi sepultura asini sepeliendum. Ad quod respondent doctores, quod rex Babylonis eum remisit, inito fœdere pacis. Eo ergo occiso, et sicut Isaias prædixit B sepulto, fecit filium ejus regem pro eo : IV *Reg.* xxiv, 6. qui filius dictus est Joakin*; sed in Hebræo litteris scribuntur diversis. In Latino quoque, primus Joakim ultimam litteram habet *m*, secundus *n*. Uterque insuper dictus est Jechonias, ut patet Matthæi primo, quum dicitur : *Matth.* i, 11. Josias genuit Jechoniam, etc. Itaque primus Joakim trinomius fuit : nam dictus est Eliacim, Joakim, Jechonias; et de isto jam sermo est, non de filio ejus, qui non nisi tribus mensibus regnavit, quibus expletis, IV *Reg.* xxiv, 8, 15. a servis Nabuchodonosor captus, C atque in Babylonem perductus est.

* Joachin

Quemadmodum autem hoc loco scribit B. Hieronymus, Porphyrius volens Matthæum evangelistam falsitatis arguere, eo quod una generatio desit (ut apparet Porphyrio) in tertia tessaradecade seu quaterdena genealogiæ Christi, imperitiam suam

ostendit. putans utrumque Jechoniam seu A
Joakim esse eumdem.

2 *Et tradidit Dominus in manu ejus,* sci-
licet Nabuchodonosor regis, *Joakim regem*
Juda, primum scilicet Joakim, *et partem*
vasorum domus Dei, videlicet templi. Ap-
teque dicitur, Tradidit Dominus, ad insi-
nuandum quod divina voluntate ac pote-
state, non adversariorum propriis viribus,
facta sit ista punitio. Deus quippe per
impios sæpe punit iniqua agentes etiam
Jer. L, 17. fideles. Unde loquitur Jeremias : Iste no-
vissimus Nabuchodonosor rex Babylonis B
exossavit eum, scilicet populum Juda; et
Job IX, 24. in Job asseritur, Terra data est in manus
impii. *Et asportavit ea* per suos mini-
stros, *in terram Sennaar*. Terra Sennaar est
Chaldæa sive Babylonia, in qua erat cam-
pus Duran, ubi filii Adæ turrim Babel con-
struere inceperunt : qui locus dictus est
Babel seu Babylon, propter linguarum con-
Gen. XI, 2-9. fusionem ibi peractam, prout in Genesi
fertur. Babylon nempe interpretatur con-
fusio. In eodem quoque campo postea con-
structa est civitas Babylon, et de turre illa C
ibi incepta, constructum est Capitolium,
secundum Hieronymum. Hic ait Albertus :
Ejusdem loci nomen est Sennaar, et Du-
ran, ac Babylon. Itaque, Asportavit ea in
terram Sennaar, *in domum dei sui,* id est
fanum seu templum idoli quod colebat,
et vasa intulit in domum thesauri dei
sui. Juxta proprietatem seu consuetudinem
idiomatis Hebræorum, vas appellatur quid-
quid alicujus est contentivum, seu instru-
mentum ad aliquid peragendum : sicque
hoc loco vasa templi Dei feruntur, ea qui- D
bus sacerdotes legis in Dei obsequio ute-
bantur. Domus quoque thesauri dei regis
Nabuchodonosor dicitur, locus fani in quo
pretiosa quæque et quorum usus fuit in
cultu idolorum, reponebantur.

Dicunt demum hic aliqui, quod Nabu-
chodonosor iste fecit aliquam reverentiam
Deo cœli, qui in Jerusalem colebatur : quia
a templo ejus non abstulit omnia vasa
ministerii ejus, imo quædam ibidem ad
cultum ejus reliquit; et rursus, quoniam
ea quæ abstulit, non usibus applicavit hu-
manis, quemadmodum Balthasar rex nepos *Dan.* V, 2, 3.
ejus, propter quod infra punitus describi-
tur; sed posuit ea in loco secundum suam
æstimationem solenni ac sacro, ut dictum
est. — Quocirca quæri posset, unde pro
tunc Nabuchodonosor habuerit notitiam
Dei Judæorum. Ad quod poterit responde-
ri, quod vel ex aliorum relatu, vel ex na-
turali ratione aliqualiter novit unum esse
Deum altissimum, sicut et multi gentilium.
Etenim plebs Hebræa fuit famosa, et ma-
gnalia Dei ejus opera longe ac late etiam
in gentilibus innotuerunt, ut patet primo I *Reg.* IV,
Regum, et in libris Esther ac Judith. Pro- 8; VI, 5, 6; *Esther* VI,
pter quod Jeremias ait in Threnis : Non 13; *Judith* V.
crediderunt reges terræ quod ingrederetur *Thren.* IV,
hostis per portas Jerusalem. Denique ut 12.
habetur quarto Regum, per mirabilia quæ IV *Reg.* XX,
circa Ezechiam regem operatus fuit Deus, 12; II *Par.* XXXII, 31.
notitia ejus regi quoque Babylonis, qui
ante hunc Nabuchodonosor fuit, innotuit.

Et ait rex Nabuchodonosor *Asphanez* 3
præposito eunuchorum. Secundum Alber-
tum, eunuchus dupliciter dicitur : primo,
ab accidente corporis, scilicet quia exsectus
seu castratus; secundo, ratione obsequii.
Antiquorum namque mos fuit servos habe-
re eunuchos sive castratos : propter quod
consuetudo inolevit, servos vocare eunu-
chos. Hinc ait Lyra : Antiquitus qui in
domo regis serviebant ad interiora domus,
castrabantur propter securitatem a mulie-
ribus, ut aliqui dicunt. Alii vero affirmant,
quod dicebantur eunuchi propter castita-
tem et morum honestatem, propter quod
servitores generaliter eunuchi vocati sunt.
Unde in Actibus vocatur eunuchus potens *Act.* VIII, 27.
vir ille, qui erat super omnes gazas Can-
dacis reginæ Æthiopum. Quomodo autem
præsenti loco nomen eunuchi sumatur,
non penitus certum est, aliis dicentibus
quod primo modo, aliis quod modo se-
cundo. Horum itaque eunuchorum Aspha-
nez fuit præpositus seu magister.

Ut introduceret de filiis Israel aliquos,
præclariores videlicet, *et de semine regio,*
qui essent de genere David famosissimi

regis : de quo et gentilium historiographi A
4 conscripserunt ; *et tyrannorum pueros.*
Tyranni uno modo dicuntur, qui potentia
abutuntur et voluntatem habent pro ratio-
ne. Alio modo, qui in regni negotiis strenui
Esther vi, 9. sunt : sicque in libro Esther et hoc loco su-
muntur. Propter quod dicit Albertus : Ty-
ranni hic appellantur, non a corruptione
regni atque regiminis, sed potius a stre-
nuitate rei militaris. Unde Hieronymus di-
cit, quod tyranni hoc loco sunt nobiles.
Nobiles equidem, strenuitate animi et rei
militaris exercitio, regibus sunt necessa- B
rii : propterea Plato in primo Timæi ad
rem militarem eligi præcipit electam ju-
ventutem. Electa vero juventus vocatur,
quæ corporis robore ac mentis præminet
strenuitate. Hinc Nabuchodonosor jussit
pueros tales in suum palatium introduci :
hi enim facilius informantur. Nobiles quo-
que induci præcepit, quoniam tales coram
regibus stare ministrareque solent : qui
etiam ex superbia ignobiles spernere con-
sueverunt. Insuper nobiles interdum ad
informationem magis dispositi sunt : ete- C
nim nobilium est nobile cor habere, juxta
Is. xxxii, 8. illud Isaiæ : Princeps ea quæ digna sunt
principe, cogitabit, et ipse super duces sta-
bit. Boetius quoque secundo de Consola-
tione philosophiæ testatur, quod nobilitas
est laus quædam proveniens homini de
probitate parentum. Idcirco in generis no-
bilitate hoc bonum est, quod per ipsam
quædam necessitas nobilibus imponitur,
ne a majorum suorum probitate degene-
rent. Secundum hoc homines bene mo-
rigerati et originati, ad sapientiam asse- D
runtur dispositi, quia sedatis passionibus
anima eruditur, dicente Philosopho, Ani-
ma quiescendo fit prudens.

In quibus nulla esset macula, id est
defectus membri sive deformitas. Reges
enim, pulchros atque adspectu delectabiles
volunt habere ministros : ideo subditur,
decoros forma, per venustatem coloris, ut
scilicet essent elegantis dispositionis in
quantitate membrorum, et proportione eo-
rum ad invicem, ac superfusione candidi
cujusdam coloris. Ex his enim pulchritu-
do corporis, secundum Augustinum in li-
bro de Civitate Dei, resultat. Tales quoque
solent esse ad sapientiam aptiores. Dicit
enim Philosophus : Monstrum in corpore,
frequenter est monstrum in mente. Com-
mentator quoque super Ethicam scribit :
Indicia virtutum animæ relucent in corpo-
re, sicut in vivacitate sensuum prudentia ;
in debita proportione membrorum, mensu-
ræ et quantitates justitiæ ; in complexione
æquali, temperantia ; et in robore corpo-
ris, animi fortitudo. Hinc et de Christo fuit
prædictum : Speciosus forma præ filiis ho- *Ps.* xliv, 3.
minum. Tales etiam decori, frequenter af-
fatu dulcissimi sunt.

Et eruditos omni sapientia. Secundum
Albertum (per quem in toto hoc opere in-
telligo Albertum Magnum, ordinis Prædi-
catorum, Ratisbonensem episcopum), eru-
ditus, est extra rude imperitiæ positus.
Dicitque Boetius, quod eruditi viri est, de
quolibet, sicut est, reddere rationem. Sa-
pientia autem est de altissimis quæ diffi-
cile est homini scire, et quam propter se
ipsam potissime volumus noscere, ut ait
Philosophus. Unde in Job habetur : Trahi- *Job* xxviii, 18.
tur autem sapientia de occultis. Et Phi-
losophus : Sapientia, inquit, est divina
possessio. Denique reor, quod Nabuchodo-
nosor rex voluerit ut pueri Hebræi coram
se introducendi, essent in lege sua instru-
cti. Omnium enim gentium linguas atque
scientias voluit sciri ab aliquibus mini-
strorum suorum, ut tempore opportuno
sibi in his deservirent. Hincque hoc loco
nomine sapientiæ, notitiam legis ac Pro-
phetarum intelligo.

Cautos scientia, id est prudentes in re-
bus humanis. Cautio quippe solet pars
poni prudentiæ, per quam homo circum-
specte et consulte se habet, oculumque
mentalem longe ac late circumducens, ut
agat ea quæ non tantum licent, sed et ex-
pediunt. Circa quod scribit Albertus : Sci-
entia est effectus demonstrationis, quia
scientia in cautelis syllogismorum et pro-
bationum consistit. Propter quod dicit,

Cautos scientia. Et quia humana ratio de A humanis ratiocinatur, asserit Augustinus quod scientia est de humanis, sapientia de divinis. Tales autem cautelas ad respondendum et obviandum necesse est habere curiales, qui frequenter sunt judices : quibus ad recte judicandum necessaria exstat scientia. Nam et de Christo omnium judice
Is. LIII, 11. Dominus ait in Isaia : In scientia sua justificabit ipse servus meus multos.

Et doctos disciplina. Quemadmodum super
Hebr. XII, 11. illud ad Hebræos, Omnis quidem disciplina, dicit Glossa, duplex est disciplina : Una est morum eruditio, de qua in
Prov. XV, 32. Proverbiis scribitur : Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam ; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Alia est demonstrabilium. Et utroque modo hic sumitur, ut scilicet moribus essent ornati, et disciplinis liberalibus eruditi. Disciplina quoque interdum accipitur pro justa correctione. De qua ad Hebræos
Hebr. XII, 8, 7. ait Apostolus : Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii, estis : quis enim filius quem non corripit pater ? Et
Prov. III, 11, 12. in Proverbiis legitur : Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias : quem enim diligit Dominus, corripit. — Postremo, quoniam philosophia dividitur in naturalem, rationalem, moralem : quidam per sapientiam intelligunt philosophiam naturalem ; per scientiam autem, rationalem ; per disciplinam vero, moralem.

Et qui possent stare in palatio regis, id est idonei essent manere ac ministrare coram Nabuchodonosor rege. His etenim insigniti, regali adspectu sunt digni. Et id D spectat ad regum ac principum prælatorumque laudem, ut taliter eruditos curent secum habere, quorum consilio dirigantur : siquidem quo pluribus præsunt, et plura agere habent, eo plus peritorum egent suffragio. Nam et in Tobia habetur :
Tob. IV, 19. Consilium semper a sapiente perquire.

Ut doceret eos præfatus eunuchorum præpositus per se ipsum, vel potius per alios sibi subjectos, *litteras,* id est scientias, *et linguam Chaldæorum.* Litteræ autem Chaldæorum maxime erant de scientiis divinativis, secundum Albertum. Itaque Nabuchodonosor voluit secum habere quosdam de qualibet lingua, qui cum propria lingua scirent linguam Chaldaicam, ut possent sibi legere atque exponere litteras gentium universarum. Imo regibus qui diversarum nationum scripta recipiunt, tales sunt opportuni. Et ut ait Hieronymus, De facili esse non potuit, ut essent in regis palatio, et linguæ regis essent ignari. Præterea in Scholastica historia dicitur, et ex B Hieronymo sumptum est, quod lingua Chaldæa eadem est cum Syra, propinqua Hebrææ. Philo autem disertissimus Judæorum, dixit linguam Hebræam et Chaldaicam esse eamdem, eo quod Abraham Hebræus, fuit Chaldæus. Cui scriptura ista obviare videtur : si enim eadem esset, pueri isti in Hebræo idiomate prompti, Chaldæum idioma non didicissent. Ideo solvit Glossa, et est glossa Hieronymi, quod forte secundum quorumdam opinionem, Abraham utramque noverat linguam, sed filios suos C atque familiam non docuit nisi linguam Hebræam.

Et constituit eis rex annonam, id est 5
refectionem, *per singulos dies de cibis suis, et de vino unde bibebat ipse :* ut abundanter de necessariis corporis provisi, studio fructuosius liberiusque vacarent. Sollicitudo namque temporalium, impedit studii integritatem. Voluit quoque rex eos tam delicate nutriri, ut pulchriores, gratiosioresque essent : ut scilicet regio cibo sanguis optimus nutriretur, et spiritus qui aptus esset ad virtutis atque scientiæ informationem. Vinum quoque pretiosum moderanter sumptum, optimum facit spiritum et optimum motum, secundum Albertum. Verumtamen, quoniam tam laute vescentes, communiter in quantitate et qualitate excedunt, et delectationem exquirunt ; frequenter contingit ut ad studium scientiæ ac virtutum ineptiores reddantur, qui eis vescuntur. *Ut enutriti* præfata annona vinoque regio, et etiam lingua ac litteris Chaldæorum, *tribus annis, postea*

starent in conspectu regis Nabuchodonosor, ad ejus obsequium prompti, et digni adstare tanto regi.

6 *Fuerunt inter eos de filiis Juda, Daniel, Ananias, Misael, et Azarias.* De diversis gentibus plures pueri gratiosi fuerunt intra palatium regis inducti, inter quos isti quatuor præclariores fuerunt : an vero de filiis Israel non erant nisi hi quatuor introducti, non est adeo certum. Porro, ut refert Hieronymus, aiunt Hebræi hos quatuor fuisse eunuchos sive castratos, impleta in eis prophetia Isaiæ ad Ezechiam : (*Is.* xxxix, 7.) Tollent, scilicet Babylonii seu Chaldæi, de semine tuo, et facient eunuchos in domo regis Babylonis. Unde et Josephus adstruit quod rex eos castravit : quod et aliis gentibus a se vastatis fecisse dignoscitur, ut in Scholastica fertur historia. Sed istud Hieronymus aliqualiter reprobare videtur, quoniam pueri isti dicuntur sine macula exstitisse; castratio autem est maxima macularum, propter quod in Deuteronomio legitur : (*Deut.* xxiii, 1.) Non intrabit eunuchus amputatis vel attritis testiculis vel abcisso veretro ecclesiam Domini. Hinc, secundum Albertum et Lyram, eunuchi dicuntur ratione obsequii, non castrationis. Glossa quoque hic ait : Non videntur abscissi, qui sine macula sunt. Quidam enim eunuchizantur aut vi, aut infirmitate; quidam autem se castrant pro cœlesti patria, et hi abscissi non sunt nisi sua voluntate, et hi sunt sine macula. Unde in Matthæo loquitur Christus : (*Matth.* xix, 12.) Sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Secundum hoc igitur sensus est, quod pueri isti actu castitatis, fideique custodia, non corporis sectione, eunuchi dicuntur. Denique regis industria pueros corpore speciosos, et mente perfectos elegit : quoniam sicut virtus mentis substantialis est felicitati, sic corporis pulchritudo condecorat eamdem. Propter quod in primo Ethicorum habetur : Non dicitur felix, qui specie corporis turpissimus est. Juventus quoque et pulchritudo se mutuo ornant, et amabiliores efficiunt. Juvenes quippe, ceteris paribus, naturaliter amabiliores consistunt. Unde Philosophus asserit, quod delectatio ornat felicitatem, quemadmodum pulchritudo juventutem.

Et imposuit eis præpositus eunuchorum 7
nomina alia quam ante habebant, scilicet nomina linguæ Chaldææ, quæ sibi honorabiliora videbantur quam nomina linguæ Hebrææ. *Danieli* imposuit nomen *Balthasar.* Circa quod in Scholastica historia dicitur : Balthasar erat nomen regii generis, quod rex Danieli imposuit, quia de ejus adoptione jam cogitavit, ut Epiphanius protestatur. Ex quibus etiam constat, quod præpositus de regis præcepto nomina permutavit, sicut et Pharao in Ægypto aliud nomen imposuit Joseph. (*Gen.* xli, 45.) Et *Ananiæ* imposuit nomen *Sidrach ; Misaeli, Misach ; Azariæ, Abdenago.* Secundum Albertum, Balthasar interpretatur, capillus capitis : unde propter judicii subtilitatem sic dictus est Daniel. Sidrach interpretatur, decorus meus : sicque vocatus est Ananias pro decore virtutis et corporis. Misach interpretatur, qui scit risus, vel, de gaudio : et ita appellatus est Misael, quoniam bona jucunditate commanentes fecit jucundos, implens illud ad Romanos : (*Rom.* xii, 8.) Qui ministrat, in hilaritate. Ministrantibus nempe hilaritas competit. Abdenago interpretatur serviens taceo : sicque nuncupatus est Azarias, quoniam sine contradictione et murmure deservivit, quod ministrantibus congruit.

Proposuit autem Daniel in corde suo, 8
ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus, id est, ne regiis alimentis contra legem Dei sui vescendo peccaret. Peccatum autem animæ, est animæ macula atque pollutio. Potuitque quatuor modis peccatum istud accidere. Primo, si comederet prohibitum lege, ut carnes porcinas. (*Lev.* xi, 7.) Secundo, si comederet injuste acquisita, ut rapta sive extorta, juxta illud Proverbiorum : (*Prov.* iv, 17.) Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt. Tertio, si comede-

ret de idolothyto, id est idolis immolato, A
I Cor. VIII, 4 et seq. quod in prima ad Corinthios Apostolus
prohibet, ne scandalizentur infirmi. Et-
enim antiquitus mos fuit, in mensa ma-
gnorum aliquam poni portionem de obla-
tionibus idolorum. Quarto, crapulose seu
superflue comedendo, quomodo in mensis
regum fieri solet. Præsertim autem in vino
regnat luxuria. Ideo secretariis regum ab-
undans vini usus non competit, prout in
Prov. XXXI, 4. Proverbiis inducitur : Noli vinum dare re-
gibus, quia nullum secretum ubi regnat
ebrietas. Porro sobrietas victus ad sapien- B
tiæ adeptionem disponit, sicut in Ecclesia-
Eccle. II, 3. stico habetur : Proposui a vino abstrahere
carnem meam, ut animum meum transfer-
rem ad sapientiam. Propter quod rursus
Prov. XXI, 17. Salomon ait : Qui amat vinum et pinguia,
non erit sapiens. Prædictum vero absti-
nendi propositum, non Daniel tantum, sed
et tres socii ejus conceperunt, secundum
Albertum, Scholasticamque historiam. So-
lus tamen Daniel tanquam principalior no-
minatur.

Circa hunc locum scribit Hieronymus : C
Qui de mensa regis et vino ejus non vult
accipere ne polluatur, si sapientiam atque
doctrinam Babylonis sciret esse peccatum,
non acquiesceret discere quod non liceret.
Discunt autem ipse et tres pueri illam,
non ut sequantur, sed ut reprobent, judi-
cent et convincant : quomodo si quispiam
adversus mathematicos velit scribere im-
peritus mathematicorum, risui pateret ; et
adversus philosophos disputans, si nesciat
dogmata philosophorum. Discunt ergo ea
mente doctrinam Chaldaicam, qua Moyses D
sapientiam Ægyptiorum. — Verumtamen
agnoscendum, quod in doctrinis Chaldæo-
rum multa falsa, superstitiosa ac impia de
divinationibus aliisque vanitatibus conti-
nebantur : quæ scire, peccatum non fuit ;
nec discere ea ob finem prætactum, fuit
illicitum.

Et rogavit Daniel *eunuchorum præposi-
tum, ne contaminaretur,* id est, ne cogeret
Judith XII, 2. se de prædictis comedere contra legem. Ita
et Judith renuit vesci de cibariis Holofer-
nis. *Dedit autem Deus Danieli gratiam,* 9
id est acceptabilitatem et gratiositatem, *et
misericordiam,* id est miseriæ relevamen
seu compassionem, *in conspectu,* id est in
interioribus oculis, *principis eunuchorum :*
ita quod Deus fecit Danielem acceptabilem
principi, movens cor principis ad compla-
centiam Danielis propter virtutes quas vi-
dit in eo ; itemque ad compatiendum ei-
dem propter malum suæ captivitatis, et
quia de regia fuit stirpe. Hinc ait Hierony-
mus : Præposuerat Daniel regiis epulis vi-
les suos cibos, idcirco gratiam et misericor-
diam in conspectu principis eunuchorum
accepit, Domino largiente. Ex quo intelli-
gimus pro necessitate rerum, si quando
sancti ab infidelibus diliguntur, Dei esse
misericordiæ, non bonitatis hominum per-
versorum.

Et ait princeps eunuchorum ad Danie- 10
lem, et per eum etiam ad socios ejus, pro
quibus sicut pro se ipso Daniel interces-
sit : *Timeo ego dominum meum regem* Na-
buchodonosor. Quasi dicat : Quum diligam
te, quantum in me est, libenter te exaudi-
rem ; sed regem meum formido, quia trans-
gredientibus sua præcepta non parcit. *Qui
constituit vobis cibum et potum. Qui si vi-
derit vultus vestros macilentiores præ ce-
teris adolescentibus coævis vestris,* id est
vultibus eorum, *condemnabitis caput me-
um regi,* id est, occasio eritis quod me oc-
cidet, tanquam sibi rebellem. Nam ut in
Proverbiis scribitur, Indignatio regis, nun- Prov. XVI, 14.
tii mortis. Rursusque Salomon fatetur :
Sicut fremitus leonis, ita ira regis ; et sicut Ibid. XIX, 12.
ros super herbam, etc. Recte etiam dixit
præpositus, Coævis vestris : quia si es-
sent seniores aut juniores, forte non esset
æqualis vis nutritiva in eis.

Et dixit Daniel ad Malasar, quem con- 11
*stituerat princeps eunuchorum super Da-
nielem, Ananiam, Misaelem, et Azariam.*
Siquidem his quatuor tanquam notabilio-
ribus præpositus ille specialem adhibuit
procuratorem. Mediæ autem dignitatis est,
quibusdam præesse, et quibusdam seu cui- Matth. VIII, 9.
dam subesse, sicut ait Centurio : Ego homo

12 sum sub potestate constitutus, etc. *Tenta
nos, obsecro, servos tuos, id est, experi-
mentum sume de nobis, *diebus decem, et
dentur nobis legumina ad vescendum, et
aqua ad bibendum.* Hæc enim lege non
13 vetabantur. *Et contemplare,* id est, corpo-
rali oculo diligenter adspice, *vultus no-
stros, et vultus puerorum qui vescuntur
cibo regio; et sicut videris* rationabile esse
et tibi expediens, *sic facias cum servis
tuis :* id est, si interim videris nos aliis
exiliores, precem nostram non audias ; si
vero videris nos ceteris æqualiter melius-
ve in vultu dispositos, permitte nos in
abstinentia et parsimonia ista. In hoc quod
vicibus repetitis se suosque collegas sub-
ministri præfati nominat servos, captat
benevolentiam ejus, et humilitatem suam
declarat. Insuper legumina postulando et
aquam, precem suam exaudibilem fecit :
talia enim facillime acquiruntur. Itemque
dicendo, Decem diebus, omnia ad Decalo-
gum refert : discretioneque utitur, quoni-
am tempus hoc nec nimis longum est, ut
rationabiliter denegetur; nec nimis breve,
ut in eo veritas comprobetur. Porro aqua
atque legumina, alimenta sunt frigida, in
quibus nec gulæ neque luxuriæ concitetur
voluptas. Postremo, quod Daniel a præpo-
sito eunuchorum obtinere nequivit, a sub-
stituto petivit : in quo instantia desiderii
ac fervor devotionis suæ patescit. Et ut ait
S. Hieronymus, in verbis his incredibilis
magnitudo fidei Danielis ostenditur, quod
non solum corpulentiam sibi esu vilioris
cibi polliceretur, sed et tempus constitue-
re novit. Non est ergo temeritatis, sed fi-
dei, ob quam regias dapes contempserat.
Hinc dicit Glossa, quod non temeritate, sed
fidei magnitudine, tempus præfixit. Pres-
Judith vii, 25. byteri vero in libro Judith temere statue-
runt tempus tradendi se Holoferni, nisi
infra quinque dies eis auxilium daretur de
Ibid. viii, 10 et seq. cœlo : idcirco a Judith sunt reprehensi.
14 *Qui audito sermone hujuscemodi* tam
15 rationabili, *tentavit eos diebus decem. Post
dies autem decem apparuerunt vultus eo-
rum meliores et corpulentiores præ omni-*

A *bus pueris qui vescebantur cibo regio :* et id
gratiæ potius quam naturæ est adscriben-
dum, quanquam sanitas animæ et corporis
sit sobrius cibus. Vigilia autem, et tortura, Eccli. xxx 23.
et cholera viro infrunito, ut dicitur in Ec-
clesiastico. Porro sancti delectatione virtu-
tis etiam corporaliter per redundantiam
reficiuntur, atque interna eis a Deo infusa
jucunditas, in corpus redundat. Propter
quod scriptum est : Animus gaudens æta- Prov. xvii, 22.
tem floridam facit; spiritus tristis exsiccat
ossa. *Porro Malasar tollebat,* haud dubi- 16
B um quin occulte, ne perciperetur a rege,
cibaria, et vinum potus eorum, quæ scili-
cet eis fuerant deputata, convertens ea in
proprios usus, *dabatque eis legumina.*
Pueris autem his dedit Deus scientiam 17
et disciplinam, de quarum distinctione
prædictum est, *in omni libro* quem addi-
scebant, legebant seu exponebant, *et in
omni sapientia,* id est notitia divinorum :
quo enim se amplius disposuerunt ad illu-
minationes divinas, eo copiosius sunt de-
super illustrati ; et quo carnalia oblecta-
C menta plenius contempserunt, carnemque
ab illicitis represserunt, eo ad spirituales
consolationes et supernaturales instructio-
nes, digniores inventi sunt. Propter quod
scriptum est in Sapientia : Sapientia facile Sap. vi, 13, 14.
videtur ab his qui diligunt illam, et inveni-
tur ab eis qui quærunt illam; præoccupat
eos qui se concupiscunt. Et in Isaia : Quem Is. xxviii, 9.
docebit scientiam ? et quem intelligere fa-
ciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos
ab ubere. Porro, secundum Hieronymum,
Deus contulit pueris istis scientiam et di-
D sciplinam sæcularium litterarum, ut cun-
cta quæ legebantur intelligerent, et spiritu
Dei de Chaldæorum scientia judicarent.
*Danieli autem intelligentiam omnium
visionum et somniorum,* id est, Danieli
tanquam sanctiori præ ceteris, data est il-
luminatio altior, scilicet intelligentia, seu
clara cognitio omnium visionum et som-
niorum, tam sibi quam aliis exhibitorum,
ita quod horum significationem intellexit
atque exposuit. Itaque nomine visionis in-
nuitur revelatio seu ostensio occultorum

magis clara et intellectualis, tam in vigilia quam in raptu et ecstasi facta; per somnium vero, revelatio facta in somno per imaginarias formas magis obscure. Hinc Rabbi Moyses dicit, quod somnium est casus a prophetia : quoniam prophetia est visio in lumine intelligentiæ; somnium autem, manifestatio futurorum in imagine, ubi cadit et quasi occumbit lumen intelligentiæ. Dicit autem Albertus, quod visio est in qua res ut futuræ sunt, ostenduntur. Hieronymus autem hic ait : Daniel ultra tres pueros hoc habebat insigne, quod visiones et somnia, quibus per symbola quædam et ænigmata monstrantur futura, sagaci mente cernebat : ut quod alii videbant in phantasmate, hic oculis cordis adspiceret.

18 *Completis itaque diebus* trium annorum, *post quos dixerat rex ut introducerentur* coram se : qui interim eruditi fuerunt et digni effecti adsistere regi; *introduxit eos princeps* eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor,* ut eorum eruditionem experiretur.

(* præpositus)

19 *Quumque eis locutus fuisset rex,* eos examinando, quæstiones atque ænigmata proponendo : sicut regina Saba tentasse legitur Salomonem (III *Reg.* x, 1.); *non sunt inventi tales,* id est tam sapientes, *de universis coram rege adductis, ut Daniel, Ananias, Misael, et Azarias.* Gratiæ enim lumen, omnino efficacius est lumine naturali; et qui a Spiritu Sancto instruuntur, his qui humanitus informantur sapientiores refulgent. Ideo ait Psalmista (*Ps.* XCIII, 12.) : Beatus homo quem tu erudieris, Domine. *Et steterunt in conspectu regis,* parati ad respondendum et obsequendum in licitis et honestis.

20 *Et omne verbum sapientiæ,* quantum ad divina, *et intellectus,* id est interpretationis seu expositionis dubiorum ac difficilium, *quod sciscitatus est ab eis rex, invenit in eis decuplum super cunctos ariolos et magos qui erant in universo regno ejus,* id est multo plus quam in aliis, ita quod promptius, sapientius, evidentiusque ad omnia responderent. Et ponitur hic numerus determinatus pro indeterminato, quum dicitur, Decuplum, sicut in Psalmo (*Ps.* CIV, 8.) : Memor fuit verbi sui, quod mandavit in mille generationes; et in Job (*Job* XIX, 3.), En decies confunditis me. Quod etiam in Apocalypsi (*Apoc.* v, 11; VII, 4; etc.) fit sæpius. Porro arioli nominantur, qui de occultis vaticinantur, per sacrificia in aris idolorum oblata : talis fuit Balaam. Magi vero dicuntur astrologi, qui per constellationes judicant de futuris atque occultis. Tamen, secundum Hieronymum, magi quasi magni* dicuntur, qui de omnibus philosophantur. Hujusmodi vero artes divinandi inter Chaldæos vigebant : quas pueri isti secuti non sunt, sed per inspirationem divinam melius sunt locuti, quam per divinationes Chaldæi.

(* magistri)

21 *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.* Hoc intelligendum non est, quod non vixerit nisi usque ad primum annum Cyri regis, quoniam infra capitulo decimo (*Dan.* x, 1.) scribit sibi factam desuper revelationem tertio Cyri anno. Itaque intelligendum est, quod usque illud tempus fuit in dignitate, gloria et honore, primo in Chaldæa, deinde in Media et Perside, prout in prosecutione libri patebit. Sicque competit ei illud Sapientiæ (*Sap.* x, 10.), Honestavit illum in laboribus suis. Et propter sapientiam sibi divinitus datam fuit sic exaltatus, juxta illud Sapientiæ (*Ibid.* VIII, 10, 11.) : Propter hanc habebo claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis; et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me.

(Expositio mystica.) PRÆTEREA aliquid de mystico intellectu hujus capituli inserendo, pensandum est super illud, Partem vasorum domus Dei asportavit in domum dei sui, quod vasa designant animas pretiosas, quæ virtutes continent atque scientias : quæ instigante diabolo, vicissim de Ecclesia et corpore Christi mystico, seu congregatione electa, transferuntur in habitationem mundi, ita quod relicta justitia, moribus impiorum conformantur, et vasa dæmonum fiunt, juxta illud Isaiæ (*Is.* XXII, 25.) : Auferetur paxillus de loco fideli, et frangetur, et cadet. Quod maxime fit, dum Joakim, id est impius, præsidet,

utpote prælatus aut princeps negligens et injustus, sub quo pereunt subditi, juxta *Eccli.* x, 2. illud Ecclesiastici : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et habitantes in ea. Frequenter quoque contingit occasione præsidentium injustorum, subditos temporaliter tribulari, corporaliterque affligi, spoliari, capi, transferri, quemadmodum Daniel ejusque socii atque Ezechiel cum Joakim rege translati fuerunt. Sed hoc sapientissimus, justus, ac pius omnium Dominus ordinavit et convertit in majus bonum electorum suorum, qui etiam omni peccato non carent. Unde per talia hic purgantur, ad gratiam disponuntur, salubriter exercentur, a vitiis retrahuntur, conformanturque Christo, et cœlesti appropiant regno : qui si tempore persecutionis patientes et Deo fideles cum Daniele permanserint, maximis gratiæ donis divinitus ditabuntur, dabitque eis Dominus gratiam coram persecutoribus suis.

Denique, secundum Glossam, vasa sunt libri philosophicalium doctrinarum, qui quidem nunquam in toto falsi sunt, sed aliqua continent vera : omnis autem veritas est a Deo, ideo non in toto, sed in parte in Sennaar, quod interpretatur mendacium, transferuntur. Hinc ait Hieronymus : Si cunctos philosophiæ revolvas libros, necesse est ut in his reperias aliquam partem vasorum Dei, aliquas scilicet veritates : ut apud Platonem, fabricatorem mundi ; et apud Zenonem Stoicorum principem, inferos immortalesque animas. Sed quia jun- A gunt mendacium veritati, et bonum naturæ perdunt multis malis, ideo pars vasorum fertur translata.

Insuper, per hoc quod rex Babylonis jussit introduci juvenes gratiosos, mente et corpore elegantes, ac eruditos, admonetur ut ad curam animarum et in Ecclesiam introducantur, qui donis gratiæ decorantur, habituque mentis et corporis perficiuntur, qui et linguam sciant eorum quorum suscipiunt curam, ut possint eos instruere. Propter quod in Exodo habe- B tur : Provide de omni plebe viros potentes *Exod.* xviii, 21. et timentes Deum, et qui oderint avaritiam, et constitue eos tribunos et centuriones. At vero per hoc quod Nabuchodonosor rex constituit pueris instruendis annonam, ut liberius discerent, docentur ecclesiastici viri, quibus præbendæ constitutæ sunt, ut studio vacent Scripturæ ac laudi divinæ. Etenim in sui damnationem, Christi sumit annonam, qui opus propter quod instituta est præbenda, non perficit. Propter quod in Ezechiele indignis pasto- C ribus infructuosisque prælatis Dominus ait : Lac comedebatis, et lana operiebamini ; gregem autem meum non pavistis, et *Ezech.* xxxiv, 3, 4. quod infirmum fuit non consolidastis. Postremo elucescit ex præinductis, quantum abstinentia, refrenatio voluptatis, parsimonia victus, vita quieta, libertasque spiritus, ad sapientiam valeant desuper obtinendam. Renuat igitur anima nostra in carnalibus consolari, *Ps.* lxxvi, 3. omnibusque terrenis dona Spiritus Sancti præponat, carnem cum vitiis et concupiscentiis quotidie crucifigens. *Galat.* v, 24.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : IN ANNO SECUNDO REGNI NABUCHODONOSOR.

1 IN *anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium.* Sicut ex præhabitis innotescit, in hoc volumine Danielis decem visiones continentur, in D quibus vel ipse aliquid vidit, vel visa ab aliis explanavit. Prima est de statua grandi, quam lapis abscissus de monte sine manibus, comminuit et contrivit. Ista præ-

senti capitulo recitatur, viditque eam Nabuchodonosor secundo regni sui anno, non computando a sui regni inchoatione : præsertim quum Daniel et ceteri pueri a rege hoc capti, ad eum ingressi sunt tribus annis expletis a tempore quo in palatium regis fuerunt inducti ; et ex præcedentis capituli elucidatione jam patuit, quod quartus annus regni Joakim regis, fuit primus annus regni Nabuchodonosor, qui cepit Joakim regem undecimo regni sui anno, qui fuit septimus annus Nabuchodonosor regis : quibus si addantur tres anni, quibus pueri præfati instruebantur, decem anni habentur ; nec certum videtur, quam cito post hos vidit hoc somnium. Itaque annus iste secundus computatur ex eo tempore, quo regnum suum fuit dilatatum, ita quod omnibus pene gentibus non nimis distantibus imperavit, scilicet Assyriis, Moabitis, Ammonitis, Judæis, Idumæis, Ægyptiis : et ita exponunt Hieronymus, Albertus, Scholastica historia, ceterique communiter. Nam et Josephus decimo Antiquitatum libro, Post secundum, inquit, annum Ægyptiæ vastitatis, vidit Nabuchodonosor rex mirabile somnium.

Porro visio ista, qua rex vidit hoc somnium, non fuit in vigilia, nec corporalis exterior, nec proprie intellectualis, quia quid vidit, non intellexit : unde nec propheta fuit, sicut nec Pharao, qui boves vidit et spicas. *Gen.* XLI, 1-7. *Dan.* X, 1. Intelligentia namque est opus, id est principale, in visione prophetica. Sed fuit in somno, et imaginarie per imaginarias formas, seu similitudines in interiori sensu, videlicet vi imaginativa formatas, non per spiritum malignum, sed per angelum sanctum, sive illum qui fuerat custos regis istius, sive qui præfuit regno ejus, aut per alium. Hoc loco ait Hieronymus : Vidit rex impius somnium futurorum, ut interpretante illud sancto Daniele, Deus glorificetur, et Judæorum captivorum, ac Deo in captivitate servientium sit grande solatium. Simile de Pharaone legimus : non quod Pharao et Na-

A buchodonosor videre meruerint, sed quod Joseph et Daniel digni exstiterint qui interpretatione somniorum omnibus præferrentur. Denique specialis providentia Dei est circa principes magnos, in quantum ab eis dependet res publica : et ob hoc interdum aliqua ostenduntur eis magis quam aliis.

Insuper, secundum Albertum, somnium differt a visione et oraculo : quoniam visio est ostensio rerum in veritate, ut futuræ sunt, clara ; oraculum autem, est expressa
B rerum prædictio, et in somno percepta. Hoc etiam advertendum, quod somnia non semper sunt repræsentativa, aut attendenda : vicissim enim ex cibis, aut hominum actibus præviis, aut dæmonum illusione, aut aliqua naturali causa causantur, tuncque phantasiæ vel phantasmata appellantur. Hinc scriptum est in Ecclesiastico : Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, secundum hoc visio somniorum. *Eccli.* XXXIV, 2, 3. Aliquando vero sunt somnia ex causa supernaturali et bona : sicque sunt revelati-
C ones seu ostensiones imaginariæ in somno exhibitæ, repræsentativæ alicujus secreti : quæ in somno fieri solent, quia tunc anima exterioribus sensibus clausis et quiescentibus, habet imaginativam magis quietam, et cœlestium influentiarum capaciorem. Propter quod in Numeris Dominus ait ad Aaron et Mariam : Si fuerit inter vos Propheta, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. *Num.* XII, 6. Et in Job : Per somnium in visione nocturna aperit Deus aures virorum. *Job* XXXIII, 15, 16. Postremo, secundum Glos-
D sam, sex sunt maneries seu genera somniorum : primum est ex nimia ventris inanitate ; secundum, ex nimia ingurgitatione ; tertium, ex illusionibus inimici ; quartum, ex cogitatione præmissa, et illusione secuta ; quintum est per revelationem Spiritus Sancti, quod multis agitur modis ; sextum, ex curis præmissis ad Christum vel Ecclesiam pertinentibus, revelatione subsecuta.

Et conterritus est spiritus, id est animus *ejus* ex inconsueta visione propter

Job iv, 13, 14. magnitudinem ejus, juxta illud Job : In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me et tremor, et omnia ossa mea perterrita Ibid. vii, 14. sunt ; et rursus, Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. Albertus hoc loco per spiritum, intelligit spiritum corporalem qui est rector formarum, estque vel corpus subtile, vel humor subtilis : qui quando in terrore confunditur, delentur formæ quæ in eo sunt, quibus deletis, somnium cadit in oblivionem. Verumtamen huic spiritui non proprie competit terror. *Et somnium ejus fugit ab eo,* id est, per oblivionem recessit. Oblivio quippe causatur ex magna motione humorum : propter quod pueri et multum antiqui, solent esse malæ memoriæ, sicut in libro de Memoria et reminiscentia scribit Philosophus. Terror autem efficit grandem humorum commotionem, idcirco induxit somnii oblivionem. Quod tamen factum est ordinatione divina, ut hujus oblivionis occasione Daniel vocaretur, somniumque interpretaretur ad Dei gloriam, et populi Judæorum relevationem per somnii expositionem.

2 *Præcepit ergo rex, ut convocarentur arioli et magi.* De significatione ac distinctione ariolorum et magorum, circa finem Dan. i, 20. præcedentis capituli dictum est. Præterea, secundum Hieronymum, pro ariolis alii transtulerunt, Incantatores, quia arioli animalia interfecta cum carminibus sacrificant. *Et malefici.* Secundum Hieronymum et Glossam, malefici sunt, qui sanguine utuntur et victimis, et sæpe contingunt corpora mortuorum : qui, secundum Albertum, proprie dicti sunt necromantici, a νεκρός, quod est mortuus, quia in mortuis divinant. Hoc tamen secundum prædicta ad ariolos quasi pertinere videtur : idcirco maleficos aliqui dicunt eos, qui avertunt sensus humanos per aliquod dictum vel factum circa eos, sicque aversis seu alienatis sensibus, aliqua eis occulta a dæmonibus revelantur.

Et Chaldæi, id est astronomi, secundum Glossam, seu mathematici, secundum Hieronymum : quod redit in idem, quoniam in Chaldæis viguit astronomia. Chaldæi autem per considerationem astrorum divinabant, et circa cœlestium motus erant intenti. Propter quod visa solis retrocessione sub Ezechia, rex Babylonis, quæ est in Chaldæa, litteras misit et munera Ezechiæ per nuntios, ut sciscitarentur de causa et modo retrocessionis solis tunc factæ, prout quarto Regum et secundo Paralipomenon describitur. IV Reg. xx, 9-12; II Par. xxxii, 31. Hieronymus quoque hic ait, quod Chaldæi, puta tres Magi, nativitatem Salvatoris primo intellexerunt, et venientes in sanctam Bethlehem, Puerum adoraverunt, stella desuper radiante. Matth. ii, 1-11. Verumtamen, sicut Albertus hæc verba exponit, non est hoc sic intelligendum, quasi per naturalem cursum stellarum deprehensus sit ortus Salvatoris. Hujus namque oppositum tenet Ecclesia ; nec Hieronymus negat novæ stellæ creationem, sed dicit quod quum mathematici semper cœlestia contemplentur, inter alios primi lucem creatæ stellæ viderunt in Christi nativitate, quam non vidissent nisi cœlestia contemplati fuissent. Quod autem in Chaldæa viguit astronomia, constat ex eo quod scriptum est in Isaia de Babylone : Stent, Is. xlvii, 13. et salvent te augures tui, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.

Ut indicarent regi somnia sua. Pluraliter dicit, Somnia, propter plures somnii hujus partes. Reges autem et principes terræ illius ad artem scientiæ hujus, id est secundum astronomorum divinationem, omnia agunt, secundum Hieronymum.

Qui quum venissent, steterunt coram rege; et dixit ad eos rex : Vidi somnium, id 3
est, apparitionem quamdam in somno per visionem imaginariam habui, *et mente confusus,* quia terrore turbatus, admiratione oppressus, *ignoro* distincte *quid viderim,* quia nec somnii reminiscor in particulari et sigillatim, nec significationem ejus agnosco. Recordabatur se aliquid magni vidisse, sed determinate quid fuerat, erat

oblitus. Unde ait S. Hieronymus : Umbra quædam, et ut ita dicam, aura et vestigium somnii mansit in corde regis, ut referentibus aliis, posset reminisci eorum quæ viderit, et nequaquam eum deciperent mentientes.

4 *Responderuntque Chaldæi regi Syriace,* id est Chaldaica lingua. Syra namque et Chaldaica lingua, est una et eadem. Dicit quoque Hieronymus, quod liber iste hucusque scriptus est sermone Hebræo; ab hoc loco usque ad visionem anni tertii Balthasar regis, quam Daniel vidit in Susis, Hebraicis quidem litteris, sed lingua scribitur Chaldaica, quam hic Syriacam vocat. Aliqui autem affirmant, quod lingua Syriaca et Chaldaica, quantum ad litteratos, sit eadem; sed quantum ad vulgares, aliquo modo discordat. *Rex, in æternum vive.* His verbis regem salutant, et benevolentiam captant ipsius; et secundum Albertum, non audebant alloqui regem, nisi postquam primo allocutus est eos. Denique, quia ponebant homines bonos ad consortium transferri deorum post vitam præsentem, quemadmodum secundo libro Machabæorum Antiochus rex adolescens ait de genitore suo defuncto, Patre nostro inter deos (II *Mach.* XI, 23.) translato; ideo regi dixerunt, Rex, in æternum vive. *Dic somnium servis tuis, et interpretationem,* id est significationem, *ejus indicabimus* tibi. Superius dictum est, quod non solum Chaldæos, sed et alios multos rex advocavit. Chaldæi tamen tanquam regi familiariores, concives et magis audaces, primitus et pro omnibus responderunt : principaliores etiam et rationabiliores fuerunt, quantum ad hoc quod secundum considerationem cursus stellarum, alii autem omnino superstitiose, conjiciebant seu divinabant.

5 *Respondens rex ait Chaldæis : Sermo recessit a me,* id est, præ terrore et confusione loqui vix possum. Excessivæ equidem passiones loquelam impediunt, juxta illud Job (*Job* IX, 35.) : Nec enim possum metuens respondere. Vel, Sermo de somnio isto, recessit a me, quia oblitus sum somnii. *Nisi indicaveritis mihi somnium et conjecturam,* id est significationem *ejus* probabilem, *peribitis vos,* id est, me jubente occidemini; *et domus,* id est possessiones, habitacula, familiæ, *vestræ publicabuntur,* id est, publicæ direptioni adjudicabuntur. Vel, secundum Glossam, Publicabuntur, id est confiscabuntur. Sed quomodo publicabuntur, si in bursa regis reponentur? Respondetur, quoniam quæ ponebantur in fisco, pro publicis expendebantur negotiis.
Si autem somnium et conjecturam ejus 6
narraveritis, præmia pro labore vestro, *et dona* ultra condignum ex liberalitate regali, *et honorem multum accipietis a me,* qui vos tanquam sapientissimos honorabo per me ipsum et alios. His verbis efficit eos diligentes atque sollicitos, dum ex una parte maximam minatur adversitatem, et ex alia parte maximam pollicetur prosperitatem : ut opposita juxta se posita, clarius innotescant, et ipsi duplici incitamento provocentur ad inquisitionem. Ita et Deus omnipotens nobis, si sua servaverimus jussa, inæstimabilem promittit felicitatem; si vero transgressi ea fuerimus, summam minatur calamitatem. *Somnium igitur et interpretationem ejus indicate mihi.*

Responderunt secundo, atque dixerunt : 7
Rex somnium dicat servis suis, et interpretationem ejus indicabimus. In hoc quod petierunt somnium sibi notificari, rationabiliter sunt locuti; præsumptuose vero, in eo quod addunt, Interpretationem ejus indicabimus. Non enim omnia poterant somnia interpretari; et si rex somnium istud eis insinuasset, non valuissent ipsum exponere, quia naturalem inquisitionem transcendit. Denique somnium alterius interpretari homo non potest, nisi prius dicatur. Dicit namque Philosophus in libro de Somno et vigilia, illum esse artificiosum somniorum judicem, qui visas similitudines novit perpendere, partesque ad invicem comparare, comparationem quoque ad dispositionem cœli, et passiones ac similitudines somniantis, et ad mores ipsius et

complexionem : quæ omnia attendenda
sunt ibi.

8 *Respondit rex, et ait : Certe scio*, quod* (* novi)
tempus redimitis, id est, infructuose ex-
penditis, et verborum circuitu illud dedu-
citis, volentes vos ipsos de manu mea re-
dimere ambage verborum, *scientes quod*
recesserit a me sermo (secundum sensum
duplicem jam inductum), ideo non debe-
9 retis a me somnium investigare. *Si ergo*
somnium non indicaveritis mihi, una, id
est communis et par, *sententia est de vo-*
bis apud me, *quod interpretationem quo-*
que fallacem, et deceptionem composue-* (* deceptione plenam)
ritis, ut loquamini mihi incerta, falsa ac
deceptoria pro veris et certis, tenentes me
occupatum *donec tempus pertranseat,* id
est, aliis intendere cogar, et ista dimittam.
Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quod
interpretationem quoque ejus veram lo-
quamini. Quum enim difficilius fuerit som-
nium alterius scire, illo non revelante,
videlicet cogitationes ejus, quam somnium
interpretari : certum regi fuisset interpre-
tationem eorum veram consistere, si som-
nium sibi potuissent edicere ; nec tamen
consequens fuit, eos non posse somnium
aliquod interpretari, nisi quivissent illud
præfato modo dignoscere. Verum reges ex
sua superbia plerumque sequuntur volun-
tates et passiones magis quam rationem.
Unde exactio regis fuit irrationabilis. Po-
test tamen inquiri, cur exegit ab istis som-
nia sua indicari, quum hoc impossibile
fuerit. Respondet Albertus, quod Chaldæi
isti mathematici exsistentes, dicebant ex
astris inferiora causari, influentiisque cœ-
lestibus hominum animas subjacere : et
ideo quum se profiterentur scire cursus
stellarum, et quas in inferioribus facerent
impressiones, quærebat ab eis rex, quas in
spiritu suo impressiones fecissent.

10 *Respondentes ergo Chaldæi coram rege,*
dixerunt : Non est homo super terram,
qui sermonem tuum, rex, possit implere.
Et hoc verum fuit, loquendo de naturali
hominum potestate : cordium enim secre- (I *Reg.* XVI, 7.)
ta cognoscere, non est facultatis humanæ.
Sed neque regum quisquam magnus et
potens, ut tu, *verbum hujusmodi sciscita-*
tur ab omni ariolo, et mago, et Chaldæo.
Verba ultima supra exposita sunt. Quasi
dicant : Contra laudabilem consuetudinem,
quæ habet vim legis, tu facis; nec tibi
potentissimo regi competit, ceteris regibus
crudelius agere, quum ad regem spectet
clementia : sicut in Proverbiis Salomon
loquitur, Clementia roboratur thronus re- (*Prov.* XX, 28.)
gis. *Sermo enim quem tu quæris, rex, gra-* 11
vis est, id est difficilis ad complendum ; *nec*
reperietur quisquam qui indicet illum in
conspectu regis. In hoc verum dicere se
putabant, ignorantes veri summique Dei
cultoribus, scilicet Israelitis, occultissima
desuper revelari.

Exceptis diis, quorum non est cum
hominibus conversatio. Gentiles ponebant
varios ordines deorum : nam et corpora
cœlestia, ac motores eorum deos pone-
bant ; animas quoque hominum quorum-
dam ad consortium transferri deorum, ac
deificari, quibus occultorum scientiam at-
tribuebant, quæ homines scire non pos-
sent, nisi revelantibus illis. Et dicunt hic
aliqui, quod Chaldæi dicebant sicut Plato-
nici, puta quod dæmones essent animalia
corpore aeria, mente rationalia, animo pas-
siva, et tempore æterna : quæ, secundum
eos, habitant in aere, et cum hominibus
sæpe junguntur, et quodammodo conver-
santur; a quibus per artes magicas aliqua
possunt inquiri ac sciri, sed non omnia.
Deos autem quorum non est cum homini-
bus conversatio, ponebant substantias se-
paratas, quæ sunt altioris scientiæ, ad quas
ars divinativa ac magica se non extendit
ad aliquid inquirendum ab eis. Albertus
per deos intelligit homines divinos : quo-
rum conversatio dicitur non esse cum ho-
minibus, quia conversatio talium est in (*Philipp.* III, 20.)
cœlis. Hoc tamen non videtur fuisse inten-
tio Chaldæorum, qui neminem se in terris
diviniorem censebant. Hieronymus demum
hic ait : Confitentur magi, confitentur ario-
li, et omnis scientia sæcularis litteraturæ,
præscientiam futurorum, non hominum

esse, sed Dei. Ex quo probatur, Prophetas
spiritu Dei locutos. Hinc nempe et Isaias
Is. XLI, 23. effatur : Quæ futura sunt annuntiate, et
sciemus quia dii estis vos.
12 *Quo audito, rex in furorem versus est :*
et hoc, irrationabiliter valde. Superbi enim
non patiuntur se informari, nec instructionem,
quamvis caritativam rationabilemque,
admittunt. *Et in ira magna præcepit
ut perirent,* id est interficerentur, *omnes
sapientes Babylonis.* Quemadmodum apud
Jacob. I, 20. Jacobum habetur : Ira viri justitiam Dei
non operatur. Propter quod in Proverbiis
Prov. XXVII, 4. scriptum est : Ira non habet misericordiam,
nec erumpens furor ; impetum autem
concitati spiritus ferre quis poterit?
13 *Et egressa,* id est prolata ac publicata,
sententia occisionis, *sapientes* Babylonis
interficiebantur, id est, ad occidendum
quærebantur, et disponebatur de morte
eorum. Res autem dicitur facta seu fieri,
quando in proximo est ut fiat, vel quasi
facta est : sicut de agonizante dicimus,
quod sit mortuus homo. Infra autem patebit,
quod sapientes isti non fuerunt occisi,
nisi forsitan aliqui. Sed cur tanto furore
exarsit in eos? Ad hoc Lyra respondet,
quod vacantes philosophiæ conjecturisque
futurorum ac similibus, vestitum et victum,
imo sumptus magnos habebant a
Dan. I, 5. rege : sicut capitulo præcedenti dictum
est de Daniele et sociis ejus. Unde in Genesi
Gen. XLVII, 22. legitur, quod sacerdotes Ægypti non
sunt tempore famis compulsi vendere terram
suam ut alii : quoniam victum recipiebant
ex horreis regis. Quoniam ergo
rex Babylonis multa expendit pro sustentatione
sapientium suorum, iratus fuit intense,
quando ad suam voluntatem, et sicut
speravit, non responderunt.

Quærebanturque Daniel et socii ejus,
Ananias, Misael et Azarias, *ut perirent,* id
est interficerentur, quia et ipsi de numero
sapientium fuerunt. Circa hoc scribit Hieronymus
: Quærunt Hebræi, cur Daniel et
tres pueri non sunt cum aliis sapientibus
ad regem ingressi, et tamen prolata sententia,
jubebantur occidi cum eis. Re-

A spondet, quod eo tempore quo rex dona,
præmia et honorem promittebat, ire noluerunt,
ne impudenter divitias et dignitatem
Chaldaicam viderentur appetere. Aut certe
ipsi Chaldæi invidentes gloriæ et scientiæ
eorum, soli ingressi sunt, quasi soli præmia
recepturi; et postea in periculo voluerunt
Chaldæi istos habere consortes,
quos in spe gloriæ refutarunt. Sed mirum
quod rex non vocavit eos ex nomine, quia
ut dictum est capitulo præcedenti, jamdudum
rex invenit decuplum in eis sapientiæ
B et intellectus, quam in ariolis, magis atque
Chaldæis. Ad quod dicere quis potest,
quod rex mente confusus, oblitus sit eos
vocare.

Tunc Daniel requisivit de lege, id est 14
præcepto occidendi sapientes, *atque sententia*
damnationis latæ in eos, *ab Arioch
principe militiæ regis, qui egressus fuerat
ad interficiendum sapientes Babylonis :*
et tamen non festinavit in hoc, quia invite
exsequebatur imperium regis, cujus indiscretionem
bene advertit. *Et interrogavit* 15
C *eum qui a rege potestatem acceperat* occidendi,
scilicet Arioch, *quam ob causam
tam crudelis sententia a facie,* id est ore
et præsentia, *regis esset egressa. Quum
ergo rem,* id est causam hanc, *indicasset
Arioch Danieli, Daniel ingressus, rogavit* 16
*regem ut tempus daret sibi ad solutionem
indicandam regi.* Non solum secundum
Sanctos, sed et secundum Aristotelem, qui
bene se habent in divinis, melioris sunt
spei. Ideo Daniel tanquam vir sanctus,
confidit de misericordia Dei quod sibi hæc
D revelaturus esset. Regem quoque confidenter
accessit, tanquam de ejus exsistens
palatio, et quia jam ante perpendit circa
se regis favorem. In hoc autem Daniel non
egit contra documentum Christi, dicentis :
Nolite præmeditari quemadmodum respondeatis; *Matth.* X, 19; *Luc.* XXI, 14, 15.
dabitur enim vobis in illa hora
quid loquamini : quia, ut ait Albertus, Dominus
non prohibet deliberationem simpliciter,
sed deliberationem et præmeditationem
rationis humanæ : quia si huic
sancti inniterentur, viderentur dubitare de

fide. Inducias autem faciendæ orationis, et A
impetrandæ revelationis, ac ordinandæ re-
sponsionis secundum fidem, Christus non
prohibet. Hinc ait Hieronymus : Tempus
postulat, non quod tractatione et sagacita-
te mentis occulta perquireret, sed quod
occultorum Dominum precaretur. Et ite-
rum ait Hieronymus : Scientes Chaldæi,
quod decuplum super cunctos ariolos et
magos qui erant in universa Chaldæa, Da-
niel et tres pueri saperent, celaverunt eos
interrogationem regis, ne sibi in interpre-
tatione somnii præferrentur. Ideo Daniel
ab Arioch de crudelitate sententiæ inter-
rogavit, quoniam causam sui ignoravit pe-
riculi.

17 *Et ingressus est domum suam* sibi a
rege concessam. Principales enim de curia,
habitacula certa habent. Itaque ab aliis se
subtraxit, ingrediens domum, ut Deum
quietius liberiusque oraret, et in silentio
Ps. LXXXIV, 9. contemplationi vacaret, auditurus quid lo-
queretur in ipso Dominus Deus, juxta il-
Matth. VI, 6. lud : Tu autem quum oraveris, intra in
cubiculum; et clauso ostio, ora Patrem
Sap. VIII, 16. tuum in abscondito. Et Sapiens ait : Intrans
in domum meam, conquiescam cum ea,
scilicet cum sapientia. *Ananiæque et Mi-
saeli et Azariæ sociis suis indicavit nego-*
18 *tium, ut quærerent misericordiam,* scilicet
revelationem piam, *a facie,* id est clementi
adspectu, *Dei cœli super sacramento isto,*
id est sacro atque divino isto secreto, quod
in somnio regis continebatur : in quo ali-
quid de regno atque mysteriis Christi fu-
erat designatum. Secundum Hieronymum,
Daniel socios suos sibi in oratione conjun-
git, ne solus de suo merito præsumere
videretur : ut quorum commune erat dis-
crimen, communis esset oratio. Denique,
oratio multorum, præsertim justorum, mul-
tum est exaudibilis. *Et non perirent,* id
est, ne occiderentur, *Daniel et socii ejus :*
ex quorum vita dependebat consolatio om-
nium Judæorum captivorum; *cum ceteris
sapientibus Babylonis,* id est, ut nec illi
perirent : sicque pro inimicis oravit. Vel
sensus est, Ut non perirent, quemadmo-
dum illi perire jussi fuerunt. Juxta pri-
mum sensum, in hoc magna Danielis insi-
nuatur caritas atque perfectio, quod pro
insidiantibus invidentibusque oravit, evan-
gelicum illud adimplens : Diligite inimicos *Matth.* V, 44.
vestros, benefacite his qui oderunt vos, et
orate pro persequentibus et calumnianti-
bus vos.

Tunc Danieli mysterium, id est secre- 19
tum somnii hujus, *per visionem nocte re-
velatum est* ministerio angeli sancti : quia
per angelos, secundum divinum Dionysi-
B um, propheticæ revelationes fiebant. Por-
ro qualis fuerit revelatio ista, an scilicet
imaginaria, vel intellectualis tantum, an
etiam facta sit in somno, vel in vigilia, in
textu non dicitur, nec certum videtur. Hie-
ronymus tamen innuit eam fuisse in som-
nis, dicendo : Somnium regis suo discit
somnio ; imo et somnium et interpretatio-
nem ejus Dei revelatione cognoscit, quod
dæmones ignorabant. Glossa quoque hic
dicit, et aliqui asserunt, quod idem som-
niavit quod rex, moxque post hoc revelata
C sit ei expositio somnii. Lyra etiam scribit
hic : Probabile videtur, quod vidit in som-
no consimilem visionem visioni regis, et
ultra hoc, intellectum ipsius : nam dicitur,
Nocte. Tales enim visiones magis notæ
sunt fieri nocte sensibus quietatis, juxta
illud in Job : Per somnium in visione no- *Job* XXXIII, 15, 16.
cturna, quando irruit sopor super homi-
nes, et dormiunt in lectulo, tunc aperit
Deus aures virorum, et erudiens eos in-
struit disciplina. Albertus aliter dicit. Sic
enim exponit : Per visionem, non per som-
D nium, sed per apertam rerum demonstra-
tionem.

Et Daniel benedixit, id est, laudavit, et
bonum sibi impensum Deo dixit atque
adscripsit, *Deum cœli.* Deum enim a suis
effectibus nominamus : cœlum autem est
opus Dei præclarum; et nomine cœli in-
telligendus est gloriosus Beatorum exerci-
tus inhabitans cœlum. Et hic solus verus
est Deus : propter quod ait Jeremias, Dii *Jer.* X, 11.
qui non fecerunt cœlum et terram, per-
eant. Secundum Hieronymum, Benedixit

Deo cœli, ad distinctionem eorum qui versantur in terra, et dæmoniacis artibus
20 atque præstigiis deludunt terrena. *Et locutus ait,* gratias referendo pro tam supernaturali et grandi revelatione : qui enim de acceptis beneficiis gratias refert, ad majora sortienda se aptat :

Sit nomen Domini, scilicet nomen nominatum, quod est ipsemet Dominus, nomine nominante signatus, *benedictum,* id est laudatum et sanctum, ita ut omnes Domino benedicant. Denique verus Dei amator et gratus donorum ejus susceptor, contentus non est per se solum benedicere Deum, sed ab universis et singulis eum appetit benedici. *A sæculo et usque in sæculum,* id est per sæcula cuncta, seu æternaliter; vel, A sæculo omnium patrum, in sæcula omnium filiorum, in quibus nunquam defecerunt illuminationes et miserationes divinæ. *Quia sapientia et fortitudo ejus sunt.* Hoc dupliciter intelligi potest. Primo, quod sapientia et fortitudo, seu virtus ac potestas in Deo sunt, et ei vere ac plene conveniunt, imo sunt ipsemet supersapiens omnipotens Deus : cujus comparatione sicut nullus bonus, ita nullus est sapiens, juxta illud ad Romanos, Soli sapienti Deo honor et gloria. (*Rom.* XVI, 27.) De quo scriptum est in Job : Sapiens corde est, et fortis robore; (*Job* IX, 4.) itemque, Potestas et terror apud ipsum est. (*Ibid.* XXV, 2.) Secundo accipitur, quod omnis sapientia et fortitudo cujuscumque creaturæ a Deo profluxit, ejusque donum est, juxta illud Ecclesiastici, Omnis sapientia a Domino Deo est; (*Eccli.* I, 1.) et ad Romanos, Non est potestas nisi a Deo. (*Rom.* XIII, 1.) Sapientia autem hic dicitur, vel cognitio secretorum cœlestium, vel scientia dispositionis universorum : sapientis namque est ordinare. Fortitudo vero accipitur pro virtute et efficacia exsequendi disposita. Et hæc duo præcipue ad dominos ac judices pertinent. Propter quod Ecclesiasticus ait : Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; (*Eccli.* VII, 6.) et alibi, Væ terræ cujus rex puer est. (*Eccle.* X, 16.)

21 *Et ipse mutat,* id est distinguit, *tempora* A *et ætates,* id est rerum periodos : sicut in Hymno cantamus : Rector potens, verax Deus, qui temperas rerum vices. Deus autem excelsus est universorum creator, qui per motum cœlestium corporum efficit dies et noctes, æstatem et hiemem, menses et annos, juxta illud Genesis : Dixit Deus, (*Gen.* I, 14.) Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem et noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos. De quibus legitur apud Amos : Convertens tenebras (*Amos* V, 8.) in mane, et diem nocte mutans. Præterea, B Deus per omnipotentiam suam tempora potest mutare, diem supernaturaliter prolongando, ut tempore Josue et Ezechiæ. (*Josue* X, 12-14; *IV Reg.* XX, 11.) Dicit autem Albertus, quod tempora dicuntur secundum quod spatia sunt in motibus cœlestibus; ætates vero, secundum quod spatia illa relinquuntur in inferioribus. Ætates autem seu periodos rerum corruptibilium Deus immutat, vitam et durationem entium ad libitum prolongando et abbreviando. Nam et ante diluvium longior fuit ætas humana, quam postea.

C *Et transfert regna atque constituit,* id est, destruit secundum ordinem sapientiæ atque justitiæ suæ infallibilis atque immensæ : et hoc communiter propter hominum merita et demerita, prout Ecclesiasticus ait : Sedes ducum superborum (*Eccli.* X, 17.) destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis; et rursus, Regnum a gente in gentem (*Ibid.* 8.) transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias. Interdum autem aliqui a Deo constituuntur in reges aut regna, non propter suas justitias, sed ad punitionem D pravorum, quemadmodum per Isaiam protestatur : Dabo pueros principes eorum, et (*Is.* III, 4.) effeminati dominabuntur eis. In Job quoque : Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. (*Job* XXXIV, 30.) Denique in Deuteronomio Moyses populo Israeli ait : Ne dicas in corde tuo, Propter justitiam (*Deut.* IX, 4, 6.) meam introduxit me Dominus in terram hanc, scilicet Chananæorum, quum durissimæ cervicis sis populus. Frequenter etiam Deus dat alicui regnum, propter aliquod opus ex genere bonum, quamvis non

meritorium vitæ æternæ, quemadmodum A
Cyro, eo quod liberaturus erat filios Israel
Is. XLV, 1-4. de Babylonica captivitate, sicut in Isaia habetur. Aliquando demum impiis regnum conceditur ad correctionem et exercitium electorum, sicut et Attila rex Hunnorum dixit se esse flagellum Dei. Et in Isaia
Ibid. X, 5. Dominus loquitur, Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est : quod ad litteram dicitur de Sennacherib rege Assyriorum.

Dat sapientiam sapientibus : ab eo enim est omnis notitia veritatis. Sed variis modis dat et infundit sapientiam mentibus. B Siquidem donum sapientiæ est immediate per creationem a Deo; sapientiam vero prophetalium visionum infundit per angelos. Aliquando autem sapientiam quæ est donum gratiæ gratis datæ, et gratiam prophetiæ ac Scripturarum notitiam, immediate per se ipsum largitur, sicut Apostolis in die Pentecostes, et Paulo in raptu. Sed et sapientia tam philosophica quam theologica per studium acquisita, dona sunt Dei, qui naturale lumen intellectus contulit et conservat : a quo omnium rerum C esse et posse ac agere incessanter dependent. Unde de philosophis ait Apostolus
Rom. I, 19. ad Romanos : Deus illis revelavit. *Et scientiam intelligentibus disciplinam,* id est vere moralibus, morigeratis, passionum victoribus, qui apti sunt illuminari a Deo. Disciplina autem est morum correctio, justa punitio, seu moralis doctrina : cujus passionum secutor est inanis auditor, secundum Philosophum primo Ethicorum.
Prov. II, 6. Hinc in Proverbiis scriptum est : Dominus dat sapientiam, et ex ore illius scientia et D
Jacob. I, 5. prudentia. Et Jacobus ait : Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei.

22 *Ipse revelat,* id est, hominibus manifestat, imo et angelis, *profunda,* id est alta seu difficilia, *et abscondita,* id est hominibus naturaliter ignota, quæ naturalem capacitatem seu facultatem transcendunt : de
I *Cor.* II, 10. quibus ait Apostolus, Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum ; et Job,
Job XII, 22. Revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis. *Et novit in tenebris constituta,* id est in occulto : vel in tenebris ignorantiæ, quoad eos qui ea ignorant; vel in tenebris impietatis, id est peccata quantumlibet occulta et parva, secundum illud in Job : Ipse novit ho- *Job* XI, 11.
minum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat? Aut certe in tenebris exterioribus seu locis caliginosis, contra quosdam indoctos, qui ea quæ in tenebris talibus fiunt aut sunt, Deum latere putabant. In quorum persona fertur in Psalmo : Et dixi, Forsitan tenebræ concul- *Ps.* CXXXVIII, 11.
cabunt me. Hinc per Jeremiam Dominus ait : Si occultabitur vir in absconditis *Jer.* XXIII, 24.
suis, et ego non videbo eum? *Et lux cum eo est.* In Deo enim est sapientia et veritas, qua nihil splendidius : imo Deus est lux, pulchritudo, et claritas superpurissima et immensa. De quo in prima Joannis epistola habetur : Deus lux est, et tenebræ I *Joann.* I, 5.
non sunt in eo ullæ. Et tanta est claritas hujus lucis, ut ejus respectu cuncta sint tenebrosa, juxta illud in Job : Ecce etiam *Job* XXV, 5.
luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Qui, secundum Apostolum, lucem habitat inaccessibilem. I *Tim.* VI, 16.
Circa prædicta scribit Hieronymus : Cui Deus revelat profunda, dicere potest, O al- *Rom.* XI, 33.
titudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! et habitante in se Spiritu Sancto, scrutatur etiam profunda Dei; et in pro- I *Cor.* II, 10.
fundo animæ suæ puteos fodit altissimos, omnemque terram, videlicet terrenas affectiones, egerit, quæ profundas aquas sapientiæ operire consuevit; servatque mandatum Salomonis, dicentis, Bibe aquas de *Prov.* V, 15.
cisternis tuis.

Tibi Deus patrum nostrorum, scilicet 23
Abrahæ, Isaac et Jacob, *confiteor* nostra mala, et tua bona; *teque laudo* gratias referendo, et tuam pietatem ac veritatem profitendo. Meminit autem patrum suorum, quia illorum meritis multa beneficia filiis Israel præstitit Deus. Et item, secundum Hieronymum, ne videatur suis tribuere meritis, refert hoc ad patrum justitiam, veritatemque Dei, qui seminis illorum etiam in captivitate miseretur. *Quia sa-*

pientiam ad cognoscendum divina myste- A
ria, *et fortitudinem* et constantiam incon-
cussam inter prospera et adversa, *dedisti*
mihi. Et nunc ostendisti mihi significata
per somnium regis, ipsumque somnium,
quæ rogavimus te ego et tres socii mei
alicui nostrum ostendi, *quia sermonem re-*
gis de somnio suo *aperuisti nobis* seu
indicasti mihi, videlicet interpretationem
quam cupit audire. In quo illud Amos est
Amos III, 7. impletum : Non faciet Dominus verbum,
nisi secretum suum revelaverit ad servos
suos Prophetas.
24 *Post hæc Daniel ingressus ad Arioch,*
quem constituerat rex ut perderet sapien-
tes Babylonis, sic ei locutus est : Sapien-
tes Babylonis ne perdas. Circa quod ait
Hieronymus : Imitatur Daniel clementiam
Luc. XXIII, 34. Dei, qui pro persecutoribus deprecatur,
et non vult eos perire propter quos fue-
rat periturus. *Introduc me in conspectum*
regis, et solutionem regi narrabo, tam
super quæstione de somnio, quam super
interpretatione ejus. Et in hoc arrogan-
tiam evitavit : nam ipse recto itinere po-
terat ire ad regem, et tamen postulat in-
troduci.
25 *Tunc Arioch festinus introduxit Dani-*
elem ad regem. Festinavit, sciens se læta
regique placitissima nuntiare, et quia sa-
pientibus Babylonis parcere præoptavit.
Quæritur, cur Arioch tam cito credidit Da-
nieli. Respondent aliqui, quod Arioch ali-
unde habuit experimentum quod Daniel
haberet spiritum propheticum : ideo etiam
credidit eum veracem, quoniam vidit tam
Dan. I, 8 *et seq.* justum, studiosum ac temperatum, ut in
exordio patuit. *Et dixit ei : Inveni homi-*
nem de filiis transmigrationis Juda, id
est de numero eorum qui cum Joakim de
Judæa translati sunt huc, *qui solutionem*
regi annuntiet. Arioch loquitur quasi sua
inquisitione atque industria invenisset Da-
nielem, volens per hoc regi placere more
servorum, qui quum bona annuntiant, sua
videri volunt, et sibi adscribi. Quandoque
tamen dicitur aliquis invenire, non solum
quod quærit, sed quod sibi etiam inopi-
nate aut a casu occurrit, sicut qui impro-
vise thesaurum inveniunt.
Respondit rex et dixit Danieli, cujus 26
nomen erat Balthasar : Putasne vere po-
tes mihi indicare somnium quod vidi,
et interpretationem ejus ? Quæ multum
læta sunt, vix creduntur ; similiter quæ
valde difficilia : ideo rex somnium et in-
terpretationem ejus vehementissime scire
desiderans, eaque sibi insinuari difficile
esse perpendens, prima facie vix credidit
Arioch. Ob hoc Danielem interrogavit. Et
B secundum Hieronymum, servat ordinem
quæstionis, ut primo somnium, et postea
interpretationem quærat : ut quum som-
nium audierit, et quod viderat recogno-
verit, tunc credat et interpretationi, quæ
variam recipit conjecturam.
Respondit Daniel coram rege imperter- 27
rite et constanter, loquente in ipso et per
ipsum Spiritu Sancto : *Mysterium,* id est
occultum somnium, et secretam interpre-
tationem ejus, *quod rex interrogat, sapi-*
entes, magi, et arioli (verba ista exposita
C sunt), *et aruspices nequeunt indicare regi:*
quasi dicat, Nec humana, nec magica arte
potest agnosci. Per aruspices autem Hie-
ronymus accipit eos qui exta inspiciunt,
et ex his futura denuntiant. Secundum
Albertum vero, aruspices sunt augures,
qui ex his quæ in aura vel aere fiunt, di-
vinationem promittunt, ut in volatu avium
vel garritu, vel auditu tonitruorum, vel
occursu bestiarum. Porro, omne quod oc-
cultum est homini, et ab hominibus igno-
ratur, vocari potest mysterium. *Sed est* 28
D *Deus in cœlo :* qui licet infinitus incir-
cumscriptibilisque sit, specialiter tamen
in cœlo esse et habitare asseritur, quia
ibidem evidentius ac magnificentius ope-
ratur, et clarius se illic ostendit ; *reve-*
lans mysteria, id est, secreta manifestans,
quando, ubi, quibus, quoties, et quomodo
vult. His verbis, secundum Hieronymum,
occulte retrahit regem a multorum cultu
deorum, et ad unius Dei notitiam dirigit.
Qui indicavit tibi, rex Nabuchodonosor,
id est, per somnium designavit, non tamen

exposuit, *quæ ventura sunt in novissimis* A
temporibus, scilicet in ultima mundi æta-
te, et circa sæculi finem : quoniam visio
ista decursum mundi usque in finem si-
gnificat; imo, secundum Hieronymum, uni-
versa somnii interpretatio ad finem mundi
pertingit, in quo imago statuæ quæ cer-
nitur, conterenda est. Præterea in hac re-
velatione fit mentio de regno Christi, quod
ultimum est regnorum ; et tempus evan-
gelicæ legis ultimum perhibetur, Paulo
I Cor. x, 11. dicente : Nos sumus in quos fines sæcu-
lorum devenerunt. Et in prima epistola B
Joannis de tempore Christi inducitur :
I Joann. II, 18. Novissima hora est.

Consequenter accedit ad solutionem : in
qua plus respondet quam rex interroga-
vit, quia enuntiat quid rex ante somnium
cogitavit, quod soli Deo cognitum fuit.
Somnium tuum, et visiones capitis, id est
cordis seu intellectus, *tui in cubili tuo,*
hujuscemodi sunt. Somnium et visiones
pro eodem hic accipiuntur, secundum Al-
bertum : ut somnium dicatur, per compa-
rationem ad dormientem ; visiones, quoad C
rerum demonstrationes. Vel pluraliter ait,
Visiones, propter multa quæ continentur
29 in somnio isto. *Tu, rex, cogitare cœpisti*
in strato tuo, quid esset futurum post hæc
tempora tua et gesta, videlicet de succes-
sione regum sive regnorum, et his quæ
tuum concernunt imperium : secundum
quod homines avidi sunt scientiæ futu-
rorum ; *et qui revelat mysteria,* scilicet
Deus, *ostendit tibi* quamvis indigno, ex sua
clementia, *quæ ventura sunt.* Secundum
Hieronymum, in hoc quod dicit, Tu, rex, D
cogitare cœpisti, ostendit causas somnii :
quod idcirco ei Deus futurorum mysteria
revelaverit, quia ipse rex voluit scire ven-
tura. Circa quod Lyra ait : Ex hoc etiam
patet, quod sollicitudo præcedens in vi-
gilia, est bene causa somniorum sequen-
tium in dormitione. Sed hoc contingit du-
pliciter : Uno modo naturaliter, quando
phantasmata quæ fuerunt in vigilia, re-
vertuntur in somno, vel similia. Hoc au-
tem non fuit hic, quia talia somnia non
sunt signa futurorum, sed magis præce-
dentium. Alio modo supernaturaliter, quan-
do ex sollicitudine circa aliquid futurum
disponitur homo, ut de talibus fiat sibi
aliqua a Deo ostensio in sequenti somno :
quoniam talia convenientius fiunt in som-
no quam in vigilia. Insuper, secundum Hie-
ronymum, tanta est omnipotentis Dei cle-
mentia, ut etiam Nabuchodonosor impio
regi dispensationis suæ, qua mundum re-
git, mysteria revelarit.

Mihi quoque non in sapientia quæ est 30
in me plus quam in cunctis viventibus, id
est non per sapientiam meam naturalem
et studio acquisitam, in qua ego non sum
cunctis viventibus doctior, quamvis per
supernaturalem illuminationem excellens
sim (sicque negatio cadit super hoc to-
tum), *sacramentum hoc,* id est sacrum is-
tud secretum, *revelatum est :* quasi dicat,
Non humana virtute aut sapientia istud
agnosco; *sed ut interpretatio* somnii tibi
regi manifesta fieret, et cogitationes men-
tis tuæ in somno habitas, oblivionique
traditas, *scires.* Revelatio nempe prophe-
tica est gratia gratis data, quæ ordinatur
ad aliorum utilitatem, sicut ait Apostolus :
Unicuique datur manifestatio Spiritus ad I Cor. XII, 7.
utilitatem. His verbis Daniel arrogantiam
vitat, humilitatem ostendit, invidentiam
aliorum fugit ; sapientes Babylonis excu-
sat, innuendo quod non nisi summi Dei
revelatione ista potuerunt agnosci ; regem
quoque honorat, dum propter illius cer-
tificationem sibi fatetur divina revelata
mysteria.

Tu, rex, videbas visione imaginativa in 31
somno ; *et ecce :* hoc adverbium signat
notabile esse quod dicitur ; *quasi statua*
una grandis, id est imago alicujus repræ-
sentativa. Unde statua dicitur, quia per
similitudinem ponit seu statuit id, cujus
est imago. *Statua illa magna et statura*
sublimis stabat contra te. Omnia ista per
similitudines in interiori sensu regis for-
matas fiebant : et statua ista magna et alta
apparuit, quia rei magnæ fuit indicium ;
in visione quoque ita apparuit, quasi sta-

ret ex opposito regis intuens eum. *Et in-* A
tuitus ejus erat terribilis. Ideo horribiliter
apparebat, quia horribilia figurabat, vide-
licet regnorum successionem et debella-
tionem, quæ non sine innumerabilium ho-
32 minum occisione completæ sunt. *Hujus*
statuæ caput ex auro optimo erat, secun-
dum apparentiam non confictam, sed ali-
cujus veri significativam. *Pectus autem et*
brachia de argento. Porro venter et femo-
ra ex ære, etc. Omnia ista sic somnialiter
visa sunt, nec Prophetæ expositionem an-
ticipare oportet : ipse enim sanctus Daniel B
omnia ista consequenter exponit in textu,
36 idcirco textum transilio usque ibi : *Hoc*
ergo *est somnium.*

Deinceps expositionem annectit. *Inter-*
pretationem quoque ejus dicemus coram
37 *te, rex. Tu rex regum es :* primo, quoni-
am multos reges devicit, eisque impera-
vit; secundo, quoniam tempore suo non
fuit ei in terra æqualis. Hinc etiam in Eze-
Ezech. xxvi, 7. chiele Nabuchodonosor vocatur rex regum.
Et Deus cœli, regnum istud quod habes,
scilicet Chaldæorum, *et fortitudinem* qua C
aliis prævales, *et imperium* quo pluribus
præsides, *et gloriam,* id est famam, excel-
lentiam, gloriationem quoque de crebris
victoriis, *dedit tibi.* Omnia enim bona, Dei
sunt dona, et ex specialibus causis pro-
videntia Dei promovit eum ad ista, sicut
et Cyro contulit monarchiam, secundum
I *Esdr.* I, 2. quod ipsemet Cyrus loquitur : Omnia re-
38 gna terræ dedit mihi Deus cœli. *Et omnia,*
scilicet loca seu habitacula, *in quibus ha-*
bitant filii hominum, et bestiæ agri, vo-
lucres quoque cœli, dedit in manu, id est D
potestate *tua, et sub ditione,* id est jussio-
ne *tua universa constituit :* id est, omnem
tibi terram cum hominibus ac brutis sub-
jecit. Quod totum intelligendum est synec-
dochice ac hyperbolice, ponendo partem
pro toto : ita quod hic est sermo per ex-
cessum dictus ad majorem expressionem
faciendam, ad designandum quod valde
multis nationibus imperavit, et irrationa-
bilia variis modis possedit; non quod bru-
ta ferocia sibi miraculose fuerint man-
suefacta, sicut sanctis hominibus. Hinc
frequenter per Jeremiam Dominus loqui-
tur : Quia non solum homines, sed et *Jer.* xxvii,
bestias terræ dedi ei, scilicet Nabuchodo- 6; xxviii, 14.
nosor regi.

Tu es ergo caput aureum, id est, tu,
o rex, et regnum tuum Babylonium, desi-
gnatur per aureum caput statuæ quam
vidisti : quia ceteros reges nunc excedis,
sicut aurum reliqua metalla, et propter
divitias quas in tuo imperio congregasti.
Et rursus, quemadmodum caput primum
est inter corporis membra, sic inter qua-
tuor regna, per statuam secundum diver-
sas ejus partes signata, regnum tuum Chal-
dæum est primum.

Et post te consurget regnum aliud minus 39
te, argenteum, hoc est regnum Medorum
atque Persarum : quod occiso Balthasar *Dan.* v, 30,
filio filii Nabuchodonosor regis invaluit, et 31.
post mortem Darii unum regnum effe-
ctum est, Cyro utrumque regnum tenen-
te : cujus tamen regnum minus fuit regno
Nabuchodonosor regis, habuitque se ad
illud sicut argentum ad aurum. Hoc itaque
regnum signatum est per pectus et bra-
chia argentea : nam et ideo duo brachia
argentea visa sunt, quia (ut dictum est)
regnum Persarum atque Medorum primo
fuerunt duo regna divisa; sed quoniam
postea unum regnum sunt facta, hinc bra-
chia ista in uno pectore argenteo vide-
bantur. *Et regnum aliud tertium æreum,*
quod imperabit universæ terræ. Hoc fuit
regnum Græcorum sive Macedonum pro
tempore Alexandri Magni. Tunc enim Ale-
xander pene toti orienti prævaluit, et us-
que ad fines terræ pervenit; multi quoque
solo ejus terrore dejecti, sponte subdide-
runt se ei : non tamen simpliciter cunctis
terræ provinciis imperavit et regnis, sed
in hoc est hyperbolica quædam locutio.
Quemadmodum autem æs durius est ar-
gento et auro, sic regnum istud præceden-
tibus fuit robustius. Quod etiam compara-
tum est æri, quod optime sonat, quoniam
Græci sonoritate eloquentiæ intendebant :
eratque regnum hoc ubique famosum pro-

pter potentiam, sapientiam, eloquentiam- A
que Græcorum, quando et Aristoteles dixit:
Sumus ergo nos Græci digni universum
mundum gubernare. Hoc itaque regnum
significatum est per ventrem et femora
statuæ ærea.

40 *Et regnum quartum,* scilicet Romanorum
imperium, *erit velut ferreum.* Cujus ratio
subditur : *Quomodo ferrum comminuit et
domat omnia* tangibilia, sibi in materia
communicantia, seu cuncta metalla ; *sic
comminuet et conteret,* id est destruet, *om-
nia hæc* regna præfata. Romani enim, præ- B
sertim tempore Julii atque Pompeii et
Octaviani, monarchiam sortiti sunt, omni-
umque regnorum gentem et gloriam de-
vicerunt, ac plurimos occiderunt. Unde hoc
regnum signatum est per ferreas tibias
statuæ hujus; et per duas statuæ tibias in-
telligi potest, quod regnum hoc postea di-
visum est in regnum Romanorum et Con-
stantinopolitanum imperium.

41 *Porro, quia vidisti pedum et digitorum*
qui erant in pede, secundum Albertum,
partem testeam figuli, et partem ferream, C
id est unam partem terream, ut est testa
formata a figulo, aliam partem de ferro :
designat videlicet, quod *regnum divisum
erit :* id est, primo erit fortissimum atque
durissimum tanquam ferrum, sed per in-
testina bella, civiumque discordias intra
se et contra se, dividetur ac debile fiet :
quod Augustinus in libris de Civitate Dei
clarissime docet impletum. Nam et Julius
quum vicisset occidentem, et Pompeius
victo oriente, contra se invicem gravissime
præliabantur : imo causa quod Romanum D
imperium ita deperiit, fuit Romanorum
infelix ac detestanda ambitio. *Quod tamen,*
id est quæ divisio, *de plantario ferri orie-
tur,* id est de fortitudine Romani imperii,
ex qua dissensio orta est : in qua divisio-
ne, una pars Romanorum facta est debilis,
alia fortis ac prævalens : nam et Julius
tandem fugavit Pompeium. Planta autem
statuæ ferrea apparebat, sed digiti de ea
prodeuntes, partim testei, partim ferrei
visi sunt. Robur autem et opulentia Roma-
norum, fuit eis occasio ambitionis et dis-
sensionis : nam ceteris superatis, contra
se invicem bellare cœperunt. Et istud con-
sequenter in textu subjungitur.

Secundum quod vidisti, o Nabuchodo-
nosor, *ferrum mixtum,* id est junctum,
testæ et luto : in pede equidem statuæ tria
hæc videbantur, planta exsistente ferrea,
digitis ejus terreis seu lutosis. Aliqui au-
tem textum sic legunt, Ferrum mixtum
testæ ex luto : ut sit sensus, quod testa
fuit ex luto formata. *Et digitos pedum* vi- 42
disti *ex parte ferreos, et ex parte fictiles,*
id est testeos : sicut expositum est, ita
quod aliqui digiti erant ferrei, aliqui te-
stei ; *ex parte regnum erit solidum, et ex
parte contritum.* Hoc significatum est per
prædicta, quod imperium istud pro parte
erit robustum, præsertim in suo processu
non longe a principio, et postea debile ;
item quod una pars populi ejus vincetur
ab alia. *Quod autem vidisti ferrum mix-* 43
tum testæ ex luto formatæ : quæ mixtio
fuit per contactum, non autem mixtio pro-
prie dicta ; *commiscebuntur quidem hu-
mano semine,* id est, ipsi Romani per con-
nubia prolificabunt, ut contra adversarios
augeantur, *sed non adhærebunt sibi,* per
caritatem et pacem, filiis patrum discor-
diam sequentibus, *sicut ferrum misceri
non potest testæ,* mixtione proprie dicta,
per quam ex mixtibilibus fit aliquid for-
maliter unum : et ista intestina dissensio
eorum qui corporaliter cohabitabant, figu-
rabatur per conjunctionem ferri et testæ,
quæ non nisi superficialiter miscebantur,
seu potius jungebantur, quia jam dictum
est quod misceri non queunt.

In diebus autem regnorum illorum, id 44
est decursis temporibus regnorum de qui-
bus jam mentio facta est, adhuc durante
regno Romano; vel pluraliter dicit, Regna,
propter partes Romani regni præfatas; *su-
scitabit,* id est, promovebit et faciet, *Deus
cœli regnum quod in æternum non dissi-
pabitur,* id est regnum atque Ecclesiam
Christi, de quo angelus dixit ad Virginem: *Luc.* I, 32,
Regnabit in domo Jacob in æternum, et 33.

Is. IX, 7. regni ejus non erit finis. Et Isaias : Multi- A
plicabitur, inquit, ejus imperium, et pacis non erit finis. Regnum quippe et status Ecclesiæ a tempore Christi incepit, et usque in finem mundi durabit, deinde in cœlis perficietur. Hic enim inchoatur, et in patria perpetuatur. Duplex autem est regimen populi regni Christi, puta Ecclesiæ, scilicet spirituale et sæculare, seu divinum atque civile; et Christus per suos vicarios, prælatos, ac principes regnat in Christianis, in quorum cordibus spiritualiter regnat in via per gratiam, in patria ve- B
ro per gloriam. *Et regnum ejus populo alteri non tradetur,* id est, hostium manibus non tradetur. Quamvis enim Christus plebem fidelem permiserit et permittit, ac potissime permissurus sit tempore Antichristi ab impiis impugnari, partimque vinci ac trucidari, nunquam tamen permittit hanc in toto exstingui; imo eidem
Matth. XXVIII, 20. promisit : Ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consummationem sæculi. Aliqui autem referunt clausulam istam ad populum Christi, quantum ad statum ejus C
in Ecclesia triumphanti, eo quod regnum Christi potissime sit in cœlo, ubi cives sunt immortales.

Comminuet autem et consumet universa regna hæc. Regna enim præfata etiam cum Romano imperio, subdita facta sunt regno Christi atque Ecclesiæ, consumptis in eis ritibus paganismi, omnique pristino tumore ac statu superbiæ; et in fine, Antichristo occiso, omnes pene convertentur ad Christum. Postremo, in finali judicio omnis terrena ac inimica potestas tolletur, D
et omnia Christo plenissime subjicientur. Hinc enim Christi Ecclesiæ promissum est
Mich. V, 9. a Michæa : Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui peribunt;
Is. LX, 12. et ab Isaia, Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit. Denique de Christi Apostolis prædictum fuit atque impletum est :
Ps. XLIV, 17. Constitues eos principes super omnem terram. *Et ipsum stabit* in vigore virtutum, et gratia Dei ad divina erectum, *in æternum,* nunc inchoative per dona gratiæ, et in futuro completive per dona gloriæ : sicut et Christus eis promisit, Gaudium vestrum *Joann.* XVI, 22.
nemo tollet a vobis. *Secundum quod vidisti,* id est, eo modo cuncta comminuet, et durabit, prout in visione tibi ostensum est, scilicet, *quod de monte abscissus est lapis sine manibus.* Lapis iste est Christus ob suam immobilem firmitatem. De quo 45
ait Psalmista : Lapidem quem reprobave- *Ps.* CXVII, 22.
runt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et in Zacharia de ipso habetur : Super lapidem unum oculi septem sunt. *Zach.* III, 9.
De quo per Isaiam Dominus ait : Ecce ego *Is.* XXVIII, 16.
mittam in Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Mons autem intelligitur Synagoga, quantum ad sanctos Patriarchas, reges et Prophetas, de quibus natus est Christus. Vel mons est virgo Maria, propter altissimam ejus excellentiam in omni sanctitate et gratia : de quo monte abscissus est, id est prodiit, Christus, sine manibus, id est absque operatione, ope, semine, coituque humanis, virtute et operatione Spiritus Sancti, qui in Zacharia protestatur :
Ecce ego cælabo sculpturam ejus, id est, *Zach.* III, 9.
corpus ejus in utero virginali formabo. *Et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum,* id est, universa mundi regna sibi subjiciet, adversariosque prosternet, quemadmodum ab Isaia prædictum est : Ad eum venient, et confun- *Is.* XLV, 25.
dentur omnes qui repugnant ei. Qui enim modo Christo non subjiciuntur per fidem et obedientiam, in æternum sunt perituri. Ideo supra in descriptione somnii textus habet :

Tunc contrita sunt pariter ferrum et vers. 35.
testa, æs, argentum et aurum, videlicet regna omnia per hæc designata, *et redacta* sunt *quasi in favillam æstivæ areæ,* id est in favillam stipulæ, quæ relinquitur in area æstivali, domo succensa, juxta illud Isaiæ : Erit fortitudo vestra ut favilla stup- *Is.* I, 31.
pæ, et opus vestrum quasi scintilla ; et succendetur utrumque simul; *quæ rapta sunt vento,* id est, prædicta cito concussa et mota sunt, sicut de impiis dicit Psalmi-

Ps. LXXXII, 14. sta : Deus meus, pone illos ut rotam, et A
sicut stipulam ante faciem venti. *Nullus-
que locus inventus est eis,* id est, ipsa de
Ps. XXXVI, 36. locis suis sublata sunt, juxta illud : Quæ-
sivi eum, scilicet impium, et non est in-
Job IV, 8, 9. ventus locus ejus. Et in Job : Vidi impios
Domino flante periisse. *Lapis autem qui
percusserat statuam,* id est Christus, qui
mundanam potestatem et regnum terre-
num prostravit, *factus est mons magnus,*
id est universis prælatus, Rex regum et
Dominus dominantium factus quoad natu-
ram assumptam, omni sanctitate excellens. B
Is. II, 2. De quo scriptum est in Isaïa : Erit mons
domus Domini in vertice montium. *Et im-
plevit universam terram* majestate sua et
gloria, id est, regimen ejus totum mundum
Ps. LXXI, 19. occupavit : juxta illud in Psalmo, Reple-
bitur majestate ejus omnis terra; et in Ma-
Malach. I, 11. lachia, A solis ortu usque ad occasum, ma-
gnum est nomen meum in gentibus, dicit
Ps. XXI, 28. Dominus ; rursusque in Psalmo, Remini-
scentur et convertentur ad Dominum uni-
versi fines terræ.

Præterea, sicut Hieronymus refert, quæ C
de lapide et potentissimo Christi regno
jam dicta sunt, Judæi impiusque Porphy-
rius male exponunt de populo Israel :
quem in fine sæculorum volunt esse for-
tissimum, et omnia regna conterere, et in
æternum regnare. Advertendum quoque,
quia ut Scholastica refert historia, Jose-
phus super hæc verba de lapide dicit : Si-
gnificavit etiam Daniel regi de lapide, quod
mihi non placuit indicare. Josephus enim
quum esset Judæus, noluit indicare de-
structionem Judæorum factam tempore D
Christi.

Ps. CXLIV, 3. *Deus magnus,* cujus magnitudinis non
est finis, cujus comparatione totum uni-
Is. XL, 15. versum est quasi pulvis exiguus. Et ma-
gnitudo Dei quid est, nisi infinita perfe-
ctio ejus, ipsumque esse divinum, plenum,
purum, immensum? *Ostendit regi,* tibi
scilicet Nabuchodonosor, *quæ ventura sunt
postea,* id est post te, prout scire optasti.
Et verum est somnium quod vidisti, id est
veri significativum, *et fidelis interpretatio
ejus,* id est vera expositio quam audisti.

Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in fa- 46
ciem suam, humiliando se Deo cœli, cujus
majestatem ex præinductis pensavit; tan-
taque admiratione repletus est ac stupore,
quod se dejecit attonitus, *et Danielem ado-
ravit, et hostias et incensa,* scilicet holo-
causta, *præcepit ut sacrificarent ei.* Contra
hunc locum Porphyrius probare volens
hoc volumen non a Daniele editum, sed ab
alio quodam confictum, primo sic arguit :
Nunquam accidere poterat, ut rex super-
bissimus hominem a se captum adora-
ret ; secundo, quod minus credibile est
quod divinum ei cultum impenderet ; ter-
tio, quia Daniel quum fuerit sanctus, non
permisisset sibi adorationem, hostias et in-
censa impendi. Sed ista facillime dissol-
vuntur. Primo, quod gentilium error fuit,
omne quod supra hominem aliquid ap-
paret aut agit, Deum putare : sicut et
barbari, viso quod Paulus apostolus non Act. XXVIII, 3-6.
læderetur a vipera, dixerunt eum esse de-
um. Lycaonicenses quoque voluerunt ei Ibid. XIV, 10-12.
ac Barnabæ sacrificare, quemadmodum in
Actibus Apostolorum narratur. Secundo,
quod adoratio hic accipitur pro reverentia
magna seu adoratione duliæ, qua in Scri-
pturis sæpe aliqui etiam sancti, quosdam
homines vel angelos adorasse leguntur, ut
Abraham tres angelos. Tertio, quod rex Gen. XVIII, 2.
tanto stupore fuit impletus, ut vix sciret
quid faceret. Quarto, quod Deum adoravit
in Daniele, quemadmodum Alexander rex
in pontifice Judæorum adoravit Deum eo-
rum : ut hic refert Hieronymus; secundum
quem etiam dici potest, quod Deo in Da-
niele sacrificari præcepit, sicut et verba
sequentia insinuare videntur : statim nam-
que majestatem Dei professus est. Denique
licet hic scribitur quod jussit sacrificari
Danieli, non tamen quod illud factum sit,
aut Daniel istud permiserit : imo creden-
dum est, quod non permisit sibi sacrifi-
cari ut Deo.

Loquens ergo rex ait Danieli : Vere 47
Deus vester, quem colitis vos, Judæi, *Deus
deorum est, et Dominus regum.* Ex suo

effectu Deum Israel altissimum esse cognovit : quia illud revelavit Danieli quod dii Chaldæorum ac aliorum suis non valuerunt revelare cultoribus. Hinc subditur : *revelans mysteria,* his qui cum Psalmista dicere possunt : *Ps.* L, 8. Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi; *quoniam potuisti aperire sacramentum hoc,* id est somnium et ejus mysterium declarare ex instructione divina. Ipse quoque Porphyrius fassus est, quod Deus Hebræorum sit pater et rex deorum, quem et numina perhorrescunt. Et Jethro auditis a Moyse mirabilibus Dei, ait in Exodo : *Exod.* XVIII, 11. Nunc cognovi quoniam magnus Dominus super omnes deos. Hæc demum conjunctio, Quoniam, etc., si referatur ad id quod ait rex, Vere Deus vester, Deus deorum est : potius dicit signum causæ, quam causam, vel dicit causam a posteriori.

48 *Tunc rex Danielem in sublime extulit,* id est, magnifice exaltavit verbis, signis, factis et donis, *et munera multa et magna dedit ei.* Et in hoc calumniator Ecclesiæ, inimicusque Christi Porphyrius reprehendit libri hujus auctorem, cur Propheta munera ista accepit. Cui respondendum, quod Daniel munera ista non ex cupiditate suscepit, sed ad consolationem populi sui capti ac spoliati. *Gen.* XLI, 43; *Esther* VIII, 2, 15. Sic enim et Joseph a rege Ægypti, et Mardochæus ab Assuero rege dignitatibus atque muneribus sublimati noscuntur. *Et constituit eum super omnes provincias Babylonis,* id est Babyloni Chaldææ metropoli subditas, *principem* secundum post regem : sicut et Pharao posuit *Gen.* XLI, 44. Joseph Ægypto præpositum, Absque tui, inquiens, oris imperio nullus manum aut pedem movebit in omni terra Ægypti; *et præfectum,* quantum ad auctoritatis ac potestatis eminentiam, *et magistrum,* quantum ad judiciorum discretionem ordinationemque legum, *super cunctos sapientes* A *Babylonis,* magos videlicet, ariolos sive aruspices.

Daniel autem postulavit a rege licentiam faciendi quod subditur : *et constituit* auctoritate regis, *super opera provinciæ Babylonis, Sidrach, Misach et Abdenago:* id est, socios suos tres viros sapientes et virtuosos præfecit publicis provinciarum Babylonis operibus, unicuique certas partes terrarum committens, in die bonorum *Eccli.* XI, 27. memor malorum, et sociis suis servans fidelitatem, eos suæ prosperitatis consortes B efficiens qui suæ adversitatis atque periculi fuerunt participes : quod item Deo ordinante ac miserante peractum est, ad consolationem Judæorum per Babyloniæ provincias dispersorum. *Ipse autem Daniel mansit* * *in foribus regis :* ab ejus latere non discedens, ut eum in favore Judæorum teneret, et ne quis inter regem et se seu populum Judæorum captum, discordias seminaret. 49

* *erat*

Legitur autem S. Franciscus quasi similem habuisse visionem, quam et Deus ei C exposuit. Vidit enim statuam superius auream, in medio argenteam, inferius cupream. Juxta quod, quæ de statua Nabuchodonosor dicta sunt, ad statum Ecclesiæ seu cujuscumque religionis possunt referri : ut per auream statuæ portionem designetur status militantis Ecclesiæ, quantum ad ejus principium, quando fervor divini amoris, devotioque interna cum omni virtutum excellentia in plebe viguit christiana, potissime in religiosis; per partem vero argenteam, status in quo, caritatis ardore D tepescente, claritas scientiæ et studium Scripturarum fulserunt; porro, per ferream partem, status ille miserrimus, in quo cordis duritia prævalet, suntque homines amantes se ipsos, qui excluso divino amore, carnali ac sæculari affectione repleti sunt.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : NABUCHODONOSOR REX FECIT STATUAM AUREAM.

PRÆSENTI capitulo tertia visio Danielis, A
id est a Daniele descripta, inducitur :
et quamvis res gesta hic recitetur, visio
tamen vocatur, propter angeli apparitio-
1 nem in ea contentam. *Nabuchodonosor rex*
fecit, id est, per artifices fieri jussit, *sta-*
tuam auream, altitudine cubitorum sex-
aginta, latitudine cubitorum sex. Circa
quod dicit Hieronymus : Velox oblivio ve-
ritatis, ut qui dudum servum Dei Danielem
quasi Deum adoraverat, nunc statuam sibi
fieri jubet, ut ipse adoretur in statua. Ex
quibus elicitur, quod rex fecit hanc sta- B
tuam ut ipse repræsentaretur per eam.
Ideo quoque fecit eam tam magnam, ut
intuentibus stuporem incuteret et terro-
rem, cultusque divinus sibi in ea reveren-
tialius impenderetur. An autem statua ista
fuerit totaliter aurea aut superficie tenus
tantum, et an fuerit concava aut plena seu
solida, non est adeo certum, quamvis ali-
qui dicant, quod non nisi exterius fuerat
aurea. Denique per id quod dicitur, Alti-
tudine sexaginta cubitorum, quidam af-
firmant describi altitudinem basis supra C
quam posita erat, non statuæ : aliter lati-
tudo non corresponderet, quæ sex cubito-
rum fuisse conscribitur. Istud textui con-
sonum non videtur, quia eodem modo
locutionis, altitudo et latitudo statuæ hu-
jus describitur : ideo sicut per id quod
dicitur, Latitudine cubitorum sex, insinu-
atur statuæ latitudo; ita per id quod dici-
tur, Altitudine sexaginta cubitorum, non
basis, sed statuæ altitudo exprimitur. Ar-
gumentum quoque nil cogit. Quemadmo-
dum enim præfata altitudo, humani cor- D
poris altitudinem vehementer excedit, ita
et latitudo illa latitudinem hominis : quæ
duorum palmorum esse debet, secundum
Albertum. Præterea, hujus Nabuchodonosor
indicibilem pompam, secutus est alius eo
posterior Nabuchodonosor, de quo in libro
Judith habetur : qui jussit Holoferni con- *Judith* III, 13.
terere deos populorum, ut ipse solus a
gentibus superatis haberetur ut deus.

Et statuit eam in campo Duran provin-
ciæ Babylonis. Sicut in primi expositione
capituli patuit, Sennaar, Duran et Babylon, *Dan.* I, 2.
ejusdem loci sunt nomina. Campus autem
hic latissimus erat, ideo ibi statuit eam,
ut plures circa eam congregarentur, et vi-
deretur a pluribus. Quumque statuam ere-
xisset, circumsepivit campum, ut in Scho-
lastica historia legitur. Unde pro Duran,
Septuaginta transtulerunt, περίβολον, quod
interpretatur conclusum. Albertus etiam
dicit verisimile esse, quod vallavit eam
vallo aqua pleno.

Itaque Nabuchodonosor rex misit ad 2
congregandos satrapas, qui erant quasi
senatores seu nobiles barones, *magistra-*
tus, qui officia curiæ ordinabant, seu ad
consiliarios, *et judices,* quorum fuit causas
audire ac determinare, *duces* exercitus seu
militum, scilicet Cerethi et Phelethi. Cere-
thi autem dicuntur quasi vivificantes, quo-
niam cives vivificabant, id est, in vita
servabant. Phelethi vero dicuntur mortifi-
cantes, quasi qui pessimos trucidabant. *Et*
tyrannos, id est strenuos inter milites vel
tributorum regalium exactores, *et præfe-*
ctos, id est præpositos, seu eos qui singulis
præerant villis, *omnesque principes regio-*
num Babyloni subditarum : qui principes
erant præsides provinciarum; *ut conveni-*
rent ad dedicationem, id est consecratio-
nem, *statuæ,* quæ sancta ac divina fuit
pronuntianda, *quam erexerat Nabuchodo-*
nosor rex. Secundum Hieronymum, excel-

sa periculis suis stant, id est, majori peri-
culo expositi sunt altiores. Unde Glossa
apertius ait, Excelsa periculosius stant.
Insuper, secundum Hieronymum, citius
corruunt quæ sublimia sunt. Principes et
majores congregati sunt, ut per eos sedu-
cantur minores. Qui enim divites sunt et
potentes, dum timent carere divitiis atque
potentia, facilius supplantantur peccatis;
et seductis magistratibus, subditi pereunt
exemplo majorum. Denique, secundum Al-
bertum, hanc statuam spiritualiter erigunt
avari, qui aurum venerantur ut deum, quia
Ephes. v,5; Apostolus avaritiam vocat idolorum servi-
Coloss. iii, 5. tutem. Hæretici quoque et schismatici, qui
fulgore eloquentiæ sæcularis falsum dog-
ma componunt, auream faciunt statuam,
vel potius deauratam, et quantum in se
est, persuasione sua compellunt homines
ut cadentes adorent idolum falsitatis.
3 *Tunc congregati sunt satrapæ,* et cete-
ri jam præfati, ad dedicationem statuæ.
Stabant autem in conspectu statuæ quam
* *posuerat* *erexerat* rex. Et præco clamabat valen-*
4 *ter,* grandi scilicet voce : *Vobis dicitur,* id
est, ex parte regis præcipitur, *populis, et*
tribubus, in quas dividitur populus, *et lin-*
guis, id est diversarum linguarum natio-
5 nibus ; *in hora qua audieritis sonitum*
tubæ et fistulæ. Fistula est instrumentum
musicum ligneum, multa habens forami-
na, quæ sonum modulatum emittit. *Et ci-*
tharæ et sambucæ. Sambuca dicitur quasi
buccina parva, a SAM, quod est sol, et *buc-*
ca : quia non fit nisi in æstate. *Et psalte-*
rii, id est instrumenti musici quod decem
chordis super concavum extensis perfici-
Ps. xxxii,2. tur, juxta illud : In psalterio decem chor-
darum psallite ei. *Et symphoniæ,* quæ
erat in cantibus sacerdotum, secundum
Albertum. Aliqui tamen accipiunt pro in-
strumento oblongo, quod digitis tangitur,
et a cæcis solet portari. Communiter vero
sumitur symphonia pro melodia in gene-
rali. *Et universi generis musicorum,* quæ
hic in speciali non exprimuntur. Quæ om-
nia ibi resonabant, ut ex tantis melodiis
cor populi molliretur et accenderetur ad

A statuæ venerationem. Diversæ siquidem
melodiæ diversas causant in anima affe-
ctiones. Unde et David quum arcam Dei
transferret, musicis usus est instrumen- II *Reg.* vi,5.
tis, ut legitur secundo Regum volumine.
Cadentes adorate statuam auream, quam
constituit Nabuchodonosor rex. Si quis au- 6
tem non prostratus adoraverit statuam,
eadem hora mittatur in fornacem ignis
ardentis. Dira comminatio, ut terror pœ-
narum eos compellat quos ratio prohibet.
Post hæc ergo statim ut audierunt om- 7
B *nes populi sonitum tubæ,* etc., *cadentes*
omnes populi, tribus et linguæ, id est in
terram se prosternentes, in reverentiam
idoli, seu regis in idolo, *adoraverunt sta-*
tuam auream : non quod universi populi
illic tunc erant; sed est distributio pro ge-
neribus singulorum, quia cum majoribus
aliqui de subditis, de singulis locis regi
subjectis venerunt.
Statimque in ipso tempore accedentes 8
viri Chaldæi, accusaverunt Judæos : qui-
bus invidebant, eo quod in regni negotiis
C sibi erant prælati. Hinc passionibus agi-
tati, celeriter aggressi sunt regem. Passio
namque rationis judicium non exspectat.
Dixeruntque Nabuchodonosor regi, ejus 9
benevolentiam captando, ut magis place-
rent et impetrarent intentum : *Rex, in*
æternum vive, nunc in sæculo isto, et post-
ea cum immortalibus diis. *Tu, rex, posui-* 10
sti decretum, ut omnis homo præter te, *qui*
audierit sonitum tubæ, fistulæ et citharæ,
etc. Littera plana est. *Sunt ergo viri Ju-* 12
dæi, quos constituisti super opera regionis
D *Babyloniæ,* quia de tua licentia Daniel eos
præfecit publicis operibus provinciarum
Babylonis : ut dictum est in fine capituli *Dan.* ii,49.
præcedentis; *Sidrach, Misach et Abdena-*
go. Viri isti contempserunt decretum tu-
um : deos tuos non colunt, et statuam non
adorant. Tanquam dicant : O rex, ingrati
sunt tibi, et reddunt mala pro bonis, inju-
riam et contemptum pro honore eis a te
impenso; captivos, principes fecisti populi
tui, et tamen rebelles sunt tibi. Quidam
hoc loco deos et statuam pro eodem acci-

piunt, sicut in Exodo de vitulo conflatili A
Exod. xxxii, 4, 8. dixerunt filii Israel, Isti sunt dii tui. Sed quoniam dictum est, quod rex in statua jussit se adorari, et ultra hoc, ipsemet idola adoravit, convenientius pro diversis accipiuntur. Noverunt enim Chaldæi, quod viri isti non nisi Deum Israel colerent.

13 *Tunc rex Nabuchodonosor in furore,* id est impetu furioso, *et ira,* quæ est appetitus vindictæ, *præcepit ut adducerentur* coram se *Sidrach, Misach et Abdenago,* volens eis dare locum respondendi et excusandi : sicut in Actibus scribitur Apo- B
Act. xxv, 16. stolorum : Non est consuetudo Romanis condemnare aliquem, nisi præsentes habeat accusatores, et locum accipiat respondendi ad abluenda crimina. *Qui confestim adducti sunt in conspectu regis.* Accusatores enim eorum avidissimi erant condemnationis ipsorum : ideo festinabant eos adducere.

14 *Pronuntiansque rex* verba accusationis audita, *ait eis : Verene,* id est anne vere, o *Sidrach, Misach et Abdenago, deos meos non colitis, et statuam auream quam con-* C *stitui, non adoratis?* Ex hoc apparet, quod dii et statua non accipiuntur hic pro eodem, præsertim quoniam statuam, in qua se ipsum jussit adorari, deos suos non
15 nominaret. *Nunc ergo si estis parati, quacumque hora audieritis sonitum tubæ,* etc., *prosternite vos* humiliter coram idolo, *et adorate statuam : quod si non adoraveritis* eam, *eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis.* Quamvis in furore jussit eos adduci, tamen his verbis dat spatium pœnitendi, et priori offensæ ignoscit, dum- D modo vel secunda vice admoniti acquiescant : quod si noluerint, pœnalissimam mortem minatur. Ignis namque est magis activus, et activa sua proprietate, puta calore, magis affligit. Ex quo patet quod non libenter, imo valde invite pueros istos interemisset, quoniam sibi carissimi erant, potissime propter Danielem. Unde et eis visis, ad pietatem flexus videtur, licet cum furore mandavit eos sibi adduci.

Et quis est Deus qui eripiat, id est, eripere possit, *vos de manu mea?* Mira instabilitas et excæcatio regis hujus, quod de Deo Hebræorum, quem dudum Deum deorum et Dominum regum confessus est, Dan. ii, 47. nunc tam blasphemanter ac impie loquitur, quasi non sit homine mortali potentior. Simili quoque modo Sennacherib rex Assyriorum, dixit per nuntios ad Ezechiam : Non te seducat Deus tuus, quia non IV Reg. xix, 10; II Par. xxxii, 14, 15. poterit te liberare de manu hac.

16 *Respondentes Sidrach, Misach et Abdenago, dixerunt regi* voce secura et corde non territo, non timentes eum qui corpus Matth. x, 28. occidit, sed eum qui potestatem habet corpus et animam mittere in gehennam : *Non oportet nos de hac re,* scilicet, quis sit Deus qui possit nos de tuis eripere manibus, *respondere tibi* sermonibus, quoniam factis comprobandum est magis quam verbis. Hoc dicunt tanquam de divina protectione securi. Vel, secundum Hieronymum, sensus est : Non debes audire verba nostra, quorum jam ipsis rebus probabis fortitudinem atque constantiam. Rursusque sensus est : Quæstio tua, qua quæris an deos tuos ac statuam adoremus, et quis sit Deus qui valeat nos liberare, ita absurda est, ut responsione indigna sit. Quid enim stultius, quam idola, inanimataque colere, et de summi Dei omnipotentia du-
bitare? *Ecce enim Deus noster quem coli-* 17
mus fide, spe, caritate, et actibus latriæ, cujus in ditione cuncta sunt posita, *potest* Esther xiii, 9. *eripere nos de camino ignis ardentis,* imo de omni persecutione : juxta illud Isaiæ : Quum transieris per aquas, tecum ero; et Is. xliii, 2. flamma non ardebit in te; *et de manibus tuis, o rex, liberare :* quemadmodum in secunda Petri epistola habetur : Novit Deus II Petr. ii, 9. pios de tentatione eripere. De quo omnipotente Domino in libro Job scribitur : Deus cujus iræ nemo resistere potest : Job ix, 13, 4.
quis restitit ei, et habuit pacem? *Quod si* 18
noluerit nos a temporali hac occisione præservare : interdum enim Deus electos suos permittit ab impiis trucidari ad beatitudinis suæ augmentum, juxta illud ad

Hebr. xi, 35. Hebræos, Alii autem distenti sunt, non A
suscipientes redemptionem, ut meliorem
invenirent resurrectionem ; *notum sit ti-*
bi, rex, quia deos tuos non colimus, et sta-
tuam auream non adoramus : id est, parati
sumus potius mori, quam contra legem
patrum nostrorum idololatrare, justitiam-
que relinquere, certi quod si Deus permi-
serit corpora nostra occidi, animas non
relinquet : juxta illud secundi Machabæ-
II *Mach.* vii, 2. orum, Parati sumus magis mori, quam
patrias Dei leges prævaricari.
19 *Tunc Nabuchodonosor repletus est fu-* B
rore, reputans se contemptum : quod su-
perbia ferre non potest, cupiens magni
pendi ; *et adspectus faciei illius immutatus*
est super Sidrach, Misach et Abdenago :
id est, cordis sui turbatio in vultu appa-
ruit, præsertim in oculis, ubi passiones
animæ magis citiusque resultant ; et viros
istos, quos dudum favorabiliter adspicere
consuevit, nunc furibundo vultu adspexit.
Sic et Jacob in Genesi ait conjugibus suis :
Gen. xxxi, 5. Video faciem patris vestri, quod non est
circa me sicut heri et nudiustertius. *Et* C
præcepit ut succenderetur fornax : quæ,
secundum Albertum, in campo parata fuit ;
septuplum, id est septies plus, *quam suc-*
cendi consueverat : quasi et simplex et
solitus ignis non sufficeret sanctos occi-
dere, et ut eos magis terreret. Furor nam-
que et ira quæ insaniæ proxima est, modum
nescit tenere. Propter quod in Ecclesiaste
Eccle. vii, 10. legitur : Ne sis facilis ad irascendum, quia
Prov. xxvii, 4. ira in sinu stulti requiescit ; et alibi, Ira
non habet misericordiam, nec erumpens
20 furor. *Et viris fortissimis* corporali for- D
titudine *de exercitu suo jussit, ut ligatis*
pedibus Sidrach, Misach et Abdenago,
mitterent eos in fornacem ignis ardentis.
Et quid necesse fuit pedes eorum ligari,
nisi quod iræ impetus ratione non utitur?
21 *Et confestim viri illi* tres *vincti* pedibus
cum braccis : pro quo nomine Aquila et
Theodotion *saraballa* dixerunt, quæ hic su-
muntur pro teguminibus crurum ac tibia-
rum, secundum Hieronymum et Albertum ;
et tiaris. Tiara, secundum Hieronymum,
Græcum est, et usu vertitur in Latinum, si-
gnificatque pileolum quo Chaldæi utuntur
et Persæ. Quandoque autem accipitur pro
capitis mitra, juxta illud Exodi : Tiaram *Exod.* xxix, 6.
pones in capite ejus, scilicet Aaron pon-
tificis. Aliquando vero significat pallium.
Et calceamentis et vestibus, missi sunt, id
est projecti, *in fornacem ignis ardentis.*
Ideo forsitan jussit eos mitti in ignem
indutos, ut diutius torquerentur. *Nam jus-* 22
sio regis urgebat. Passionati enim, potis-
sime iracundi, cum impetu in optata fe-
runtur, nec pensant quid imminet. *For-*
nax autem succensa erat nimis, videlicet
septuplum plus solito. *Porro viros il-*
los fortissimos, *qui miserant* in fornacem
Sidrach, Misach et Abdenago, interfecit
flamma ignis fornacis. Hoc dicitur hic per
anticipationem, quia, ut infra in isto di-
cetur capitulo, combusti sunt quum an-
gelus descendisset in fornacem, flammam- vers. 49.
que excussisset. Quod factum est, ut rex
non solum de miraculo formidaret, sed et
exercitus sui damna sentiret. *Viri autem hi* 23
tres, Sidrach, Misach et Abdenago, ceci-
derunt projecti *in medio camini ignis ar-*
dentis, ubi flamma fuit calidior, *colligati,*
id est pedibus vincti, vel et ipsi tres simul
ligati, ut pœnas suas mutuo magis sen-
tirent.

Quæ sequuntur, in Hebraicis volumi-
nibus non reperi. Hæc verba non sunt de
textu, sed Hieronymus ea inseruit, quia
ut ait in Prologo hujus Prophetæ, hymnus
seu canticum trium puerorum cum verbis
statim sequentibus, in Hebræo non con-
tinentur. Et sicut in Prologo refert Hie-
ronymus, quidam inter Hebræos præceptor
arguebat ista non esse de textu, eo quod
verisimile non sit, pueris istis tantum
otium in fornace fuisse, ut metro lude-
rent, omnesque creaturas ad Dei invitarent
præconium. Verumtamen quidquid sit de
veritate seu conclusione, ratio ista non
valet : imo valde credibile est, quod quum
pueri isti in medio ignis tantam Dei circa
se pietatem sentirent, ut non solum non
læderentur, sed velut rore refrigeraren-

tur, adversariosque sentirent comburi, et A
angelum Dei adesse, mirabiliter inflam-
mati sint ad Dei præconium, et omnia ad
ejus invitaverint laudem, ita quod erant
in otio contemplationis mirabili.

24 *Et ambulabant in medio flammæ, lau-*
dantes Deum et benedicentes Domino :
laudantes eum de sua bonitate in se, et
benedicentes eidem de effectibus pietatis
suæ et æquitatis. Et hoc grande fuit mi-
raculum, quod eorum vincula sunt com-
busta, ita ut ambularent, corpora autem
25 manserunt illæsa. *Stans autem Azarias,* B
qui inter tres forte senior ac principalior
fuit, *oravit sic,* ut statim subdetur. *Ape-*
riensque os suum. Hoc dicitur, ad insi-
nuandum quod sapientissime et cum de-
liberatione locutus est. *In medio ignis, ait.*
Stetit mente erectus et constans, corpore
quoque elevatus ad Deum, suamque ora-
tionem laudibus Dei commiscuit, ut exau-
Ps. XVII, 4. dibilior esset, juxta illud in Psalmo : Lau-
dans invocabo Dominum, et ab inimicis
meis salvus ero.

26 *Benedictus es, Domine Deus patrum no-* C
strorum Abrahæ, Isaac et Jacob : qui licet
sis omnium Deus ac Dominus per creati-
onem, illorum tamen specialiter Deus ac
Dominus es per prædestinationem, mise-
rationem, providentiamque et gratiam val-
de specialem. Unde quum in Exodo Moyses
nomen Dei a Deo sciscitaretur, responsum
Exod. III, 15. est ei a Deo : Hæc dices filiis Israel : Do-
minus Deus patrum vestrorum, Deus Abra-
ham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me
ad vos : hoc nomen mihi est in æternum,
et hoc memoriale meum in generationem D
et generationem. Dicitur autem Deus be-
nedictus, tanquam fons omnis benedicti-
onis, et omni bono dicto dicendus seu
appellandus, utpote omni præclara nomi-
natione prædignus, cui omne bonum est
adscribendum. *Et laudabilis,* tanquam vir-
tuosus et bonus simpliciter ac perfecte.
Laus enim virtuti ac bonitati impenditur
ac debetur. *Et gloriosum nomen tuum* no-
minatum, scilicet tu ipse, *in sæcula :* glo-
riosum, inquam, id est omni fama et laude
dignissimum seu vulgatum, vel cum lau-
de cognitum, secundum quod gloria dici-
tur clara cum laude notitia ; gloriosum
quoque, id est felicitate, jucunditate et ex-
cellentia plenum.

Quoniam justus es in omnibus quæ fe- 27
cisti nobis, id est in persecutionibus et
flagellis nobis a te inflictis, qui das uni-
cuique quod meretur. Sic et Psalmista
decantat : Justus es, Domine, et rectum *Ps.* CXVIII, 137.
judicium tuum ; itemque, Quoniam justus *Ps.* X, 8.
Dominus et justitias dilexit, æquitatem vi-
dit vultus ejus. *Et universa opera tua ve-*
ra, veritate naturæ seu entis, in quantum
conformia sunt rationibus idealibus quas
habent in mente divina. Vera sunt quoque
veritate justitiæ, in quantum primæ et
increatæ rectitudini ac sapientiæ consona.
Et viæ tuæ rectæ, id est, processus tui in
rerum dispositione sunt ordinati. Viæ quo-
que Dei, sunt præcepta et consilia ejus :
de quibus in Proverbiis legitur, Viæ ejus *Prov.* III, 17.
viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus paci-
ficæ. Rursus, viæ Dei dicuntur ejus ve-
stigia.

Et omnia judicia tua vera, id est justa
ac sapientialia. Judicia autem Dei dicuntur
dupliciter : Primo, secundum quod sunt
in ipso Deo omnia judicante : in quo non
sunt plura, nisi per relationem ad judi-
cata, quemadmodum ideæ multæ dicuntur
per respectum ad ideata. Hæc vero judicia
quid sunt, nisi censuræ sapientiæ Dei, qua
de omnibus rectissime judicat? De quibus
ait Apostolus : Quam incomprehensibilia *Rom.* XI, 33.
sunt judicia ejus ! Secundo, dicuntur Dei
judicia effectus divinæ justitiæ, scilicet
retributiones aut dispositiones in rebus.
De quibus ait Psalmista : Judicia Domini *Ps.* XVIII, 10.
vera, justificata in semetipsa. Denique po-
nitur judicium discretionis, quo Deus in
præsenti inter electos reprobosque discer-
nit, illos misericorditer convertendo, istos
juste deserendo, de quo loquitur Christus,
Nunc judicium est mundi : et istud occul- *Joann.* XII, 31.
tum est. Aliud judicium est remuneratio-
nis, quod in fine sæculi, quantum ad om-
nes, apertissime fiet, juxta illud Psalmi :

Ps. xcvii, 9. Judicabit orbem terrarum in justitia, et A
populos in æquitate. Porro, secundum Al-
bertum, per judicia intelliguntur hoc loco
punitiones a Deo inflictæ. Sic namque ex-
ponit : Judicia tua vera, quæ scilicet con-
tra nos fecisti. Huic Dei præconio consonat
Apoc. xv, 3; xvi, 7. illud Apocalypsis : Magna et mirabilia sunt
opera tua, Domine Deus omnipotens ; ju-
stæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculo-
rum ; Domine Deus omnipotens, justa et
vera judicia tua.

28 *Judicia enim vera* veritate justitiæ *feci-
sti,* id est, supplicia nostris demeritis de- B
bita inflixisti, *juxta omnia,* id est in om-
nibus, vel secundum universa afflictiva,
quæ induxisti super nos per Chaldæos, *et
super civitatem sanctam patrum nostro-
rum Jerusalem.* Quæ dicitur sancta, quia
divino cultui fuit specialiter deputata, et
divinis sacramentis atque obsequiis san-
ctificata : in qua multi Vatum ac Patriar-
charum Domino servierunt in sanctitate
Is. lxiv, 10. atque justitia; de qua in Isaia legitur : Ci-
vitas sancta tua, facta est deserta. Quæ
postea per Christi in ea præsentationem, C
personalem præsentiam, visitationem, præ-
dicationem, miraculosam operationem, no-
vissimam Cœnam, Eucharistiæ institutio-
nem, passionem, Spiritus Sancti missio-
nem, Apostolorum doctrinam, primitivæ
Ecclesiæ sacratissimam conversationem,
multorumque martyrum occisionem, ex-
cellentius sanctificata dignoscitur. Propter
Matth. xxvii, 52, 53. quod Matthæus dicit : Multa sanctorum
corpora surrexerunt, et venerunt in san-
ctam civitatem, et apparuerunt multis.
Quia in veritate justitiæ, quæ est vera ju- D
stitia; in vera quoque verborum tuorum
propheticorum impletione atque veraciter;
et judicio justo, quod a veritate et æquita-
te procedit; *induxisti omnia hæc* afflicto-
ria *super nos* per Chaldæos, *propter pec-
cata nostra,* qui nullum malum relinquis
Job xxiv, 12. inultum, secundum illud Job, Deus inul-
tum abire non patitur.

Quocirca ait Hieronymus : Quando diver-
sis premimur angustiis, ex toto cordis af-
fectu præfata verba loquamur. Et quidquid
nobis acciderit, juste nos sustinere fatea-
mur, ut compleatur in nobis quod scri-
ptum est : Exsultaverunt filiæ Judæ pro- *Ps.* xcvi, 8.
pter judicia tua, Domine. Unde et Judith
salubriter admonet : Et nos ergo non ul- *Judith* viii, 26, 27.
ciscamur nos pro his quæ patimur ; sed
reputantes peccatis nostris hæc ipsa sup-
plicia minora esse, flagella Domini, quasi
servi qui corripimur, ad emendationem, et
non ad perditionem nostram evenisse cre-
damus.

Peccavimus enim, et inique egimus, re- 29
cedentes a te, per mentis aversionem a te
summo et incommutabili infinitoque bo-
no, non per corporis motionem directe,
scilicet ut est motio corporalis, distantiam-
que localem, quum vere essentialiterque
ubique sis; *et deliquimus in omnibus* per
peccata omissionis : juxta illud Osee, De- *Osee* iv, 10.
reliquerunt Dominum in non custodiendo.
Et præcepta tua non audivimus interiori 30
auditu per obedientiam et complacentiam;
et quidam ita rebelles fuerunt, quod nec
corporalibus auribus verba Dei voluerunt
audire. Tales quoque fuerunt Judæi tem-
pore Christi, quibus ait : Qui ex Deo est, *Joann.* viii, 47.
verba Dei audit : propterea vos non auditis,
quia ex Deo non estis. Denique interio-
ri aure audire, est diligenter advertere, et
verbis Dei complacentiam efficientiamque
adhibere. *Nec observavimus* in memoria.
Memorialiter autem verborum observatio
valet ad repellendum tentationes ac vitia :
propter quod ait Psalmista, In corde meo *Ps.* cxviii, 11.
abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.
Itaque, dum aliquid cogitamus, affecta-
mus, effamur aut operamur, pensemus an
verbis Dei repugnet : quod si ita est, mox
ab illo cessemus.

Nec fecimus in opere exteriori *sicut
præceperas nobis,* id est, eo modo ac tali
fine non implevimus tua mandata, quo
modo et cur ea fieri imperasti. Multi
quippe videntur divinis præceptis obtem-
perare, quantum ad substantiam facti seu
operis, non tamen vere obediunt, quia non
ad Dei gloriam ex caritate talia agunt. *Ut
bene nobis esset,* præsertim in spiritualibus

bonis, ut scilicet bonis gratiæ in præsenti, A et bonis gloriæ in futuro ditaremur. Ex quo innotescit, quod ad nostram utilitatem ac felicitatem, non ad suum profectum aut commodum, Deus jussit nos sibi parere : ipse enim nostrorum bonorum *Ps.* xv, 2. non eget. Omnia tamen ultimate finaliterque refert ad se ipsum, suamque gloriam : sed et nostram ipse salutem, quantum in se est, se desiderare seu velle insinuat; et filiis Israel etiam temporalium abundantiam, si sibi efficaciter deservirent, spopondit. Hinc in Deuteronomio habetur : B Dixit Dominus ad Moysen : *Deut.* v, 29. Quis det talem eos mentem habere, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea, et bene sit eis et filiis eorum post eos in sempiternum? Præterea, secundum Albertum, duo peccata sunt, nolle audire, et auditui nolle obedire. Contra quod fertur in Psalmo : *Ps.* xciv, 8. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Insuper advertendum, quod præinducta verba humillimæ confessionis tres pueri isti non in sua, sed in sui populi persona C effati sunt, quia et ipsi pars erant Israeliticæ plebis. Ipsi namque innocentes fuerunt, præsertim ab eis sceleribus propter quæ tradita fuit Judæa Chaldæis. Juxta quem modum etiam Esdras oravit : *I Esdr.* ix, 6. Deus meus, confundor levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et peccata nostra creverunt usque ad cœlum. Hinc ait Hieronymus : Certe tres pueri nec peccaverant, nec ejus ætatis erant, quando ducti sunt in captivitatem, ut propter sua D vitia punirentur : ergo quomodo hi ex persona populi loquuntur, sic illud Apostoli legendum est : *Rom.* vii, 15. Non enim quod volo, hoc ago; sed quod nolo, hoc operor; et cetera quæ in eodem scripta sunt loco.

31 *Omnia ergo quæ induxisti super nos, et universa quæ fecisti nobis, in vero,* id est
32 justo, *judicio fecisti. Et tradidisti nos in manibus inimicorum iniquorum et pessimorum,* videlicet Chaldæorum : quia in quantum inimici, voluerunt nocere; quia iniqui, nulla virtutis honestate reprimebantur; et pessimi erant, quia quo ceteris gentibus potentiores, eo et crudeliores ac superbiores, et idolis servientes ; *prævaricatorumque,* id est transgressorum etiam legis naturalis, naturalisque pietatis : de cujus dictamine est, ut quod vis fieri tibi, facias alteri, et quod non vis tibi fieri, non facias alii. Unde in Evangelio loquitur Christus : Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc facite illis. *Matth.* vii, 12. Et Tobias : Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne aliquando aliis facias. *Tob.* iv, 16. Quod tamen de rationabili velle nolleque dicitur. *Et regi* Nabuchodonosor, *injusto* contra proximos quos oppressit, *et pessimo* contra Deum, cujus sibi usurpavit honorem, idola colens et se in statua adorari præcipiens, *ultra omnem terram,* id est præ cunctis habitatoribus terræ : nam crudelissimus fuit, et innumerabiles gentes undique devastavit. Nec obstat quod in Jeremia et Ezechiele Deus eum nominavit servum suum. *Jer.* xxv, 9; *Ezech.* xxix, 20. Sic nempe eum appellat, quoniam divinæ fuit justitiæ instrumentum in punitione malorum : quod tamen intentione fecit perversa; postea vero pœnituit, ut infra describitur.

Verumtamen circa hæc quæstio oritur, quomodo Deus justus justo judicio cum injustis Judæis etiam justos Judæos manibus tradidit Chaldæorum. Nam et Ezechiel ad terram Israel ait : Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium. *Ezech.* xxi, 3. Et respondendum, quod Deus sublimis et benedictus, justus et sapiens, quandoque etiam justos impiis tradit torquendos absque eorum demerito seu peccatis : et hoc, justo judicio, ut patet in Job. Non enim pro sola culpa infligitur pœna a Deo, sed et ob alias causas multiplices, scilicet ad virtutis exercitationem, ad justitiæ justorum ostensionem, ad aliorum ædificationem, ad bonorum profectum et gloriam ampliorem, ad divinæ potestatis declarationem, prout Spiritu Sancto præstante, opere isto completo, super Job plenius declarabo.

33 *Et nunc non possumus aperire os*, id est, nec adversariis nostris respondere seu resistere possumus, neque nos coram te excusare; et præ confusione vix loqui va- *Job* XXXIX, 34. lemus. Sic et sanctus Job ait : Quia leviter locutus sum, respondere quid possum ? Manum meam ponam super os meum. Et *Is.* XXXVIII, 15. Ezechias in Isaiæ libro : Quid dicam, aut quid respondebo quum ipse fecerim? *Confusio et opprobrium*, id est materia confusionis interioris, scilicet cordis in conscientia, et exprobrationis exterius, *facti sumus servis tuis, et*, pro id est, *his qui colunt te*, quia ad exprobrandum objicimur eis. Unde Glossa ait : Bonis infertur opprobrium et confusio propter nos. Etenim dum justi premuntur ab impiis, malitiosi insultant ceteris justis quasi inaniter colant Deum, qui eos in adversitatibus non tuetur : sicque miseria seu afflictio virtuosi pro opprobrio infertur colentibus Deum ab im- *Job* XII, 4. piis. Propter quod in Job legitur : Deridetur justi simplicitas. Et in Proverbiis Salomon *Prov.* XXIX, 27. ait : Abominantur impii justum; et, Viri *Ibid.* 10. sanguinum oderunt simplicem; et item, *Ibid.* XXVIII, 4. Qui derelinquunt legem, laudant impium. *Ps.* LXVIII, 7. Hinc et Christus orat in Psalmo : Non erubescant in me qui exspectant te, Domine; non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel. De hujusmodi enim eventu dolent viri virtutum, non in quantum habent rationem pœnæ seu adversitatis quantum ad eos; hanc namque per patientiam etiam cum gaudio ferunt : sed ut est culpa gravissima, et velut blasphemia Dei, quoniam derogat providentiæ ejus; et item, ut est scandalizativum pusillorum, nocivum quoque perversis ita agentibus.

34 *Ne, quæsumus*, etc. Secundum Albertum, post et juxta confessionem ponit orationem sequentem : quæ ex quinque conficitur, scilicet gloria nominis Dei, suffragio paternæ intercessionis, confessione humiliationis, sacrificio contribulati cordis, sequela perseverantissimæ voluntatis. Hæc quinque consideranti sequentia innotescent. Quantum ad primum, orditur loquens in sua et sociorum suorum persona : A *Ne, quæsumus, tradas nos* hostibus *in perpetuum* affligendos. Quasi dicat : Non ultra vires permittas nos tribulari, nec pœna hæc captivitatis nimium protrahatur, quamvis ad tempus duret. Hoc oravit, ut cultus Dei in Jerusalem reformaretur, et ne plebs Israelitica adhuc imperfecta, adversitatibus victa, ad impatientiam verteretur, atque a Dei cultu ad idololatriam declinaret. Denique virtuosi tribulationibus cincti, ad requiem beatitudinemque licenter adspirant : sicut et David in Psalmo et verbis B libri Regum, a Saule frequenter eripi flagitavit. Unde et in Isaia habetur : Ne ira- *Is.* LXIV, 9. scaris, Domine, satis. Hinc in fine Threnorum orans Dominum Jeremias : Quare, *Thren.* V, 20. inquit, in perpetuum oblivisceris nostri, derelinques nos in longitudinem dierum ? *Propter nomen tuum*, id est, propter tui ipsius bonitatem et pietatem nos audi, etsi non propter merita nostra : sicut et Psalmista precatur, Propter nomen tuum, Do- *Ps.* XXIV, 11. mine, propitiaberis peccato meo; et denuo, Secundum misericordiam tuam memento *Ibid.* 7. C mei tu, propter bonitatem tuam, Domine. Vel, Propter nomen tuum, id est ob tui ipsius honorem et gloriam, ut in nostra liberatione tu glorificeris, lauderis, omniumque tuorum liberator ab omnibus agnoscaris. Ad utrumque autem sensum pertinet illud Ezechielis : Non propter vos *Ezech.* XXXVI, 22. ego faciam, ait Dominus Deus, sed propter nomen sanctum meum.

Et ne dissipes, id est, destrui seu auferri permittas, *testamentum tuum*, id est legem per Moysen datam : quæ dissipatur dum D ejus cultores tolluntur. Sic sumitur testamentum ad Hebræos octavo, quo verba Jeremiæ allegantur, et inter cetera dicitur : Quoniam ipsi non permanserunt in testa- *Hebr.* VIII, 9. mento meo, ego neglexi eos, dicit Dominus. Vel, Ne dissipes testamentum tuum, id est, fœdus seu pactum quod cum nostris patribus percussisti in datione legis, quod scilicet ipsis eorumque posteris propitius esses, atque in tribulatione ad te vociferantes exaudires : juxta illud Nehemiæ : *II Esdr.* I, 8, 9. Memento verbi quod mandasti Moysi servo

tuo, dicens : Quum transgressi fueritis, A
ego disperdam vos in populos; et si re-
vertamini ad me, ut custodiatis præcepta
mea, etiam si abducti fueritis ad extrema
35 cœli, inde congregabo vos. *Neque auferas
misericordiam tuam,* id est pietatis tuæ
effectum, *a nobis :* scilicet, pacem pecto-
ris, pacemque temporis, quibus ad pacem
æternitatis ducamur, da nobis. Albertus
prædictum locum ita exponit : Ne dissipes
testamentum tuum, quo testatus es te no-
Luc. I, 72, 73. bis daturum ; secundum illud : Memorari
testamenti sui sancti; jusjurandum quod B
juravit ad Abraham patrem nostrum, da-
turum se nobis. Neque auferas misericordi-
am, qua te promisisti nasciturum ex nobis.

Propter Abraham dilectum tuum, id
est valde dilectum et ex pluribus præele-
ctum, cui et multa dilectionis indicia os-
tendisti : ut patet in Genesi. Quidam dicunt
Abraham dilectum Dei vocari, quoniam
primus fuit electus a Deo ex idololatris, et
quia primo factæ sunt ei promissiones
apertæ de Christo : quæ si ita se habeant,
in fine articuli hujus clarebit. *Et Isaac* C
servum tuum, servitute filialis timoris,
Matth. XXV, 21, 23. cui dicitur, Euge, serve bone, intra in gau-
dium Domini tui ; non servitute timoris
Joann. VIII, 35. servilis, cui dicitur in Joanne, Servus non
manet in domo in æternum, filius autem
manet in æternum. Ideo autem specialiter
servus vocatur, secundum Albertum et
alios, quia simpliciter obedivit, quando
pater ejus voluit eum Deo offerre. Tunc
enim ad virilem pervenit ætatem, et tamen
a patre sene se permisit ligari, et ad im-
molationem accessit spontanee, ut Jose- D
phus primo Antiquitatum libro describit,
Gen. XXII, 9. imo ex Genesi comprobatur. *Et Israel,* id
est Jacob patriarcham, *sanctum tuum,* id
est sanctificatum a te : qui et eximiæ ex-
Ibid. XXVIII, 11 *et seq.* stitit sanctitatis, sicut in Genesi patet; vi-
deturque Augustinus sentire, quod sancti-
ficatus fuerit in utero matris, quia adhuc
exsistentem in utero Deus dilexit. Primo
quoque sancto Jacob in somno ostensa est
sanctitas templi ac cultus divini, secun-
dum Albertum, ut in Genesi inducitur :
ubi et legitur, quod speciali cultu vovit se
colere Deum, Erit (inquiens) mihi Domi- *Gen.* XXVIII, 21.
nus in Deum. Illud autem sanctum voca-
tur, quod divino cultui applicatur.

Quibus locutus es, pollicens, id est pro- 36
mittens, *quod multiplicares semen eorum
sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est
in littore maris.* Sic enim in Genesi Do-
minus Abrahæ loquitur : Suspice cœlum, *Ibid.* XV, 5.
et numera stellas, si potes : sic erit semen
tuum. Insuper Jacob ait ad Dominum : Tu *Ibid.* XXXII, 12.
locutus es quod benefaceres mihi, et di-
latares semen meum sicut arenam maris.
Sed et Dominus ait Isaac : Multiplicabo *Ibid.* XXVI, 4.
semen tuum sicut stellas cœli. Fuit autem
consuetudo populi Israelitici, in precibus
suis memorari justitiæ Patriarcharum is-
torum, et divinarum promissionum eis fa-
ctarum, ut Deus tam propter illorum vir-
tutes ac merita, quam propter propriam
veritatem, exaudiret ipsos orantes.

Quia, Domine, imminuti, id est nume- 37
ro pauciores effecti, *sumus, plus quam
omnes gentes :* gladio enim, fame, peste, et
captivitate pro maxima parte fuerunt Ju-
dæi consumpti tempore isto. Propter quod
scriptum est in Baruch : Avertatur, Do- *Baruch* II, 13.
mine, ira tua, quia derelicti sumus pauci.
Hoc quarto Regum et in Ezechiele plenius IV *Reg.* XXV;
edocetur. Sic et Moyses pro tempore suo *Ezech.* XII, 16.
dixit ad populum Israel : Te elegit Do- *Deut.* VII, 6, 7.
minus, ut sis ei populus peculiaris : non
quia cunctas gentes numero vincebatis,
quum sitis omnibus populis pauciores. *Et
sumus humiles,* id est despecti et viles, *in
universa terra hodie propter peccata no-
stra :* quia ubique a gentibus, inter quas
erant dispersi et commorantes, despicie-
bantur. Quod propter sua patiebantur pec-
cata, sicut per Jeremiam Deus frequenter
eis prædixit : Dabo vos in commotionem *Jer.* XXXIV, 17; XXV, 18; XXIX, 18.
et sibilum et maledictionem omnibus re-
gnis terræ. Nam audientes famam calami-
tatis eorum, stupebant. Hinc dicit Baruch :
Facti sumus subtus et non supra, quia *Baruch* II, 5.
peccavimus Domino Deo nostro.

Et non est in tempore hoc princeps, id 38
est rex in populo Israel. Sedecias enim

tunc captus asseritur. *Et dux* militiæ. *Et*
Propheta, qui posset dare divinum respon-
sum. Sed videtur contrarium : nam tem-
pore isto in Chaldæa fuerunt Daniel atque
Ezechiel, et alibi Jeremias. Ad quod di-
cendum opinor, quod Propheta hic dicitur
ab actu prophetandi : et tempore isto non
erat actualiter consolationem futuram di-
vinitus nuntians. *Neque holocaustum,* id
est oblatio quæ ad divinæ majestatis reve-
rentiam totaliter comburebatur, significat-
que homines spirituales et viros perfectos,
qui divino obsequio se integraliter man-
cipant, ac sanctæ caritatis igne penitus
inflammantur. *Neque sacrificium, neque*
oblatio. Secundum Albertum, sacrificium
dicitur quod de liquidis vel aridis rebus
fiebat; oblatio, quæ partim incendebatur,
et partim reddebatur offerenti. Alii sacri-
ficium exponunt esse quod partim incen-
debatur, partimque ad usum sacerdotum
servabatur ; oblationem autem, quæ ex
devotione offerebatur spontanee. *Neque*
incensum, id est thymiama odoris, quod
super altare thymiamatis offerebatur ad
sacrificii consummationem, ut dicit Apo-
Hebr. IX, 6. stolus ad Hebræos. *Neque locus primiti-*
arum coram te, id est, in quo primitiæ
frugum terræ Domino offerentur, quia Je-
rusalem et templum, ubi hæc secundum
legem offerebantur, destructa fuerunt vel
protinus destruenda. De his primitiis in
Prov. III, 9. Proverbiis Salomon monet : Honora Do-
minum de tua substantia, et de primitiis
39 frugum tuarum. *Ut possimus invenire mi-*
sericordiam tuam, id est tibi per talia
exteriora secundum legem reconciliari, et
pietatis tuæ consequi opem. Verumtamen
talia exteriora non erant per se Deo acce-
pta et placita, nec principaliter requisita,
aut simpliciter necessaria ; sed primitiæ
cordis quæ sunt præcipui fructus virtu-
tum, devotio et pœnitentiæ actus, de qui-
bus subjungitur.

Sed in anima contrita contritione pœ-
nitentiali, id est se ipsam per illicitorum
eradicationem et deplorationem conteren-
te. Sicut enim corporaliter aliquid conteri
A dicitur, quando in minutissima frusta con-
fringitur ; sic anima spiritualiter conteri
fertur, dum se ipsam a propria volunta-
te, concupiscentia, omnique culpa penitus
exuit et confringit. *Et spiritu humilitatis,*
id est spiritu nostro humiliante se ipsum,
non alte, sed humiliter de se sentiendo ;
vel, Spiritu humilitatis, id est in gratia
Spiritus Sancti humilitatem donantis. Por-
ro in homine anima et spiritus eamdem
designant frequenter essentiam : quæ ani-
ma dicitur, in quantum corpus animat,
B format, vivificat ; et spiritus, quantum ad
vires superiores, vel propter naturæ suæ
simplicitatem : spiritus tamen multis mo-
dis in homine et in Scripturis accipitur.
Suscipiamur ad veniam intra brachia tuæ
clementiæ, ut scilicet per contritionem et
humilitatem tibi reddamur accepti, juxta
illud in Psalmo : Sacrificium Deo spiritus Ps. L, 19.
contribulatus ; cor contritum et humilia-
tum, Deus, non despicies. Nempe per hæc
duo peccator Deo præcipue reconciliatur,
ut qui in vitiis delectatus est impie, et
C contra altitudinem Dei se pompose erexit,
per pœnitentiam se affligens, dolens, ac
divinæ se majestati profunde prosternens,
contraria in se contrariis curet, sicque sa-
natus mente Deo salubriter vivat. Unde
per Isaiam Dominus protestatur : Ad quem Is. LXVI, 2.
respiciam, nisi ad pauperculum et contri-
tum spiritu, et trementem sermones meos?
Et in Baruch asseritur : Anima quæ tristis Baruch II, 18.
est super magnitudine mali, et incedit
curva et infirma, et oculi deficientes, dant
gloriam et justitiam tibi Domino. Denique
D super illud Genesis, Isaac amabat Esau, ut Gen. XXV, 28.
Lyra allegat, Rabbi Moyses dicit : Dilectæ
sunt magis tribulationes quam sacrificia.
Sacrificia quippe sunt de divitiis hominis,
tribulationes vero de corpore ejus, quod
est carius sibi, secundum quod dicitur in
Job : Pellem pro pelle, et cuncta quæ ha- Job II, 4.
bet homo, dabit pro anima sua.

Sicut in holocausto arietum et tauro- 40
rum, id est de istis animalibus facto, *et*
sicut in millibus agnorum pinguium, sic
fiat sacrificium nostrum hodie : id est,

spirituale sacrificium cordis nostri, quo A se tibi per contritionem et humilitatem sacrificat, præsentat et offert, sic et in tali fide ac devotione tibi hoc die atque in luce gratiæ seu sapientiæ atque clementiæ tuæ complaceat, in quali fide et devotione sacrificia illa legalia de agnis pinguibus ac ceteris animantibus facta, tibi complacuerunt, videlicet ex devotione et fide offerentium, non propria sua virtute. Propter quod dicunt theologi, quod sacrificia illa meritoria erant ex parte operis operantis, non operis operati. *In conspectu* B *tuo,* id est coram pietatis tuæ respectu, ut nos clementer adspicias : juxta illud Psal-
Ps. xxxii, 18. mi, Oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.
Gen. iv, 4. Et in Genesi legitur : Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus. *Ut placeat tibi.* Hoc semper permaxime optare debemus, ut opera nostra placeant Deo.

Quoniam non est confusio confidentibus in te, id est, optato spei suæ bono non frustrantur, nec finaliter erubescent. Juxta hunc sensum ait Albertus : Confusio seu C confundi, est a spe cadere, et rem speratam non invenire. Sic non est confusio speranti in Deo, quum ad Romanos dicat
Rom. v, 5. Apostolus : Spes non confundit. Et Psal-
Ps. xxxi, 10. mista : Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. In Ecclesiastico quo-
Eccli. ii, 11, 12. que habetur : Scitote, filii, quoniam nullus speravit in Domino, et confusus est; permansit in mandatis ejus, et derelictus est. Præter hanc confusionis acceptionem, adhuc in Scripturis confusio duobus modis accipitur. Uno modo pro confusione bona, D quæ est salubris erubescentia de peccato ad pœnitentiam aut salutem : et istam habent ad tempus sperantes in Domino, non tamen jugiter in mala conscientia habent eam coram ipso. Alia est confusio vitiosa, quo quis verecundatur sua fateri peccata, vel erubescit de his quæ non sunt veraciter inhonesta aut turpia, quamvis ipse ea quasi inhonesta aut turpia apprehendat : ut quum non volumus aliquid pro Deo pati, irrideri, aut pro nostris excessibus corripi. Ista in virtuosis locum non habet. Hinc scriptum est in Ecclesiastico : Pro anima tua non confundaris dicere ve- *Eccli.* iv, 24, 25, 31.
rum : est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam ; non confundaris confiteri peccata tua. Interdum vero confusio sumitur pro vituperatione, reprobatione seu irrisione alicujus ab alio : et sic sancti et virtuosi dicuntur ab hominibus malis confundi. Quæ tamen non est vera et proprie dicta confusio, quia nec perfecti ex talibus intra se confunduntur, turbantur nec contristantur, sed potius in adversis exsultant, et bonæ conscientiæ testimonio eriguntur. Est autem confusio secundum æstimationem et apparentiam quamdam humanam : et secundum hunc modum Christus testatur in Psalmo ad Patrem, Tu *Ps.* lxviii, 20.
scis improperium meum et confusionem meam, et reverentiam meam.

41
Et nunc, etiam in adversis et tribulationibus, *sequimur te,* id est, tuæ voluntati nos conformamus, et sensum tuum nostro præferimus, tibique obtemperamus, *in toto corde nostro,* scilicet in vi affectiva, intellectiva ac memorativa, totum nostrum velle, nosse et reminisci, ad tuam gloriam ordinando. In hoc nostra consistit perfectio. Propter quod in Ecclesiastico legitur : Gloria magna est sequi Dominum. Et *Eccli.* xxiii, 38.
Christus in Evangelio loquitur : Qui se- *Joann.* viii, 12.
quitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Job quoque dicit : Vestigia ejus secutus est pes meus. Hæc *Job* xxiii, 11.
sequela spiritualis ac virtuosa est, ad felicitatem æternam tendens, qua non post concupiscentias proprias imus, sed Dei voluntatem implemus. *Et timemus te* filiali timore, qui vitat malum culpæ, scilicet Dei offensam, metuens separari ab ipso. De quo in Ecclesiastico fertur : Nihil dulcius quam *Eccli.* xxiii, 37; xxv, 14.
timere Deum; et timor Domini super omnia se posuit. *Et quærimus faciem tuam,* id est gratiosam tuam præsentiam, claram notitiam, beatificam visionem, implentes illud Psalmographi : Tibi dixit cor meum, *Ps.* xxvi, 8.
exquisivit te facies mea ; faciem tuam,

Domine, requiram. Facies autem Dei, in
Scripturis, prætactis modis accipitur : in-
terdum videlicet pro gratiosa præsentia
seu pio ejus adspectu, quandoque pro ejus
sapientia seu notitia, interim pro beatifi-
co ejus intuitu, imo pro ipsomet Domino
Deo, omnia sapientissime intuente.

42 *Ne confundas nos,* id est, non nos relin-
quas confusos, nec sperato tuo auxilio nos
prives, nec preces nostras repellas. Sic et
Ps. cxviii, 116. Psalmista precatur : Suscipe me secundum
eloquium tuum, et vivam, et non confun-
das me ab exspectatione mea. *Sed fac no-*
biscum juxta mansuetudinem tuam, id est
mititer, non per modum irati, te durius
ulciscendo. Porro passiones, et virtutes mo-
rales earum moderatrices, non proprie Deo
conveniunt, utpote per affectionis seu es-
sentiæ veritatem, sed per operationis si-
militudinem. Unde sicut Deo ira adscribi-
tur, quia instar irati se habet, sibi illatam
vindicando injuriam ; sic mansuetudo ei
adscribitur, in quantum ultionem longa-
nimiter differt, celeriterque placatur, ita
quod eam non infert. Sicque de eo canta-
Ps. lxxxv, 5. mus : Quoniam tu, Domine, suavis et mi-
tis. *Et secundum multitudinem misericor-*
diæ tuæ. Misericordia Dei, prout in Deo
est, secundum essentiam una et simplex
est, sed multiplex in effectu ; et propter
varias suæ pietatis operationes, pluraliter
Ps. lxxxviii, 2. designatur, quum dicitur in Psalmo : Mi-
sericordias Domini in æternum cantabo.
Is. lv. 7. Propterea Isaias de ipso asserit : Quoniam
multus est ad ignoscendum.

43 *Erue nos* ab adversitatibus his, *in mira-*
bilibus tuis, id est per supernaturalia tua
opera atque auxilia : de quibus in Ecclesi-
Eccli. xxxvi. 6. astico habetur, Innova signa, et immuta
mirabilia. Per talia enim Deus suos erue-
re consuevit. Unde in Jeremia describitur
quemadmodum Sedecias locutus est Jere-
Jer. xxi, 2. miæ : Interroga pro nobis, si forte faciat
Dominus nobis juxta omnia mirabilia sua.
Istudque factum est tribus pueris istis in
liberatione eorum de fornace ardente. Un-
de quantumcumque magna videatur diffi-
cultas evadendi pericula, semper tamen in
A Deo sperare debemus, quia per omnipo-
tentiæ suæ miracula superfacillime potest
auferre cuncta pericula. *Et da gloriam*
nomini tuo : id est, per mirabilia tua os-
tende te glorificandum, et alios induc et
excita ad dandum gloriam tibi, ut tibi soli
latriæ cultum impendant, qui in Isaia te-
status es : Propter me ego faciam, ut non *Is.* xlviii, 11.
blasphemer; et gloriam meam alteri non
dabo. Et potest hic gloria sumi pro clara
cum laude notitia seu fama Dei præincly-
ta : de qua in principio libri Definitionum
B Isaac Israelita philosophus ait, Fama Dei
sublimis est.

Et confundantur omnes qui ostendunt, 44
id est, pœnaliter inferunt, *servis tuis mala*
pœnæ, id est adversa. Si hoc orasse intel-
ligantur ex pietate, pro conversione sci-
licet Chaldæorum, sensus est, quod con-
fundantur confusione pœnitentiali salubri,
erubescendo de suis excessibus. Si autem
ex zelo justitiæ hoc oraverunt pro hostium
punitione, conformando se divinæ justitiæ,
sensus est, quod confundantur confusione
C reprobationis et damnationis æternæ. *Con-*
fundantur in omnipotentia tua. Aliqui
habent, In omni potentia sua : et tunc, Om-
ni potentia, duæ sunt dictiones. Quoad pri-
mum, sensus est : Ut per omnipotentiam
tuam eos dejicias et confundas. Quoad se-
cundum, est sensus : In omni sua potentia
confundantur, ita ut tua potestate dejecti,
experiantur et sciant quod eorum poten-
tia fuit infirma ac præsumptuosa, sitque
devicta. Sic et Ecclesiasticus orat : Glori- *Eccli.*
fica manum et brachium dextrum; excita xxxvi, 7, 8.
D furorem et effunde iram. *Et robur eorum*
conteratur : ut ipsi simul cum suæ pote-
statis abusione vincantur. Hoc potissime
est orandum, quando perversi impugnant
bonum commune aut fidem catholicam,
cultumque Dei auferre nituntur. Hinc im-
piis Isaias prædicit : Erit fortitudo vestra *Is.* i, 31.
ut favilla stuppæ. Rursusque Isaias profa-
tur : Contrivit Dominus brachium impio- *Ibid.* xiv, 5.
rum, virgam dominantium.

Et sciant, vel in futuro per experienti- 45
am suæ damnationis, vel in præsenti per

evidentiam mirabilium operum tuorum, vel etiam in adversitatibus vitæ præsentis. Multi equidem Deum in prosperis nolunt advertere, sed tribulationibus inducuntur ad recognitionem ipsius, juxta illud Isaiæ : *Is.* xxvi, 16. Domine, in angustia requisierunt te, et in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Quia tu es Dominus Deus solus :* Dominus per universale, primum, ac exemplare omnium rerum imperium; Deus, per fontalem causalitatem providentiamque supremam; *et gloriosus super orbem terrarum,* id est majestate et gloria plenus, cunctis in terra degentibus omnipotenter ac excellentissime præsidens. Hoc ipsum Nabuchodonosor rex ejusque ministri noverunt per mirabilem liberationem virorum istorum de ardore fornacis.

Ps. lxxxii, 17-19. Prædictis consonat illud Psalmistæ : Imple facies eorum ignominia. Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi; et cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.

46 *Et non cessabant, qui miserant eos,* id est, in fornacem projecerant, *ministri regis,* regi in malitia similes : prout in Proverbiis Salomon scribit, *Prov.* xxix, 12. Rex impius omnes ministros habet impios; *succendere fornacem,* ut igne in se reflexo, esset ferventior, *naphtha et stuppa et pice et malleolis.* Naphtha, secundum Hieronymum, quem Scholastica historia et Albertus sequuntur, est genus fomitis apud Persas, ignem nutriens, et maxime augens, prout etiam in Historia refert Sallustius; et secundum Plinium apud Babyloniam per modum bituminis fluit. Alii dicunt, quod sint ossa olivarum arefacta cum amurca. Unde Jeremias in epistola dicit : *Baruch* vi, 42. Mulieres eorum colligatæ sunt, succendentes ossa olivarum. Stuppa autem de facili concipit ignem : quemadmodum vitiosi cito consentiunt motibus passionum. Propter quod in Ecclesiastico legitur : Stuppa collecta, synagoga peccantium. *Eccli.* xxi, 10. Pice vero ignis fortiter sibi cohæret. Malleoli autem sarmenta dicuntur, quibus ignis fovetur, juxta illud Actuum : Quum congregasset Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem. *Act.* xxviii, 3. Porro, secundum Albertum, per præfata ignium nutrimenta, intelliguntur concupiscentiarum incitamenta atque fomenta, et consuetudo peccandi : quibus incitamentis libidinis etsi virtuosi interim tangantur, ab ardore tamen, consensu, et actu turpitudinis præservantur, sicut hi pueri ab igne fornacis. Propterea Glossa dicit : Antiquus hostis licet innumeras ciborum concupiscentias nostris opponat obtutibus, quibus ignis crescat libidinis : bonis tamen mentibus gratia Spiritus superni insibilat; et a carnalis concupiscentiæ hostibus illæsæ perdurant, ut etsi usque ad tentationem carnis flamma accedat, usque ad consensum tamen tentatio non exurat.

Et effundebatur flamma supra, id est 47
extra, *fornacem cubitis quadraginta novem :* quod, secundum Scholasticam historiam, geometrica comprehensum est regula.
[*Et erupit, et incendit quos reperit juxta* 48
fornacem de Chaldæis.] Quocirca moralizando dicit Albertus : Quinquagenarius numerus, est numerus remissionis : a quo quadragenarius nonus deficit, et ideo peccati est numerus, quoniam flamma concupiscentiæ eos vorat qui ad remissionis gratiam non pertingunt. Inceditque flamma propinquos fornaci, quoniam concupiscentiæ calor lambit etiam eos qui concupiscibilibus sunt propinqui. Unde Lot in Genesi dictum est : Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, *Gen.* xix, 17. id est in sublimitate virtutum. Ecclesiasticus etiam monet : Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Eccli.* xiii, 1.

ARTICULUS IV

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI AB EO LOCO : ANGELUS AUTEM DOMINI DESCENDIT CUM AZARIA ET SOCIIS EJUS IN FORNACEM : IN QUO CANTICUM, BENEDICITE OMNIA OPERA DOMINI DOMINO, EXPONITUR.

QUONIAM deficiente electis humano au- A
xilio, adesse solet divinum, subjungi-
49 tur : *Angelus autem Domini descendit,* per
visibilem operationem, secundum Alber-
tum, imo et vere realiter intravit *cum Aza-
ria,* inter hos tres principali, ut dictum
est, *et sociis ejus* Anania et Misaele, *in for-
nacem.* Angelus quippe est definitive in
loco; et secundum Damascenum, illic est
ubi operatur. *Et excussit flammam ignis
de fornace* usque ad spatium quadraginta
novem cubitorum, ut paulo ante exposi-
tum est. Angelici quippe spiritus plenum B
habent dominium super materiam inferio-
rum, quantum ad motum localem, secun-
dum doctores. Denique non ita excussit
flammam ignis de fornace, quod in forna-
ce ignis non manserit, quum infra in isto
vers. 92. dicatur capitulo, Ecce ego video viros qua-
tuor ambulantes in medio ignis; sed par-
50 tem ignis ejecit. *Et fecit medium fornacis,*
ubi ignis fortissimus fuit, *quasi ventum
roris flantem,* id est dulciter pueros refri-
gerantem : ut per rorem esset exstinctivus,
et per ventum refrigerativus, secundum C
Albertum. Verumtamen non fuit ignis ille
nec ardor ejus exstinctus, nisi quoad hoc,
quod actio ejus suspensa fuit a corporibus
puerorum. Sicque angelus dicitur medium
fornacis fecisse quasi ventum roris, quo-
niam virtute divina cooperante principali-
ter, et administrante angelo, pueri isti ita
suaviter sentiebant ibidem, ac si in vento
roris adductivo fuissent. Aliqui tamen di-
xerunt, quod ignis omnino excussus fuit,
et angelus refrigerativa apposuit, ita quod
in fornace non manserit ardor. Sed, ut ta- D
ctum est, illud stare non potest.

Et non tetigit eos omnino ignis. Si in
medio ignis ambulaverunt, quomodo ignis
eos non tetigit, a quo undique circumda-
bantur? Verumtamen non tetigit, id est,
actionem suam in eis non exercuit, nec
afflixit. Unde Albertus exponit : Non teti-
git, tactu physico ad nocumentum. Sic
nempe habetur in lege, quod novacula Na- *Num.* VI, 5;
zaræorum caput non tangeret, id est, non *Judic.* XIII, 5.
raderet : solus namque contactus non erat
prohibitus. Et per Zachariam Dominus ait
electis : Qui tetigerit vos, tanget pupillam *Zach.* II, 8.
oculi mei. Qui tetigerit, id est, tangendo
afflixerit. Hinc expositorie subditur : *ne-
que contristavit, nec quidquam molestiæ
intulit :* quum tamen ignis sit maxime
activus et afflictivus, secundum Philoso-
phum, ita quod pœna ignis dicitur ma-
xima.

Circa hoc Lyra prolixam efficit quæstio-
nem, qualiter factum sit illud; sed faciliter
respondetur, quod per omnipotentiam Dei,
qui non solum per angelos, sed et per ho-
mines instrumentaliter aliquid ministerii
adhibentes facit miracula : omni enim na-
turæ creatæ indita exstat divinitus obedi-
entialis potentia, per quam Deo creatori
in omnibus quæ contradictionem non im-
plicant, ad nutum obedit, ut Scotus decla-
rat. Ægidius quoque de Roma in libro de
Sacramento altaris, de hoc subtiliter scri-
bit, præsertim sexto et septimo capitulis,
inter cetera dicens, quod qualitates dupli-
cem comparationem habent : unam ad
subjectum, secundum quam dant sibi esse
tale; aliam ad objectum sive ad exteriora,
secundum quam sunt principia actionum,
et ratio seu causa agendi : utputa calor

per comparationem ad subjectum, dat esse
calidum; prout vero comparatur ad cale-
factibile, est calefaciendi principium. Ita-
que per divinam virtutem fieri valet, ut
qualitas primam habeat comparationem
habitudinemque absque secunda; sicque
igni erit ratio quod calidus sit in se ipso,
non autem ut per ipsum calefaciat aliud :
quemadmodum in Sacramento altaris, cor-
pus Christi per propriam quantitatem ha-
bet extensionem, situm et ordinem par-
tium ad se invicem et in toto, non autem
per comparationem ad locum.

Præterea, quoniam singularia beneficia
Dei, et potissime magna evidentissimaque
miracula, provocant beneficiatos bonos et
gratos ad præcipuam laudem Altissimi,
hinc devotissima gratiarum actio trium vi-
51 rorum istorum subjungitur. *Tunc hi tres*
pari beneficio provocati, *quasi ex uno ore,*
id est consona concordique voce ex inte-
riori voluntatis concordia, caritate, pace,
et gratia. Ex quo Augustinus ostendit et
admonet, quam concorditer psallentes in
choro, debeant Deum laudare humiliter et
modeste, non præcipitanter aut festinan-
ter. *Laudabant, glorificabant et benedi-
cebant Deum in fornace,* qui corpora eo-
rum servavit illæsa, et corda fecit igne
amoris flammantia. Porro laus Deo debe-
tur ratione suæ virtutis ac bonitatis; glo-
rificatio, ratione suæ claritatis ac celsitu-
dinis; benedictio, ratione suæ liberalitatis.
Ideo dicit Albertus : Laudabant præconio
virtutis, glorificabant demonstratione cla-
ritatis, benedicebant in gratiarum actione.
Ad hujuscemodi consonam Dei honorifi-
centiam hortatur nos Paulus ad Romanos :
Rom. XV, 5, 6. Deus solatii det vobis id ipsum sapere in
alterutrum, secundum Jesum Christum, ut
unanimes uno ore honorificetis Deum et
Patrem Domini nostri Jesu Christi. Et Pe-
I *Petr.* III, 8. trus in sua Canonica : Unanimes in oratio-
ne omnes estote. Nempe ut asserit Glossa,
Os divisum nil impetrat; nec dubium quin
in dissonantia psallentium Deo, dæmon tri-
pudiet.
52 *Dicentes : Benedictus es, Domine Deus*

A *patrum nostrorum.* Quomodo Deus subli-
mis atque omnipotens dicitur benedictus,
superius tactum est. Etenim benedictus
est, utpote in se ipso felix, bonus et san-
ctus, omnique bono nomine superdignus,
ac jugiter benedicendus, bene ac reve-
rentialiter exprimendus, totiusque boni
origo, et omnis doni causa fontana; bene-
dictus in se atque in omni suo effectu ac
opere, quia in omnibus virtuose est agens.
Porro per patres suos, intelligunt specia-
liter Patriarchas ac Vates veteris Testa-
B menti, quorum se Deus universorum spe-
cialiter Deum esse perhibuit, et effectu
ostendit per singularem suam providen-
tiam, pietatem, gratiamque ad eos : ex
quibus incarnari Filius Dei elegit, dicente
Apostolo ad Hebræos : Nusquam angelos *Hebr.* II, 16.
apprehendit, sed semen Abrahæ apprehen-
dit. Unde in Deuteronomio Moyses populo
Israel ait : En Domini Dei tui cœlum est *Deut.* X, 14, 15.
et cœli cœlorum, terra et omnia quæ in
eis sunt : et tamen patribus tuis congluti-
natus est Dominus, et amavit eos, elegit-
C que semen eorum post eos. Unde propter
singularia Dei beneficia Israelitis collata,
ex singulari ejus pietate ac providentia
circa Israeliticum populum procedentia,
fertur in Psalmo : Qui annuntiat verbum *Ps.* CXLVII, 19.
suum Jacob, etc. Etenim circa illos perhi-
betur omnipotens omnium Dominator sin-
gularem providentiam gerere, quos singu-
lari gratia in ultimum dirigit finem. Et
quanto circa aliquem gratiosius clemen-
tiusque se habet, tanto singulariorem cir-
ca eum providentiam habere censetur.

D *Et laudabilis,* ob tuam bonitatem, vir-
tutem et sanctitatem. Laus enim debetur
virtuti, sicut et honor : sed laus consistit
in verbis, honor in actibus. Est namque
exhibitio reverentiæ, in signum testimo-
niumque virtutis. Et sicut virtus et san-
ctitas Dei in infinitum cunctis præeminet,
sic ipse superbeatissimus Deus infinite
laudabilior est, quam eum aliqua possit
creatura laudare, juxta illud Ecclesiastici :
Glorificantes Dominum quantumcumque *Eccli.* XLIII, 32.
potueritis, supervalebit adhuc, etc. Itaque

etsi incessabiliter laudibus Dei intenti fu- A erimus etiam mente devota, non inaniter gloriemur, nec præsumamus quasi quid magni egerimus; sed pensantes omne nostrum præconium atque obsequium infinite a dignitate ac laudabilitate altitudinis Dei nostri deficere, ipsum humillime deprecemur ut per pietatem suam immensam, laudes nostras acceptare dignetur : potissime quia et quidquid in eis boni est, ipsius est donum; quidquid vero defectuositatis admixtum, id prorsus est nostrum.

Et gloriosus. Secundum quod gloria B multis modis accipitur, sic et Deus multipliciter gloriosus asseritur. Est enim gloriosus, id est plenus gloria, sive per gloriam intelligatur jucunditas, sive felicitas, sive excellentia, seu majestas, aut clara cum laude notitia, aut fama præinclyta. Et absolute loquendo, ipse solus plenus est istis, utpote plenitudine infinita. Interdum etiam sumitur gloria Dei pro magnifico aliquo ejus effectu, ut quum Eze- *Ezech.* x, 18. chiel scribit : Egressa est gloria Domini a limine templi, etc. Hujuscemodi quoque C effectibus Deus causaliter plenus est. Denique Moyses in Deuteronomio Deum esse *Deut.* xxviii, 58, 59. gloriosum protestans, disseruit : Nisi timueritis nomen Domini gloriosum atque terribile, augebit plagas tuas. *Et superexaltatus :* quoniam universis et singulis simul acceptis incomparabiliter et immense melior altiorque consistit. Siquidem finiti ad infinitum nulla est comparatio. Ideo *Ps.* cxliv, 3. cantat Psalmista : Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. *In sæcula* utique universa, id est D omnium spatio sæculorum, generationum seu temporum. Sæculum autem variis modis accipitur, prout in libro suo Damascenus eloquitur.

Et benedictum nomen gloriæ tuæ. Si nomen pro nomine nominato, id est re significata per nomen nominans, accipiatur (sicut et in Actibus quum Petrus affirmat, *Act.* iv, 12. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; *Is.* xxx, 27. et Isaias, Ecce, inquit, nomen Domini venit de longinquo; et in Psalmo, Sit nomen Domini benedictum), *Ps.* cxii, 2. sic benedictum nomen gloriæ Dei, nil aliud est nisi Deus gloriosus ac benedictus, qui proprie Deus et pater atque rex gloriæ appellatur, propter incomparabilem suam majestatem, excellentiam, voluptatem, et perfectionem in se et in suis operibus. Apostolus enim ait ad Ephesios : Pater gloriæ det vobis *Ephes.* i, 17. spiritum sapientiæ. Et Stephanus in Actibus : Deus gloriæ apparuit patri nostro *Act.* vii, 2. Abrahæ. Rursus, gloria sumitur pro objecto gloriæ, vel repræsentativo, vel ostensivo gloriæ : ut quum ait Scriptura, Filius *Prov.* x, 1; xiii, 1. sapiens gloria patris; et Paulus, Mulier, *I Cor.* xi, 7. inquit, gloria est viri, et vir gloria Dei dicitur. Porro si nomen pro nomine nominante sumatur, istud benedictum asseritur propter rei significatæ per ipsum sanctitatem atque virtutem. Tunc specialiter de hoc nomine Domini tetragrammaton explanatur, quod secundum Rabbi Moysen impositum est ad significandam divinam essentiam absolutissime in se ipsa, videlicet secundum intrinsecas suas proprietates absque respectu ad creaturas. Alia autem Dei nomina imponuntur a divinis operibus, ut Elohim in Hebræo, seu Deus in Latino, quod imponitur a generali Dei providentia atque regimine, unde aliis per participationem quamdam communicatur, quemadmodum in Exodo : Si latet fur, *Exod.* xxii, 8. dominus domus applicabitur ad deos, id est judices. Et multo plus alia quædam Dei nomina aliis communicantur. Nomen autem Domini tetragrammaton, Deo appropriatur, et de eo solummodo dicitur, *sanctum :* quia essentialiter purum, virtuosum, firmum et supermundissimum, si de nomine nominato sumatur. Nomen autem nominans, sanctum est, sicut et benedictum, *et laudabile, et superexaltatum in omnibus sæculis :* quia universis quæ unquam fuerunt, sunt aut erunt, incomparabiliter et immense exstat præstantius atque sublimius. Ex quo apparet, quod de nomine nominato hæc clausula intelligatur.

53 *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ.* Quando hæc verba dicebantur, templum Jerusalem fuit destructum. Quidam tamen de ipso hæc verba exponunt, quod ipsum vocetur templum sanctum gloriæ Dei, quia in eo Deus gloriam et excellentiam gratiæ suæ patribus declaravit. De
Ps. LXIV, 5, 6. quo ait Psalmista : Replebimur in bonis domus tuæ; sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. De quo et illud Ha-
Habac. II, 20. bacuc exponitur a quibusdam : Dominus in templo sancto suo : in quo fuit Deus benedictus, qui omni loco et tempore benedictus est. Aliqua tamen loca sibi specialiter deputantur propter specialem suam operationem in eis : in quibus et benedictus est in se ipso, et in suo effectu, quoniam in omnibus irreprehensibiliter agit, videlicet sapienter, sancte et virtuose, imo
Ps. CXLIV, 17. clementer et juste, dicente Propheta : Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Ex quibus verbis sequentia quoque facilius patent : *et superlaudabilis,* quia infinite laudabilior quam comprehendere, aut laudibus exsequi valeamus, sicut expositum est, *et supergloriosus in sæcula.*

54 *Benedictus es in throno regni tui.* Thronus iste est judiciaria sedes incircumscriptibilis Dei : quæ sedes intelligi potest, vel divina auctoritas, seu potestas judicativa dominativaque omnium, quæ est ipsemet Deus excelsus, qui nullibi verius est quam in se ipso; vel thronus hic, est cœlum empyreum, in quo Deus specialiter esse et residere perhibetur, tanquam in summa aula ac supremo palatio unde cuncta gubernat. Hinc in Apocalypsi loquitur
Apoc. III, 21. Christus : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Ceterum Deus secundum se ipsum nullam habet limitationem, habitudinem aut specialitatem ad locum, sed in se ipso ac propria suæ substantiæ puritate, illocalis, intemporalis, interminabilisque consistit, nec ab aliquo tangitur, neque alicui commiscetur. Præterea regnum Dei, est Ecclesia mi-

A litans et triumphans, ubi per dona gratiæ et gloriæ in suorum cordibus regnat; vel totus mundus, secundum Albertum, quem ut rex summus dispensat, juxta illud in Job : Quem constituit alium super terram? Job XXXIV, 13.
aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Et in Psalmo : Regnum tuum Ps. CXLIV, 13.
regnum omnium sæculorum. Sicque Deo potissime competit illud Proverbiorum : Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo. Prov. XX, 8.

Postremo per thronum intelligi potest
B angelicorum spirituum ordo, præsertim chorus infimus supremæ hierarchiæ angelicæ : cujus spiritus Throni vocantur, ab inhabitatione ac insidentia tranquillissima Dei, secundum beatissimum Dionysium Angelicæ hierarchiæ capitulo septimo. Cui expositioni consonat illud Augustini tertio libro de Trinitate : In angelicis spiritibus summa atque plenissima amicitia copulatis, et in unam voluntatem quodam spirituali caritatis igne conflatis, tanquam in excelsa et sancta et secreta sede præsidens
C Deus velut in domo sua et in templo suo, inde se quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus, primo spiritualibus, deinde carnalibus et corporalibus per cuncta diffundit, et utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ.

De hoc throno legitur in Ecclesiastico : Unus est Altissimus, creator omnium Eccli. I, 8.
omnipotens, rex potens et metuendus nimis, sedens super thronum; et in Psalmo, Sedisti super thronum, qui judicas justi- Ps. IX, 5.
tiam; in Sapientia quoque, Mitte illam, Sap. IX, 10.
D puta sapientiam, de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ.

Benedictus es qui intueris luce seu ocu- 55
lo supersplendidissimæ sapientiæ tuæ, universa et singula perfectissime ac distinctissime cognoscentis : secundum illud ad Hebræos, Omnia nuda et aperta sunt oculis Hebr. IV, 13.
ejus; *abyssos,* id est Oceanum, omniumque aquarum profunda, et pelagi ima; vel, Abyssos, id est absconditas partes terræ, secundum Albertum, prout in Ecclesiastico fertur : Oculi Domini multo plus lucidi- Eccli. XXIII, 28.

ores sunt super solem, circumspicientes A
omnes vias hominum, et profundum abys-
si. Quidam per abyssos intelligunt angelos
reprobos de cœlo projectos, forte propter
caliginem impiamque profunditatem men-
tis eorum.

Et sedes super Cherubim. Secundum
Gregorium, Deus proprie super Thronos,
qui sunt de tertio ordine primæ hierarchiæ
angelicæ, residet; sed propter vicinitatem
eorum ad Cherubim, qui sunt medius or-
do hierarchiæ præfatæ, etiam super Cheru-
bim sedere describitur, juxta illud Psalmi: B
Ps. LXXIX, 2. Qui sedes super Cherubim, manifestare.
Aliqui vero ad litteram per Cherubim in-
telligunt imagines Cherubim in taberna-
culo Moysis, quæ in Exodo appellantur
Exod. XXV, 19-22. Cherubim gloriæ obumbrantia propitia-
torium, de quo Dominus loquebatur ad
Moysen. Sicque super Cherubim illa un-
de apparuit, affirmatur sedisse, sicut in
templo dicitur habitasse. Itaque super an-
gelicas mentes de ordine Cherubim sedet
Deus, præsidens illis : super quos etiam
sedere dicitur, quoniam illorum scientiæ, C
quamvis altæ, supereminet infinite, ita
quod eum comprehendere nequeunt. Pro-
pter quod quidam Sanctorum leguntur di-
xisse, quod Cherubim Deum non audent
adspicere, quem tamen avidissime, jucun-
dissime, inavertibiliterque adspiciunt. Ta-
lis ergo modus loquendi extensus, pie su-
mendus est, ut sit sensus : Non audent
Deum adspicere, id est, majestatem ipsius
plenarie perscrutari, seu comprehendere
non præsumunt, sed terminis ac legibus
sibi divinitus præstitutis contenti sunt, ut D
divinus Dionysius docet. His demum expo-
sitio Alberti concordat, dicentis : *Sedes,* id
est quiescis, *super Cherubim,* id ést ple-
nitudinem scientiæ. Non enim discurris
super scita ut nos, scilicet ratiocinando ;
nec scientia tua causatur a scitis, sed est
causa scitorum : et sicut pertingis ubique
faciendo, sic et videndo : secundum illud
Sap. VIII, 1. Sapientiæ, Attingit a fine usque ad finem
Job XLII, 2. fortiter ; et Job, Scio quia omnia potes, et
nulla te latet cogitatio.

Benedictus es in firmamento cœli, id est 56
in firmamento quod dicitur cœlum, de quo
in Genesi : Fiat firmamentum in medio *Gen.* I, 6.
aquarum ; et item, Vocavit Deus firmamen- *Ibid.* 8.
tum cœlum. Quod dicitur firmamentum,
quoniam firmat omnia in se contenta, quo-
rum est locus communis. Locus autem est
conservativus locati, secundum Philoso-
phum : qui etiam dicit, quod motus cœli
est velut vita quædam, virtus et conserva-
tio inferiorum. Unde in firmamento est
Deus, tanquam principalis motor, rector,
atque influxor in inferiora : qui licet non
sit proximus motor cœlestium orbium in
genere causæ efficientis, seu efficienter
moventis, est tamen motor primus et sum-
mus in genere causæ finalis, quoniam mo-
vet sicut desideratum seu bonum optatum
movet desiderium et optantem, secundum
meliores philosophos, tam Peripateticos
quam Platonicos.

Consequenter tres viri isti omnes crea-
turas per ordinem provocant et invitant
ad Dei præconium. Quo enim quis in Dei
amore plus ardet, eo intensius ipsum ab
universis laudari, amari ac honorari desi-
derat. Propterea libro primo de Doctrina
christiana loquitur Augustinus : Quanto
quis in amore Dei ferventior est, tantum
agit quibus potest modis, ut Deus a plu-
ribus diligatur ; rursus, quo aliquis Deum
sincerius contemplatur, eo se ipsum plus
parvi pendit atque humiliat, ac per hoc
laudem qua ipse Deum laudat, insuffici-
entiorem existimat, et ideo eum a cun-
ctis magnifice laudari cupit, et ut valet
procurat.

Sed antequam sequens canticum expo-
natur, sciendum quod præinducta ab ali-
quibus aliter elucidantur. Quum enim dici-
tur, Benedictus es in templo sancto gloriæ
tuæ : per templum, Christi humanitatem
accipiunt, quia ut ait Apostolus ad Colos-
senses, In Christo habitat omnis plenitudo *Coloss.* II, 9.
Divinitatis corporaliter. Propter quod, ut
aiunt, dicitur in Apocalypsi de cœlesti Je-
rusalem : Templum non vidi in ea ; Domi- *Apoc.* XXI, 22.
nus enim Deus templum illius est et Agnus.

Per thronum vero intelligunt beatam Virginem, Deo ratione maternitatis speciali modo conjunctam, in cujus gremio sedit Christus, quando a Magis adorabatur. Has autem expositiones non litterales, sed mysticas reor seu spirituales : sicut et per templum intelligi potest Ecclesia, fidelisque anima, imo et templum materiale, in quo Christus sacramentaliter ac realiter continetur, seu est in utraque suæ personæ natura.

57 *Benedicite, omnia opera Domini, Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula.* Circa hoc ait Glossa, et sunt verba Hieronymi : Omnis creatura non voce, sed opere laudat Deum, quia ex creaturis Creator intelligitur, et in singulis operibus atque effectibus magnificentia Dei monstratur. Insuper advertendum, quod quamvis hoc verum sit de creatura irrationali, seu non intellectuali, intellectuales tamen creaturæ vocibus mentis et oris Dominum benedicunt. Nam et angeli, quamvis in propria natura non nisi mentalibus verbis utantur, in corporibus tamen assumptis verba sensibiliter proferunt. Dæmones quoque quandoque, quamvis invite, Deum verbis extollunt, quemadmodum in Marco
Marc. III, 11, 12. legitur : Spiritus immundi quum Christum videbant, procidebant ei, dicentes : Tu es Filius Dei. Hoc autem cunctis commune est creaturis, quod Deum benedicunt, laudant et superexaltant dupliciter. Primo materialiter, quoniam sunt materia laudis sui Creatoris, in quantum sunt bonæ, et divina in eis relucet perfectio, juxta illud
Gen. I, 31. Genesis : Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et
Sap. XIII, 5. erant valde bona ; et in Sapientiæ libro, A magnitudine speciei creaturæ, poterit creator horum cognoscibiliter videri. Quibus consentiens Paulus ad Romanos fatetur :
Rom. I, 20. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. Secundo, hoc faciunt per suas operationes naturales, in quarum industria seu ordinato processu, motu et ordine, divina sapientia non mediocriter commendatur, sicut et in naturalibus eorum proprietatibus, viribus, plumis, pilis, coloribus et figuris.

Postremo quod ait, *Opera Domini, Domino,* dupliciter sumitur. Primo, de effectibus seu creaturis Dei in natura productis : sic enim omnes creaturæ, etiam naturæ rerum, dicuntur opera Dei, quemadmodum ait Scriptura : Opera manuum *Ps.* CI, 26.
tuarum sunt cœli ; et iterum, Manus Domini fecit hæc omnia. *Deut.* XXXII, 27. Secundo, de operibus virtutum, quæ efficit Deus in bonis, juxta illud Isaiæ : Omnia opera nostra *Is.* XXVI, 12.
operatus es in nobis. In quibus operibus nobis a Deo collatis, omnipotentia atque clementia ejus ostenditur. Sic namque ait Psalmista : Mirabilis Deus in sanctis suis ; *Ps.* LXVII, 36.
et Apostolus, Gratias, inquit, ago Deo super inenarrabili dono ejus. *II Cor.* IX, 15.

Circa hoc oritur quæstio (benedicere enim videtur esse majoris, dicente Apostolo ad Hebræos, Sine ulla contradictione, *Hebr.* VII, 7.
quod minus est, a majore benedicitur), quomodo creaturæ benedicere Creatorem monentur. Et respondendum est, quod duplex est benedictio, utpote consecrationis aut perfectivæ collationis, de qua veritatem habet instantia : sic enim Deus benedicit creatis. Unde Gregorius ait : Benedictio Dei, est collatio munerum ejus, et multiplicatio eorumdem. Prælati quoque tanquam medii inter Deum et subditos aut subjecta, benedicunt eis hoc modo. Alia est benedictio laudis, seu gratiarum actionis, de qua modo est mentio : quomodo Simeon justus Deum legitur benedixisse ; *Luc.* II, 28.
et David testatur, Benedicam Dominum in omni tempore. *Ps.* XXXIII, 2.

Laudate et superexaltate eum in sæcula. Eisdem modis Deum laudant et superexaltant, quibus et benedicunt. Asseritque Albertus : Laudant, quia virtus Dei in ipsis monstratur ; superexaltant, quia Creator supereminere proprietatibus creaturæ monstratur. Omnibus nempe recte considerantibus dant causam, præbent materiam, excitant mentem ad Creatoris præconia, atque ad agnoscendum quod ipse sit universis sine mensura sublimior. Cau-

sa equidem in suo relucet effectu, et creatura est quasi radius quidam sui creatoris. Nam agens producit sibi simile, secundum philosophos. Ideo in omni creato bonitas, sapientia, et omnipotentia Dei apparet. Quamvis autem Laudare et Benedicere accipi soleant pro eodem, quoniam tamen in cantico isto distincte exprimuntur, potest benedictio ad gratiarum actionem referri, laus ad simplicem commendationem; vel unum istorum ad præconium Dei sine comparatione ejus ad creaturas, aliud ad præconium ejus per comparationem ad eas : juxta quem modum laudat eum S. Dionysius in libro de Divinis nominibus, ubi de Dei tractat nominibus, secundum processum influentiæ Dei ad creaturas.

Generali exhortatione præmissa, viri hi ad particularia descendunt creata, et quod dixerunt in summa, exsequuntur per partes, a superioribus inchoantes, in quibus major est similitudo primi opificis, secundum quod Plato fatetur : Fluens a primo bonitas, forma est in proximis, imago in distantibus, et velut obscura reflexio in ultimis. Primo ergo invitant naturam angelicam in rerum ordinibus [Deo] propinquiorem, prout duodecimo Confessionum loquitur Augustinus : Duo fecisti, o Domine : unum prope te, scilicet angelum; aliud prope nihil, puta materiam. Invitant autem angelicos spiritus, non quod ipsi nostra admonitione indigeant, aut a Dei benedictione, laude et superexaltatione unquam desistant; sed verba hæc, congratulando quia sic faciunt, magis quam exhortando ut sic faciant, rite sunt exponenda, sicut et illud in Psalmo : Laudate eum, omnes angeli ejus; et, Benedicite Domino, angeli ejus, potentes virtute; et, Lauda, Jerusalem, Dominum, si de Jerusalem cœlesti explanetur. (*Ps.* CXLVIII, 2. *Ps.* CII, 20. *Ps.* CXLVII, 1.)

58 *Benedicite, angeli Domini, Domino.* Angelus, secundum magnum Dionysium, quandoque est nomen cœlestis spiritus de infimo choro; interdum pro omni cœlesti spiritu sumitur, sicut et nunc. Propter A quod ait Albertus : Omnes cœlestes spiritus vocat angelos, propter hoc quod ad minus per descensum et influentiam illuminationum mittuntur : quæ illuminationes a superioribus ad medios, et a mediis ad inferiores descendunt. Unde ad Hebræos dicit Apostolus : Nonne omnes sunt administratorii spiritus? (*Hebr.* I, 14.) *Laudate et superexaltate eum.* Hos actus angeli intellectualiter ac jucundissime prosequuntur tanto præclarius, affectuosius atque felicius, quo increatam lucem seu divinam essentiam B limpidius ac subtilius contemplantur, majestatis Dei sui immensitatem profundius intuentes, reverentialius admirantes, perfectius honorantes. *In sæcula,* id est jugiter per omne ævum : juxta illud Psalmi : Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. (*Ps.* LXXXIII, 5.) Et in Apocalypsi : Servi Dei videbunt faciem ejus, et regnabunt in sæcula sæculorum. (*Apoc.* XXII, 3-5.)

59 *Benedicite, cœli, Domino,* omnes scilicet orbes cœlestes : ex quorum magnitudinis, pulchritudinis, causalitatis, sphæricitatis, C coordinationis ac multiplicis proprietatis consideratione, omnipotentia, sapientia et bonitas Dei admirabiliter collaudantur. De quibus in Job dicitur : Tu forsitan cum Deo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. (*Job* XXXVII, 18.) Isaias quoque ad contemplationem Dei ex consideratione eorum adhortans : Levate, inquit, in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. (*Is.* XL, 26.)

60 *Benedicite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino.* Hoc loco apertissime D dicuntur aquæ consistere super cœlos, et consonat illud Genesis : Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum; vocavitque Deus firmamentum cœlum. (*Gen.* I, 6-8.) Itemque in Psalmo : Laudate eum, cœli cœlorum; et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. (*Ps.* CXLVIII, 4, 5.) Quæ licet prima facie videantur forsitan naturali rationi et dictis philosophorum

contraria, tamen ut scribit Augustinus super Genesim, major est scripturæ illius Geneseos auctoritas, quam omnis humani intellectus perspicacitas sive capacitas.

Unde et Thomas in prima parte, quæstione 68, de ista loquens materia, ait : Certissime ergo sciamus esse aquas super cœlos ; sed quæ vel quales aquæ, non est adeo certum. Origenes enim per aquas has intelligit spirituales substantias ; sed hoc non placet Basilio. Sunt ergo ibi corporales aquæ ; sed quales, diversimode traditur. Si enim dicamus firmamentum esse cœlum sidereum, tunc illæ aquæ possunt dici illius naturæ, cujus est hoc cœlum. Unde qui dicunt cœlum esse de natura elementorum, dicere possunt aquas illas esse elementares. Qui autem asserunt cœlum esse specialis naturæ, affirmant has aquas non esse elementares, sed naturæ cœlestis : et sic per aquas intelligitur nona sphæra, quæ est sine stellis ; et aqueum dicitur, propter diaphaneitatem, sicut cœlum Beatorum vocatur empyreum, id est igneum, propter splendorem. Qui autem ponunt aquas elementares super cœlum, ut Beda, Cassiodorus et alii multi, dicere possunt quod non sint graves, sed subtiles ; nec fluidæ, sed ad instar glaciei firmæ ac duræ : unde a quibusdam cœlum crystallinum dicuntur. Et aliqui ponunt ibi aquas ad temperandum calorem cœlestium corporum, quæ dicunt esse de natura ignis : et ut ait Augustinus, hujus experimentum quidam sumpserunt, quod Saturnus est maxime frigidus ob vicinitatem ad aquas illas.

Denique Albertus scribit hoc loco : Aquæ istæ quæ super cœlos sunt, ut dicit Augustinus, in minutissimis guttis ibi suspensæ sunt : et quidam autumant inde rorem descendere. Vel forte melius dicitur, ait Albertus, quod aquæ nomen est
Gen. I, 2. primum materiæ, in Genesi : Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et ratione perspicuitatis, sunt in cœlo crystallino ; ratione humiditatis et fluiditatis, in cœlo inferiori, puta aerio. De ista difficultate

A tractat Magister, secundo Sententiarum ; et doctores multa ibi conscribunt. Communius autem tenetur, quod per aquas has intelligatur cœlum crystallinum seu aqueum, scilicet nona sphæra, non propter naturam, sed similitudinem aquæ in diaphaneitate.

Moraliter vero per aquas quæ super cœlos sunt, quidam intelligunt perspicuas seu illuminatas mentes Sanctorum, in quibus velut in speculo resplendent divina.

Benedicite, omnes virtutes Domini, Do- 61
B *mino.* Per virtutes quidam intelligunt hic orbium motores cœlestium, qui a philosophis intelligentiæ, a theologis angeli asseruntur. Et ut Thomas in Summa contra gentiles opinatur, sunt de medio ordine mediæ hierarchiæ, puta de choro Virtutum : idcirco nunc Virtutes vocantur. De quibus fertur in Psalmo : Laudate eum, *Ps.* CXLVIII, 2.
omnes virtutes ejus ; et, Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus qui facitis voluntatem ejus. *Ps.* CII, 21. Denique, secundum divinum Dionysium, sicut omnes supernæ
C mentes angeli, ita et virtutes vocantur propter vigorem, agilitatem, efficaciamque agendi quidquid eis divinitus commendatur sive præcipitur.

Itaque locus iste multipliciter potest exponi. Primo, de angelicis mentibus, sicut prætactum est. Secundo, de viribus causativis cœlestium corporum, quæ sunt potestates causales per creationem insitæ cœlestibus cunctis corporibus, per quas agunt et influunt in elementa et mixta, secundum quod Aristoteles ait : Sol et
D homo generant hominem. Sunt enim cœlestia corpora, per virtutes hujusmodi, instrumentaliter causæ motuum et alterationum, generationum et corruptionum in inferioribus istis : ut etiam beatus Dionysius ait quarto capitulo de Divinis nominibus, præsertim de sole loquens ibidem ; consonatque verbo Philosophi, asserentis quod accessus solis in obliquo circulo, puta zodiaco, est causa generationis et renovationis in inferioribus seu terræ nascentibus ; recessus vero ejus in circulo

isto, est causa corruptionis et arefactionis A illorum, sicut ad oculum est videre. Unde Peripatetici ponunt quatuor causas universales, summas, primarias : quarum altissima Deus est ; secunda est intelligentia ; tertia, anima nobilis (cœlestia etenim corpora animata dixerunt, quorum animas nobiles nuncupabant) ; quarta est natura, vis seu virtus insita cœlestibus corporibus. Hinc ait Albertus : In orbibus cœlorum virtutes sunt moventes et instaurantes naturam (scilicet inferiorum per individuorum procreationem, in quorum B successione continua species perpetuatur), quas hic ad Dei laudem inducit. — Tertio potest exponi de virtutibus imperialibus, quas ponit Damascenus, ab eis cœlos moveri affirmans. Quarto, de omnium naturalium seu creatarum rerum ac specierum naturalibus viribus sive potentiis, per quas ad operationes sibi connaturales ac debitas exstant idoneæ. Nullum enim naturalium propria caret operatione, secundum Damascenum : alioqui frustra esset, quum ens non queat suum attingere finem, nisi C per propriam actionem seu motum. Has virtutes putavit Rabbi Moyses in Scripturis angelos nuncupari : in quo tamen erravit, putans angelicas mentes seu separatas substantias, non esse plures quam sunt orbes cœlestes, prout Albertus et Thomas suis locis de ipso enarrant.

62 *Benedicite, sol et luna, Domino.* Hæc sunt duo luminaria cœli illustrantia terram, de quibus dicitur in Genesi : Fecit Deus duo luminaria magna. (*Gen.* I, 16.) In quorum, D præsertim in solis diligenti consideratione, divina majestas mirabiliter conspicitur et relucet. Nempe, ut quarto de Divinis nominibus capitulo loquitur Dionysius, sol iste visibilis, evidens est imago divinæ bonitatis, quæ est sol æternus et intellectualis, sol sapientiæ atque justitiæ : imo in magnitudine, velocitate, claritate, causalitate, influentia et efficientia solis, divinæ potestatis ac sapientiæ eminentiam satis admirari non possumus. Et dicitur sol, quasi solus omnibus lucens, quia non solum luna, sed cetera quoque astra ac planetæ, secundum plures philosophos, lumen sortiuntur ab eo. Hinc et signifer ille S. Franciscus, considerando intuendoque fratrem solem, non mediocriter delectabatur in Creatore altissimo. De hac re in Ecclesiastico legitur : Species cœli (*Eccli.* XLIII, 1-9.) in visione gloriæ, sol in adspectu, vas admirabile, opus Excelsi, radios igneos efflans. Magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter. Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis et signum ævi ; mensis secundum nomen est ejus, crescens mirabiliter in consummatione, vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose.

Spiritualiter autem sol significat intellectum veri et boni, ac rationis fulgorem super ceteras vires ei subjectas, quæ illuminantur ab ea ne ruant, errantes in lubrico vitiorum. Luna designat inferiorem animæ portionem, ut ab animæ suprema portione, directione virtuosa, perfusam eique subditam. Et quia electi horum habent utrumque, idcirco in Apocalypsi de Ecclesia scribitur : Mulier amicta sole, et (*Apoc.* XII, 1.) luna sub pedibus ejus.

Benedicite, stellæ cœli, Domino. Magni- 63
ficentiam enim sui Creatoris multipliciter repræsentant sua pulchritudine, motione, causalitate, pluralitate, situ, influxu et ordine. Parvæ quidem videntur, sed minima major asseritur tota terra, quoniam remotissime distant a nobis. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Species cœli (*Eccli.* XLIII, 10.) gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. — Stellæ autem designant virtuosos sapientia præditos, qui verbo, exemplo, fama seu moribus, aliis lucent : qui sunt velut lucerna lucens et (*Joann.* V, 35.) ardens, quemadmodum ad Philippenses scribit Apostolus : Omnia facite sine mur- (*Philipp.* II, 14-16.) murationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei in medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria mundi, verbum vitæ continentes. Hinc infra scribitur : Qui multos eru- (*Dan.* XII, 3.)

diunt ad justitiam, fulgebunt quasi stellæ A in perpetuas æternitates.

64 *Benedicite, imber et ros, Domino.* Istæ sunt duæ impressiones in aere factæ, perutiles ad terræ nascentium fecunditatem, et vitæ humanæ conservationem : ex quarum diligenti consideratione oritur nobis grandis materia gratiarum actionis et laudis divinæ. Imber quippe seu pluvia terram irrigat et fecundat, juxta illud Isaiæ : *Is.* LV, 10. Descendit imber de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat B semen serenti, et fructum comedenti. In modo quoque descensus pluviæ, quo guttatim per cohærentiam rivuliformem, velut per subtilissimos aquæ ductus atque canalia defluit ac descendit, sapientiam ac bonitatem providentiæ Dei satis mirari nequaquam valemus. Hinc apud Job scriptum est : *Job* XII, 15. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur ; si emiserit eas, subvertent terram, videlicet si simul cum impetu caderent. Ideo rursus apud Job habetur : *Ibid.* XXVI, 8. Qui ligat aquas in nubibus, ut non erum- C pant pariter deorsum. Et Psalmista decantat : *Ps.* CXLVI, 8. Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam. Insuper ros flores et gramina dulci nutrit humore. — Imber autem doctrinam et prædicationem, ros Spiritus Sancti consolationem et unctionem, designant, sicut per Isaiam Dominus loquitur : *Is.* v, 6. Mandabo nubibus meis, ut non pluant super eam imbrem : et ibi ad litteram sermo est de Synagoga Judæorum, secundum *Ibid.* 7. quod vinea Domini Sabaoth perhibetur.

65 *Benedicite, omnes spiritus Dei, Domi- D no.* Spiritus hic pro vento accipitur : qui a diversis terræ plagis procedit, atque ad terræ nascentium pullulationem, hominumque consolationem et refrigerationem plurimum confert. De quo, secundum unam *Gen.* I, 2. expositionem, accipitur illud Genesis, Spiritus Domini ferebatur super aquas ; *Joann.* III, 8. illudque Evangelii, Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat. Unde ait Psalmista : *Ps.* CXXXIV, 7. Qui producit ventos de thesauris suis. — Per ventum vero, Spiritus Sancti adspiratio ac refrigeratio denotatur. Posset quoque per omnem spiritum Dei, quælibet spiritualis et subtilis essentia insinuari.

Benedicite, ignis et æstus, Domino. Si 66 subtilitatem, activitatem et magnitudinem ignis elementaris pensemus, Dei excellentiam in eo perpendere quimus. Cetera enim tria ambit et continet elementa : estque elementum magis formale et actuosum. Imo, ut Thomas ait, per ignem proprietates divinorum convenientissime exprimuntur : nam et Deus, ignis consu- *Hebr.* XII, 29. mens ab Apostolo dicitur ; caritas quoque, imo et Spiritus Sanctus ob varias causas, ignis vocatur. Similiter a sublimi Dionysio, proprietates Seraphim a similitudine ignis accipiuntur et describuntur, quemadmodum super Angelicam hierarchiam Hugo et Lincolniensis exponunt. Quo demum aqua subtilior est terra, et aer aqua, tanto ignis iste aere est subtilior : unde in sua sphæra nec visibilis, nec lucidus fertur. Æstus autem seu καῦμα est effectus ignis, vel, secundum Albertum, regio aeris proxima igni. Ignis quoque qui apud nos est compactus atque visibilis, et æstus causatus in aere prope nos, dant nobis materiam laudandi benedicendique Deum. — Spiritualiter, ignis est caritas ; æstus ardor est caritatis. De quo ait Christus : Ignem veni mittere in terram. *Luc.* XII, 49. Et discipuli duo dicunt : *Ibid.* XXIV, 32. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur nobis in via ? Canticorum quoque octavo de caritate habetur : *Cant.* VIII, 6. Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Hic ignis divinus, spiritualisque æstus, sunt præclarissima bona, et præstantissima Dei dona : quæ dum nobis collata senserimus, æstuantes, præcordialissimas, et item humillimas Deo superpiissimo grates referre debemus ac laudes.

Benedicite, frigus et æstas, Domino. 67 Frigus pro hieme, vel ipsa temporis illius aspera qualitate, hic sumitur. Temporum autem distinctio in hiemem et æstatem, autumnum et ver, annum, diem et noctem, a motu cœlestium, præsertim ipsius

solis, causatur, secundum quod in Genesi
Gen. I, 14. inducitur : Dixit Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem et noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos. Præterea in ordinatissima temporum et qualitatum eorum distinctione, sapientia Dei mirabiliter declaratur, et humanæ vitæ sapientissime providetur, quemadmodum in hymnis tangit Ambrosius, dicens :

Æterne rerum Conditor,
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora,
Ut alleves fastidium.

Et alibi :

. . . . vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratia.

Ps. CIII, 19. Unde quum Psalmista dixisset, Fecit lunam in tempora, sol cognovit occasum suum, et cetera quæ sequuntur, admiran-
Ibid. 24. do subjecit : Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti. — Mystice, frigus est exstinctio flammæ concupiscentiarum ac vitiorum ; æstas, calor maturitasque virtutum : in quibus electi Deum magnifice laudant, tam recessum a malo, quam accessum ad bonum, divinæ pietati humiliter adscribentes.

68 *Benedicite, rores et pruina, Domino.* Ros est effectus temperati caloris, et frequentius fit in vere. Pruina, effectus est frigoris, et fieri solet in autumno, juxta Philosophum secundo libro Meteororum. Quorum primum designat prosperitatem, aliud adversitatem : in quibus virtuosi Deo æqualiter regratiantur (imo quandoque amplius in adversis), qui non prosperis extolluntur, neque adversis dejiciuntur, ar-
II *Cor.* VI, 7. mati armis justitiæ a dextris et a sinistris.

69 *Benedicite, gelu et frigus, Domino.* Gelu causatur a frigore : atque a frigore venti seu plagæ septentrionalis fortissimum ori-
Eccli. XLIII, 22. tur gelu, juxta illud Ecclesiastici, Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus
Ps. CXLVII, 17. ab aqua ; et in Psalmo : Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ? Per gelu et frigus, mentis constrictio atque duritia ex

A dispensatoria subtractione seu suspensione consolationis ac sensibilis devotionis, intelligi potest : in quo eventu benedicendus est Deus, et patientia conservanda, orandumque longanimiter pro refusione doni subtracti ; et interim in exterioribus ac indignis renuat consolari anima nostra. *Ps.* LXXVI, 3.

Benedicite, glacies et nives, Domino : quæ 70
causantur a frigore. Et quidam per glaciem intelligi volunt grandinem. Nives autem sunt aquæ, quæ raræ seu tenues congelatæ descendunt. In quibus sapientia
B Dei relucet, dicente Psalmista : Qui dat *Ps.* CXLVII, 16.
nivem sicut lanam ; et item, Ignis, gran- *Ps.* CXLVIII, 8.
do, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Per hæc duo designantur Dei flagella quibus percutimur : in quibus Deum laudare debemus, dicentes singuli illud Job, Peccavi et vere deli- *Job* XXXIII, 27.
qui, et ut eram dignus non recepi.

Benedicite, noctes et dies, Domino. Nox ab 71
opacitate terræ causatur, et tribulationem designat ; dies, prosperitatem. Quandoque autem nox, veteris Testamenti obscurita-
C tem vel vitiorum caliginem, dies, evangelicæ gratiam veritatis vel mentis claritatem, significat, ut quum ait Apostolus : Nox *Rom.* XIII, 12.
præcessit, dies autem appropinquavit. *Benedicite, lux et tenebræ, Domino.* 72
Secundum Albertum, lux spargit vigiliam, tenebra refovet et continet spiritum, ne dissolvatur. In lucis autem consideratione, puritate, amœnitate, subitanea diffusione, multiplici fecunditate ac utilitate, ortu atque occasu, divina majestas sublimiter innotescit, quemadmodum in Ecclesiaste dicitur : Dul- *Eccle.* XI, 7.
D ce lumen, et delectabile oculis videre solem. Per lucem etiam sensibilem, increata lux Dei multiformiter designatur. Et mystice lux est illustratio mentis, consolatio et exhilaratio bona ; tenebra vero, defectuositas seu ignorantia cordis aut obscuratio ejus. Unde ad innuendum mirabiles proprietates istorum, Dominus ait ad Job : Indica mihi, si nosti, in qua via habitet *Job* XXXVIII, 18-20.
lux, et tenebrarum locus quis sit, ut ducas unumquodque ad terminos suos, et intelligas semitas ejus.

Si autem objiciatur, quum tenebra sit A
sola lucis privatio, quomodo ipsa ad be-
nedicendum Dominum invitatur : respon-
dendum, quod opposita juxta se posita
clarius elucescunt. Ideo in cæcitate, sur-
ditate, tenebris, ceterisque privativis, po-
sitiva eis opposita evidentius agunt ad Dei
præconium. Rursus, in distinctione tene-
brarum a luce, benedicitur sapientia Dei,
omnium ordinatrix. Sed et nomine tene-
brarum, aliquid positivum insinuatur, sci-
licet tempus illud, aut effectus qui tunc
magis accidere solet ; seu utilitas quæ ex B
recessu lucis diurnæ evenit homini, ut so-
pore reficiatur et conquiescat. — Iterum
quæri potest, quomodo homo sensatus ad
hæc inanimata dirigat verbum, alloquens
ea quæ sensu carent, ratione ac vita. Et
respondendum, quod non ideo ut ipsa au-
diant atque intelligant, sed ut ipse qui ea
affatur, se ipsum et alios ad Dei præconia
inflammet. Sic quippe in Psalmis frequen-
tissime agitur.

73 *Benedicite, fulgura et nubes, Domino.*
Fulgura sunt incensiones seu ignes qui C
micant in nubibus; spiritualiterque signi-
ficant miraculorum coruscationem, vel ter-
ribilem comminationem. De quibus in Job
Job xxxviii, 35. Dominus loquitur : Numquid emittes ful-
gura, et ibunt, et revertentia dicent tibi,
Ps. lxxvi, 19. Adsumus ? Et in Psalmo : Illuxerunt co-
ruscationes tuæ orbi terræ, commota est
et contremuit terra. Nubes vero sunt aquæ
vaporabiliter elevatæ, quæ jam condensari
incipiunt : et designant gratiarum fluenta
ac prædicatores, imo et angelos, secundum
Dionysium. De nubibus autem in libro D
Job multa dicuntur, ad comprobandum
quod in consideratione earum et operati-
onum quas habent, pietas ac providentia
Dei egregie declaratur. Itaque Job tricesi-
Job xxxvi, 29-31. mo sexto de Deo inducitur : Si voluerit
extendere nubes quasi tentorium suum, et
fulgurare lumine suo desuper, cardines
quoque maris operiet ; per hoc enim ju-
dicat populos, et dat escas multis morta-
Ibid. xxxvii, 11-13. libus. Et sequenti addit capitulo : Frumen-
tum desiderat nubes, et nubes spargunt
lumen suum : quæ lustrant cuncta per cir-
cuitum, quocumque eas voluntas guber-
nantis duxerit, ad omne quod præceperit
illis super faciem orbis terrarum, sive in
una tribu, sive in terra sua, sive in quo-
cumque loco misericordiæ suæ jusserit eas
inveniri. Et denuo : Numquid nosti se- *Job* xxxvii, 16.
mitas nubium, magnas et perfectas sci-
entias ?

Præterea scire oportet, quod nisi in con-
sideratione naturalium et meteoricarum
impressionum considerabilis esset perfe-
ctio, providentia, et majestas Dei viven-
tis, nequaquam Scriptura hoc loco, et in
Psalmis ac libris Prophetarum tam fre-
quenter horum faceret mentionem. Ita-
que, dum præmemorata et subscripta cre-
ata ad Dei præconia invitamus, nos ipsos
ad ejus laudes efficaciter inflammemus,
atque rerum istarum naturas et proprieta-
tes, cursum, actum, ordinemque pensantes,
ex omnibus his ad Dei supergloriosissimi
contemplationem, laudem, admirationem,
et ferventem amorem jugiter conscenda-
mus. Hinc enim in Jeremia scriptum est :
Dominus Deus verus est, ipse Deus vivens *Jer.* x, 10, 13.
et rex sempiternus ; ad vocem suam dat
multitudinem aquarum in cœlo, et elevat
nebulas ab extremitatibus terræ ; fulgura
enim in pluviam facit, et educit ventum
de thesauris suis. De quo scriptum est
in Amos : Faciens Arcturum et Orionem, *Amos* v, 8.
convertens tenebras in mane, et diem no-
cte mutans ; qui vocat aquas, et effundit
eas super faciem terræ : Dominus nomen
ejus. In Job quoque : Subito aer cogetur *Job* xxxvii, 21.
in nubes, et ventus transiens fugabit eas.
Et præcedenti illic capitulo : Qui aufert *Ibid.* xxxvi, 27, 28.
stillas pluviæ, et effundit imbres ad in-
star gurgitum, qui de nubibus fluunt, quæ
prætexunt cuncta desuper.

Benedicat terra Dominum. Terra est 74
infimum minimumque elementum : cujus
tamen pars maxima operta est aquis. Cu-
jus quantitatem, dispositionem, fecundita-
tem, ac ceteras proprietates rite pensan-
tibus, et quomodo ista est velut centrum
universi, et suo loco permanet fixa, im-

mobilis, quamvis sit maximæ gravitatis, occurrit grandis ratio laudis divinæ. Idcirco, ad insinuandum quomodo majestas ac sapientia divina in elemento terræ possit perpendi, ipse Creator omnipotens ait in Job : Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus, si nosti? Vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt? Aut quis demisit lapidem angularem ejus? Denique, ut Plato loquitur in Timæo, partem terræ voluit Deus esse aquis discoopertam, ut esset hominibus ac brutis in habitaculum et altricem. Terra itaque fructum suum producendo, et cetera ad quæ divinitus condita est peragendo, Dominum non mediocriter, juxta sensus præhabitos, laudat. Quæ ob suam stabilitatem et fecunditatem, hominem virtuosum stabilemque designat, quem Spiritus Sanctus cœlesti semine, scilicet verbo Dei, fecundat. Unde ait Salvator : Semen est verbum Dei. Quod autem in terram bonam cecidit, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. Hinc, secundum Gregorium, ager est mundus, id est habitatores terræ : quibus et Paulus dixit, Dei agricultura estis.

Job XXXVIII, 4-6. — *Luc.* VIII, 11, 15. — I *Cor.* III, 9.

75 *Benedicite, montes et colles, Domino.* Secundum Albertum, montes et colles vapore subterraneo elevantur, vel ab aquis nimium congesta mole causantur. Et notant majores ac minores in Ecclesia, præsertim prælatos, aut in donis gratiæ præfulgentes, juxta illud Amos : Stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt.

Amos IX, 13.

76 *Benedicite, universa germinantia in terra, Domino.* Si eorum quæ intra terram et in superficie ejus atque ex ea gignuntur, varietatem, valorem, pulchritudinem, suavitatem, amœnitatem ac ceteras innumerabiles proprietates sapienter attendimus, præ admiratione excellentiæ Creatoris altissimi deficiemus; nec sapientiam, dulcedinem, ac decorem ejus in his satis mirari poterimus. Hinc quippe sunt metalla, flores, fructus, species, arbores, gemmæ, quorum vires et proprietates, tot et tales et tantæ sunt, ut mortalibus plene non innotescant; et quidquid speciositatis, amœnitatis, virtutis et amabilitatis in eis est sparsim atque finite, hoc in superpræstantissimo Deo est indivisim, simplicissime, omnino perfecte ac infinite. Ex quorum etiam formatione, renovatione, dispositione, providentia Creatoris probatur, et a quibusdam magnis philosophis est pensata, quemadmodum decimo de Trinitate Dei Augustinus ostendit, dicendo : Plotinus Platonicus de providentia disputans, eam a summo Deo, cujus est intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, usque ad hæc terrena et ima pertingere, flosculorum ac foliorum pulchritudine comprobat : quæ omnia quasi abjecta et velocissime pereuntia, decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur ubi forma intelligibilis et incommutabilis simul exemplariter habens omnia, perseverat. Hoc et Christus in Evangelio pandens : Considerate, inquit, lilia agri quomodo crescunt. Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex illis. De hac quoque materia Hugo et Richardus ejus discipulus pulchre loquuntur, uno eorum dicente, quod et alius in sententia ponit : Quid de gemmis et pretiosis lapidibus narrem, quorum non solum efficacia utilis, sed adspectus quoque mirabilis? Ecce tellus redimita floribus, quam jucundum præbet spectaculum! Videmus rubentes rosas, candida lilia, purpureas violas : in quibus non solum pulchritudo, sed origo quoque mirabilis, quomodo scilicet Dei sapientia de terræ pulvere species tales producit.

Matth. VI, 28, 29.

Benedicite, fontes, Domino. Fons a fundendo nomen sortitur, quia aquarum fundit fluenta, et sua diffusione, perspicuitate, exuberantia, claritate, evidens quædam imago seu repræsentaculum est bonitatis divinæ, ob ejus communicabilitatem, cla- 77

ritatem, munificentiam, exuberantiamque A
immensam. Propter quod Deus æternus
frequenter fons nominatur. In origine quo-
que fontium, qualiter scilicet ex terræ vi-
sceribus prodeunt, et multiplicatione ac
utilitate eorum, sapientia Dei eximie com-
mendatur, qui taliter hominum necessitati
providit, utilitati consuluit. De mirabilibus
demum quorumdam fontium proprietati-
bus ac viribus, Augustinus et alii, tam
theologi quam philosophi, varia conscri-
pserunt : in quibus omnibus divina claret
majestas. — Fons autem doctores, prædi- B
catores ac sacerdotale designat officium :
Eccli. xv, 3. quorum est rivos sapientiæ, aquam saluta-
ris scientiæ, charismata gratiæ, influentiam
sacramentorum aliis communicare, propi-
nare, profundere. De quibus in Psalmo ha-
Ps. LXVII, 27. betur : In Ecclesiis benedicite Deo Domino
Is. XII, 3. de fontibus Israel ; et in Isaia : Haurietis
aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

78 *Benedicite, maria et flumina, Domino.*
Unum est mare totale, dictum Oceanum,
scilicet aquæ elementum, cingens et am-
biens terram : quod Secundus philosophus
appellavit cingulum terræ, scribens Adri- C
ano imperatori. Sunt autem plura particu-
laria maria, velut brachia magni maris.
Sed et minora quædam sunt maria, de
qualibus et in Evangelio legitur. De qui-
bus potissime verum reor quod hic ait
Albertus : Maria, inquiens, causantur a
confluxu fluminum. Sicque juxta proprie-
tatem idiomatis Hebræorum, quælibet ma-
gna congregatio aquæ, mare vocatur, secun-
Gen. I, 10. dum id Genesis : Congregationes aquarum
appellavit Deus maria. Flumina autem ex D
fontibus scaturire feruntur, quamvis vi-
cissim aliunde causentur. Hinc dicit Al-
bertus : Flumina a confluxu fontium ge-
nerantur. Denique in Genesi habetur, quod
Ibid. II, 6. fons ascendebat e terra, irrigans univer-
Ibid. 10. sam superficiem terræ ; et denuo : Fluvius
egrediebatur de loco voluptatis ad irrigan-
dum paradisum, qui inde dividitur in qua-
tuor capita, scilicet in quatuor principalia
Ibid. 11, 13, 14. flumina ex paradiso manantia, de quibus
in Genesi fit mentio. Itaque ex fonte illo
paradisi fluvius paradisi profluxit, et fluvi-
us ille quadripartitur. Verumtamen, secun-
dum Damascenum, fons præfatus ex mari
Oceano habet originem, sicque verificatur
illud Ecclesiastæ : Omnia flumina intrant *Eccle.* I, 7.
in mare, et mare non redundat ; ad locum
unde exeunt flumina, revertuntur, ut ite-
rum fluant. — Per mare autem interdum
exprimitur sæculi hujus, id est sæculari-
um hominum, inquietudo, amaritudo at-
que tumultus. Impii enim quasi mare fer- *Is.* LVII, 20.
vens, quod quiescere non potest, ut dicit
Isaias. Interdum autem per mare, corda
pœnitentium, se in amaritudine et flucti-
bus internæ compunctionis afficientia, de-
notantur. Flumina vero nunc gratiarum
copiosa charismata, nunc tribulationum
abundantiam signant. Quantum ad pri-
mum ait Christus : Qui credit in me, flu- *Joann.* VII, 38.
mina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.
Quoad secundum ait Psalmista : Elevave- *Ps.* XCII, 3, 4.
runt flumina fluctus suos a vocibus aqua-
rum multarum.

Benedicite, cete et omnia quæ moven- 79
tur in aquis, Domino. Hæc sunt elementi
aquæ præcipua ornamenta. Porro si ea quæ
de ceto a philosophis et theologis scripta
sunt, attendantur, magna valde offertur ma-
teria laudandi, admirandi, honorandique
Deum. Nempe de hoc genere piscis, secun-
dum unam expositionem sumuntur, saltem
pro parte, quæ in Job de Leviathan scripta *Job* XL, XLI.
sunt. Hinc inter pisces specialiter nomina-
tur et prænominatur, quia est maximus
piscis, inter creaturas Dei opus ejus non
parum mirabile. Quemadmodum enim in-
ter homines magnitudine eminent ipsi gi-
gantes, inter volucres gryphi, inter bestias
terræ quadrupedes elephantes ; sic inter
pisces sunt cete. De quibus in Genesi ha-
betur : Creavit Deus cete grandia, et om- *Gen.* I, 21.
nem animam viventem atque motabilem
quam produxerant aquæ in species suas.
Præterea quanta sit varietas, decor, utili-
tas, robur, vis atque proprietas piscium
maris, quis mortalium poterit rimari aut
explicare ? — Sed quia ad Petrum et An- *Matth.* IV, 19.
dream locutus est Christus, Faciam vos

fieri piscatores hominum, constat nomine piscium intelligi homines : ita quod cete designant majores atque potentes Baptismatis unda renatos; cetera quæ moventur in aquis, minores ac simplices, in aqua Baptismi motum virtutum vitamque gratiæ sortientes. De hujuscemodi aqua et piscibus in Ezechiele multa leguntur, ubi *Ezech.* XLVII, 9, 10. inter cetera dicitur : Omnis anima vivens quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet; et erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, et sanabuntur, et vivent omnia ad quæ venerit torrens, et stabunt piscatores super illas.

80 *Benedicite, omnes volucres cœli,* scilicet aerii ubi volucres volant, *Domino.* Et quis in diversitate, pulchro colore, cantu suavi, multiplici actu, celeri motu, penneo tegumento, multiformi ornatu, ceterisque avium proprietatibus, superbenedicti et supergloriosissimi Dei sapientiam, perfectionem ac majestatem digne miretur? — Quamvis autem per volucres quandoque superbi in altum vanitatis se erigentes, quandoque diaboli in aere volitantes signentur, ut quum in Matthæo ait Salvator, *Matth.* XIII, 4. Volucres cœli comederunt illa, id est, semina verbi Dei abstulerunt; nunc tamen per volucres intelligendi sunt contemplativi, pennis orationum, meditationum, virtutum atque donorum in sublimia elevati, quibus competit dicere illud in Psalmo : *Ps.* LIV, 7. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? De qualibus loquitur et Isaias : *Is.* LX, 8. Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? Et item : *Ibid.* XL, 31. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient.

81 *Benedicite, omnes bestiæ et pecora, Domino.* In his quoque summi artificis excellentia ineffabiliter commendatur. Unde ad declarandam sapientiam suam in istis suis effectibus, opifex Deus multa ad sanctum Job loquitur. *Job* XXXIX. Aristoteles quoque et Albertus Magnus, in libris suis de Animalibus mira et pulchra scripserunt. Sed et Augustinus in libris de Civitate Dei, aliqua de his tangit. Quinto enim de Civitate testatur : Deus nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum convenientia partium et quadam veluti pace reliquit. Et Hugo : In terra, inquit, commorantur animalia tam diversimode figurata, quorum nonnulla miramur ex corporum magnitudine, quædam ex parvitate, quædam ex raritate, quædam ex speciositate, quædam (ut sic loquar) ex quadam convenienti ineptitudine et delectabili deformitate, quæ vocantur ridicula. Insuper, secundum Augustinum, vicesimo secundo de Civitate Dei, animalia quæ minimum habent quantitatis, plus habent admirationis : plus enim formicularum et apicularum opera stupemus, quam immensa corpora belluarum. Hugo quoque his consonans, ait : Animalia quæ ob parvitatem miramur, tam artificiose ac sapienter sunt instituta, ut vix discernere valeamus, quid magis debeamus mirari, dentes apri vel tineæ, alas gryphi vel scinifis, caput equi vel locustæ, crura elephantis vel culicis, aquilam vel formicam, leonem vel pulicem, tigridem vel testudinem. His nempe tam exiguis corporibus sic omnifariam lineamenta suæ naturæ congrua plene distribuit Deus, ut nihil deesse videatur tam minimis, eorum quæ natura formavit in magnis.

Itaque quidquid in creaturis et pulchritudine, proprietate actibusque earum, visui aut considerationi nostræ occurrerit, protinus ad superadorandi ac superdeliciosissimi atque in infinitum sapientissimi Creatoris contemplationem, reverentiam, laudem et gloriam, amorem et superextollentiam referamus, cuncta creata pensantes, ut sunt creatricis sapientiæ quidam effectus, non ut sunt res quædam in suis speciebus atque ordinibus consistentes : sicut dum ædificia pulchra conspicimus, statim ex consideratione eorum, artificis collaudamus industriam. Hinc etiam naturalis philosophia, si quis ea utatur legitime, ad divinorum contemplationem con-

fert non modice. Ad quam et naturaliter ingeniosi, præsertim ad metaphysicalium speculationem bene dispositi, utpote in vi cogitativa apti ac prompti, ceteris paribus, aptiores censentur : quamvis in aliis defectum naturæ ac naturalis scientiæ gratia Dei facillime queat supplere, imo et illis sublimiores efficere.

Per bestias autem et pecora, homines sensualitatem sequentes signantur, qui ad benedicendum Dominum invitantur, eo quod tam diu eis pepercerit, et adhuc ad emendationem eos præstolatur ac provocat. Quum vero conversi fuerint, Dominum
Ps. xciii, 17. grata mente solent laudare, dicentes : Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Verum quum bestiæ proprie appellentur animalia silvestria atque indomita, pecora autem, bruta domita sive domestica : per bestias, homines carnales, crudeles, intractabiles ; per pecora, homines carnales, mansueti, tractabiles, congrue intelliguntur.

82 *Benedicite, filii hominum, Domino. Benedicat Israel Dominum, laudet,* etc. *Benedicite, sacerdotes Domini, Domino,* etc. Rationales et intellectuales creaturæ dupliciter Dominum benedicunt, videlicet generaliter ac specialiter : generaliter, dando materiam laudis divinæ considerantibus eas, et exercendo operationes sibi naturaliter convenientes, eo utique modo, quo (ut dictum est) ceteræ creaturæ irrationales et inanimatæ Dominum benedicere asseruntur. Specialiter quoque Dominum benedicunt intellective ac dilective, formaliter atque vitaliter, corde et ore Dei laudibus insistendo per sapientiam et amorem. Primo igitur modo benedicunt Deum, sive considerentur quoad bona naturæ, sive quoad dona gratiæ, sive quoad dona gloriæ. Nam et quantum ad naturalia, ho-
Gen. i, 27. mo est mirabilis creatura, Dei sui imagine decorata, ex spirituali rationali essentia et carne mortali mirabiliter compaginata, membris corporis et viribus animæ artificiose dotata.

Et breviter, si hominem consideremus
A quoad corpus et animam, et naturaliter circumstantia ac concernentia eum, invenimus tanto copiosiorem excellentioremque materiam benedicendi Creatorem, quo ceteris creaturis præfatis homo est altioris naturæ, eminentiorisque formaturæ, quoad corpus et animam. Unde de pulchra humani corporis dispositione loquitur Augustinus vicesimo secundo de Civitate Dei : In ipso hominis corpore quanta Dei bonitas, quanta tanti Creatoris apparet prudentia ! Nonne ita sunt in eo loca sensuum et ce-
B tera membra disposita, speciesque ipsa ac figura et statura totius corporis ita modificata, ut ad ministerium animæ rationalis se indicet factum ? Non enim, ut animalia irrationalia prona in terram esse videmus, ita creatus est homo ; sed erecta in cœlum corporis forma, admonet eum, quæ sursum sunt sapere atque adspicere. Porro *Coloss.* iii, 2.
mira mobilitas linguæ ac manibus attributa, ad loquendum et scribendum, et ad opera artium plurimarum ac officiorum complenda conveniens : nonne satis osten-
C dit, quali, quamque præclaræ animæ tale corpus ad serviendum consistat unitum ? De dispositione quoque interiorum corporis, scilicet perplexitate venarum atque nervorum, et secretis vitalium viscerum, loquitur Augustinus ibidem, ostendens quod si talium harmonia, connexio ac dispositio notæ essent, ita delectaret pulchritudo rationem in eis, ut omni formæ quæ oculis placet, ipsius mentis præferretur judicio. Insuper, quis in institutione sensuum et modo immutationis eorum a suis objectis,
D et in mutua sensuum ac sensibilium proportione ac cohabitudine, in dispositione quoque sensuum interiorum, et nobilitate virium animæ superiorum intellectivarum, omnipotentiam sapientiæ ac sapientiam omnipotentiæ Dei auctoris primi totius naturæ satis miretur, digne collaudet ? Si vero supernaturalia dona hominibus præstita intueamur, videlicet dona gratiæ gratum facientis, et etiam dona gratiæ gratis datæ, abundantiorem sublimioremque materiam benedicendi Dominum invenimus :

et maxime, si bona gloriæ eis promissa, et A
multis jam data, pensemus.

Postremo, quo alicui plura et potiora
divinitus collata sunt beneficia, eo plus
Dominum benedicere obligatur, et amplio-
rem præbet materiam benedicendi illum.
Idcirco postquam in generali dixerunt, Be-
nedicite, filii hominum, Domino, de Is-
raelitica plebe specialiter subjunxerunt :
83 Benedicat Israel Dominum, scilicet propter
specialia multa et magna beneficia sibi
Ps. CXLVII, 19, 20. concessa. De qua fertur in Psalmo : Qui
annuntiat verbum suum Jacob, justitias et B
judicia sua Israel; non fecit taliter omni
nationi, et judicia sua non manifestavit
Ps. LXXVII, 3. eis. Itemque : Quanta audivimus et cogno-
vimus ea, et patres nostri narraverunt no-
bis. Deuteronomii quoque liber continet :
Deut. XXXIII, 29. Quis similis tibi, popule, qui salvaris in
Baruch IV, 4. Domino? Et Baruch ait : Beati sumus nos,
quia quæ Deo placita sunt, manifesta sunt
nobis. Verum quoniam plebs illa per suam
incredulitatem indigna effecta est nomine
I *Cor.* X, 18. Israelis, de qua ait Apostolus, Videte Israel
secundum carnem; nunc per Israel intel- C
ligendus est populus fide et opere chri-
Galat. VI, 16. stianus, de quo idem Apostolus ait : Pax
super Israel Dei. Hic enim populus Deum
fide prospiciens, etiam in Prophetis fre-
quenter ad litteram nominibus Jerusalem
et Sion ac Israel designatur, præsertim
quia primitiva Ecclesia ex populo illo fuit.
Sed et multo majora data sunt beneficia
ac munera gratiæ populo christiano, quam
plebi Judææ, quamvis de illa dicat Apo-
Rom. IX, 4, 5. stolus ad Romanos : Israelitæ, quorum est
adoptio filiorum Dei, et gloria, et testa- D
mentum, et legislatio, et obsequium, et
promissa; quorum patres, ex quibus Chri-
stus secundum carnem, qui est super om-
nia Deus benedictus in sæcula.

84 Expresso demum in generali nomine
Israel, in speciali sacerdotes nominantur,
quibus majora dona erant concessa, et qui
ratione officii sui specialiter ad spiritualia
exercitia laudesque Dei fuerant obligati.
De quibus Dominus dixit per Jeremiam :
Jer. XXXI, 14. Inebriabo animas sacerdotum pinguedine.
Quibus et secundo Paralipomenon ait Eze-
chias : Filii mei, nolite negligere; vos II *Par.* XXIX, 11.
elegit Dominus, ut stetis coram eo, et mi-
nistretis ei, colatis eum, et cremetis ei
incensum. In Levitico quoque Dominus
præcepit eis : Doceatis filios Israel omnia *Lev.* X, 11.
legitima mea; et alibi, Sacerdotes sancti *Ibid.* XXI, 1, 6.
erunt Deo suo. Si autem tam spiritualiter,
continenter, et sobrie vivere tenebantur
sacerdotes illi legales, quorum sacerdo-
tium typicum erat, puta figura sacerdotii
Christi atque Ecclesiæ : quam spirituali-
ter, caste, ac temperate vivere obligantur
sacerdotes Ecclesiæ? Nonne tanto perfe-
ctius, quo spiritualius atque divinius eo-
rum est sacerdotium, et quo præstantio-
rem Deo hostiam offerunt, ac præstantiora
sacramenta contrectant? Itaque Deo jugiter
benedicant, laudibus vacent divinis, et spi-
ritualibus se prorsus mancipent actibus,
vitia gulæ et luxuriæ primo ac vehemen-
tissime abhorrentes ac repellentes.

Benedicite, servi Domini, Domino : quod 85
vel de ministris sacerdotum in cultu divi-
no, puta Levitis, quibus modo in Ecclesia
succedunt diaconi, vel de quibuscumque
Dei famulis dicitur. Omnes autem fideles
sunt servi Dei, tanquam creati ac redem-
pti ab ipso : quibus summa ingenuitas et
libertas est Deo servire. Hoc namque est
vitiis et proprio animo dominari, carnem
ac dæmonem simul cum hoc sæculo ne-
quam superare : quod excellentissimum
victoriæ genus est.

Benedicite, spiritus et animæ justorum, 86
Domino. Præterea, sicut refert Hierony-
mus, quia superius dictum est, In anima *vers.* 39.
contrita et spiritu humilitatis suscipia-
mur; et nunc dicitur, Benedicite, spiritus
et animæ justorum, Domino : quidam di-
xerunt, in homine, præter Spiritum San-
ctum, duo distincta esse, spiritum et ani-
mam : quibus, secundum Hieronymum,
laborandum est, quomodo absque carne et
gratia Spiritus Sancti, duæ substantiæ, et
duo interiores homines in uno homine es-
se dicantur. Hoc quippe ex eorum sequitur
dicto. Itaque spiritus et anima, hoc loco

eamdem animæ rationalis essentiam ex- A
primunt : quæ anima dicitur, in quantum
informat et animat corpus ; spiritus, ob
suam simplicitatem, et in quantum con-
templatur cœlestia, ut habetur ex libro de
Spiritu et anima. Laus autem justorum
Deo gratissima esse dignoscitur, sicut et
laus humilium ac sanctorum, de quibus
87 mox additur : *Benedicite, sancti et humi-
les corde, Domino :* non propriæ potestati
aut labori sive industriæ virtutes et merita
vestra attribuendo, sed pietati et gratiæ
Philipp. II, 13. Spiritus Sancti, qui operatur in vobis vel- B
Ps. L, 19. le ac perficere. Cor autem contritum et
humiliatum Deus non spernit. Et quum
ipse sit essentialiter, pure infiniteque san-
Jacob. IV, 6. ctus, sanctitas sibi maxime placet, humi-
libus quoque dat gratiam.

Itaque dum canticum istud devotum ac
fervidum pronuntiamus, ex ardenti id aga-
mus affectu, et Deum ab omni suo effectu
honorari cordialissime affectemus. Et ipsi
quoque eum devotissime benedicamus,
laudantes eum in se ipso et in suis ope-
Eccli. XXXIX, 19. ribus, juxta illud Ecclesiastici : Benedici- C
te Dominum in operibus suis; et denuo,
Ibid. 41. In omni corde et ore nunc collaudate et
benedicite nomen Domini. Omnia etenim
Prov. XVI, 4. Deus majestatis propter se ipsum creavit,
ut sua perfectione in omnibus relucente,
ipse in omnibus et ex omnibus laudetur
Eccle. III, 14. ac veneretur, juxta illud Ecclesiastæ : Fe-
cit Deus opera sua ut timeatur. Ideo Glossa
dicit : Quum cernimus aliquid pulchrum
vel honestum, inde Deum laudare, et ei
gratias referre debemus. Circa præceden-
tem quoque versiculum ponit, quod spi- D
ritus est quo discernimus, et anima qua
vivificamur, ut vitam et intentionem ad
Dei præconia referamus. Postremo bene-
dicere et laudare Deum excelsum, angeli-
cus actus est et cœlestis, magisque divi-
num ac meritorium opus, ceteris paribus,
quam Deum orare. Ob hoc ait Propheta :
Ps. CIII, 33. Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo
Ps. XXXIII, 2. meo quamdiu sum; et : Benedicam Domi-
num in omni tempore; semper laus ejus
in ore meo.

Tandem viri isti se ipsos ad Dei pro-
vocant laudem. *Benedicite, Anania, Aza-* 88
ria, Misael, Domino : ex præsenti scilicet
liberationis ab igne beneficio atque mira-
culo, scientes eum omni creaturæ super-
eminere, nec ei cessantes de cetero gratias
agere. Et aliqui dicunt, quod terminant
laudem istam in se ipsis. Cui dicto obvi-
are videtur, quod paulo post generaliter
subdunt : Benedicite, omnes religiosi, Do- *vers.* 90.
mino.

Causam autem qua inflammantur ad lau-
des Dei, adjiciunt : *Quia eruit nos de in-
ferno :* quia, ut dicit Glossa, si mortui
fuissent, ad infernum descendissent. Quod
de limbo patrum intelligendum est : viri
enim hi fuerant virtuosi. Quandoque au-
tem infernus pro limbo hoc sumitur : ut
quum in Genesi Jacob ait : Descendam ad *Gen.* XXXVII, 35.
filium meum lugens in infernum; et Job,
In profundissimum inferni descendent om- *Job* XVII, 16.
nia mea. Præterea, sicut dupliciter malum
vitatur, ita dupliciter aliquis ab inferno
eruitur, scilicet per anticipationem seu
præventionem, ne fiat, et per subventio-
nem seu meliorationem aut correctionem,
ut factum jam desinat. Et primo Deus pue-
ros istos etiam de inferno damnatorum
eripuit, quia nisi per ejus gratiam fuissent
adjuti, in mortalia vitia corruissent, et in
eis periissent. *Et salvos* nos *fecit de manu,*
id est invasione seu potestate, *mortis* cor-
poralis, seu incendii mortis illativi. Mors
autem, prout solam exstinctionem aut pri-
vationem vitæ seu separationem animæ a
corpore dicit, non habet potestatem rea-
lem, sicut nec cæcitas proprie; sed per
similitudinem quamdam, secundum quod
interimere dicitur, quum ipsa formaliter
sit ipse interitus. Si autem sumatur pro
causa seu prævia dispositione ad mortem,
ita est aliquid, potestatemque habet ad
corrumpendum. Unde in Osee Dominus lo-
quitur : De manu mortis liberabo eos. *Osee* XIII, 14.

Et liberavit nos de medio ignis. Propter
quod in Sapientia scribitur : Vim virtutis *Sap.* XVI, 23; XIX, 6.
suæ oblitus est ignis, ut pueri tui, Deus,
servarentur illæsi. Et istud miraculum in

Sanctis novi Testamenti, tam viris quam
feminis, sæpissime accidit, sicut in chro-
nicis et legendis Sanctorum conscribitur.
Ex quo frivola declaratur instantia Hebræi,
de quo in Prologo hujus Prophetæ refert
Hieronymus, volentis probare, canticum
jam præscriptum, a tribus pueris non esse
compositum. Siquidem ille Hebræus ca-
villabatur et reprobabat, tantum non fuis-
se otii seu quietis tribus his pueris, ut in
camino æstuantis incendii metro luderent,
et per ordinem ad laudem Dei omnia ele-
menta provocarent. Imo ista instantia de-
ridenda videtur. Jam enim innotuit, quod
vers. 50. angelus fecit medium fornacis quasi ven-
tum roris flantem, ita quod in refrigerio
et gaudio erant; et Dei circa se gratiosis-
simam pietatem experientes, angelicam
quoque præsentiam, divino amore succen-
si sunt et contemplationis lumine adim-
pleti, atque a Spiritu Sancto edocti. Et
nonne hoc totum omnipotentiæ Dei super-
facillimum fuit? præsertim quum pueri
Dan. I, 4. isti jam in lege edocti exstiterint, ut primo
capitulo patuit.

89 *Confitemini Domino* duplici confessione,
Ps. CXXXV, 1. scilicet laudis divinæ et propriæ culpæ,
quoniam bonus in se ipso, idcirco laude
prædignus; et pius ad indulgendum, ideo
fiducialiter vestra ei confitemini mala,
Ps. XXXI, 5. exemplo dicentis : Dixi, Confitebor adver-
sum me injustitiam meam Domino : et
Ibidem. quo fructu, adjecit, Et tu remisisti impie-
tatem peccati mei. *Quoniam in sæculum
misericordia ejus.* Misericordia enim Dei
in ipso, est ipsemet Deus misericors, cui
coæterna est misericordia sua. Effectus
quoque misericordiæ ejus per omnes ge-
nerationes diffunditur, sicut in cantico suo
Luc. I, 50. loquitur Virgo beata : Misericordia ejus a
progenie in progenies timentibus eum.
Imo in damnatis ac reprobis rigori justitiæ
aliquid misericordiæ admiscetur, dum ci-
tra condignum puniuntur aut relinquun-
tur. Denique Gregorius ait : Esse Dei, est
bonitas; natura, dulcedo; proprium, mi-
sereri et parcere. Verumtamen, secundum
quod misericordia includit quamdam com-

A passionem, ob quam misericors (secundum
Damascenum) dicitur quasi cor miserum
habens, videlicet miseria pœnæ cujusdam
affectum; sic in impassibili ac incommu-
tabili Deo locum non habet, nisi quoad
similitudinem actus, qui est miseris sub-
venire, quemadmodum ira et furor adscri-
buntur eidem.

Benedicite, omnes religiosi, Domino. Re- 90
ligio proprie sumpta, prout ponitur virtus
moralis, est idem quod latria : quæ, se-
cundum Tullium, est virtus Deo cultum
B cærimoniamque impendens. Sicque religio
a religando nomen sortitur, quia per eam
rationalis creatura a sæculi vanitatibus,
propria voluntate, ac vitiis religatur atque
abstrahitur, et Deo subjicitur ac colligatur.
Sic autem omnes fideles Deo efficaciter
servientes, et ejus cultui mancipati, dici
possunt religiosi. Antonomastice autem re-
ligiosi vocantur, qui votis se ligaverunt ad
Dei obsequium, seque Deo totaliter obtu-
lerunt, propriæ voluntati per votum obe-
dientiæ renuntiantes : cujusmodi sunt clau-
C strales. De religiosis autem primo modo,
nunc sermo est ad litteram. Et secundum
Lyram, istud ultimum additur, quia non
solum in populo Israel, sed in aliis quoque
populis erant nonnulli, qui speciali cultu
Deum colebant, ut Job atque Melchisedech
et similes, qui hic religiosi vocantur. Reli-
giosi autem secundo modo, specialissime
divinis laudibus semper debent insistere.
Deo deorum. In Scripturis, virtuosi et san-
cti, dii vocantur per participationem di-
vinarum proprietatum a summo Deo, ut
D sunt rectores et judices, et qui potestatem
eximiam habent in alios, sicut ad Moysen
Dominus ait : Constitui te deum Pharao- *Exod.* VII, 1.
nis. Et Moyses ait : Ad deos, id est judices, *Ibid.* XXII, 9.
causa perveniet; et rursum, Diis non de- *Ibid.* 28.
trahes. Contemplativi quoque, divini ac
dii participative dicuntur : quoniam pri-
mam veritatem contemplando ac diligen-
do, Deo præcipue assimilantur. Insuper in
Joanne Christus illud ex Psalmo allegans,
Ego dixi, Dii estis : Si illos, inquit, deos *Ps.* LXXXI, 6. *Joann.* X,
dixit, ad quos sermo Dei factus est. Alii a 35.

gentilibus æstimati et dicti sunt dii hoc A modo, qui tamen tales non erant, sed impii et damnati fuerunt et sunt. Summum vero Deum dixit Porphyrius etiam ab istis diis, quos sacrilegus coluit, formidari.

Confitemini ei, quia in omnia sæcula, a principio mundi usque in finem, videlicet per omnia temporum intervalla, et per universas generationum successiones, *misericordia ejus* permanet, et actus suos effundit etiam super iniquos : prout apud
Luc. VI, 27, 35. Lucam loquitur Christus : Diligite inimicos vestros, et eritis filii Altissimi, quia B ipse benignus est super ingratos et malos.
Sap. XI, 24; XII, 16. Hinc in Sapientia scriptum est : Misereris omnium, quoniam omnia potes ; et ob id quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.

Præterea, sicut Hieronymus ait, sciendum quod hucusque, videlicet usque ad hæc verba inclusive, non in Hebræo habetur, videlicet canticum istud et laus seu gratiarum actio trium virorum istorum ; sed de Theodotionis translatione Hieronymus ista inseruit, quoniam tempore suo C per omnes Ecclesias erat vulgata.

91 *Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit* visis tot mirabilibus, utpote excussione flammæ de fornace cubitis quadraginta novem, et combustione repentina fortissimorum exercitus sui virorum, et subsistentia trium istorum in medio ignis. Et ut ait Albertus, Sicut membrum stupidum dicitur carens sensu et motu, ita cor regis obstupescere dicitur, quoniam tanta agonia admirationis percutitur, quod nec sensu nec facultate potest in id quod admiratur. D Itaque stupor iste est vehemens admiratio, seu ex ingenti admiratione quidam cordis defectus. *Et surrexit propere,* id est, miraculum istud plenius videre festinavit. Hoc enim naturale est homini admiranti, velle illum adspicere circa quem factum est, vel qui fecit opus rarum atque mirabile. Et secundum Albertum, Admiranti et amanti nihil est satis velox. *Et ait optimatibus,* id est primis principibus *suis,* quorum consilio missi fuerunt tres viri in ignem : *Nonne tres viros misimus in medio ignis compeditos?* Interrogatio ista ex ignorantia non processit, sed ex admiratione, sicut frequenter contingit. Ideo quoque eos interrogat, ut illis secum sentientibus, ex confessione eorum veritas mirabilium clarius elucescat, et ceteris credibilior fiat ; vel, secundum Hieronymum, ut principibus istis, quæ sequuntur annuntiet. *Qui respondentes, dixerunt : Vere, rex,* sic est, ut tu dicis.

Respondit rex et ait : Ecce ego video 92
viros quatuor solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est. In quibus verbis tangit tria mirabilia. Primo, quod corpora trium virorum non sunt læsa ab igne. Secundo, quod corporibus illæsis manentibus, vincula sunt combusta, ita quod ignis egit in unum combustibilium, et non in aliud, quum ambo essent æqualiter applicita : sicut et sol radios fudit in terram habitationis filiorum Israel, non ubi manebant Ægyptii, a quibus per omnipotentiam Dei lumen suum subtraxit, ut patet in Exodo. Tertio, *Exod.* X, 23.
quod quum tres missi fuissent in ignem, rex quatuor vidit. An autem ipse solus viderit angelum, an alii quoque Chaldæi, scriptura ista non exprimit. Angelus quippe in corpore assumpto, quibus vult se ostendit, et quibus vult occultat. Dicitque rex se quatuor viros videre, quoniam angelus in forma viri apparuit. Unde et angeli in Scripturis viri vocantur, ut in Genesi, Vir luctabatur cum Jacob ; et in *Gen.* XXXII, 24.
Actibus, Duo viri steterunt juxta illos. *Act.* I, 10.

Et species quarti similis filio Dei. Hujus verbi expositioni immorari oportet. Albertus autem circa hoc modicum dicit : et id ipsum in Hieronymo scriptum est, qui etiam plura super hoc scripsit. In Scholastica vero historia breviter legitur, quod verbum istud de angelo intelligi potest. Primo itaque inducenda sunt verba B. Hieronymi, sic dicentis : O quam inenarrabilis est potentia Dei ! Vinculis stricta sunt corpora, uruntur vincula, corpora non uruntur. Speciem autem quarti, quem

similem dicit filio Dei, vel angelum debemus intelligere, ut Septuaginta transtulerunt; vel certe, ut plerique arbitrantur, Dominum Salvatorem. Sed nescio quomodo rex impius Dei Filium videre mereatur. Ergo juxta Symmachum (qui interpretatus est : Species autem quarti similitudo filiorum, non Dei, sed deorum), angeli sentiendi sunt, qui et dii et Dei filii sæpissime nuncupantur. Hoc juxta historiam. Ceterum in typo præfigurat iste angelus sive filius Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, qui ad fornacem descendit inferni, in quo clausæ et peccatorum et justorum animæ tenebantur, ut absque exustione sua et noxa sui, eos qui tenebantur inclusi mortis vinculis, liberaret. Hucusque Hieronymus. Ex cujus verbis primo elicitur, quod pro filio Dei, Septuaginta transtulerunt, Angelum, vel, Angelo. Symmachus vero, ubi Hieronymus transtulit, Species quarti similis filio Dei, transtulit, Similitudo quarti filiorum deorum, per quos intelligit angelos : ut quod ait, Filiorum deorum, sumatur intransitive; eritque sensus, quod quartum dixit similem angelis, qui et dii et filii Dei vocantur.

Verum, quia Hieronymus secutus est Hebraicam veritatem, ejus translationi insistendum existimo. Inquirendum est equidem, quid sit quod ait, Species quarti similis filio Dei. Nempe in verbis istis distinctionem insinuat inter hunc quartum, et filium Dei, cui dicit similem esse hunc quartum. Nihil enim sibi ipsi proprie simile dicitur. Rursus quærendum, quid intelligat per filium Dei, cui asserit similem esse quartum præfatum. Quærendum præterea, quid hoc loco nomine Dei intelligat, scilicet, an Deum verum, an aliquem horum quos ipse deos putavit, et quorum quemlibet deum æstimavit. — Si per filium Dei intelligit Verbum æternum, Unigenitum Dei Patris, hoc sine supernaturali revelatione esse non potuit. Si autem aliquam puram creaturam, ut angelum aut aliquid tale, tali filio iste quartus non solum similis fuit, sed et angelus exstitit.

A Quod et Nabuchodonosor rex cognovit, secundum quod paulo post ait : Benedictus (vers. 95.) Dominus qui misit angelum suum, et eruit servos suos. Unde secundum hoc magis dixisset : Quartus est filius Dei, vel aliquid tale. Insuper si nomine Dei intelligit verum Deum, ergo agnovit verum Deum habere Filium, qui speciali ratione dicatur Filius ejus, alia scilicet quam angelus, qui non per veram divinitatis naturam, sed per excellentem imitationem vocatur filius Dei.

B Ad ista respondeo, quod verba inducta videntur mihi tripliciter posse exponi. Primo, ut per Deum intelligat Deum verum, quem statim post hæc vocat Deum excelsum et Deum trium virorum istorum; et per Filium Dei intelligat quemdam, qui præcipua ratione vocetur Filius Dei : cui Filio similem dicit hunc quartum, propter vultus sui splendorem, et gloriam atque magnificam operationem, qua sic mirabiliter in fornacem descendit, puerosque servavit illæsos. Sed tunc oritur quæstio C triplex. Prima, unde habuerit veri Dei notitiam, quum miserit viros hos in fornacem, eo quod non nisi verum Deum colere voluerunt. Secunda, quomodo novit verum Deum habere hujuscemodi Filium. Tertia, quid putavit esse hunc quartum, an scilicet angelum, an hominem gloriosum. — Ad primam quæstionem patet responsio ex præcedenti capitulo, quo habetur quod Nabuchodonosor interpretatione somnii sui a Daniele audita, in faciem suam corruerit (Dan. II,46, 47.) : Vere, inquiens, Deus vester, Deus D deorum est et revelans mysteria, quoniam potuisti aperire hoc sacramentum. Et quamvis post modicum fuerit summi Dei oblitus, quemadmodum in principio expositionis hujus capituli dictum est; nunc tamen tot visis miraculis, ad animum rediit, et Dei dudum adeptam notitiam in se continuo renovavit. — Ad secundam videtur respondere Augustinus in quodam sermone, qui incipit, Vos convenio, o Judæi : ubi etiam per dicta gentilium probat Deum habere Filium, inter cetera, verba hæc

Nabuchodonosor regis allegans, atque ad hunc regem admirative exclamans : O alienigena, unde hoc tibi? Quis tibi Dei Filium revelavit? Ex quibus (ut reor) verbis acceptum est quod Glossa hic ait : Alienigena, quis te docuit Filium Dei? In quibus verbis, si rite considero, insinuatur quod per revelationem divinam rex iste istud cognovit. Impiis enim dona gratiæ gratis datæ, sicut electis, donantur. Sed tunc objici potest quod superius Hieronymus dixit : Nescio, inquiens, quomodo rex impius Dei Filium mereatur videre. Ad quod respondetur, quod non suis meritis sibi hæc revelata fuerunt, sicut etiam suis meritis non vidit quartum similem Filio Dei, nec ea quæ præcedenti capitulo fertur vidisse, nec ea quæ sequenti habentur capitulo : quæ omnia sola pietate divina sibi ostensa creduntur. Hæc ergo est una expositio hujus passus : de qua expositione nil temere judicare præsumo.

Secundo potest exponi, ut nomine Dei, summus Deus (ut dixi) intelligatur ; per filium Dei, angelus ; per quartum similem angelo Deique hujuscemodi filio, homo gloriæ eminentis. Quem quartum rex iste putavit primo intuitu esse hominem verum, ob suam claritatem angelo similem : propter quod dixerat, Video quatuor viros. Postea tamen cognovit quod angelus fuit : vel ex hoc, quod egredientibus tribus viris de medio ignis, repente disparuit ; vel quia tres viri hi hoc regi dixerunt. Forte enim inquisivit ab eis, quis fuerat ille quartus, quamvis hoc scriptum non sit. Poterat quoque ex Daniele audisse, quod summo Deo angeli deservirent, et per eos divina mysteria revelarentur hominibus. Daniel enim regi familiarissimus fuit. Itaque taliter dixit, quod esset similis filio Dei seu angelo, quomodo in Judicum libro mater Samsonis locu-
Judic. XIII, 6. ta est suo marito : Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis valde. Primo ergo putavit mulier illa, quod ille sibi apparens, homo exsisteret ; sed postea ex subita ejus disparitione cogno-

A verunt ipsa et ejus maritus, quod angelus fuit.

Tertio potest exponi, quod Nabuchodonosor nomine Dei intellexit indistincte aliquem ex universitate eorum quos deos putavit, loquens juxta ritum et consuetudinem suæ gentilitatis ; et per filium Dei, intellexit quemdam ex hominibus deificatum secundum suam perfidiam : prout gentiles dixerunt Apollinem esse filium Jovis, cujus carnalis filius fuit, et cum Jove posuerunt eum in sorte deorum ;
B quemadmodum Jovem, Neptunum, Plutonem et Orcum dixerunt deificatos, qui Saturni fuerant filii, quem Saturnum etiam pro deo colebant : quemadmodum de his et ista materia loquitur Augustinus in primis libris de Civitate Dei. Porro per quartum similem filio Dei, intellexit hominem quemdam tantæ gloriæ ac splendoris, ut filiis deorum glorificatis posset similis perhiberi.

Postremo Lyra circa hunc locum ait : Propter irradiationem vultus in corpore
C assumpto, bene apparebat quod angelus non erat filius hominis, sed magis aliquid supra hominem, et quid divinum.

Secunda expositionum istarum rationabilior mihi videtur.

Tunc accessit Nabuchodonosor ad osti- 93
um fornacis ignis ardentis, et ait : Sidrach, Misach, et Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini et venite. Visis tot mirabilibus, et terribili illo angelico vultu lucifluo viso, rex superbissimus et infrenis pavore concussus est, et pompa abje-
D cta, non nuntios misit, sed per se ipsum, quos damnavit, accessit et evocavit, in propria eos volens honorare persona, tanquam fidelissimos Dei altissimi servos. Compunctus enim fuit, et ad devotionem quamdam inductus. *Statimque egressi sunt.* In quibus impletum est illud Ecclesiastici, In *Eccli.* LI, 6.
medio ignis non sum æstuatus ; illud quoque ad Hebræos, Exstinxerunt impetum *Hebr.* XI, 34.
ignis ; et quod loquitur Isaias, Flamma non *Is.* XLIII, 2.
ardebit in te. *Et satrapæ congregati et ma-* 94
gistratus et judices. Quibus nominibus

quid signetur, et de distinctione istorum, A
vers. 3. præcedenti articulo dictum est. *Contem-
plabantur viros illos* oculis mentis et car-
nis, cum maxima admiratione, *quoniam
nihil potestatis,* id est activitatis et impres-
sionis pœnalis, *habuisset ignis* tam æstu-
ans *in corporibus eorum,* Deo omnipotente
ignis naturalem inflammandi potestatem
reprimente ac suspendente. Tuncque im-
Ps. xxviii, 7. pletum est illud Psalmi, Vox Domini inter-
cidentis flammam ignis. Super quod dicit
Chrysostomus : Intercidit, ut sanctis lumen
sit ad solatium, et ardor urere nesciat ad B
supplicium. *Et capillus capitis eorum non
esset adustus,* ita quod nec unus pilus de
eorum capitibus læsus fuit : quod tanto
mirabilius exstitit, quo et ignis ferventior,
et capillus inflammabilior erat. *Et sara-
balla eorum non fuissent immutata,* id est
braccæ, quibus propter communem vere-
cundiam virilia tecta manserunt : quæ non
fuerunt immutatæ, quia nec combustæ,
nec fumo aut aliunde aliquo colore perfu-
sæ. Non minus miraculum fuit, quod Chri-
stus in magistris illis ostendit, quos bea- C
tissima Catharina convertit : qui licet in
igne spiritum reddiderunt, tamen nec cor-
pora eorum, nec pili, nec vestes ab igne
læsa fuerunt. *Et odor ignis non transisset
per eos.* Odor ignis est calor ipsius : qui
metaphorice odor vocatur, eo quod sicut
olfactus olfactibilis seu sui objecti sentit
præsentiam per ipsius odorem, sic per
calorem ignis præsentia experitur. Juxta
quem modum loquendi scriptum est in li-
Judic. xvi, 9. bro Judicum : Samson rupit vincula, quo-
modo si rumpat quis filum, quum odorem D
ignis acceperit.
95 *Et erumpens* in laudem Dei, spiritu eum
Matth. xii, 34. cogente, *Nabuchodonosor rex ait.* Ex abun-
dantia enim cordis os loquitur. Cor autem
regis, admiratione, timore, imo et gloria-
tione quadam fuit repletum, quia de tot
mirabilium perpetratione sibi ostensa gau-
debat : secundum quod rara, nova, super-
naturalia atque insolita cernere, naturaliter
jucundum est hominibus, qui naturaliter
scire desiderant, atque ad talia avidius
confluunt, quam esurientes ac sitientes ad
alimenta.

*Benedictus Deus eorum, Sidrach vi-
delicet, Misach et Abdenago, qui misit
angelum suum.* Jam enim ostensum est,
quomodo scivit quod quartus ille fuerat
angelus. Deum quoque rex ex operibus
suæ omnipotentiæ atque clementiæ laudat.
Et eruit servos suos de igne, *quia credide-
runt in eum* fide completa, secundum sta-
tum ejus perfectum. Habuerunt etenim
fidem illuminatam rationibus credendo-
rum cum depuratæ intelligentia mentis,
illamque fidem quam Apostolus ad Gala- Galat. v, 23.
tas connumerat fructibus Spiritus : quæ
fides, secundum Thomam, non est virtus
theologica, sed quædam præcipua illius fi-
dei certitudo. Omnia autem possibilia sunt Marc. ix, 22.
ita credenti. Hinc in Ecclesiastico habetur :
Laudabit usque ad mortem anima mea Do- Eccli. li, 8, 12.
minum, quoniam eruis sustinentes te, et
liberas eos de omni angustia. *Et verbum
regis* Nabuchodonosor (se ipsum enim no-
minat regem) *immutaverunt,* id est, trans-
gressi sunt, non ei obediendo, scientes
quia obedire oportet Deo magis quam ho- Act. v, 29.
minibus, potissime dum homines jubent
contraria Deo; *et tradiderunt corpora sua*
periculo mortis ac ignibus, malentes com-
buri quam Deum offendere, *ne servirent*
idolis aut regi terreno superstitiose : illud
Deuteronomii implentes : Dominum Deum Deut. vi, 13; x, 20; Matth. iv, 10.
tuum adorabis, et illi soli servies. Et ut
Salomon protestatur in Proverbiis, Qui ti-
met hominem, cito corruet; itemque Ec- Prov. xxix, 25.
clesiasticus, Qui timet Deum, nihil trepi- Eccli. xxxiv, 16.
dabit. *Et ne adorarent omnem deum,* id
est nullum omnino, *excepto Deo solo,* qui
per Moysen idololatriam summe prohibuit.
A me ergo rege *positum est hoc decre-* 96
tum, id est, ego nunc ordino atque præci-
pio, quod jam mente concepi. Et loquitur
de præsenti per modum præteriti, propter
certitudinem facti, ut scilicet suæ jussioni
præsenti ita obediatur, et sic facta ubi-
que credatur, quasi jamdudum promulgata
fuisset. *Ut omnis populus* regionum mihi
subditarum, *et tribus* quarumlibet gen-

tium, *et lingua quæcumque locuta fuerit* A
blasphemiam contra Deum Sidrach, etc.,
dispereat per occisionem, *et domus ejus*
materialis, seu soboles ac familia, *vaste-*
tur, id est, destruatur, ut nec reliquiæ ma-
neant. Videtur Nabuchodonosor iste satis
bonam habuisse synderesim. Unde sæpe
visis magnalibus Dei, bonam habuit incli-
nationem ad Dei honorem, sicut sequenti
magis clarebit capitulo. *Neque enim est*
deus alius qui possit ita salvare, id est
cultoribus suis tam supernaturaliter sub-
venire. Soli enim vero omnipotentique Deo B
competit agere miraculose, proprie de ra-
tione miraculi eloquendo, ut scilicet dicit
effectum, omnem naturalem cursum et or-
dinem, potestatem et legem causarum se-
cundarum ac rerum creatarum transcen-
dentem. Propter quod canit Psalmista :
Ps. LXXI, 18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit
mirabilia solus.

97 *Tunc rex promovit Sidrach, Misach et*
Abdenago per se ipsum, quos ante promo-
vit per Danielem, *in provincia Babylonis,*
ut essent præfecti provinciarum ac ope- C
rum, secundum Albertum. Et ut aliqui
dicunt, promovit eos magis quam ante :
quoniam prius erant præfecti operum,
nunc vero constituit eos judices provin-
ciarum propter fidelitatem eorum : cogi-
tans quod sicut Deo suo, ita et sibi de
cetero fidelissimi essent; et rursus, quod
Deus eorum dirigeret eos in negotiis sibi
commissis ad totius regni profectum.

Deinde epistola regis missa ad sibi sub-
jectos, subjungitur. Voluit enim Deum ho-
norari ab omnibus, et ædificare absentes. D
Nam et ideo Deus filios Israel dispersit in
gentibus, et mirabilia sua circa eos exer-
cuit, ut per eos notitiam suæ majestatis
Tob. XIII, 3, 4. cunctis monstraret, juxta illud Tobiæ : Con-
fitemini Domino, filii Israel, et in conspe-
ctu gentium laudate eum : quoniam ideo
dispersit vos inter gentes quæ ignorant
eum, ut enarretis mirabilia ejus, et faciatis
scire eas quia non est alius Deus omni-
98 potens præter eum. *Nabuchodonosor rex,*
omnibus populis, gentibus et linguis, qui
habitant in universa terra. Per univer-
sam terram, intelligit omnem terram suæ
ditioni subjectam, vel terram orientalem,
secundum Albertum. Sed et tot gentibus
præsidebat, quod se omnium regionum ac
provinciarum quasi dominum reputavit,
eo quod nullus sibi resistere valuit. Juxta
quem modum et Cyrus rex Persarum lo-
quitur in Esdra : Omnia regna terræ dedit I *Esdr.* I, 2.
mihi Deus cœli. *Pax vobis multiplicetur.*

De pace, atque multiplici specie distin-
ctioneque ejus, et quomodo omnia appe-
tant pacem, Augustinus nonodecimo de
Civitate Dei pertractat. Est autem triplex
pax, scilicet pectoris, quæ est tranquillitas
ordinis, et quietatio mentis in Deo ; pax
temporis, quæ exterior appellatur, et cum
aliis qui adversari poterant, conservatur,
utpote quædam cum illis concordia ; et
pax æternitatis, quæ habetur in patria.
Omnem hanc pacem optare debemus. Nam
et illi qui pugnant, quid pugnando nisi
pacem quamdam, quamvis interdum non
veram, intendunt? Potissime autem præ-
latorum et principum est, pacem quærere
subditorum, potissime spiritualem, veram,
internam, imo et temporalem, quantum
fieri potest. Ideo ad Timotheum ait Apo-
stolus : Obsecro primum omnium fieri ob- I *Tim.* II, 1, 2.
secrationes, etc., pro omnibus hominibus,
pro regibus et omnibus qui in sublimitate
sunt constituti, ut quietam et tranquillam
vitam agamus in omni pietate. In libro
Esther quoque rex potentissimus Assue-
rus : Volui, inquit, nequaquam abuti po- *Esther* XIII, 2.
tentiæ magnitudine, sed clementia et leni-
tate gubernare subjectos, ut absque ullo
terrore vitam silentio transigentes, optata
cunctis mortalibus pace fruerentur. De hoc
Ægidius de Roma, in libro de Regimine
principum, quem regi Franciæ ad ejus
scripsit instantiam, inclyte tractat, philo-
sophica ac theologica documenta docte
miscens.

Signa et mirabilia, jam descripta, *fecit* 99
apud me Deus excelsus. Ne nomine Dei,
quemlibet deorum suorum gentiles isti ac-
ciperent, cum additamento locutus est :

Deus excelsus : tantæ videlicet excellentiæ, A
quod comparatione ipsius, nullus deorum
possit vocari excelsus ; sicut et Proclus
Platonicus in Elementatione sua theologi-
* caterva ca perhibet, quod nec tota catena* deorum
primo illi Autotheo, id est ex se et per se
Deo, comparabilis est. Porro, secundum
Albertum, signa et mirabilia sunt idem
subjecto, id est realiter, sola ratione di-
stincta : quia in quantum demonstrant
summam operantis potentiam, signa di-
cuntur ; in quantum vero referuntur ad
videntes, præter quorum spem et faculta- B
tem eveniunt, mirabilia appellantur.

Placuit ergo mihi, zelo divini honoris,
100 *prædicare* verbo et scripto *signa ejus, quia*
magna sunt in se, et magnæ potentiæ os-
tensiva, idcirco relatu prædigna. Magnalia
equidem Dei, ad ejus honorem hominum-
que profectum sunt revelanda, quemad-
modum in Tobia Raphael angelus prote-
Tob. XII, 7. statur : Opera Dei revelare et confiteri,
honorificum est. *Et mirabilia ejus, quia*
fortia, omnem creatam excedentia pote-
Job IX, 10. statem : juxta illud Job, Qui facit magna C
et inscrutabilia et mirabilia, quorum non
est numerus. Unde in Tobia angelus dixit :
Tob. XII, 20. Vos autem benedicite Dominum, et enar-
rate omnia mirabilia ejus. *Et regnum ejus*
regnum sempiternum. Si per regnum Dei,
intelligatur gubernatio ejus activa, con-
stat quod illa sit ipsemet Deus gubernator
æternus. Si vero per regnum ipsius acci-
piatur gubernatio quam efficit in electis,
qua regnat in eis, vel ipsi recti Deo subje-
cti : hoc quoque regnum æternum est a
parte post, quoad Ecclesiam triumphan- D
tem; et item quoad Ecclesiam militantem
electorum, in quibus nunc regnat per gra-
tiam, regnaturus in eis postea in æternum
per gloriam. *Et potestas ejus in generatio-*
ne et generationem. Universæ enim gene-
rationes potestati Dei subduntur, et ipse
malos potens est coercere, et bonos defen-
dere, sicut in Psalmo cantamus de ipso :
Qui dominatur in virtute sua in æternum. *Ps.* LXV, 7.

Circa principium hujus capituli solet in-
quiri, cur Daniel regi Nabuchodonosor fa-
miliaris atque domesticus, permisit eum
statuam præscriptam erigere, et alios ad
ejus adorationem inducere; insuper, cur
Daniel non fuit tam bene accusatus a Chal-
dæis regi, quod non adoraverit statuam,
sicut tres pueri; et rursus, cur Daniel regi
tam carus, non satagebat socios suos apud
regem excusare, atque de igne per antici-
pationem salvare. Ad ista quidam, secun-
dum quod rationabilius imaginari queunt,
respondent : quod Daniel forte pro tunc
absens fuit, et aliquo missus ad expedien-
da regis negotia sibi a rege commissa, aut
forsitan ægritudine decumbebat. Vel, quia
pensavit se apud superbissimum regem
non posse proficere, ideo de statuæ fabri-
catione eum non increpavit, nec pro socio-
rum ereptione studebat. Quædam autem
glossa affirmat, quod de Daniele non fit
mentio, quoniam regi adsistebat, qui pro-
priam statuam non adorabat. Sed quod
sanctus Daniel regi in tali idololatria cor-
poraliter actualiterque adstiterit, non opi-
nor. Præfatæ quoque solutiones certum nil
intuentur. Unde et probabiliter intelligi
potest, quod Daniel in interpretatione som-
nii regis præcedenti capitulo scripta, in
tantum regi complacuit, quod nullam con-
tra eum accusationem admisit, nec idolo-
rum ab eo culturam exegit, eo quod Deus
suus tantam sibi in secretissimorum ac
somniorum interpretatione ac revelatione
sapientiam dederit, secundum quod rex
iste in se ipso fuit expertus. Propter quod
indecens æstimavit, ut Danielem ad alte-
rius dei cultum compelleret.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : EGO NABUCHODONOSOR QUIETUS ERAM IN DOMO MEA ET FLORENS.

HIERONYMUS et Albertus hoc loco in- A
cipiunt capitulum quartum; quidam
Dan. III, 98. vero paulo ante, videlicet ibi : Nabucho-
donosor rex omnibus populis; et dicunt,
quod epistola regis ibi incipiat, ad quam
totum istud capitulum pertinere affirmant.
In Scholastica quoque historia scribitur,
quod istud capitulum sit regis epistola.
Sic enim habet Historia illa : Sequitur ter-
tia visio Danielis, quam non scripsit Daniel
(scilicet populo), sed est epistola regis,
quam scripsit universo regno suo, post-
quam de bestia restitutus est in hominem B
et in regnum; in qua prædicavit mirabi-
lia quæ apud eum fecerat Deus excelsus :
quam epistolam Daniel inseruit operi suo.
Itaque Daniel scripsit epistolam istam in
libro isto, sed non scripsit eam ad popu-
los : imo, secundum Hieronymum, episto-
la regis in Prophetæ volumine ponitur, ut
non fictus ab aliquo iste liber, sed Da-
nielis esse credatur. Porro, secundum Al-
bertum, habita visione de regno Christi
secundum potestatem qua conterit regna
mundi, inducitur hic visio de eodem se- C
cundum cognitionem et viam quæ ducit
ad ipsum. Hinc aliqui asserunt, quod hæc
tertia visio significat Christi prædicatio-
nem contra humanam prosperitatem. Verba
autem sequentia dicunt esse narrationem
epistolæ, scilicet :
1 *Ego Nabuchodonosor,* monarcha quo-
dammodo orientis, *quietus eram* a præliis,
vel in lecto quiescens, *in domo mea,* Ba-
bylonico scilicet palatio : et quia quietus
erat, ad visionis perceptionem aptior fuit.
Anima enim quiescendo fit prudens. Et D
Eccli. de Sapientia legitur in Ecclesiastico : Qui
XXXVIII, 25. minoratur actu, percipiet illam. Sapiens
quoque alius : Intrans in domum meam, Sap. VIII, 16.
conquiescam cum illa. *Et florens* potesta-
te, honore, divitiis, gloria, omnique pro-
speritate terrena, *in palatio meo. Som-* 2
nium vidi, quod perterruit me. Verbum
istud in superioribus fuit expositum. In- Dan. II, 1.
solita autem, præsertim tempore noctis
visa, intuentem perterrent. *Et cogitationes*
meæ in strato meo habitæ, *et visiones ca-*
pitis mei conturbaverunt me admiratione
atque pavore, sollicitudine, desiderioque
sciendi quid designarent. Cur autem plu-
raliter dicit, Visiones capitis mei, quum
non nisi una visio, unumque somnium
fuerit, patet ex dictis in superiori expo-
sitione, ubi sic legitur : Somnium tuum Ibid. 28.
et visiones capitis tui in cubili tuo, hu-
jusmodi sunt. Fuit quippe una visio inte-
gralis, quæ ob suas partes, pluraliter visi-
ones vocatur. Et cur visiones dicat esse
capitis sui, præallegato loco expositum est. Ibidem.
Siquidem visio ista, imaginaria fuit et in
vi imaginativa, quæ situatur in capite : in
quo etiam spiritus animales et naturales,
qui vehunt formas seu similitudines reve-
lationis, puriores et lucidiores sunt, se-
cundum Albertum : secundum quem, som-
nium istud insinuatur partim provenisse
ex præviis cogitationibus regis, qui cœpit
vigilando in lecto cogitare de sibi ac regno
suo futuris; quamvis principaliter fuerit
somnium hoc divinitus inditum, secun-
dum quod in expositione primæ visionis Ibid. 29.
dictum est clarius.
Et per me, id est a proprio ore meo, 3
positum est decretum, id est commissio,
ordinatio seu præceptum, *ut introduce-*
rentur in conspectu meo cuncti sapientes
Babylonis : carentes sapientia quæ de-

sursum est, quæ et bonis operibus plena
Jacob. III, 17. est, secundum apostolum Jacobum ; sed sæculari sapientia præditi, de quibus Do-
Is. XXIX, 14; I *Cor.* I, 19. minus ait : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Denique, secundum Albertum, sapientes hic nominantur peritissimi divinationum. *Et ut solutionem somnii indicarent mihi.* Somniorum namque significationibus plurimum intendebant gentiles, et reges eorum de sapientium suorum consilio cuncta agebant, ut dictum est in primæ visionis commento.

4 *Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, et aruspices.* Quorum significationes et distinctiones diligenter expositæ sunt in
Dan. II, 2. elucidatione secundi capituli. *Et somnium narravi in conspectu eorum.* Nunc humanius ac rationabilius habuit se, quam viso somnio primo, cujus non solum interpretationem, sed et essentiam exegit sibi a præinductis indicari hominibus. Nunc enim flagellis Dei correptus, humiliatus et emendatus, impossibilia ab illis non requisivit, sed somnium eis proposuit. *Et solutionem ejus,* id est somnii significationem, *non indicaverunt mihi :* quoniam sicut somnium supernaturale divinumque exstitit, sic expositio ejus non nisi supernaturaliter atque divinitus valuit sciri, juxta illud
I *Cor.* II, 11. ad Corinthios, Quæ sunt Dei, nemo novit
Gen. XL, 8. nisi Spiritus Dei; et in Genesi, Numquid non Dei est interpretatio ?

5 *Donec collega,* id est socialiter ac familiariter mihi colligatus amicitia speciali : in quo constat regem jam humiliatum, quod captivum et servum vocat collegam ; *ingressus est in conspectu meo Daniel.* Hæc dictio, Donec, excludit hic etiam tempus sequens, quia præfati sapientes nec post Danielis ingressum, somnium regis exponere potuerunt, nisi expositione Danielis audita. *Cui nomen Balthasar* Chaldaice *secundum nomen dei mei,* id est, eo nomine appellatus, quo deus meus : quoniam deus Nabuchodonosor, Balthasar vocabatur, secundum Glossam. Et participatione Spiritus divini, impositum est Danieli nomen divinum, quia præ ceteris divinior apparebat, prout in expositione primi capituli amplius dictum est.

Qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso, id est, illuminatus est illo spiritu quo sancti dii sunt pleni ; vel, anima seu spiritus ejus tantæ sapientiæ est, ut deorum spiritui comparetur, estque talis ut spiritus illorum. Loquitur autem more gentilium, et falsos deos suos æstimat sanctos, futurorumque præscios. Circa quod ait Hieronymus, et habetur in Glossa : Non mirum si erret Nabuchodonosor, et quidquid super se cernit, deos arbitretur. Verum, ut refert Albertus, aliqui dicunt, quod dii dicuntur angeli, a quibus Prophetæ illuminationes perceperunt, juxta illud Psalmi : Illuminans tu *Ps.* LXXV, 5.
mirabiliter a montibus æternis. Nam ex præcedenti capitulo ejusque expositione, jam patuit, quod angelorum aliqualem no- *Dan.* III, 92, 95.
titiam rex habebat. Dicit autem, In semetipso, ad innuendum quod Daniel quasi ad nutum vel exuberanter habuerit spiritum talem. Circa hunc passum Lyra sic ait : Qui habet spiritum deorum sanctorum, ad interpretandum somnia. Propter hoc ars interpretandi somnia, dicebatur divina scientia. Unde Albertus commentator super librum de Somno et vigilia dicit, Socratem Atheniensibus exclamasse laudando scientiam divinationis somniorum, dicentem : Absit a me, ut hanc vestram, quam experti estis per somnia, dicam esse falsam scientiam ; sed hanc divinam me ignorare profiteor. Humana me scire exiliter protestatus sum ; et ut verum fatear, hoc solum me scire arbitratus sum, quod ignoro, eo quod scientiam deorum vel sanctorum non sum adeptus. Verumtamen istis non obstantibus, gentiles multipliciter superstitiosi fuerunt in conjecturis somniorum. — *Et somnium coram eo locutus sum :* quamvis non dubitaverim quin ex revelatione divina ipsum potuisset cognoscere, sicut et somnium primum.

Quæritur, cur rex sciens Danielem omnibus sapientiorem Chaldæis, eum primo

omnium non vocavit. Ad quod quidam A respondent, quod Daniel absens fuit, et alibi in negotiis regis occupatus : cunctis enim provinciis regis fuit præpositus. Alii dicunt, quod ministri regis primo induxerunt Chaldæos magistros, ut ipsi amplius honorarentur a rege, si somnium explanarent; sed divina dispensatione sic contigit, ut Deus Israel in suo famulo exaltaretur, et Daniel sublimior appareret, magisque idoneus apud eum ad loquendum pro filiis Israel, atque ut idololatræ confunderentur, eorumque præsumptio fal- B sa comprobaretur, qua de primo somnio
Dan. II, 7. sunt locuti : Rex dicat somnium servis suis, et solutionem indicabimus ei.

6 *Balthasar, princeps ariolorum,* id est incantatorum seu divinatorum : quorum
Ibid. 48. principem constituit eum rex, ut dictum est in fine secundi capituli, quia sapientior illis fuit, non quod ariolando aut impie divinando ita vocari meruisset; *quoniam ego scio* per experientiam, *quod spiritum deorum sanctorum habeas in te:* juxta sensum præhabitum; *et omne sa-* C *cramentum non est impossibile tibi,* id est, nullum secretum impossibile est tibi interpretari ac manifestare, propter excellentiam illuminationum tuarum, ita quod istud potes non propria et humana virtute, sed divina et supernaturali : sicut ait
Philipp. IV, 13. Apostolus ad Philippenses, Omnia possum in eo qui me confortat. Hoc nempe dicimur posse, ut ait Philosophus, quod possumus per nos aut per nostros amicos. Hinc viri perfecti et sancti ea posse dicuntur, quæ faciliter valent impetrare a Deo. D

Visiones somniorum meorum quas vidi, id est visiones somniales in somno factas, et imaginarias interius apprehen-
vers. 2. sas. Superius singulariter dixit rex, Somnium vidi; nunc autem pluraliter loquitur, Visiones somniorum : quoniam somnium istud figurativum, præsagum futurorum, plurima complectebatur. Ideo propter distinctionem rerum ad ipsum pertinentium, pluraliter explicatur. *Et solutionem earum narra* mihi. Paulo ante jam dixit, Somnium coram eo, scilicet Daniele, lo- vers. 5.
cutus sum, et in verbis statim sequentibus rex recitat illud : quomodo ergo jam petit illud sibi a Daniele narrari? Et respondendum, quod petit illud sibi ab eo narrari, id est narratum resumi, ut sigillatim per particulas exponatur. Itaque sicut nonnulli bene dicunt, petit narrationem per modum expositionis, in qua necesse est somnium ab expositore resumi, partesque singulas visionis applicari singulis partibus expositionis. Quamvis vero rex ore tenus visionem suam Danieli protulerit, nunc tamen recitat eam, redigendo eam ad formam epistolæ.

Visio capitis mei in cubili meo. Triplex 7
est visio, scilicet cordis aut mentis, et oculorum, ac imaginativæ virtutis, quæ hic visio capitis nominatur, quia vis imaginativa sita est in capite. Idcirco ad innuendum quod erat imaginativa, nec pure intellectualis neque sensibilis, ait : Visio capitis mei in cubili meo. Quod, secundum Albertum, est titulus narrationis sequentis. Quocirca ait Hieronymus : Nabuchodonosor visiones non oculorum et cordis, sed capitis novit : quoniam propter gloriam servorum Dei, futurorum illi mysteria revelantur, videlicet ut per expositionem imaginariæ visionis regis, unus eorum, et per illum exaltarentur et ceteri ad gloriam Dei, consolationemque populi. *Videbam* sensu interiori, imaginaria visione; *et ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia,* etc. Hoc totum, sicut et cetera quæ sequuntur in visione, sic apparebat : quia species seu similitudines rerum talium formabantur in vi imaginativa regis ministerio angeli sancti, secundum doctrinam S. Dionysii, quæ similitudines talia repræsentabant. Nam et nobis frequenter in somnis apparet, quod aliqua exteriora agamus, videamus aut patiamur; sed ideo fallimur, quia species rerum pro ipsis rebus accipimus. Nabuchodonosor autem advertit somnium suum aliquid designare, quamvis nescierit quid notaret.

Præterea non decet nos expositionem sancti Danielis præcurrere, idcirco transiliendus est textus qui sequitur, usque ad
15 id : *Tu ergo, Balthasar.* Ibi enim narratio somnii terminatur, et quæ nunc transiliuntur, in expositione verborum Prophetæ resumentur et exponentur. *Interpretationem* somnii hujus *narra festinus.* Arsit enim desiderio sciendi mysterium somnii tanti. Ardenter autem optanti et multum timenti, vix aliquid satis est velox ; petitque celerrime consequi quod affectat. Putavit etiam rex Danielem tam sapientem, quod dilatione, inquisitione, deliberationeve multa non indigeret. Ideo subdit : *Tu autem potes* auxilio spiritus deorum, non viribus propriis, *quia spiritus deorum sanctorum est in te :* sicut expositum est.

16 *Tunc Daniel cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora.* In textu non legitur, quando Danieli ostensa sit desuper interpretatio somnii ejus ; et probabiliter dici potest, quod infra hanc horam, ita quod nunc recollegit spiritum suum in se, et recollectum elevavit ad Deum cum oratione interna atque ferventi affectu pro illuminatione hujus somnii declarativa : alioqui non videtur, cur tanto tempore conticuisset, si jam ante fuisset sibi somnii expositio revelata : sicut in primi somnii expositione ductus ad regem, statim processit ad somnii solutionem. Aliqui tamen affirmant, quod cœpit intra se tacite cogitare, qualiter religio* culmini servaret honorem, et tamen non absconderet veritatem, id est, qualiter ipsemet Daniel religiosus, regiæ dignitati reverentiam congruam exhiberet, nec tamen veritatem taceret. Et ita præmeditabatur quasi una hora ad ordinandum responsum. Nec obstat quod loquitur Christus, Nolite præmeditari quid respondeatis, etc., quia ut dicit Albertus : Quamvis de fide non sit præmeditandum, quoniam statim scitur quid sit tenendum ; tamen de ordine sermonis, qualiter audientibus proponatur, est præmeditandum. Et hoc verbum Alberti intelligendum est sane.

* regio

Matth. x, 19; *Luc.* xxi, 14.

A *Et cogitationes ejus conturbabant eum :* quia ex revelatione sibi interius facta, vidit regi gravissimam imminere calamitatem, cui condoluit ; et contemplatione divini judicii æquitatisque ejus contremuit. Quod et vultus ejus immutatio patefecit ; atque hoc ipsum rex consideravit. Propter quod subditur : *Respondens autem rex, ait : Balthasar, somnium et interpretatio ejus non conturbent te* immoderate, id est, non ita dejiciant, ut veritati quid detrahas. Unde Hieronymus asserit : Tacitus intellexit B Daniel somnium esse contra regem ; et timorem cordis, vultus pallore signabat ; dolebatque pro eo qui ei honoris plurimum detulit. Quod totum verum est, in quantum perpendit ista adversa, tanquam quædam mala pœnalia ; in quantum vero erant divinæ pietatis remedia, animæ regis salubria, Propheta consolabatur se ipsum. In hoc quoque, quod rex Danielem hortatur et roborat ad denuntiandam veritatem, quantumlibet adversa immineant, typum gerit pœnitentis, qui ad omne flaC gellum debet esse paratus, ut hic scribit Albertus.

Respondit Balthasar et dixit : Domine mi rex, somnium his qui te oderunt contingat, *et interpretatio ejus hostibus tuis sit.* Blande et amicabiliter mutuo se affantur, ad insinuandum quod quidquid dicitur inter eos, ex dilectione procedit, nec se invicem velint offendere. Daniel quoque tam reverenter temperateque loquitur regi cui durissima fuerat relaturus, ne rex ultra modum contristaretur, quia non est D afflictio addenda afflicto. Sed mirum videtur, quod Propheta tam sanctus, pœnam regi divino judicio justissime infligendam optat ab eo auferri, ejusque hostibus imprimi : quorum nonnulli rege hoc superbissimo meliores fuerunt. Et respondendum, quod Daniel id optavit, partim ex pietate, partimque zelo justitiæ. Regi enim pie condoluit propter humanitatem ejus ad se ; et hostibus ejus malum imprecabatur, in quantum peccatores fuerunt, et animabus eorum expedivisset in præsenti

puniri. Iterum Daniel verbum suum intel- A
ligi voluit, præsupposito beneplacito Dei,
servatoque ordine æquitatis. Ex simili zelo
Jer. xviii, 21. loquitur Jeremias in libro suo : Da filios
eorum in famem, et deduc eos in manum
gladii.
17 Deinceps expositionem orditur. *Arbo-
rem quam vidisti sublimem atque robu-
stam,* id est similitudo arboris hujusmodi
tibi præsentata in somno, *cujus altitudo*
19 *pertingit ad cœlum,* etc., *tu es, rex,* per
significationem, non per essentiam : quia
per speciem et rem illam tu designaris, ita B
quod quidquid de dispositione illius ar-
boris dicitur, te concernit; *qui magnifi-
catus es* potestate, divitiis, fama et gloria,
omnique prosperitate mundana, *et inva-
luisti* super terram, hostibus prævalendo.
Ideo arbor illa apparuit sublimis atque
robusta : sublimis, regia dignitate; robu-
sta, potestate exercitus et armorum. *Et
magnitudo tua,* non corporalis, sed spiri-
tualis, puta majestas et excellentia in re-
gnando, *crevit* numero subditorum, *et per-
venit usque ad cœlum,* id est ad valde C
magnam exaltationem et eminentiam : ut
per hyperbolen dictum istud intelligatur,
Ps. cvi, 26. sicut et illud in Psalmo, Ascendunt usque
ad cœlos, et descendunt usque ad abys-
Ps. lxxii, 9. sos; itemque, Posuerunt in cœlum os su-
um. Hinc proceritas arboris videbatur con-
tingere cœlum. *Et potestas tua in terminos
universæ terræ* orientalis, ubi rex iste mo-
narchiam sortitus est: vel, in universam
terram, per hyperbolen, ad innuendum
multitudinem provinciarum sibi subjecta-
rum. Sic enim ad litteram in Isaia, de so- D
Is. xiii, 11. la Babylone civitate Dominus loquitur, Vi-
sitabo super orbis mala: ut ibidem exponit
Hieronymus. Et in Joanne Pharisæi dixe-
Joann. xii, 19. runt de Christo : Ecce totus mundus abiit
post eum. Talibusque modis loquendi sa-
cra Scriptura est plena. Idcirco de arbore
dictum est : Adspectus illius in omnem
terram. Et ubi Hieronymus transtulit, Ad-
spectus ejus, Theodotion transtulit, Domi-
natio ejus.
Rursus, quod dictum est quod magni-
tudo regis hujus crevit et pervenit usque
ad cœlum, intelligi potest de magnitudine
suæ elationis ac præsumptionis : quæ us-
que ad Dei cœli crevit injuriam, cui iste
quodammodo voluit similari, per se ipsum
volens regnare, plenus ambitione ac fa-
stu, quemadmodum in Isaia dixisse indu-
citur : In cœlum conscendam, supra astra *Is.* xiv, 13.
Dei exaltabo solium meum.
Folia ejus, scilicet arboris hujus, *pul-* vers. 9.
cherrima : per quæ intelliguntur pretio-
sissima regis hujus ornamenta, ac mul-
tiplex apparatus, vel decus regni, verba
atque edicta; *et fructus ejus nimius,* id
est, divitiarum copiam maximam rex pos-
sedit. *Et esca universorum in ea :* id est,
de facultatibus regis ceteri sustentaban-
tur, nec plus quam eis permisit aut con-
tulit, habuerunt. *Subter eam habitabant
animalia et bestiæ* commorantes : id est,
rusticani, simplices et vulgares sub ejus
potestate ac protectione degebant; *et in
ramis ejus,* id est altioribus officiis, locis
seu dignitatibus ac delationibus potestatis
regis istius, *volucres cœli,* id est nobiles
et potentes instar avium alta petentes, le-
ves, petulantes et garruli, *conversabantur,*
tanquam regi quotidie adsistentes. *Et ex
ea vescebatur omnis caro :* id est, omnis
homo de regis opibus vescebatur, id so-
lum habendo quod ipse dedit ceteris aut
reliquit. Et ipsa distributio accommoda
est, atque pro generibus singulorum potius
quam pro singulis generum suscipienda.
Sicque *Videbam in visione capitis mei,* vers. 10.
secundum sensum præhabitum, *super stra-
tum meum* in somno, exterioribus sensi-
bus quietatis. Et hic brevis est dictorum
epilogus. Et quod subditur, est secunda
pars somnii regis.
*Ecce vigil et sanctus de cœlo descendit;
et clamavit fortiter, et sic ait.* Per vigilem vers. 11.
et sanctum, intelligit angelum nunquam
dormientem, omnique terrena affectione
et labe peccati carentem. Siquidem angeli
rite vigiles appellantur, quia ad nostram
custodiam, ad divini imperii exsecutio-
nem, ad contemplandum Altissimi vul-

tum, et ad ejus præconia vigilant atque A
intenti sunt incessanter. De quibus in Isaia
Is. LXII, 6. habetur : Super muros tuos, Jerusalem,
constitui custodes ; tota die et tota nocte
in perpetuum non tacebunt. Vigil iste de
cœlo descendit, missus a Rege superno,
Jer. I, 12. qui loquitur per Jeremiam : Vigilabo ego
super verbum meum, ut faciam illud. Clamavitque fortiter : quia et ipse fortis est
miles Principis summi, et omnipotentis
Domini auctoritatem ac potestatem suo
valenti insinuavit clamore. Qui tamen clamor non fuit exterior neque vocalis, sed B
interior, interiusque auditus per imaginarias repræsentationes, sicut in Apocalypsi
Apoc. I, 10; IV, 5; VI, 1; I, 15; XIV, 2, etc. Joannes perhibet se audisse voces, quasi
tubarum et tonitruorum atque aquarum
multarum ; quæ omnia solo interiori suscepit auditu, sicut ibidem exposui. *Succidite arborem, et præcidite ramos ejus, et
excutite folia ejus,* etc. Omnia ista ipsemet Daniel infra exposuit, dicendo :

20 *Quod autem vidit rex,* Nabuchodonosor
scilicet, *vigilem et sanctum,* utpote angelum, *descendere de cœlo, et dicere.* Omnia C
ista per imaginarias similitudines ostendebantur interiori visui regis imaginativo,
per angelum qui similitudines istas formavit in interiori sensu Nabuchodonosor
regis. *Succidite arborem,* o Chaldæi, *et
dissipate eam,* etc.

*Et vinciatur ferro et ære in herbis fo-
vers. 12. ris.* Sicque superius dixit : Alligetur vinculo ferreo et æreo in herbis quæ foris
sunt. Ex his verbis videri potest alicui,
quod Nabuchodonosor tempore suæ amentiæ fuerit vinculatus atque inclusus. Quod D
et Hieronymus hoc loco sentire videtur.
Nam ait : Quærunt a nobis qui historiæ
contradicunt, quomodo in vinculo ferreo
et æreo fuerit Nabuchodonosor, aut quis
eum vinxerit et compedibus alligaverit.
Quorum inquisitioni satisfaciens, subdit :
Quum perspicuum sit, omnes furiosos, ne
se præcipitent et alios invadant, ferreis catenis ligari. In quibus verbis innuitur,
quod saltem vinctus exstiterat. Albertus
quoque hæc verba, Vinciatur ferro et ære,
exponens : Furiosi, inquit, ferreis catenis
solent ligari, ut dicit Hieronymus. — Sed
huic videtur obviare quod subditur, In
herbis quæ foris sunt ; et quod fertur in
textu, *Et rore cœli conspergatur, et cum
feris sit habitatio* * *ejus ;* et quod infra * *pabulum*
habetur, Fœnum ut bos comedes. Ex qui- vers. 22.
bus consequitur, quod in agris seu pratis
vel locis silvestribus inter bestias erat ac
discurrebat. Quod item ex verbis Hieronymi sequi videtur, dum ait : Quis amentes homines non cernat instar brutorum
in agris vivere locisque silvestribus ? Hinc
Lyra affirmat, quod non fuit ligatus neque inclusus tempore furiæ, quia per hoc
infirmitas ejus fuisset aggravata : patet
enim ad sensum, quod furiosi quum ligantur, magis infirmantur ; et sciebant
ejus ministri ex revelatione Danielis, quod
Nabuchodonosor in campis non moreretur, sed finaliter in regnum restitueretur.
Et istud videtur probabile. Si enim ligatus
fuisset et clausus, corpus ejus non fuisset
nudum et rore perfusum. Unde quod dictum est, *Alligetur vinculo ferreo,* Lyra vers. 12.
exponit : Id est, infirmitate inducta ex divina sententia, quæ infrangibilis est ; *in
herbis quæ foris sunt :* quia tempore amentiæ habitavit in agris cum bestiis. Albertus quoque expositorie ait super illud,
Alligetur vinculo ferreo : Id est, tentatione
durissima, quæ domet superbiam ejus. Et
istæ expositiones litterales possunt consistere, quum juxta similem modum loquendi, Dominus dicat regi Assyriorum :
Quum fureres adversum me, superbia tua *Is.* XXXVII, 29.
ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, et frenum in maxillis
tuis. Quod de corporeis freno ac circulo intelligendum non est, sed de repressione suæ superbiæ, et refrenatione suæ
blasphemiæ, per occisionem sui exercitus *Ibid.* 36.
ab angelo sancto. — Verum non video cur
Albertus præmemorata verba de tentatione seu punitione regi illata, magis exponat quam verba sequentia, scilicet, Vinciatur ferro et ære, quum verba ista prorsus
ad idem pertineant. Sequens enim ver-

bum, est resumptio præcedentis, ut litte- A
ram intuenti patescit. Insuper facile non apparet, quomodo verba Hieronymi sibi invicem consonent, nisi quis dicat quod Nabuchodonosor ad tempus, et forte in principio suæ insaniæ, fuerit vinculatus seu clausus, et postea ad consilium Danielis fuerit ad naturæ relevamen solutus. Aliqui quoque amentes partim ligantur, et incedere permittuntur : sicque ligantur, ne penitus liberum habeant manuum usum.

21 *Hæc est interpretatio sententiæ altissimi* Dei, quam per vigilem sanctum pro- B
nuntiavit, *quæ pervenit* ex divina justitia, *super dominum meum regem,* propter ejus demerita, præsertim ob ejus superbiam. Austeritatem interpretationis circumlinit
Luc. x, 34. suavitate verborum, vinum infundens et oleum.

22 *Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua.* Quod qualiter factum sit, infra habetur in littera. Quum enim in amentiam versus esset, idque suis innotuisset ministris, eum tanquam insanum ejecerunt de regno, et ipse instar C
furentium hinc inde agitabatur. *Et fœnum ut bos comedes.* Ipse namque se bovem putavit, et illis se junxit, eorum vescens edulio : sicut videmus ad oculum furiosos bestialibus delectari, ex subversione imaginationis quam incurrerunt. *Et rore cœli infunderis,* id est humectaberis : quia, secundum Albertum, nudus erat. *Septem quoque tempora,* id est septem anni, *mutabuntur super te,* id est, volventur et defluent, durante tua amentia, ita quod septem annis sic eris. Tempora quippe D
principaliter distinguuntur ad motum solis : ideo septem tempora, sunt septem anni. Hinc in Scripturis utriusque Testamenti, per tempus intelligitur annus ; per tempora, duo anni : sicut quum infra di-
Dan. xii, 7. citur, In tempus et tempora et dimidium temporis. Et idem ordo verborum in
Apoc. xii, 14. Apocalypsi habetur. *Donec scias* per experientiam debitæ castigationis : scias, inquam, stabiliter ac perfecte, *quod dominetur Excelsus,* id est Deus altissimus, cujus respectu cuncta sunt bassa, *super regnum hominum,* id est, cunctis regnis, tanquam summus, primus, omnipotens dominator præsideat : juxta illud Psalmi, In manu Ps. xciv, 4.
ejus sunt omnes fines terræ; *et cuicumque voluerit, det illud,* unum juste deponendo, alterum ad libitum promovendo.

Quod autem vigil et sanctus *præcepit,* 23
ut germen radicum ejus, id est arboris, relinqueretur : sic enim superius dixit, Attamen germen radicum ejus in terra vers. 12.
dimittite : id (inquam) significat, quod *regnum tuum tibi manebit,* id est, te exspectabit, et illud recipies, *postquam cognoveris,* vexatione tibi intellectum præstante, et corde tuo per humilitatem ac supernam illuminationem disposito, *potestatem esse cœlestem,* id est, esse unam summam ac primam virtutem increatam et independentem, in cœlis regnantem, et terrestria moderantem, providentiam universorum habentem. Itaque per germen radicum arboris, designatur possibilitas redeundi ad regnum.

Nunc exponenda sunt quædam superius transilita. *Succidite arborem, et præcidite* vers. 11.
ramos ejus, id est, regem Nabuchodonosor de regno propellite, et dilatationem sui imperii tollite. *Et excutite folia ejus,* id est, verba ejus magnifica et ornatum, ostendite vana, *et dispergite fructus ejus,* id est, opes ipsius auferte ab eo. Aliqui etiam dicunt, quod divitiæ regni Babylonici, durante regis insania, a pluribus rapiebantur. *Et fugiant bestiæ quæ subter eam sunt,* id est, subditi, inferiores, rusticani et simplices, de regis jugo recedant; *et volucres,* id est divites, potentes, et in dignitatibus constituti, *de ramis ejus,* scilicet Nabuchodonosor, abeant, sub latitudine suæ potestatis non amplius se tuendo. *Cor ejus ab humano commutetur,* id vers. 13.
est, mens seu ratio ejus ab aliorum mente varietur, ita quod in amentiam transferatur. Ratione enim a brutis secernimur : dum ergo usu rationis privamur, brutales efficimur. *Et cor feræ detur ei,* videlicet judicio rationis nudato.

vers. 14. *In sententia vigilum,* id est per sen- A
tentiam promulgatam per angelos, *decre-
tum est,* id est, divinitus ordinatum est
sic fieri : ita quod institutio seu ordinatio
Dei per sententiam angelorum, innotuit
mundo de regis hujus punitione præfata.
Et licet unus vigil seu angelus verba in-
ducta clamaverit, alii tamen consenserunt,
aut exsecutioni sententiæ cooperati sunt.
Porro qui die ac nocte, quantum natura
permittit, sanctis instant vigiliis, Dei lau-
dibus aut actibus virtuosis vacando, cœ-
lestium vigilum agilitatem sectantur. Hinc B
ait Hieronymus : Nos quoque crebris per-
noctationibus imitamur officia angelorum.
Luc. XII, 37. Et Christus in Evangelio : Beatus, inquit,
servus ille, quem, quum venerit dominus
ejus, et pulsaverit januam ejus, invenerit
Matth. XXIV, 42. vigilantem ; et rursus, Vigilate itaque, quia
nescitis qua hora Dominus vester ventu-
rus sit. *Et sermo sanctorum :* id est, eo-
rum qui divinæ æquitati consentiunt in
supernis, sermo et verbum est ut taliter
fiat ; *et petitio* eorumdem. Sancti namque
expostulant ultionem contra malignos, et C
Dei omnipotentiam in impiorum justa de-
jectione declarari precantur, juxta illud
Apoc. VI, 10. Apocalypsis : Usquequo, Domine (sanctus
et verus), non judicas, et non vindicas
sanguinem nostrum de his qui sunt in
terra ? *Donec cognoscant viventes* in ter-
ra, *quod dominetur Excelsus,* id est Deus
sublimis, *in regno hominum,* id est, cun-
cta regna ejus potestati subdantur : sicut
Dan. II, 21. plenius dictum est super illud, Ipse trans-
fert regna atque constituit. *Et cuicum-*
Sap. XII, 18. *que voluerit, dabit illud.* Subest enim ei, D
quum voluerit, posse. Ideo secundum Dei
voluntatem quisque ad præsidentiam est
vocandus, ut ait Gregorius ; nec debet se
quisquam ingerere, neque vulpinis uti
cautelis, sed rem dispositioni divinæ com-
mittere, quum ad Hebræos dicat Aposto-
Hebr. V, 4. lus : Nemo sumit sibi honorem, sed qui
vocatur a Deo tanquam Aaron. *Et humil-
limum hominem constituet super eum,* id
est super regni principatum. Quidam per
humillimum hominem intelligunt Chri-
stum, qui protestatur, Data est mihi omnis *Matth.* XXVIII, 18.
potestas in cœlo et in terra ; alii, regem
Nabuchodonosor, qui post suam amentiam
profundissime humiliavit se Deo. Genera-
lius tamen exponi potest indeterminate,
quod Deus quemcumque hominem sibi
placentem ad promovendum, promoveat
ad regnandum, si ita decrevit, quantum-
cumque ille sit vilis atque abjectus. Juxta
quod dicitur primo Regum libro : Suscitat I *Reg.* II, 8.
de pulvere egenum, et de stercore elevat
pauperem, ut sedeat cum principibus, et
solium gloriæ teneat.

NUNC visio tota exposita est ; subjun-
giturque consilium sancti Prophetæ, qui
nil melius vidit pro rege, quam ad divi-
nam confugere misericordissimam pieta-
tem. *Quamobrem, rex, consilium meum* 24
tibi placeat. Consilium etenim sapientium,
præsertim in arduis, est quærendum atque
servandum, ut in Tobia habetur : Consi- *Tob.* IV, 19.
lium semper a sapiente perquire ; et in
Proverbiis, Qui cuncta agunt consilio, re- *Prov.* XIII, 10.
guntur sapientia. *Et peccata tua eleemo-
synis redime,* ne debitor pœnæ permaneas,
neque peccatis obnoxius, *et iniquitates
tuas misericordiis pauperum.* Contraria
enim curantur contrariis. Ideo decet, ut
qui pauperes oppressisti, eis subvenias. Et
ad impetrandum misericordiam Dei ma-
xime confert, misericordiam pauperibus,
imo et cunctis, impendere. Propter quod
ait Salvator : Beati misericordes, quoniam *Matth.* V, 7.
ipsi misericordiam consequentur. Et ite-
rum ait Scriptura : Sicut aqua exstinguit *Eccli.* III, 33, juxta vers. antiq.
ignem, ita eleemosyna exstinguit pecca-
tum ; et in Proverbiis, Per misericordiam *Prov.* XV, 27.
et fidem purgantur peccata. Sed et in To-
bia inde notabiliter scriptum est : Noli *Tob.* IV, 7.
avertere faciem tuam ab ullo paupere :
ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies
Domini. Eleemosyna ab omni peccato li- *Ibid.* 11.
berat, et non patietur animam ire in te-
nebras.

Forsitan ignoscet Deus delictis tuis.
Quum per Ezechielem Dominus dicat, Si *Ezech.* XVIII, 21, 22.
impius egerit pœnitentiam, omnium ini-

quitatum ejus non recordabor amplius : cur Daniel dubitative locutus est, Forsitan ignoscet Deus delictis tuis ? Et respondendum, quod non dubitavit quin culpam Deus regi dimitteret, si veraciter pœniteret ; sed certus non fuit an pœnam in præsenti comminatam dimitteret. Pœnitenti enim dimittitur culpa, non protinus pœna : nisi forte fervor caritatis et dolor contritionis esset tam vehemens, quod etiam ad pœnæ deletionem sufficeret. Rursus, Propheta tam sobrie loquitur, ne quis alteri temerarie veniam repromittat. Nam et facilitas veniæ præstat peccandi audaciam. Nec quicumque dolor aut gemitus ad veritatem pœnitentiæ sufficit, sed oportet (secundum Hieronymum) ut dolor pœnitentialis sit adæquatus peccato, quatenus quo major est culpa, eo major dolor sit : quem etiam provenire oportet non ex solo servili timore, sed ex zelo justitiæ ac divino amore, si meritorius erit atque idoneus. Hinc Glossa hic dicit, et sunt quasi verba Hieronymi : Daniel præscius futurorum, de Dei sententia dubitat : in quo apparet eorum intolerabilis temeritas, qui audacter peccatoribus veniam pollicentur ; nemini tamen desperandum, quia et Nabuchodonosor regi, si bona fecerit, indulgentia promittitur. Et hoc est quod ait Hieronymus : Sciendum quod si Nabuchodonosor bona opera facienti venia repromittitur, quanto magis aliis qui minus peccaverunt ? Ideo quoque ait, Forsitan, secundum Albertum, quia in voluntate et gratia Dei est, secundum
Joel II, 14. illud Joelis : Quis scit si ignoscat Deus ?

Denique circa prædicta S. Hieronymus et alii movent hanc quæstionem : Quum Daniel prædixerit Dei sententiam, quæ non potest cassari et immutari, quomodo hortatur regem ad eleemosynas, ut Dei sententia commutetur ? Et respondetur, quod prophetia seu prænuntiatio prædestinationis semper impletur, quia in ea aliquid dicitur secundum quod est in providentia Dei ; non autem prophetia aut prænuntiatio comminationis, cujus impletio ex me-

A ritis nostris dependet frequenter. Daniel autem non scivit, ut dicitur, an prænuntiatio sua prophetica, esset comminationis dumtaxat. Comminationes vero propheticæ intelliguntur sub conditione, utpote nisi illi contra quos dicitur, se emendent, aut precibus suis seu aliorum suffragio
procurent oppositum, ut patet in Ninivitis Jonæ III, 4
et Ezechia. Propterea per Jeremiam Do- Is. XXXVIII, 1.
minus profitetur : Repente loquar adversum gentem et regnum, ut eradicem et
destruam illud. Si pœnitentiam egerit gens Jer. XVIII, 8.
B illa, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.

Omnia hæc mala pœnalia prænuntiata, 25
venerunt super Nabuchodonosor regem,
per modum qui subditur. *Post finem men-* 26
sium duodecim, uno scilicet anno completo a prænuntiatione jam habita, quo ad pœnitentiam exspectabatur a Deo : de quo
in libro Sapientiæ fertur, Misereris omni- Sap. XI, 24.
um, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam; *in aula Babylonis deambulabat,* id est in suo palatio, plenus
C superbia. Ait quippe Hieronymus : Fecit Nabuchodonosor juxta Danielis consilium misericordias in pauperes : idcirco usque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia. Postea vero intumuit, putans non esse implendum quod a Daniele audivit.

Responditque rex, et ait. An solus de- 27
ambulavit vel cum aliis, et utrum aliquis eum alloquebatur, cui responderit, in textu non scribitur. Et multi expositores testantur, quod non alicui se affanti, sed
D proprii cordis elationi respondit. Et quidam imaginantur, quod tunc cogitavit de abjectione sibi a Daniele prædicta, quam falsam putavit, quia jam transiit annus, et ipse tantæ potentiæ se præsumpsit, quod nullus posset eum dejicere. Ideo dixit : *Nonne hæc est Babylon civitas magna ?*
De cujus dispositione et magnitudine in- Art. VI circa finem.
fra, Domino concedente, dicetur. *Quam ego ædificavi,* id est, auxi, melioravi et roboravi. Nam et ante eum fuit constru-
cta; siquidem in Genesi scriptum est, quod Gen. X, 10.

principium regni Nemrod fuit Babylon, et Arach, et Achad, et Chalanne. *In domum regni,* id est, ut in ea personaliter residerem, palatiumque haberem. Sicque (ut dicitur) fecit eam regni ac monarchiæ suæ metropolim. *In robore fortitudinis meæ,* id est propria potestate et exsecutione subditorum meorum. Sicque totum sibi, nil Deo, attribuit : quem superbi et præsumptuosi sequuntur, ita de Dei donis gloriantes, quasi a se ipsis ea haberent. *Et in gloria decoris mei,* id est in gaudio prosperitatis et ornatus ac excellentiæ meæ, vel ad ostentationem propriæ majestatis.

28 *Quum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cœlo ruit,* formata per angelum, Deo jubente, et forte per illum quem Nabuchodonosor ante vocavit sanctum et vigilem, arboremque præcepit in visione succidi. Sap. I, 11. Sermo enim obscurus non ibit in vacuum, ut dicit Sapiens. Et Sallustius* dicit : Frangit Deus omne superbum. Ferturque vox de cœlo ruisse, quia de aere sonuit, et prolator ejus de cœlo descendit. An vero solus rex eam audivit, an etiam alii, certum non est : quamvis aliqui dicunt, quod multitudo obsequentium adfuit, vocemque audivit, ut Dei vindicta intelligeretur a populo, quæ idcirco regi inflicta est, ut Dei potentia monstraretur. *Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex : Regnum transiit a te,* id est, tibi nunc auferetur. Unde, ad innuendum quod in proximo fiet hoc, dictum
29 est : Transiit. *Et ab hominibus ejicient te,*
etc. Ista exposita sunt. *Fœnum quasi bos comedes.* Quod quidam exponunt : Comedes radices herbarum et fructus silvestres, sicut bos comedit fœnum. Vel per fœnum omnia hæc intelliguntur.

* Sedulius

30 *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, et ex hominibus abjectus est.* Mox enim furere cœpit, et tanquam insanus, pulsus est regno a suis. *Et fœnum ut bos comedit, et rore cœli corpus ejus infectum est,* id est tinctum ac madefactum, quoniam nudum fuit, *donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent.* Crines enim ipsius, intonsi inculti- A que manserant, secundum multitudinem alarum aquilinarum crescentes, ut pilis esset opertus, sicut aquila plumis. *Et ungues ejus quasi ungues avium :* quia nemo eas a digitis manuum aut pedum abscidit. Aquilæ autem propter suam rapacitatem comparatur. Unde in Ezechiele de ipso habetur : Aquila grandis magnarum alarum, plena varietate et plumis, venit ad Libanum. Ezech. XVII, 3.

31 *Igitur post finem dierum* castigationis meæ, septem scilicet annis expletis, *ego* B *Nabuchodonosor oculos meos* mentis et corporis *ad cœlum levavi,* ut cœlum intuens, ejus Creatorem considerarem ac venerarer; *et sensus,* id est intellectus ususque rationis, *meus redditus est mihi* a clementissimo Deo, qui peccatis meis punitis, mentem meam illuminare dignatus est. Simili modo accipitur *sensus* in prima Joannis epistola, ubi legitur : Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum. I Joann. V, 20. Prius tamen redditus est ei sensus, quam oculos ad Deum erexit. *Et Altissimo bene-* C *dixi,* gratias referendo, quod me paternaliter flagellavit et illustravit : sequens Tobiam qui ait : Benedico te, Domine Deus Israel, quoniam tu castigasti me, et tu sanasti me. Tob. XI, 17. Itemque Psalmista : Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Ps. LXXXIX, 15. Propterea et nos adversitatem et disciplinam perpessi, non indignemur, sed gratias proferamus, scientes quod Deo ordinante aut saltem permittente, talia nobis ad nostrum contingant profectum. *Et Viventem in sempi-* D *ternum laudavi :* qui solus absolute æternus est, et actualissime, deliciosissime, ac simplicissime vivens vita intellectuali; cujus essentia est superperfectissima ac superbeatissima, superessentialisque vita, fons omnis vitæ; *et glorificavi,* id est, gloriosum monstravi verbo et facto; *quia potestas ejus, potestas sempiterna, et regnum ejus in generatione et generationem.* Hoc in fine præcedentis capituli, quantum ad sensum, scriptum est atque expositum. Dan. III, 100. Quoniam ergo talis ac tantus est Deus, di-

gnus et superdignus est omni benedictio- A
ne, glorificatione ac laude.
32 *Et omnes habitatores terræ apud ipsum
in nihilum reputati sunt.* Simile est illud
Is. XL, 17. Isaiæ : Omnes gentes quasi non sint, sic
sunt coram eo, et quasi nihilum et inane
reputatæ sunt ei. Scit enim Deus omnipo-
tens et immensus, universa creata, com-
paratione ipsius, nullius esse momenti, et
fragile esse genus humanum, miseriis at-
que defectibus animæ et corporis plenum;
et item quod omnis creatura ex se nihil
est, atque ex nihilo, et laberetur in nihi- B
lum, nisi conservaretur ab ipso : præser-
tim autem homines, in quantum sunt pec-
catores, terrena, non Deum, amantes : qui
proprie habitatores terræ censentur, quo-
rum videlicet conversatio non est in cœlis,
contemptibilesque sunt coram Deo, et pro
nihilo reputantur ab ipso. Hinc fertur in
Ps. CXLIII, 4. Psalmo : Homo vanitati similis factus est;
Ps. XXXVIII, 6. et item, Verumtamen universa vanitas om-
nis homo vivens. Attamen homo, ut est ad
Dei imaginem factus, beatitudinis susce-
ptivus, atque ad eam plasmatus, præser- C
tim ut a Christo redemptus, et caritate ac
gratia decoratus, non reputatur a Deo pro
nihilo absolute, neque ab ipso despicitur :
Ps. VIII, 6, 7. imo sic ait Psalmista, Minuisti eum paulo
minus ab angelis, gloria et honore corona-
sti eum, et constituisti eum super opera
Ps. LXXXVIII, 48. manuum tuarum ; et rursum, Numquid
enim vane constituisti omnes filios homi-
num? Imo sic ipsemet Deus ait in libro
Prov. VIII, 31. Proverbiorum, Deliciæ meæ, esse cum fi-
II *Cor.* VI, 18. liis hominum; et alibi, Eritis mihi in filios
et filias; in Apocalypsi quoque, Ecce ta- D
Apoc. XXI, 3. bernaculum Dei cum hominibus, et habi-
tabit cum eis. Itaque vilipendamus nos
ipsos in nobis, sed in Deo curemus nos,
perpendentes ad quid conditi simus ; et
transitoria atque carnalia detestemur, De-
um jugiter totis viribus, omni affectu et
toto conatu quærentes, nec labori, diffi-
cultati aut tentationi cedentes.

*Juxta voluntatem enim suam facit tam
in virtutibus cœli,* id est angelicis spiriti-
bus, seu virtutibus cœlestium corporum,
eis a principio suæ creationis inditis, per
quas influunt inferioribus, secundum quod
ait Philosophus : Oportet hunc mundum
esse contiguum lationibus superiorum, ut
tota ejus virtus inde gubernetur. Omnes
itaque virtutes istæ ei obediunt. *Quam in
habitatoribus terræ.* Propter quod ait per
Isaiam : Consilium meum stabit, et omnis *Is.* XLVI, 10.
voluntas mea fiet.

Et non est qui resistat, id est, resistere
vel impedimentum ponere possit, *manui,*
id est omnipotentiæ *ejus,* ita quod ei præ-
valeat, vel ejus beneplacitum ab effectu
impediat. Nec obstat quod de impiis scri-
ptum est in Job, Ipsi fuerunt rebelles lu- *Job* XXIV, 13.
mini. Vitiosi equidem, quantum in ipsis
est, Deo resistunt, Spiritui Sancto obicem
ponunt; et dæmones salutem quam Deus
facit in suis, impedire conantur. Verumta-
men Deus, quum voluerit voluntate bene-
placiti, quæ est ipsemet Deus volens, ad
nutum prævalet cunctis adversariis suis :
imo rebelles voluntates inclinat in omne
quod complacet sibi, eas ad libitum im-
mutando, et quocumque voluerit, has ver-
tendo. Ideo ait ad Job : Quis resistere po- *Ibid.* XLI, 1, 2.
test vultui meo? Omnia quæ sub cœlo
sunt, mea sunt. Per Jeremiam quoque :
Quis similis mei? et quis sustinebit me? *Jer.* XLIX, 19.
Et quis est iste pastor qui resistat vultui
meo? *Et dicat ei, Quare sic fecisti?* Nul-
lus enim sapientior, nullus justior, nullus
potentior eo; sed ipse universis et singu-
lis in infinitum sapientior, potentior, ju-
stiorque consistit. Et quamvis secundum
voluntatem suam in omnibus agat, non
tamen tyrannice agit, quamvis voluntas
secundum se comparetur tyranno : quoni-
am in supersimplici ac supersanctissimo
Deo realiter idem sunt, sapientia, justitia
atque potentia. Ipseque Deus sublimis et
benedictus, est omnium prima regula, pri-
ma virtus, et totius veritatis, æquitatis et
sanctitatis fontalis ac summa mensura. Id-
circo errare, falli, reprehendi non potest.
Propter quod etiam in libro de Causis ha-
betur : Omnes virtutes quibus est finis,
pendentes sunt per primum infinitum,

quod est virtus virtutum. Et Augustinus octavo de Civitate Dei : Celebriores, inquit, philosophi aliquid tale de Deo senserunt, ut in illo inveniatur et causa subsistendi, et ratio intelligendi, et ordo vivendi. *Rom.* xi, 33. Denique imperscrutabilia sunt judicia Dei. Propter quod ait Apostolus ad Romanos : *Ibid.* ix, 20. O homo, tu quis es qui respondeas Deo? *Job* xxxvi, 23. Et in Job libro Eliu loquitur : Quis poterit scrutari vias ejus? Aut quis ei dicere potest, Operatus es iniquitatem? Sed et Isaias *Is.* xlv, 9. dicit : Væ qui contradicit factori suo. Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis?

33 *In ipso tempore sensus meus reversus est ad me.* Hoc, modo expositum est. *Et ad honorem regni mei decoremque perveni.* Secundum Hieronymum, Nabuchodonosor eleemosynis suis regni sui recuperationem promeruit.

Et figura mea reversa est ad me. Occasione hujus verbi perhibuit Josephus, Nabuchodonosor regem non solum in amentiam versum, sed et in bovem mutatum, ita quod exteriorem figuram amiserit, indueritque bovinam. Quemadmodum etiam dixit, quod Adam in statu innocentiæ de *Gen.* ii, 25. nuditate sua non erubuit, quia bestiali vixit simplicitate : quod dici non potest, quia sic ex peccato melioratus fuisset primorum status parentum, per peccatum usu rationis adepto. Epiphanius vero et doctores catholici communiter tenent op- vers. 13. positum. Nam superius dictum est : Cor vers. 29. ejus ab humano commutetur; et, Fœnum quasi bos comedes. Non dicit, quod factus bos comedit fœnum. Albertus ergo ita exponit, ut intelligatur ratio figuræ consona, ut ad humanam rationem figuret opera sua. Quidam enim figurantur ad canes, quidam ad porcos. Verba hæc intricata videntur : quorum sensus apparet, ut per figuram designetur figuratio vitæ secundum rationem. Nam et Petrus in prima *I Petr.* i, 14. sua ait Canonica : Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ tenebris. Alii clarius dicunt, quod figura accipitur hic pro exteriori compositione, quia post furiam fuit vestitus et tonsus, sicque in figura suo modo mutatus. Verumtamen reor, quod et de exteriori figura quodammodo accipi possit, non quod illam quoad lineamenta amiserit, sed quantum ad multiplicem deordinationem, incurvationem et deformitatem. Herbarum enim radices rodendo, in terra cum bobus, feris, bestiisque jacendo, et varias amentias exercendo, notabilem incurrit immutationem figuræ, quantum ad plurimas corporis partes. Vel, figura reversa est ad eum, quantum ad manifestationem. Pilis enim opertus, in terram prostratus, et bestiis se conformans, non videbatur figuram habere humanam.

Et optimates mei et magistratus requisierunt me ad mentem reversum, recordati quantum promoverim regnum Chaldææ; et ex Danielis eloquio agnoverunt eum de cetero rationabiliter regnaturum; atque, ut aliqui dicunt, quia Evilmerodach filius Nabuchodonosor, regnans post eum, tantæ erat nequitiæ, quod lassi de ejus imperio, patrem ipsius requisierunt. *Et in regno meo restitutus sum, et magnificentia amplior addita est mihi.* Videntes enim Chaldæi mirabilem regis modestiam, mansuetudinem, prudentiam et probitatem in omnibus post suam ad mentis usum reversionem, magis quam ante venerati sunt eum. Et ipse de cetero plus profecit et crevit pietate atque consilio, quam ante crudelitate ac impetu. Quia et Seneca loquitur : Melius vincit homo consilio, quam iracundia. Et de Romanis scriptum est primo Machabæorum : Possederunt omnem *I Mach.* viii, 3. locum consilio suo et patientia. Salomon quoque in Proverbiis scribit : Roboratur *Prov.* xx, 28. clementia thronus regis.

34 *Nunc ergo ego Nabuchodonosor laudo et magnifico et glorifico,* id est, magnum et gloriosum profiteor ac ostendo, *regem cœli,* id est cœlestis exercitus, angelorum et orbium ac astrorum; *quia omnia opera ejus vera* veritate justitiæ, *et omnes viæ ejus,* id est processus in regimine universi, præcepta atque consilia, sunt *judicia,* id est, recto fiunt judicio, secundum censuram increatæ sapientiæ Dei : ita quod

Deus nil agit præcipitanter, tyrannice aut injuste, sed omnia sapienter et juste. Verba Dan. III, 27. ista capitulo præcedenti clarius sunt exposita. *Et gradientes* de malo in pejus *in superbia, potest humiliare.* Frequenter enim differt vindictam, non ex impotentia, sed clementia, ut impius convertatur, juxta Job XXXV, 15. illud Job : Nunc enim Deus non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde. Porro humiliare superbos et omnem elatum posse dejicere, competit vere ac pro- Ibid. XL, 4, 6, 8. prie Deo, qui ait ad sanctum Job : Si habes brachium sicut Deus, et voce simili tonas : disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia; et facies eorum demerge in foveam. In Nu- Num. XV, 30, 31. meris quoque scriptum est : Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversum Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo : verbum enim Domini contempsit.

Præterea advertendum, quod de facto isto Nabuchodonosor regis, multa in Scholastica feruntur historia, utpote quod ablatus est ei usus linguæ ad loquendum, videbaturque ei quod bos esset in anterioribus, et aquila in posterioribus, secundum mysterium, id est juxta mysticam significationem proprietatum tyrannorum, qui in prima ætate cervicosi et voluptatibus dediti, jugo dæmonis subjiciuntur, in fine vero interficiunt, diripiunt, et conculcant. Multi quoque egrediebantur, et videbant eum. Solus Daniel non egrediebatur ad videndum eum, quoniam toto tempore alienationis ejus, orationi pro eo vacabat; et ad preces ejus, septem anni in septem menses versi sunt. In quibus, quadraginta diebus in insaniam vertebatur; et per alios quadraginta ad cor hominis reversus, flevit, supplicavitque Deo, in tantum quod oculi ejus ex nimiis fletibus ut caro livida facti erant; et iterum per alios quadraginta dies vertebatur in insaniam, donec septem menses complerentur. Postquam autem revocatus est, non regnavit, sed statuti sunt pro eo judices, et usque ad finem septem annorum pœnitentiam egit, panem A et carnes non comedens, et vinum non bibens, sed leguminibus utebatur et herbis, juxta consilium Danielis. Et quum iterum regnasset, voluit Danielem facere coheredem filiorum suorum. Et ait Daniel : Absit a me, ut patrum relinquens hereditatem, incircumcisorum donis inhæream.

Hæc in præfata Historia continentur. Quæ non sunt adeo certa : imo Glossa super illud, Septem tempora mutentur super eum, dicit quod mentiuntur qui dicunt septem annos oratione Danielis mutatos in B septem menses. Hieronymus quoque, Albertus, ceterique communiter dicunt quod insania ejus septem annis duravit. Unde insufficienter dicere videntur volentes Glossam et Scholasticam historiam concordare, dicendo quod septem anni non sunt mutati quoad hoc, quod usque ad finem septem annorum non est reductus ad regnum. Iterum sunt mutati, quia post septem menses recuperavit sensum oratione Danielis, quem, nisi Daniel pro eo orasset, non recepisset usque ad finem septem an- C norum. Jam enim ex superioribus patuit, quod secundum Hieronymum, Glossam et Albertum, septem annis privatus est usu rationis. Nec videtur quod infra septem menses, capilli ejus in tantum ut dictum est, excrevissent. Glossa etiam magis consonat textui, qui sonare videtur quod non sit reversus ad mentem, nisi toto tempore furiæ consummato, et quod tunc statim ad regnum reductus sit.

Sed si ita dicatur, oriuntur quædam instantiæ. Impossibile enim videtur, quod D Nabuchodonosor rex tam delicate nutritus, septem annis fœno vesci quivit et vivere, ac totidem annis absque corporis sui laceratione inter feras et bestias vixerit. Item, quod tam potentissimum regnum amenti homini per septem annos servatum sit, et tam diu sine rege fuit. Aut si alius ei successit in regnum, non videtur ut propter illum imperio cederet, præsertim quum Chaldæorum historiæ nil tale contineant. Rursus non videtur, quod tam diu nudus ac sub dio vivere potuisset.

Propter hæc motiva quidam finxerunt, A quod Daniel hic ad litteram loquatur de diabolo sub metaphora de Nabuchodonosor rege, ut refert Hieronymus, asserentes dæmonem tandem salvandum, et pristinam beatitudinem adepturum. Quod penitus falsum est atque hæreticum, ex fabulis et hæresibus Origenis contractum. Præfati etiam erroris intolerabilis falsitas, ex textu clarissime demonstratur. Quomodo enim diabolus somnium habuit, qui incorporeus nunquam dormivit? Et dato quod somniasset, quomodo a Daniele viro sancto ex- B positionem somnii expetisset, præsertim quum ipse diabolus tantæ sit subtilitatis? Quomodo etiam Daniel cum diabolo tantam habuit amicitiam? Et quomodo nominavit eum dominum suum ac regem? Stultissimus ergo error hic exstitit. — Arguebant quoque ex hoc, quod potestas regis Babylonis non se extendit per totam terram. Sed dictum est satis, quomodo hoc hyperbolice exponatur.

Instantiæ quoque facile dissolvuntur, quia ut tangit Hieronymus, furiosis sunt C quædam possibilia, quæ sanis impossibilia essent. In furiosis enim, propter passionum vehementiam, et rationis subversionem, imaginationisque tenebrosum errorem, corporalis natura totaliter deordinatur, ac bestialis efficitur, ita ut crudis delectentur, et sub dio morentur, ac bestiis familiariter copulentur : quemadmodum cernimus quod mulieres prægnantes, terra et carbonibus vesci desiderent, ex deordinatione naturæ. Rationabiliter etiam dici potest, quod divina virtute fuit a fera- D rum laceratione et morte inter tot incommoda præservatus. Postremo quidam affirmant, quod durante furia regis, regnum ejus per principes, et potissime per Danielem, fuerat gubernatum : quia ex Daniele sciebant regem sanandum ac reducendum.

Alii dicunt, quod filius regis successit ei in regno, et postea cedere est coactus, omnibus patrem ejus quærentibus.

Postremo inquiritur, an Nabuchodonosor rex sit salvatus. Et ex dictis videtur quod imo, præsertim quia et Daniel secum permansit usque ad obitum ejus. Idem etiam in Decreto habetur, quod scilicet fecerit pœnitentiam salutarem. Sed in Isaia multa dicuntur quæ in contrarium sonare videntur, videlicet : Detracta est ad inferos superbia tua; Infernus conturbatus est in occursum adventus tui. Quæ omnia si de isto Nabuchodonosor exponantur ad litteram, pertinere dicuntur ad prophetiam comminationis, non prædestinationis : quamvis in præallegatis auctoribus, quidam per regem Babylonis, non istum Nabuchodonosor, sed Balthasar ejus nepotem (de quo sequenti dicetur capitulo) intelligendum exponant. De ista quæstione nunc transeo, quoniam super Isaiam eam latius pertractavi.

Is. xiv, 11. *Ibid.* 9. *Ibidem.*

Postremo, quæ in isto capitulo de arbore, quantum ad Nabuchodonosor regem, litteraliter dicta sunt, non est difficile applicare ad principes et prælatos, juxta sensum quo dispositio arboris de Nabuchodonosor jam fuit exposita. Qui principes et prælati, si vel de temporalibus vel de spiritualibus bonis Deique donis cœperint superbire, a corpore mystico electorum succiduntur, spiritualiter moriuntur, dæmonibus sociantur, bestialiter conversantur, vestimentis virtutum privantur, aquis concupiscentiarum inficiuntur, ferreis vinculis, id est pessimis consuetudinibus, involvuntur, et a bonis subditis principatu judicantur indigni, subinde quoque spoliantur dominio. Qui tamen, si se humiliaverint, gratiam sortiuntur amissam. De hac moralitate, brevitati studens, pertranseo, et tantumdem tetigisse sufficiat.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : BALTHASAR REX FECIT GRANDE CONVIVIUM OPTIMATIBUS SUIS MILLE.

1 B*ALTHASAR rex fecit grande convivium.* Quemadmodum in Scholastica historia edocetur, Daniel mutat hic historiæ ordinem, ita quod visio hic descripta, non contigit immediate post præcedentem, nec duas sequentes præcessit : imo licet sit quarta secundum ordinem libri, tamen secundum ordinem temporis, et juxta historiam, sexta est. Unde Hieronymus in prologo Habacuc prophetæ, sextam appellat eamdem. Porro secundum Albertum, in ista parte ostenditur ruina regni mundi per regnum Christi, in destructione Babylonici regni. Et ut aliqui dicunt, in hac visione ostenditur eminentia regni Christi et justorum, ad regnum Antichristi et malorum. Verumtamen in isto capitulo non est ad litteram sermo de Christo vel Antichristo. Ideo verba expositorum istorum intelligenda sunt quantum ad spiritualem ac mysticam designationem et interpretationem.

Primo demum est inquirendum, quis sit Balthasar iste, qui infra in hoc ipso capitulo vocatur filius Nabuchodonosor regis, de quo præcedenti capitulo facta est mentio. Propter quod, ut refert Hieronymus, vulgo creditum fuit a pluribus, quod immediate fuisset filius ejus. Sed hujus oppositum certum est. Et B. Hieronymus cum aliis doctoribus tam Hebræis quam Latinis in hoc concordantibus, probat quod fuit filius Evilmerodach filii Nabuchodonosor regis.

Nihilo minus de catalogo regum Babylonis, et ordine successionis eorum, magna est inter exponentes distantia. Quidam enim, quos sequitur Lyra, affirmant quod Evilmerodach immediate regnavit post Na- A buchodonosor, et quod post Evilmerodach immediate regnavit Balthasar filius ejus, de quo nunc sermo. Sed dictum istorum, ab Hieronymo quantum ad hoc reprobatur, quod dicunt Balthasar statim post Evilmerodach imperasse. Ait namque Hieronymus : Juxta Berosum qui Chaldæam scripsit historiam, et Josephum qui sequitur Berosum, post Nabuchodonosor qui regnavit annis quadraginta tribus, successit in regnum Evilmerodach, de quo scribit Jeremias quod primo anno regni sui *Jer.* LII, 31. B eduxit Joachin regem Juda de carcere. Post Evilmerodach, secundum Josephum, regnavit filius ejus Neglisar, et post hunc filius ejus Labosardach, post quem regnavit filius ejus Balthasar. Hunc modum Albertus secutus est; sed in Scholastica historia longe aliter dicitur. Sic enim dicitur ibi : Et mortuus est Nabuchodonosor magnus, et regnavit pro eo Nabuchodonosor filius ejus, qui super lapides grandes instar montis evectos plantavit arbores, ac hortum qui suspensilis dicebatur, eo quod C uxor ejus in finibus Mediæ nutrita, regionem suam a longe videre desideraret : quem Megasthenes historiographus asserit fortitudine et actuum magnitudine Herculem transcendisse. Quo mortuo, regnavit pro eo Evilmerodach frater ejus : qui Evilmerodach habuit tres filios, scilicet Neglisar et Labosardach jam præfatos, et Balthasar, ad quem, post regna fratrum, devolutum est regnum. — Quid horum sit verius, sapientiori committo. Constat tamen ex his, quod concordantia aliquorum, D dicentium quod Evilmerodach et Balthasar fuerunt iidem numero cum Neglisar et Labosardach, eo quod ambo binomii fue-

rint, non procedat juxta prædicta, nec sit concordantia vera, quia secundum eam non diceretur quod quatuor isti sibi invicem per temporum intervalla successissent in regno.

Itaque, *Balthasar rex* Babylonis *fecit* suis *grande convivium.* Sed mirum apparet quare hoc fecerit, quum tempore hujus convivii civitas sua fuerit a Persis ac Medis obsessa. Ad quod quidam respondent, quod quia Jeremias prædixit septuaginta annis evolutis finiendum regnum (*Jer.* xxv, 12; xxix, 10.) Babylonis, atque solvendam Judæorum captivitatem de Babylone, Balthasar putans annos illos fluxisse, nec tamen Judæos a sua jurisdictione solutos, æstimavit vaticinium Jeremiæ cassatum, atque exsultans, diis suis gratias egit; Judæorumque spei insultans, vasa templi Dei ad suam præcepit mensam portari, sicut dicetur inferius. Hoc dictum Hieronymus, Scholastica quoque historia, fabulam vocant. Imo illa testatur Historia : Sane illa annorum septuagena nondum fluxerat, sed septima decas jam currebat, id est septimus denarius. In septuaginta enim sunt septem denarii, et ultimus denarius illorum annorum tunc erat, secundum Historiam istam. Præterea Historia ista aliam hujus convivii rationem assignans, sic ait : Secundum Josephum, solennitas in Babylone fuerat instituta ob urbis defensionem : ad quam solennitatem majores convenerant. Denique in Judith historia legitur Ozias princeps plebis Israel, obsessa urbe (*Judith* vi, 19, 20.) sua Bethulia, fecisse cunctis presbyteris cœnam magnam.

Porro quod ait, *optimatibus suis mille,* dupliciter intelligi potest : primo, ut ponatur ibi certus numerus optimatum ; secundo, ut per numerum determinatum insinuetur numerus indeterminatus, quod scilicet multi valde fuerunt. Dicuntque aliqui, omnes magnos Babylonici imperii principes convenisse in Babylonem, ut defenderent civitatem contra Cyrum et Darium reges eam tunc obsidentes. *Et unusquisque secundum suam bibebat ætatem,* id

A est secundum quod suæ congruebat ætati : ita quod non cogebatur bibere ultra vires, quemadmodum in convivio Assueri factum scribitur, quum dicitur : Non erat (*Esther* i, 8.) qui nolentes cogeret ad bibendum ; sed sic rex statuerat, ut sumeret unusquisque quod vellet. Secundo, et melius, ut apparet, exponitur secundum Glossam, quod ideo unusquisque secundum suam ætatem bibisse dicatur, quia secundum ætates suas erant in convivio collocati, videlicet seniores in altioribus locis. Et ut dicit Al-
B bertus, ætas intelligitur ibi non vitæ, sed dignitatis adeptæ, quia ex tunc honor eis debebatur : ita ut qui diutius fuerunt in dignitatibus atque officiis, seniores vocentur, sicut in religionibus qui prius venerunt, seniores dicuntur. In Actis quoque dicitur Jacobus Major, quia vocatione ad apostolatum fuit alio Jacobo prior.

Præcepit autem jam temulentus rex, id 2
est Balthasar ebrius factus : quum tamen ebrietas regi maxime disconveniat. Rex enim a regendo vocatur, et ebrietas regi-
C minis impedit bonitatem. Ideo in Proverbiorum libro inducitur : Noli regibus dare (*Prov.* xxxi, 4.) vinum, quia nullum secretum ubi regnat ebrietas. Et Osee ait : Fornicatio et ebrietas (*Osee* iv, 11.) et vinum auferunt cor. Et alibi : Væ (*Eccle.* x, 16.) terræ cujus rex puer est. Et mirum quod in tali obsidione sobrietatem reliquerit, quum tunc potissime consilio sano eguerit, nisi forte in fortitudine urbis confidens, putaverit eam inexpugnabilem esse. *Ut afferrentur* per suos ministros *vasa* cultus divini *aurea et argentea quæ aspor-*
D *taverat Nabuchodonosor, pater ejus,* non proximus, sed remotus. Est enim consuetudo Scripturæ, etiam avos, proavos et atavos, dicere patres, imo et remotiores, præsertim notabiles et famosos, sicut in libris Regum Asa et Ezechias filii David (III *Reg.* xv, 11; IV *Reg.* xviii, 3.) vocantur. *De templo quod fuit in Jerusalem.* Posuitque ea in templo dei sui in Babylone, ut in principio dictum est. (*Dan.* i, 2.) *Ut biberent in eis rex* ipsemet, scilicet Balthasar, *et optimates ejus, et uxores, et concubinæ.* Quod prorsus sacrilegum fuit.

Unde Nabuchodonosor vasa hæc aliqualiter secundum suam perfidiam honoravit, ea in domo dei sui ponendo ; iste vero totaliter ea contempsit, dum ea non solum usui applicavit humano, quantum ad se, sed et servis et conjugibus, imo et scortis ea apposuit ad utendum : ideo statim eum secuta est ultio Dei. Et tamen, ut dicit Albertus, istud quotidie fit, quando thesauri domus Dei et ecclesiastici reditus in scortorum convertuntur abusum. Quid autem
Dan. I, 2. hæc vasa mystice signent, dictum est primo capitulo.

4 *Bibebant vinum* ex vasis his, *et laudabant deos suos aureos et argenteos, æreos, ferreos, ligneos et lapideos.* Quod dupliciter accipi potest. Primo, quod laudabant deos, quorum imagines erant de auro vel argento, ære, ferro, ligno aut saxis. Secundo, quod idola de his materiis facta laudaverint, putantes aliquid numinis esse in eis, prout Augustinus in libro octavo de Civitate Dei commemorat Trismegistum dixisse : Statuas dico animatas, sensu et spiritu plenas. Nempe, ut Valerius Maximus refert, quidam gentilium non idola templorum, sed deos per idola præsentatos, quidam vero idola ipsa colebant. De
Baruch VI, 3. his diis ait in epistola Jeremias : Videbitis in Babylone deos aureos et argenteos, lapideos et ligneos portari in humeris. Secundum Hieronymum autem, laudant deos suos, insultantes Deo Judæorum, quod diis suis sibi victoriam tribuentibus, bibant in vasis Dei. Ad ostentationem quoque magnificentiæ suæ, Balthasar vasa Dei ita tractavit. — Insuper, secundum Hieronymum et Albertum, aurum sapientiam sæculi signat ; argentum, eloquentiam ; æs, carmina poetarum ; ferrum, ligamenta syllogismorum ; lignum et lapides, ineptas adinventiones ac faciles ad solvendum, duras tamen propter obstinationem errantium. Itaque qui ista immoderanter honorant, aut ista habentes propter ea, quasi adorant et laudant ac colunt aurum, argentum, æs, ferrum, ligna et saxa.

5 *In eadem hora apparuerunt digiti,* id est similitudines digitorum, *quasi manus hominis.* Non dicit, Manus, sed, Quasi manus : quia nec vere digiti, nec vere manus fuerunt, sed eorum effigies. Aliquid tamen reale apparuit in vigilia clare ad oculum, cujus materia ad formam digitorum ac manus hominis fuit redacta : quod totum angelico ministerio factum est. Et sicut præcedenti capitulo dicebatur, Quum adhuc sermo esset in ore regis, vox *Dan.* IV, 28.
de cœlo ruit ; ita nunc dicitur, In eadem hora : ut utrobique intelligatur ob Dei blasphemiam illata vindicta, secundum Hieronymum. Tamen quia pœna Nabuchodonosor fuit terminanda, et ipse per pœnitentiam restituendus in regnum, idcirco in ejus pœnæ denuntiatione vox desuper ruit. Hic vero ob perpetuam rei memoriam scribitur, quia rex Balthasar fuit necandus, ejusque regnum irreparabiliter dissipandum, propter tantum Dei et vasorum ejus contemptum. Ex quo sequitur, quam temerarium sit, res Deo consecratas usibus applicare humanis, quum et Apostolus dicat : Si quis templum Dei violaverit, *I Cor.* III, 17.
disperdet illum Deus. *Scribentis contra candelabrum,* id est ex opposito ejus, ut scriptura lumine candelæ directius tacta, clarius videretur a rege ac suis. Unde apparet, quod in cœna id accidit. *In superficie parietis aulæ regiæ :* ut rex adverteret scripturam pertinere ad se, quia et ex adverso ipsius est exarata.

Et rex adspiciebat articulos manus scribentis. Secundum Scholasticam historiam, incertum est an etiam adstantes viderint manum seu digitos. Et quidam super hæc verba ait : Hic non dicitur, quod alii viderint : ex quo videtur, quod non erat ibi manus scribentis secundum exsistentiam, quia talia communiter videntur ab omnibus adsistentibus ; sed erat ibi talis apparitio in oculis regis, et sententia in pariete scribebatur, ministerio tamen angelico. Oppositum autem istius jam dictum est : ideo magis credendum, quod ibi aliquid reale extra oculum fuit ac videbatur. Nec verum est, quod talia com-

muniter a cunctis videntur : imo magis contrarium accidit, ut scilicet quæ angelico ministerio præsentantur per corpora ab eis assumpta sive formata, non æque ab omnibus videantur, sed ab eis dumtaxat propter quos talia specialiter exhibentur : nam et talia visum immutant, secundum angeli voluntatem. Frequenter etiam defuncti et spiritus mali aut boni, realiter vigilanti apparent in corpore quodam assumpto, nec tamen cunctis qui adsunt, apparent.

6 *Tunc facies regis commutata est,* id est, in pallorem versa præ timore, ex quo sanguis amicus naturæ, decurrebat ad cor in ejus subsidium. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Cor hominis immutat faciem ejus, (*Eccli.* XIII, 31.) sive in bono, sive in malo. Unde hujusmodi pallor quandoque timorem, quandoque dolorem cordis demonstrat. Siquidem secundo Machabæorum libro scribitur : Facies et color immutatus declarabant internum animi dolorem. (II *Mach.* III, 16.) *Et cogitationes ejus conturbabant eum.* Quadam enim ratiocinatione seu mentis discursu excogitare nitebatur, quid res tam inconsueta signaret, et cogitavit quod aliquid mali prætenderet : sicut et patri suo Nabuchodonosor contigit. (*Dan.* IV, 2.) At vero, secundum Albertum, cogitationes, quasi coagitationes dicuntur, quando mens hominis multa revolvit : quod naturale est homini conturbato, secundum illud in Job : Cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. (*Job* XX, 2.) *Et compages renum ejus,* ubi superiora inferioribus junguntur, *solvebantur* aliqualiter, non totaliter, ab invicem, utpote ab habitudine naturali, ita quod partim vires amisit. Passiones enim fiunt cum corporali transmutatione : et si fuerint multum intensæ præfatæ passiones timoris sive doloris, magnam valde improportionem harmoniæ in corpore pariunt, sicque compago renum dissolvitur. *Et genua ejus ad se invicem collidebantur.* Timor namque intensus in corde, facit tremorem in corpore. Sanguine etenim a membris fugiente ad cor, membra frigescunt ac tremunt.

A 7 *Exclamavit itaque rex fortiter* ex ingenti affectu, ut magnitudo clamoris, magnitudinem interioris turbationis signaret. Naturale est enim homini angustiato ac territo, exclamare, juxta illud Baruch : Anima in angustiis et spiritus anxius clamat ad te, Domine. (*Baruch* III, 1.) *Ut introducerent* ministri sui qui aderant, qui etiam scripturam viderunt, saltem postquam manus evanuit, secundum Scholasticam historiam, *magos, Chaldæos et aruspices.* Quid istis significetur nominibus, in expositione secundi capituli patet. (*Dan.* I, 2.) B Utque Glossa testatur, antiquum gentis suæ sectatur errorem, magos vocans, non Dei Prophetam. *Et proloquens,* id est procul ac publice loquens, *rex, ait sapientibus Babylonis : Quicumque legerit scripturam hanc, et interpretationem ejus manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, et torquem auream habebit in collo.* Istud, secundum Glossam, summæ fuit dignitatis. Insuper Glossa dicit : Apud Judæos unctio fecit reges ; apud gentiles autem quatuor insi- C gnia, scilicet purpura, fibula, annulus, diadema ; unumque horum sine aliis concessum, non dabat honoris regii plenitudinem, sed participium. Simul enim accepta, regium designabant honorem perfecte ; singula autem per se accepta, vel quædam eorum simul, designabant aliquam regii honoris participationem. Ideo subditur : *et tertius in regno meo erit.* Quod dupliciter posse intelligi, breviter innuit Hieronymus, dicens : Vel tertius post me, vel unus de tribus principibus. D Quidam sequuntur primum sensum, quod scilicet tertius a rege esset in honore. Scholastica historia et Albertus secuti sunt sensum secundum, dicendo : Unus erit trium principum præsidentium satrapis seu mille optimatibus.

Porro torques dabatur in signum quod collum non erat solutum ad insipienter loquendum. Aurum enim sapientiam denotat, sicut in Proverbiis jubetur : Audi, fili mi, disciplinam patris tui, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. (*Prov.* I, 8, 9.) Pur-

pura autem regia vestis est, qua uti non
licuit nisi regibus, nisi de eorum licentia
alii uterentur. Insuper illa scriptura sa-
cram designat Scripturam, homines præ-
monentem de futuris suppliciis. Legit au-
tem et interpretatur, qui de Scripturis
monita profert salutis. Iste induitur pur-
pura, id est devotionali animæ ornamen-
to, in devotione passionis ac sanguinis
Is. LXIII, 2. Christi, de quo in Isaia habetur : Quare
rubrum est indumentum tuum? Accipit
quoque et auream torquem, id est sapien-
tialem discretionem loquendi. Hinc Ec-
Eccli. VI, 25. clesiasticus ait : Injice pedem tuum in
compedes illius, et in torques illius col-
lum tuum.

8 *Tunc ingressi omnes sapientes regis,*
non potuerunt scripturam legere. Scri-
pta enim fuit Hebraice. Etiam quamvis
verba legere potuissent, sensum tamen ex-
ponere sine revelatione non valuissent.
Nam verba exarata ex humana institutio-
ne, sensum a Deo intentum non habuerunt.
Nec interpretationem ejus indicare regi.
Quo figuratur, quod sacra Scriptura nequit
intelligi, nisi eodem spiritu quo est scri-
9 pta, revelata seu edita. *Unde rex Baltha-*
sar satis conturbatus est præ sollicitudine,
et vultus illius immutatus est præ pavore.
Quocontra de justo loquitur Salomon, quod
Prov. XXVIII, 1. quasi leo confidens, absque terrore erit;
Ibid. XII, 21. et item, Non contristabit justum quidquid
ei acciderit. De Anna quoque matre Sa-
I *Reg.* I, 18. muelis scriptum est : Vultus ejus non sunt
amplius in diversa mutati. Ideo dicit Al-
bertus, quod inconstantiæ signum sit, us-
que ad suffusionem vultus dejici in tri-
stitia. *Sed et optimates ejus turbabantur,*
regi compatiendo, et de suis simul peri-
culis formidando.

10 *Regina autem :* quam Porphyrius som-
niavit fuisse conjugem Balthasar, illudens
eam viro sapientiorem, quasi non quotidie
inveniantur uxores suis sapientiores ma-
ritis. Sed secundum Josephum, avia ejus
fuit; secundum Origenem, mater. Sicque
ex senio recordabatur diu præteritorum.
Pro re quæ acciderat regi et optimatibus
A *ejus,* sollicita, *domum convivii ingressa*
est, in qua uxores concubinæque regis
epulabantur simul cum rege. Nisi forte
dicatur, quod mulieres seorsum resede-
rint, sicut in convivio Assueri factum est : *Esther* I, 9.
quod tamen ex superioribus non apparet.
Unde regina ista propter senium suum
videtur se a convivio absentasse. Et forte
exemplo viri sui se aliqualiter emendavit :
si tamen uxor Nabuchodonosor fuit. *Et*
proloquens, ait : Rex, in æternum vive,
nunc scilicet prospere, deinde in societate
B deorum, finita hac vita : sicut secundo *Dan.* II, 4.
capitulo magis expositum est. Et conso-
latorie ac magnanimiter loquitur regi, ut
tristitiam temperet. *Non te conturbent co-*
gitationes tuæ, neque facies tua immute-
tur ; sed tumultuantes cogitationes has
abjice, et esto securus.

Est vir in regno tuo, qui spiritum deo- 11
rum sanctorum habet in se. Quod præce- *Ibid.* IV, 5.
denti capitulo fuit expositum. Loquitur
autem mulier more gentilium, et unius
summi soliusque veri Dei donum gratui-
C tum, putat esse donum deorum, secundum
unam expositionem verborum istorum. *Et*
in diebus patris tui, non proximi, sed re-
moti, scilicet Nabuchodonosor regis, ut in
isto articulo dictum est plenius, *scientia*
in humanis, *et sapientia* in divinis, *inven-*
tæ sunt in eo abundantius quam in om-
nibus sapientibus Babylonis. *Nam et rex*
Nabuchodonosor pater tuus principem ma-
gorum et incantatorum, Chaldæorum et
aruspicum (quæ supra, præsertim primo *Ibid.* I, 20;
et secundo capitulis, exstant exposita), II, 2, 27, 48.
D *posuit* eum.* Incantatores autem, secun- * *constituit*
dum Albertum, dicuntur, qui carminibus
in herbis aut animalibus divinant. *Pater,*
inquam, tuus, o rex : quia spiritus am- 12
plior, id est copiosior illustratio spiritus
superni, seu spiritus vel anima seu mens
plura comprehendens, sicque amplior quo-
ad multitudinem scitorum, *et prudentia,*
id est clarior atque profundior, quoad agi-
bilia, præsertim humana ; *intelligentia-*
que, id est interna ac penetrativa cognitio
per rationes cognitorum, *et interpretatio,*

id est vocalis et evidens expositio, *somni-* A
orum, mysticum aliquid continentium, ac
prophetalium, aut naturaliter significati-
vorum ; *et ostensio secretorum,* quæ rati-
one investigari non valent humana, seu in-
tellectualium visionum, atque eorum quæ
non in somniis nec imaginarie revelantur:
talia namque ostensa sunt ei, et ipse talia
aliis declaravit; *et ligatorum,* id est obscu-
rorum quæ ænigmatibus, allegoriis atque
metaphoris involuta sunt, qualia potissi-
me sunt prophetica scripta, *solutio ; in-*
ventæ sunt in eo a Nabuchodonosor rege, B
talia ab ipso quærente : noverat equidem
rationes intricatorum. Sicque Philosophus
loquitur, quod sicut nodum solvere ne-
quit, qui ejus intricationem non novit; sic
nec quæstionem dubitabilem, qui rationum
ex utraque parte intricationes ignorat. *Hoc*
est in Daniele, cui rex Nabuchodonosor
imposuit per principem eunuchorum (ut
Dan. i, 7. patuit primo capitulo), *nomen Balthasar.*
Circa quod scribit Hieronymus : Miranda
viri et inter barbaros sancta conversatio,
ut regina pro virtutum magnitudine tantis C
eum elevet laudibus. Ubique namque vir-
tuti sua sunt præmia, dum et barbara fe-
mina virum Dei tantis extollit præconiis.
Nunc itaque Daniel vocetur, etc.
13 *Igitur introductus est Daniel coram*
rege. Ad quem rex ait. Ecce quod con-
temnendus non est sexus. Unde si mulier
loquatur viriliter ac prudenter, non abjici-
endum ejus eloquium, nec parvi penden-
dum consilium. *Tu es Daniel de filiis ca-*
ptivitatis Judæ, id est tribus Juda seu
Judæorum, *quem adduxit pater meus rex* D
Ibid. 2. Nabuchodonosor *de Judæa* cum Joakim re-
ge Juda? Mirum quod virum tam famo-
sum, sapientem ac sanctum, rex iste non
novit. Unde videtur totus fuisse sacrilegus
et carnalis, nec quidquam de virtuosis cu-
14 rasse hominibus. *Audivi de te, quoniam*
spiritum deorum habeas in te ; et scientia
humanorum, *intelligentiaque* secretorum,
ac sapientia divinorum, *ampliores* quam
16 in aliis, *inventæ sint in te,* etc. *Si ergo*
vales scripturam hanc in pariete apparen-
tem *legere, et interpretationem ejus indi-*
care mihi, purpura vestieris, etc. Quæ
transiliuntur, nulla difficultate teguntur :
imo et si quam habent, supra jam patu-
erunt.
Ad quæ respondens Daniel ait coram 17
rege : Munera tua quæ promittis, *sint ti-*
bi, id est, remaneant tui juris, *et dona*
domus tuæ alteri da. In quo constantia,
justitia atque perfectio Danielis emicuit,
quia nil veritus est, nec pro spirituali
temporale accipere voluit, atque in omni-
bus ordinate processit. Denique, sicut et
Lyra dicit : Ex pacto non est aliquid ac-
cipiendum pro revelatione divini secreti,
sed post factum potest aliquid accipi ex
liberalitate dantis. Et ut Seneca ait, Liber
non est qui munus accipit. Hieronymus
hic loquitur : Æmulemur Danielem, regi-
am dignitatem et munera contemnentem,
qui absque pretio proferens veritatem,
jam ipse legis præceptum evangelicum
sequebatur : Gratis accepistis, gratis da- Matth. x, 8.
te. Alioqui, et tristia nuntiantem, indecens
erat libenter munera accipere. *Scripturam*
autem legam tibi, rex, et interpretatio-
nem ejus ostendam tibi. Videtur quod jam
omnia ista revelata fuerint Danieli, quo-
modo, cur, et quid scriptum esset, quid
item scripta significarent, quamvis in ipsa
scripturæ inspectione quiverit Deus Da-
nieli expositionem ostendere.
O rex Balthasar. Exclamationem præ- 18
mittit, ut dicenda seriosius advertantur,
atque ut notabilia prorsus et magna esse
pandantur. *Deus altissimus,* a cujus ma-
jestate omnia distant in infinitum in per-
fectione et gloria, *regnum,* imo et orientis
monarchiam ac grande imperium, *magni-*
ficentiam, gloriam et honorem (ista præ- Dan. iv, 19.
cedenti capitulo prolixe exposita sunt),
dedit Nabuchodonosor patri tuo. Omnis Rom. xiii, 1.
enim potestas a Deo est, et omne bonum
naturæ atque fortunæ datur ac dispensa-
tur ab ipso : qui bonis et malis, gratis et Matth. v, 45.
ingratis ista communicat, occulto quidem
judicio, diversisque modis. *Et propter ma-* 19
gnificentiam quam dederat ei, universi

populi, tribus et linguæ : quorum diffe-
Dan. III, 4. rentia capitulo tertio fuit exposita ; *tre-*
mebant et metuebant eum, ita quod præ
magnitudine pavoris cordis, etiam corpo-
ra contremebant. Estque distributio ista
accommoda et pro generibus singulorum.
Atque de his potissime sermo est qui regi
huic subjecti fuerunt, vel ab ipso impu-
gnari verebantur. Præcipue quippe timen-
da est iracundia regum, juxta illud Pro-
Prov. XIX, 12. verbiorum : Sicut fremitus leonis, ita et
ira regis ; sicut ros super herbam, ita et
hilaritas ejus.

Quos volebat, interficiebat ; et quos vo-
lebat, percutiebat lædendo seu mutilando.
Quos volebat, exaltabat ; et quos volebat,
humiliabat opprimendo. Deus enim per-
mittit præsidentes potestate sibi collata
abuti, et frequenter ob hominum pravita-
tem dat reges principesque crudeles, sicut
Osee XIII, 11. per Osee protestatur : Dabo tibi regem in
furore meo, et principes in indignatione
mea. Verumtamen impii hi dominatores
nil agunt in subditos, nisi Deo volente aut
juste permittente : sub cujus providentia
omnia cadunt ; et qui per sapientiam at-
que justitiam suam judicialiter ordinat, et
præsertim in die generalis judicii, rectissi-
me ordinabit, quidquid interim obliquum
impiumque videtur. Sed et feroces ac im-
pii præsidentes, sæpe sunt instrumentum
æquitatis divinæ contra iniquos, quorum
Deus punit excessus per illos. Hanc regis
tyrannidem sequuntur tyranni crudeles-
Sap. II, 11. que domini, illud Sapientiæ dicentes, Sit
fortitudo nostra lex justitiæ : voluntatem,
non rationem, sequentes. Denique istud
agebat Nabuchodonosor ante suam amen-
tiam, multum injuste et irrationabili vo-
luntate. Ad mentem vero reversus, quan-
do et major virtus ac gloria datæ sunt ei,
similia quidem egit quoad substantiam
facti, sed rationabiliter, judicialiter, ac
juste, cum Dei timore, Danielis utens do-
ctrinis.

20 *Quando vero elevatum est cor ejus* ela-
Job XV, 26. tionis tumore : juxta illud in Job, Cucurrit
impius adversus Deum erecto collo ; *et*
A *spiritus ejus,* id est anima, quoad supe-
riorem ejus partem et voluntatem, *obfir-*
matus est ad superbiam, id est induratus in
ea, in tantum ut se in statua aurea quam Dan. III, 1-6.
erexit, faceret adorari, et diceret, Nonne Ibid. IV, 27.
hæc est Babylon civitas magna? prout præ-
cedenti dicebatur capitulo; *depositus est de*
solio regni sui, etc. Deo enim sibi usum
rationis abstrahente, pulsus est regno ut
vere insanus, juxta modum præcedenti Ibid. 30.
scriptum capitulo, in quo, quæ nunc tran-
silio, clare tractata sunt.

B *Tu quoque filius ejus, Balthasar, non* 22
humiliasti cor tuum, quum scires hæc
omnia : forte ex aliquorum relatu, et quia
hujusmodi facta regum scribi solebant ;
nec istud fuit tam diu præteritum, quin
in memoriis plurimorum recenter per-
manserit, quia et multi qui istud vide-
runt, adhuc vivebant, ut Daniel. Et in hoc
aggravabatur impietas Balthasar, quod pa-
tris sui exemplo se non correxit, quum in
Proverbiis scriptum sit : Pestilente flagel- Prov. XIX, 25.
lato, stultus sapientior erit. Et Ptolemæus
C disseruit : Qui exemplo alterius non cor-
rigitur, alii corrigentur ab ipso. Præterea,
felix quem faciunt aliena damna peritum ;
qui istud Ecclesiastici sapienter advertit :
Memor esto judicii mei, sic enim erit et Eccli.
tuum ; mihi heri, et tibi hodie. Innotescit XXXVIII, 23.
demum ex his, quod superiorum ac præ-
sidentium vitia non sunt palpanda, sed
juste reprehendenda, quando locus, tem-
pus, causa, caritas, discretioque requirunt.
Quod tamen discrete agendum est, ne ex-
acerbentur.

D *Sed adversus Dominatorem cœli eleva-* 23
tus es, id est, obtenebrata pompositate
opposuisti te Deo. Superbus autem præ-
cipue opponit se Deo, juxta illud in Job :
Quid tumet contra Deum spiritus tuus ? Job XV, 13.
Superbus quippe gloriam et honorem, quæ
Deo debentur, usurpat inique. *Et vasa*
domus ejus allata sunt coram te : sicut
in principio hujus capituli dictum est at- vers. 3.
que expositum. *Deos quoque argenteos et*
aureos, etc., *laudasti,* cultum soli Deo ve-
ro debitum, vilissimis impendendo. Idola

autem, ut dicitur, de diversis fiebant me-
tallis, secundum proprietatem illorum qui-
bus fiebant : ut idolum Martis de ferro,
similiter aliorum deorum quos in bellis
potestatem habere credebant ; idolum so-
lis, de auro ; lunæ, de argento. Vel etiam
opinandum, quod idola de materiis pretio-
sis aut vilioribus fabricabantur, secundum
facultatem majorem aut minorem facien-
tium fieri ea. *Porro Deum qui habet fla-
tum tuum,* id est spiritum seu animam vel
respirandi virtutem, qua vita servatur, *in
manu,* id est in potestate *sua,* ita ut quum
ei placuerit, tollat eum a te. Potest quoque
eum damnare, et gratiam salvationis po-
test præstare. Sic enim accipitur flatus,
Is. XLII, 5. quum per Isaiam Dominus loquitur : Ego
Dominus dans flatum populo qui est su-
per terram, et spiritum calcantibus eam.
Et ideo anima flatus vocatur, quoniam
Gen. II, 7. scriptum est : Inspiravit Dominus in fa-
ciem ejus (scilicet hominis) spiraculum
vitæ, et factus est homo in animam vi-
ventem. Unde per Isaiam Dominus con-
Is. LVII, 16. testatur : Flatus ego faciam. *Et omnes vias
tuas,* id est cogitatus, affectiones et actus,
ita ut possit eas per lineas æquitatis cle-
menter dirigere, et in abruptis vitiorum
juste deserere, easque ad libitum condem-
nare. Flatus quoque et via regum fertur
esse in manu Dei, quia ad nutum inclinat
ea quocumque voluerit, prout Salomon
Prov. XXI, 1. dicit : Cor regis in manu Dei ; quocumque
voluerit, vertet illud. *Non glorificasti,* nec
verbis nec operibus, imo utroque modo
blasphemasti : quod est pessima aposta-
sia. Atque infelicissima calamitas creatu-
ræ rationalis hæc est, quod Creatorem su-
um relinquit, et vana ac vilia ei præponit.
Propter quod in Ecclesiastico legitur :
Eccli. X, 14, 15. Initium superbiæ hominis est, apostatare
a Deo ; quoniam ab illo qui fecit eum, re-
cessit cor ejus.
24 *Idcirco,* id est pro tantis demeritis, *mis-
sus est ab eo articulus manus :* Deo enim
jubente, angelus effigiem hanc formavit ;
quæ scripsit hoc quod exaratum est. Ex
quo, secundum Albertum, videtur quod

A non colore, sed in lapide scriptum fuit.
Hæc est autem scriptura quæ digesta est 25
verbis Hebraicis, ut aliqui dicunt : *Mane,
Thecel, Phares,* id est, numerus, appen-
sio, divisio. Ad quod partim applicari po-
test illud Sapientiæ : Omnia in numero, *Sap.* XI, 21.
pondere ac mensura constituisti.
Et hæc est interpretatio sermonis, id est 26
expositio horum trium verborum : quo-
rum quodlibet ex divina institutione in-
tegrum sensum significavit, qui non nisi
per revelationem poterat sciri. *Mane* si-
B gnificat : *numeravit Deus regnum tuum,*
id est, tempus durationis Babylonici im-
perii in certo posuit numero, ut (juxta
oraculum Jeremiæ, imo Dei per eum) om- *Jer.* XXV, 11;
nes gentes septuaginta annis servirent re- XXIX, 10.
gibus Babylonis. Vel, secundum Albertum,
Numeravit Deus regnum tuum, id est om-
nes actus et verba quæ habuisti in regno :
secundum illud Job, Nonne Deus considerat *Job* XXXI, 4.
vias meas, et omnes gressus meos dinu-
merat ? *Et complevit illud,* id est, jam
in te illud terminabit, ita quod te occiso,
C regnum Babyloniæ transferetur ad alios.
Thecel significat : *appensum est* regnum 27
tuum, vel, appensus es tu, *in statera,* id
est in æquitate seu examine divini judicii,
et inventum est, vel, inventus es, a Deo
infallibili judice omnia intuente, *minus
habens* de justitia quam merito haberet,
vel haberes ; vel, minus habens bonitatis,
quam tu ipse putabas. De hac statera lo-
quitur Job : Si ambulavi in vanitate, ap- *Ibid.* 5, 6.
pendat me in statera. Et in Proverbiis :
Pondus et statera judicia Domini sunt. *Prov.* XVI, 11.
D *Phares* significat : *divisum est regnum* 28
tuum, et datum est Medis et Persis, id
est, jam statim separabitur et tolletur a
te ac tua progenie, et ad Medos transfe-
retur ac Persas : juxta illud Isaiæ, Non *Is.* XLVII, 1.
est solium ultra filiæ Chaldæorum ; et
rursus, Ecce ego suscitabo super eos Me- *Ibid.* XIII, 17.
dos et Persas, etc.
Tunc jubente rege, indutus est Daniel 29
*purpura, et circumdata est torques aurea
collo ejus ; et prædicatum est de eo, quod
haberet potestatem tertius in regno suo,*

scilicet Balthasar regis, id est, quod unus esset trium principalium principum, vel tertius in potestate post regem. Et secundum Albertum, forte unus istorum trium principum præfuit curiæ, alter exercitui, tertius terræ. Omnia ista exhibuit Balthasar Danieli, ut promissionem suam impleret, qua interpretanti scripturam ista promisit; et ut Glossa Hieronymum sequens tangit, quatenus Dei hominem venerando, veniam mereretur : quam idcirco non meruit, quia gravius fuit sacrilegium ejus in Deum, quam veneratio in servum ipsius; vel, quia non putavit interpretationem Danielis tam cito implendam. Daniel quoque, secundum Hieronymum, ista ornamenta accepit, ut per ea Dario in regnum mox successuro fieret notior, et per notitiam honoratior.

30 *Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus.* Circa quod scribit Hieronymus : Refert Josephus decimo Antiquitatis Judaicæ libro, quod Babylone a Medis et Persis obsessa, Balthasar in tantam venit sui oblivionem seu negligentiam, ut celeberrimum iniret convivium, et vasis templi Dei allatis, vacaret epulis. Unde potest stare historia, quod eadem nocte sit captus et jugulatus, omnibus interpretatione somnii territis aut ebrietate sopitis, aut convivio ac celebritati intentis. Aliqui dicunt Balthasar regem a cubiculariis suis occisum, et proditione eorum urbem hostibus traditam. Secundum Glossam vero, a Medis ac Persis occisus est. Dicuntque aliqui, quod Persæ ac Medi, audita visione atque divina sententia contra Balthasar per exploratores suos, fecerunt contra civitatem audacter insultum ; bellatoresque urbis nequibant resistere, quoniam ex prædicta visione et Danielis interpretatione attoniti erant, et in stuporem conversi, et quoniam vino atque convivio fuerant fatigati. Sed mirum apparet, quomodo tam cito percipere poterant Persæ ac Medi, quæ in aula regia intra urbem acciderant, quum ista visio ac interpretatio in cœna aut post eam contigerint, ut ex præhabitis liquet, eademque nocte occisus est Balthasar, et capta est Babylon. Denique, dato quod ea tam celeriter percepissent, nequaquam videtur quod tam subito urbem cepissent, cujus muri, ut statim dicetur, ducentorum cubitorum in altitudine erant. Imo, secundum Hieronymum, incredibilius videbatur eam posse capi et destrui, quam ædificari.

Rationabilius ergo existimo quod de hac re in Scholastica historia atque in Chronica Martini scriptum est. Sic quippe in Scholastica fertur historia : Cyrus divisit Euphraten longe a civitate per alveos plures, ut alveum qui influebat in civitatem, vadabilem faceret ; et per ipsum ingressi sunt hostes in civitatem sub muro. De qua re in Chronica Martini plenius ita narratur : Quum Cyrus orientem sibi pro magna parte subjecisset, ad Babylonem, quæ aliis civitatibus opulentior fuit, accessit. Sed Euphrates magnus fluvius obstitit. Quumque unus de suis militibus audacior et forma elegantior transitum attentaret, et fluvii rapacitate absorptus fuisset, rex Cyrus dolens pro milite, iratus protestatus est, quod fluvium qui tam præclarum militem voravit, adeo meabilem faceret, ut genua feminarum transeuntium non tangeret. Quod et factum est. Nam per campi amplitudinem in quadringentos sexaginta alveos fluvium divisit. Sicque Euphraten validissimum fluvium per mediam Babylonem fluentem, a civitate avertit ; et sic per alveum in luto aquarum multarum, sicut prophetavit Habacuc, civitatem hostiliter introivit. *Habac.* III, 15. Cepitque urbem, quam (ut dicit Orosius) vel humano opere exstrui, vel humana virtute destrui potuisse, pene incredibile apud mortales erat. Nam civitas in amplitudine latissimi atque planissimi campi sita, undique conspicua, natura loci lætissima, per quadrum fuit disposita, scilicet quadrangularis, non rotunda. Murorum ejus latitudo fuit quinquaginta cubitorum, et in altitudine quater tantum, scilicet ducentorum. Murus ejus ex cocto latere atque interfuso bitumine

fuit compactus. A fronte murorum centum portas æreas habuit. Porro, secundum Hieronymum super Isaiam, quodlibet latus muri quadrati civitatis hujus, sedecim milliaria, id est octo leucas, in longitudine habuit. Nec incredibile est hoc, quia (ut aliqui asserunt) tunc sic ædificabantur civitates, saltem aliquæ, quod quilibet secundum statum suum habebat juxta domum suam hortum et vineam, ubi crescebant terræ nascentia, de quibus tempore obsidionis diu simul cum sua familia vivere posset. Capitolium vero seu fortalitium urbis istius, fuit turris Babel, post dilu-
Gen. xi, 3-9. vium a filiis Noe ædificata, ut in Genesi legitur, in altitudine quatuor millia passuum habens. In hac civitate erant templa marmorea, ac aureæ statuæ, atque plateæ auro lapidibusque fulgentes. Nunc vero infra mœnia, vastissima solitudo est et bestiarum tumultus. Et sicut Hieronymus sibi testatur relatum, sunt ibi venationes regales. Unde et muri coctiles subinde instaurantur propter bestias includendas, ut facilius capiantur.

De hac destructione Babylonis, Isaias in diversis libri sui capitulis plura prædixit. Siquidem inter alia quamplurima de ea
Is. xiii, 19-22. legitur vaticinatus : Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta, subversa sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham. Non habitabitur usque in finem ; sed requiescent ibi bestiæ, et replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi ; et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis. Quod vero exsistente convivio protinus caperetur, ita
prædixit : Pone mensam, contemplare in *Is.* xxi, 5.
specula ; comedentes et bibentes, surgite, principes, arripite clypeum. Tanquam dicat, Tempus præliandi est, non epulandi.
De qua etiam re Jeremias ille præclarus *Jer.* l, li.
tam lucide vaticinatur, ut ipsam videatur historiam recitare.

Et Darius Medus, id est rex Medorum, 31
successit in regnum Balthasar regis, ita quod illud suo adjecit imperio, non quod Babylonem reparaverit atque possederit, *annos natus sexaginta duos,* ita quod sexaginta duorum tunc erat annorum. Ideo Cyrus rex cum eo obsidens Babylonem, cessit ei in regni sui successione, videlicet ratione ætatis ; et quia Darius avunculus Cyri fuit ; et rursus, quoniam usque ad illud tempus, regnum Mediæ majus fuit regno Persarum. Has tres rationes tangit breviter Hieronymus. Postremo de hoc Dario scribit Josephus, quod fuit filius Astyagis, qui alio nomine dictus est Assuerus, et quod ætate et moribus regno fuerat dignus.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : PLACUIT DARIO, ET CONSTITUIT SUPER REGNUM SUUM SATRAPAS CENTUM VIGINTI.

1 P*LACUIT Dario, et constituit super regnum suum,* id est totale imperium, *satrapas centum viginti.* Quid satrapæ pro-
Dan. iii, 2. prie appellentur, dictum est in expositione capituli tertii. *Ut essent in toto regno suo,* id est, per universum ejus imperium singuli singulis præsiderent provinciis : ita quod quilibet uni provinciæ præerat, secundum Albertum, qui etiam ait, quod Darii hujus imperium continebat centum viginti septem provincias : ad quod alle-
gat illud Esther, In diebus Assueri regis, *Esther* i, 1.
qui regnavit ab Æthiopia usque Indiam, super centum viginti septem provincias.

Sed quid allegatio ista ad Darium regem
pertineat, certum non habeo, nisi forte
dicatur Assuerus natus de semine Darii
hujus. Quo tamen concesso, non sequeretur
quod si Assuerus, de quo in Esther
* etiam habetur, tot provinciis præfuit, et* Darius,
de quo nunc sermo, totidem quoque præfuerit,
præsertim quia et Assuerus iste
suum auxit valde imperium, sicut in libro
Esther x, 1. Esther conscribitur quod insulas maris
fecit tributarias. Dicit demum Albertus,
quod septem reliquæ provinciæ Darii, quæ
superant præfato numero satraparum, deserviebant
tribus principibus principalioribus,
de quibus statim dicetur. Itaque
non penitus certum apparet quod Darius
iste tot provincias habuit, quod quilibet
satraparum dictorum unam integram subjectam
sibi habuerit. Porro Darius iste, ut
refert Hieronymus, fuit (secundum Josephum)
filius Astyagis : qui Astyages, ut
Dan. IX, 1. infra legitur, dictus est Assuerus ; sed iste
Esther I, 1. fuit alius ab Assuero de quo in libro Esther
habetur. Præterea fuit et alius Darius
Agg. I, 1; rex, de quo in principio Aggæi et Zacha-
Zach. I, 1. riæ prophetarum habetur : quem multi
dicunt fuisse filium Assueri regis de quo
historia Esther tractat, quem aliqui dicunt
illum Darium quem Alexander Magnus devicit.
Sed et Assuerus de quo in Esther,
ac Darius de quo in Aggæo, diu fuerunt
post Astyagem et Darium de quo nunc
loquitur Daniel.

2 *Et super eos principes tres,* id est, satrapis
illis præfecit tres principes, *ex quibus
Daniel unus erat : ut satrapæ redderent
rationem,* id est computationem de redditibus
provinciarum et expensis atque
negotiis. An autem rationem reddebant
omnibus tribus simul, vel eorum alicui, in
textu non determinatur. *Et rex non sustineret*
aliquam *molestiam* in auditu negotiorum
et causarum ac computationum :
Dan. V, 31. præsertim quia (ut in fine præcedentis
articuli dictum est) senex jam erat, idcirco
quietam ducere vitam optavit. Itaque satrapæ
constituti fuerunt ad discutiendum
negotia, ad levandum tributa, ad disponendum
partes imperii sibi commissas. De
tribus autem principibus nunc repeti possent,
quæ jam in præcedentibus capitulis
de tribus principibus regni Babyloniæ
sunt prædicta, sed in præinductis articulis
hæc quærantur. Dicit vero Albertus, quod
pauciores tribus præesse non poterant, eo
quod unus præfuit curiæ, alter militibus
seu exercitibus, tertius negotiis sive judiciis.

Porro ex hac gentilis regis industria instruuntur
prælati principesque fideles, ut
quæ per inferiores congrue fieri queunt,
officialibus suis committant, et in majoribus
præsint, quatenus ab exterioribus
occupationibus exonerati, Deo quietius vacent.
Denique in Exodo aliquid tale inducitur.
Ut enim ibi legitur, Jethro cognatus
Moysis, viso quod solus Moyses
sederet ad populi negotia discernenda, *Exod.* XVIII,
dixit ad eum : Non bonam rem facis; ul- 14, 17-22.
tra vires tuas est istud negotium. Sed
audi verba mea. Esto tu populo in his
quæ ad Deum pertinent; et provide de
omni plebe viros potentes et timentes
Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint
avaritiam; et constitue ex eis tribunos et
centuriones et quinquagenarios et decanos,
qui judicent populum omni tempore.
Quidquid autem majus fuerit, referant ad
te, et ipsi minora tantummodo judicent;
leviusque tibi sit, partito onere in alios.

Insuper, secundum Josephum et expositores
communiter, Darius capta destructaque
Babylone, volens reverti in Mediam,
secum adduxit Danielem : quia ut refert
Hieronymus, ambiguum non est quin Darius
rex audivit visionem seu signum
quod Balthasar regi Babylonis acciderat,
expositionemque Danielis, et qualiter regnum
Medorum elevandum prædixit. Idcirco
in illo eum habebat honore, ad quem
et Balthasar eum propter interpretationem
scripturæ seu visionis promovit. Dicuntque
aliqui, quod Darius reperit Danielem purpura
indutum, et aurea torque circa collum
ornatum : cujus decoris causam inquirens,
audivit quæ de scriptura et ejus

interpretatione prætacta sunt. Ideo Danielem tanquam sapientissimum virum cum omni honore assumpsit : quanquam dubium non sit, ex speciali Dei ordinatione totum hoc contigisse, ut per Danielem Deus suam majestatem gentilibus declararet, et populus Israel hinc inde dispersus, per Danielem consolaretur.

Præterea advertendum, quod (ut in Historia scholastica fertur) quamvis visio ista sit quinta secundum ordinem libri hujus, puta secundum ordinem quo Daniel visiones istas describit, septima tamen est secundum rem gestam seu historiæ ordinem. Nam duæ sequentes visiones, duobus capitulis immediate sequentibus scriptæ, ante hanc contigerunt, scilicet tempore Balthasar regis : quo occiso, quod in isto capitulo legitur, contigit. Cur vero Daniel in processu hujus voluminis, ordinem temporis atque historiæ ac visionum non servat, causa (secundum Hieronymum) est, quia historiam historiæ copulat, ut quia in fine præcedentis capituli dictum est, quod Darius superavit Balthasar regem, descripsit quid sibi post hoc accidit. Quamvis autem in libro isto decem visiones in decem capitulis describantur, quarum prima est in primo capitulo, ultima in undecimo, quædam tamen visionum istarum præ ceteris historiales vocantur, quia plus historia eis miscetur. Ideo ait Hieronymus, hic historiam historiæ copulari; imo in isto capitulo res gesta describitur, et tamen in eo visio contineri asseritur : quia ut Lyra affirmat, hic fit mentio de angelo in lacum leonum descendente, ora leonum claudente, Danielemque liberante : in quibus Christi de morte surgentis figurabatur mysterium.

3 *Igitur Daniel superabat omnes principes et satrapas* Darii, etiam duos quibus ipse fuerat sociatus : hos superavit sapientia, providentia, honestate, justitia omnique virtute, *quia spiritus Dei,* id est Spiritus Sanctus, *amplior,* id est major seu copiosior in communicatione donorum suorum, *erat in illo.* Quamvis etenim Spiritus Dei sit unus et simplex in se, multiplex A tamen est in donis. Rursus, quemadmodum Spiritus Sanctus dicitur dari et infundi ac esse in his, quibus sua dona præstantur; sic dicitur esse major in eis, in quibus dona ejus magis abundant. Vel hoc loco per spiritum Dei, intelligitur virtus, gratia, seu manifestatio Spiritus Dei in donis suis. Sicut ergo gratia fortior est quam sit natura, sic Daniel per dona gratiæ virtute Spiritus Sancti vicit naturalem providentiam atque virtutem satraparum ac principum.

B *Porro rex* Darius *cogitabat* cum deliberato consensu, *constituere eum super omne regnum,* id est toti imperio suo eum præficere, propter providentiæ suæ eminentiam, ut esset primus post regem : sicut Joseph fuit in regno Ægypti primus post Pharaonem, juxta illud Genesis, et sunt verba Pharaonis ad eum : Ad tui oris imperium cunctus populus obediet; uno tantum regni solio te præcedam. Sicque Daniel præficeretur duobus illis magnis principibus. *Unde principes* hi duo, *et satrapæ* C centum viginti, seu multi eorum, *quærebant* inter se modum impediendi promotionem ipsius, *ut invenirent occasionem* accusationis *Danieli ex latere regis* existenti, id est Danieli qui erat regi collateraliter familiariterque conjunctus : quoniam rex fecit eum sibi specialissimum et quasi collegam. Vel, Ex latere regis, id est ex parte reginæ seu concubinarum regis ad ejus latus cubantium. Observabant itaque an Daniel in sermone, tactu, nutu seu internuntio indecenter se haberet ad aliquam harum. D Hanc expositionem dicit Hieronymus esse Hebræorum, suspicationem addens quod propter occasionem unius verbi, longas soleant fabulas texere. Vel sic : Quærebant Danieli occasionem ex latere regis, id est, ut separarent eum a tanta amicitia regis. *Nullamque causam et suspicionem reperire potuerunt* contra eum, *eo quod fidelis esset* regi in omnibus fidelitate ad justitiam pertinente, *et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo,* id est nulla culpa contra regem, imo nec su- 4

Gen. XLI, 40.

spicio. Non tamen fuit sine omni peccato,
saltem veniali. Sed de hoc non poterant
eum Dario accusare.
In his verbis commendatur maxima Da-
nielis perfectio, quod tam irreprehensibi-
liter se gerebat, quod nec levis quidem
suspicio contra eum inveniretur : sicut de
Judith viii, 8. Judith scriptum est : Quia in omnibus fa-
mosissima erat, quoniam timebat Deum
valde, nec erat qui loqueretur de ea ver-
bum malum. Sicque Daniel implevit illud
I *Petr.* ii, 15. Petri : Benefacientes obmutescere faciatis
imprudentium hominum ignorantiam. De-
nique vanitatis non est, quod sanctus Da-
niel ista de se ipso conscribit, quoniam
zelo veritatis ad Dei honorem et hominum
ædificationem hoc fecit. Sic quippe sancti
viri virtutes laudesque suas prodere atque
conscribere consueverunt humiliter, non
jactanter. Dicit quoque Albertus, quod oc-
casio est minus quam causa per accidens.
Causa enim per accidens, causat per hoc
accidens quod est in ipsa. Occasio autem
est, quod non per se, nec per aliquid quod
in ipso est, malum est, sed est interpreta-
tum ad malum : sicque in libro Proverbi-
Prov. xviii, 1. orum sumitur, quo habetur : Occasionem
quærit, qui vult recedere ab amico ; omni
tempore erit exsecrabilis. Hinc alii dicunt :
Suspicio est, quando aliquis incipit dubi-
tare de bonitate alicujus ex aliquo levi
signo. Nullam ergo suspicionem, id est, nil
quod alicujus posset movere suspicionem,
invenerunt in Daniele : qui (secundum
Josephum) super thesauros regis erat, quo-
niam adeo justus fuit, quod munera spre-
vit oblata.
5 *Dixerunt ergo viri illi* ambitiosi, non
ab animi veracitate seu vigore viri vocati,
Is. iii, 4. sed vitiis effeminati. Invidia quippe eos
incessanter agitavit et torsit, eo quod vi-
rum alienum viderent sibi in cunctis præ-
ferri, seque comparatione ipsius non re-
putari et deprimi. Ambitiosi autem sunt
invidi ; et invidi occasiones quærunt contra
innocentes ac virtuosos, potissime contra
eos quos vident aut metuunt sibi præferri.
Solentque vitia ista in magnatum curiis
A abundare. *Non inveniemus Danieli huic
aliquam occasionem* deprimendi eum. Vi-
derunt nempe quod stabilis erat in bono,
nec putabant eum ab æquitate flecten-
dum. *Nisi forte in lege Dei sui,* id est in
observatione legis divinæ contra ordina-
tionem quamcumque humanam. Conside-
rabant enim, quod a cultu Dei sui nequa-
quam recederet. Ideo proponebant inter
se aliquid ordinare, et ordinationis suæ
confirmationem a rege procurare, cujus
observatio esset contraria legi Dei, atque
B per hoc Danielem accusarent regi, tan-
quam inobedientem eidem. Secundum Hie-
ronymum : Felix est conversatio in qua
adversarii nullam inveniunt occasionem,
nisi in legitimis Dei quæ servat, id est, quæ
talis est quod in veritate reprehendi non
potest, nec aliud ei objici valeat nisi quod
ad veram spectat justitiam. Qui taliter vi-
vit, dicere potest illud Apostoli ad Corin-
thios : Gloria nostra hæc est, testimonium II *Cor.* i, 12.
conscientiæ nostræ, quod in simplicitate et
sinceritate, et non in sapientia carnali, sed
C in gratia Dei, conversati sumus in hoc
mundo.
Tunc principes et satrapæ surripuerunt 6
regi, id est, latenter ac deceptorie impia
suggesserunt, *et sic locuti sunt ei : Dari
rex, in æternum vive,* nunc scilicet in
regia dignitate temporaliter, deinde inter
deos perpetue ; vel, In æternum vive, id
est, quantum in nobis est, optamus te sem-
per manere in vita atque imperio. Iste fuit
modus honorandi, affandi, salutandique
reges : et a blandis inchoant verbis, ut
D benevolentiam capiant regis, eumque fa-
cilius ad suum trahant affectum. *Consi-* 7
*lium inierunt cuncti principes regni tui,
magistratus et satrapæ* (nomina ista supra
exposita sunt), *et senatores,* qui amplioris
fuerant dignitatis, *et judices, ut decretum
imperatorium exeat,* id est, a te impera-
tore instituatur lex præceptoria, *et edi-
ctum,* id est mandatum undique ratum, et
comminatione pœnarum vallatum : *Ut om-
nis* qui in tuo est regno, *qui petierit ali-
quam petitionem a quocumque deo aut*

homine usque ad triginta dies, nisi a te, rex, mittatur in lacum leonum.

Job xxxvi, 13. Non immerito simulatores et callidi provocant iram Dei, dum mala sub specie boni, imo et pessima sub optimorum proponunt colore. Sic isti perversi, sub specie æquitatis et zeli pro rege, quærunt ut infra tantum tempus nullus quid postulet nisi a rege : ut scilicet homines ad regis reverentiam inducerentur; rex quoque interim suam regiam liberalitatem ostenderet, et cunctis amabilior redderetur, factus jam recens monarcha. Sicque per honorem regi impendendum, moliuntur justo insidias. Mali namque, quum veritate et æquitate non queunt quod cupiunt obtinere, falsis et impiis mediis, sub aliquo boni apparatu, se armant : et istud apud reges, principes et prælatos solet potissime practicari, per eorum ministros ac familiares impia persuadentes, quasi pro honore dominorum suorum zelantes, quum tamen quæ quærunt, nociva sint illis. Propter quod scriptum est in libro Esther : *Esther* xvi, 6. Quidam aures principum simplices, et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude *Ibid.* 5. decipiunt. Et iterum : Quidam in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos qui credita sibi officia diligenter observant, et ita cuncta agunt, ut omni laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subver- *Ibid.* 7. tere. Itemque : Malis quorumdam suggestionibus regum studia depravantur. Denique triginta dierum tempus instituunt, quia infra tot dies Danielem sperabant se posse deprehendere; cogitantes quoque quod quamvis paucis forte diebus, non tamen tam multis, a Dei sui invocatione cessaret.

8 *Nunc itaque, rex, confirma sententiam,* id est sensum verborum istorum, quem nos rationabilem judicamus, *et scribe decretum,* id est, præfatum edictum jube in scriptis promulgari; *ut non immutetur,* sed inviolabiliter observetur, *quod statutum est a Medis atque Persis,* id est a nobis tantis ac talibus, præ ceteris in sapientia potentiaque præclaris, ad quos monarchia devenit, *nec prævaricari cuiquam* subditorum tuorum *liceat* hoc decretum. Contra hos eisque similes scriptum est in Isaia : Væ qui condunt leges iniquas; et *Is.* x, 1. scribentes, injustitiam scripserunt. Ex præhabitis verbis infert Hieronymus, unum fuisse sub Dario et Cyro regnum Medorum
et Persarum. *Porro rex Darius* calliditate 9
pravorum deceptus, *proposuit decretum, et statuit,* id est, ordinavit istud observari, et in scriptis illud insinuavit.

Quod quum Daniel comperisset, id est 10
constitutam legem, id est, jussionem istam iniquam agnosceret promulgatam, *ingressus est in domum suam,* ut in ea oraret quietius, nec publice illud agendo, pravorum insaniam provocaret, regisque edictum inordinate videretur contemnere. Nec enim debet se quis sine causa exponere mortis periculo, vel alios ad vitium inflammare. *Et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem,* id est versus eam, *tribus temporibus in die flectebat genua sua et adorabat* Deum, *confitebaturque* confessione laudis divinæ ac culpæ suæ, vel potius populi sui Israel, seu etiam regis ac regni, *coram Deo suo,* immenso, ubique præsente, et omnia intuente, *sicut ante facere consueverat.* In quo constantia atque justitia Danielis monstratur, quod non timens eos qui corpus occidunt, ma- *Matth.* x, 28. luit mortis subire periculum, quam Dei transgredi legem. Orat autem in alto loco, ut hinc inde latius circumspiciens, et Deum in suis contemplans effectibus, se ipsum ad contemplationem sublimius erigat. Nam et altior locus, videtur ad elevationem mentis conferre. Et de Petro apostolo scriptum est in Actibus, quod as- *Act.* x, 9. cendit in superiora domus ut oraret. Porro cœnacula, secundum Hieronymum, alio nomine appellantur solaria. Et in Actibus de Apostolis eisque associatis habetur : Quum *Ibid.* i, 13, 14. introissent in cœnaculum, ascenderunt in superiora; et erant perseverantes unanimiter in oratione. Christus quoque in cœ- *Luc.* xxii, 12 *et seq.* naculo Pascha legitur celebrasse : in quo et Apostoli Spiritum Sanctum suscepe- *Act.* ii, 1-4.

runt. Oravit autem Daniel facie versa ad A templum Jerusalem : sic enim captivis filiis Israel esse orandum, Salomon ait. (III *Reg.* VIII, 48.) Idcirco fenestras aperuit, ut versus illam terræ plagam magis libere adspectaret, sicque Dei et beneficiorum ipsius, ac Patriarcharum et Prophetarum profundius recordaretur.

Circa prædicta ait Hieronymus : Tria tempora quibus Deo flectenda sunt genua, tertiam horam et sextam et nonam, evangelica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit super Apostolos Spiritus (*Act.* II, 15.) B Sanctus ; sexta, volens comedere Petrus, (*Ibid.* X, 9.) ascendit cœnaculum ad orandum ; nona, Petrus et Joannes pergebant ad templum. (*Ibid.* III, 1.) — Insuper de hac re in Scholastica historia fertur : Tribus horis orabant Judæi in die, scilicet hora tertia, sexta, nona. In tertia orabant, quia tunc datus est eis (*Exod.* XX.) Decalogus legis in monte Sinai. In eadem hora orat Ecclesia, quia tunc datus est Spiritus Sanctus Apostolis. (*Act.* II, 15.) In sexta orabant Judæi, quia tunc erectus est serpens æneus (*Num.* XXI, 9.) in deserto. In eadem orat Ecclesia, quia C tunc Christus suspensus fuit in ligno. (*Luc.* XXIII, 33, 44.) In nona orabant, quia tunc petra dabat aquas (*Num.* XX, 11.) in Cades. In eadem orat Ecclesia, quia tunc de Christo lanceato exivit sanguis et aqua. (*Joann.* XIX, 34.) — Quidam vero tria hæc tempora intelligunt, mane, meridie, vesperam, juxta illud in Psalmo : (*Ps.* LIV, 18.) Vespere et mane et meridie narrabo. Mane namque et vespere jugi sacrificium offerebant ; (*Num.* XXVIII, 3-6.) in meridie autem peccavit Adam. (*Gen.* III, 6.) Ista est expositio una Alberti. Et ad idem redit quod Lyra hic dicit : Orabat tribus temporibus D in die, id est : hora matutinali, quia lotis manibus Judæi tunc Domino benedicunt ; et hora tertia vel sexta ante comestionem ; et hora vespertina, prout dicitur in Actibus, Petrus et Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam : (*Act.* III, 1.) quæ accipitur circa tempus vesperarum, ut patet in Ecclesiis majoribus, ubi tunc dicitur Nona. Hoc secundum Lyram narratum sit. — Quod autem Scholastica historia perhibet Judæos ter orasse in die, forsitan non videtur prima facie consonare ei quod scribit Nehemias, quod Judæi quater in die, et quater in nocte confitebantur et adorabant Dominum Deum suum. (II *Esdr.* IX, 3.) Et alibi legitur : Septies in die laudem dixi tibi. (*Ps.* CXVIII, 164.)

11 *Viri ergo illi curiosius inquirentes.* In quo eorum superflua occupatio demonstratur. Curiositas quippe, secundum Tullium, est superflua investigatio rerum ad se non pertinentium. *Invenerunt Danielem orantem et obsecrantem Deum suum.* Forte accesserunt subito eum quasi pro negotiis regis. Oratio autem est simplex petitio ; obsecratio vero est invocatio per aliquod sacrum, per quod oratio fit exaudibilis, ut quum dicimus, Per passionem tuam libera nos, Domine. Circa prædicta ait Hieronymus : Ex hoc loco discimus, ne incaute nos offeramus periculis; sed quantum in nobis est, declinemus insidias : unde Daniel non in foro, non in plateis, sed in abscondito fecit contra regis imperium, ut Dei omnipotentis jussa impleret.

12 *Et accedentes, locuti sunt regi super edicto,* id est de præcepto non petendi aliquid nisi a Dario : *Rex, numquid non constituisti ut omnis homo* de subditis tuis, *qui rogaret quemquam de diis et hominibus usque ad dies triginta, nisi a te, rex, mitteretur in lacum leonum ?* Primo in generali inquirunt, nec Danielem in speciali accusant, quatenus rege quod jusserat confirmante, non habeat facultatem liberandi Danielem, quem sciebant regi carissimum. *Ad quos respondens rex, ait : Verus est sermo* quem dicitis, quod scilicet ita constitui, *juxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævaricari non licet.* Quod utique falsum est, quia obedire oportet Deo magis quam hominibus. (*Act.* V, 29.) Sed tantæ æstimationis fuerunt Medi et Persæ apud se ipsos, quod verba sua putabant omnimode observanda.

13 *Tunc dixerunt coram rege : Daniel de filiis captivitatis Judææ.* De numero captivorum asserunt Danielem, ut ejus contemptus, quo regis edictum abjecit, intolerabilior

videatur, secundum Hieronymum. *Non cu-* A
ravit de lege tua, et de edicto quod con-
stituisti. Lex et edictum hic realiter idem
designant, puta præceptum, seu ordinatio-
nem quæ in quantum verbis seu scriptis
promulgatur, edictum vocatur.
14 *Quod verbum quum audisset rex, sa-*
tis contristatus est, quod carissimum con-
demnaret ad mortem, et virum regno utilis-
simum perderet; *et pro Daniele apposuit*
cor ut liberaret eum, id est, variis modis
quærens eum eripere, *et usque ad solis*
15 *occasum laborabat ut erueret eum. Viri* B
autem illi intelligentes regem, id est, con-
siderantes ejus intentum, quod scilicet
quærebat modum vitandi seu differendi
damnationem Danielis : consideravit enim
se illorum calliditate circumventum, et
propria responsione arctatum, illos quo-
que ex invidia tetendisse insidias; *dixe-*
runt ei : Scito, rex, quia lex Medorum est
atque Persarum, ut omne decretum quod
constituerit rex eorum, *non liceat immu-*
tari, id est revocari aut violari. Ideo rex
leges et consuetudines regni sui immutare C
non audens, regia potestate contra suos
non utitur, sed ratione atque consilio.
Quumque modum evasionis pro Daniele
non cerneret, consensit petitioni suorum.
Uno autem inconvenienti dato, multa se-
quuntur. Ideo qui constituit edictum bla-
sphemum, et illud irrevocabiliter servan-
dum putavit, alia quoque incidit vitia,
ita quod innocentem rex humano timore
damnavit.
16 *Tunc rex præcepit* adduci Danielem de
domo sua; *et adduxerunt Danielem, et* D
miserunt eum in lacum leonum. Dixitque
rex Danieli antequam in lacum descen-
deret : *Deus tuus, quem tu colis semper,*
scilicet cultu latriæ, *liberabit te.* Quocirca
scribit Hieronymus : Cedit rex multitudi-
ni, et consentientibus inter se adversariis,
mortem amici non audet negare; quodque
ipse rex obtinere non potuit, scilicet Da-
nielis liberationem, Dei tradit potentiæ.
Nec ambigue loquitur, ut dicat, Si potu-
erit; sed audacter et confidenter, Deus,
inquit, tuus quem colis, liberabit te. Au-
dierat enim tres pueros qui inferioris a
Daniele meriti erant, flammas vicisse Ba- *Dan.* III, 23
bylonicas in fornace, et Danieli multa my- *et seq.*
steria revelata. Unde et diligebat eum, ho-
minemque captivum in maximo habebat
honore. *Allatusque est lapis unus, et po-* 17
situs super os laci, quem obsignavit rex
annulo suo, et annulo optimatum suorum.
Jussit ergo rex os foveæ lapide operiri,
eumque signari, ne quis rege ignorante
lapidem amoveret, aut Danieli nocumen-
tum inferret. Ideo subditur : *ne quid fieret*
contra Danielem ab adversariis ejus. Magis
enim timuit rex sævitiam hominum quam
leonum. Ideo Glossa sequens Hieronymum,
dicit: Qui de leonibus securus est, homi-
nes pertimescit. Dicit quoque Hieronymus:
Rex credit eum Dei potentiæ; et signat la-
pidem etiam annulo optimatum suorum,
ne quid suspicionis contra eos videatur
habere.
Et abiit rex in domum suam, quia jam 18
vespera fuit, *et dormivit incœnatus.* Quo-
modo verum est hoc? quum sequatur, *ci-*
bique non sunt allati coram eo a famulis
suis, quia cibos sibi afferri prohibuit, *in-*
super et somnus recessit ab eo. Et respon-
dendum, quod forte parum dormivit, quum
tristitia oculos gravet, et ad somnum in-
clinet. Nam et somnus est alleviativus tri-
stitiæ. Hinc in Marco legitur : Erant oculi *Marc.* XIV,
eorum, scilicet Apostolorum, gravati præ 40.
tristitia. Vel quod dicitur, Dormivit, ex-
ponendum est, Ad dormiendum se posuit,
seu, in lecto quievit. Magnitudo autem
tristitiæ, sicut et ceterarum passionum,
tantam facit in corpore transmutationem
ac dyscrasiam, ut somnum impediat; si-
militer sollicitudo, et ingens consideratio
rei, abstinentia quoque a cibo : quæ om-
nia in rege fuerunt. Circa hæc Hierony-
mus scribit et Glossa : Quanta benevolen-
tia regis! Nec die cibum capit, nec nocte
dormit; cum Propheta periclitante, quasi
uno pendet affectu. Quanto magis nos pro
peccatis propriis debemus Deum ad mise-
ricordiam flectere, quum rex Deum ne-

sciens, formata scilicet notitia, hoc faciat
pro eo quem vult de periculo liberare !
Sed quæritur, si rex firmam habuit con-
fidentiam quod Deus eriperet Danielem,
cur eatenus tristabatur. Et respondendum,
quod confidentia ejus non fuit perfecta
et pura, sed variis cogitationibus ac pas-
sionibus, plenæ confidentiæ contrariis,
mixta. Sic quippe imperfecte speranti-
bus solet contingere, præsertim quia etsi
de Dei potentia non dubitent, ejus tamen
dispositionem et voluntatem non norunt :
Rom. XI, 33. occulta namque sunt Dei judicia.
19 *Tunc rex primo diluculo consurgens,*
festinus ad lacum leonum perrexit præ
20 desiderio æstuanti. *Appropinquansque la-*
cui, Danielem voce lacrimabili inclama-
vit. Ex compassionis enim magnitudine
lacrimas continere non potuit. Forsan la-
pidem jussit deponi, antequam sic clama-
vit. *Daniel, serve Dei viventis.* Deum Da-
nielis vocat viventem, tanquam verum
summumque Deum, et ad differentiam de-
orum qui manibus fiunt. Porro, secundum
Hieronymum, rex iste oblitus regiæ di-
gnitatis, victor ad captivum, et dominus
cucurrit ad servum. *Deus tuus cui tu ser-*
vis semper, omni scilicet tempore oppor-
tuno, *putasne valuit te liberare a leo-*
nibus? Non quasi de Dei omnipotentia
dubitans, ita rex loquitur ; sed secundum
Hieronymum, in ambiguo sententiam tem-
perat, ut quum Daniel incolumis apparu-
erit, quanto res incredibilior videbatur,
tanto contra adversarios Danielis indigna-
tio regis justior appareret.
21 *Et Daniel regi respondens, ait : Rex, in*
æternum vive. Honorantem se salutat, et
afflictum ac blande loquentem, dulciter
22 consolatur. *Deus meus misit angelum suum*
et conclusit per angelum *ora leonum,* eo-
rum feritatem, rictum rabiemque refre-
nans. Unde secundum Hieronymum, non
est leonum feritas immutata, sed rabies
refrenata. *Et non nocuerunt mihi : quia*
coram eo justitia inventa est in me, id
est, vere coram Deo justus apparui, non
viribus meis, sed ope gratiæ ejus. Hoc ad

A gloriam Dei Propheta adjecit, ad satisfa-
ciendum regi, quod ejus edictum præva-
ricando, non incidit culpam. Ideo subdit :
Sed et coram te, rex, delictum non feci :
quia jussio regis fuit vitiosa totaliter, ideo
ejus transgressio fuit opus virtutis, non
vitium.
Tunc rex vehementer gavisus est super 23
eum, videlicet quo eum magis amavit, et
quo eum sibi ac suo imperio utiliorem
agnovit; *et Danielem præcepit educi de la-*
cu, et nulla læsio inventa est in eo, quia
B *credidit Deo suo* fide completa : de qua in
prima sua epistola ait Joannes, Hæc est I *Joann.* V, 4.
victoria quæ vincit mundum, fides nostra;
et Paulus ad Hebræos, Sancti per fidem *Hebr.* XI, 33.
vicerunt regna, obturaverunt ora leonum.
Denique Salvator : Omnia, inquit, possibi- *Marc.* IX, 22.
lia sunt credenti; et rursus : Si habueritis *Matth.* XVII, 19; *Luc.* XVII, 6.
fidem sicut granum sinapis, dicetis huic
monti, Tollere, et jacta te in mare, et obe-
diet vobis.
Jubente autem rege, adducti sunt viri 24
illi, qui accusaverunt Danielem; et in la-
C *cum leonum missi sunt, et filii eorum et*
uxores eorum, quos, secundum Albertum,
incentores scelerum habuerunt, vel saltem
fautores seu cooperatores. Rex autem viso
tanto miraculo, sumpsit audaciam, et æmu-
li Danielis timore dejecti sunt. *Et non per-*
venerunt usque ad pavimentum laci. Se-
cundum aliquos, per gradus erat introitus
foveæ, in fundo pavimentum habentis.
Donec arriperent eos leones, et omnia ossa
eorum comminuerunt; forte quod angelus
auxit tunc leonum ferociam, ut Danielis li-
D beratio miraculosior monstraretur, et Deus
per eam amplius glorificaretur. Et aliqui
dicunt Josephum dicere, quod accusatores
Danielis dixerunt leones fuisse carnibus
saturatos, et ideo Danielem non devoras-
sent; tunc rex jussit, ut ipsi leonibus car-
nes darent : quod quum facere attenta-
rent, a leonibus (sicut jam dictum est) sunt
discerpti. Potius autem videtur juxta tex-
tum, quod rex in pœnam talionis jussit eos
tradi his feris : quia hoc justum erat se-
cundum pœnam talionis, quæ in æquales

potissime locum habet. Præterea Glossa ait : Nulla lex æquior est, quam necis artificem sua arte perire. Propter quod ait
Ps. vii, 16. Psalmista : Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit. Et in Pro-
Prov. xi, 6. verbiis : In insidiis suis capientur iniqui.
Eccli. xxvii, 30. Et Ecclesiasticus quoque ait : Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non cognoscet unde illi adveniet
Esther vii, 10. illusio. Sic Aman fuit affixus patibulo quod paraverat Mardochæo.

25 *Tunc rex Darius scripsit universis populis, tribubus et linguis habitantibus in universa terra* sui imperii : *Pax vobis multiplicetur.* Verba ista in epistola Nabu-
Dan. iii, 98. chodonosor regis supra exposita sunt. *A*
26 *me ergo constitutum est decretum, ut in universo imperio et regno meo.* Per regnum, intelligi potest specialiter regio Medorum, quæ propria fuit Dario; per imperium vero, omnis provincia sibi subjecta. *Tremiscant et paveant Deum Danielis,* qui licet sit omnium Deus per creationem, Danielis tamen, per tam singularem ejus in omnibus gubernationem, et ob specialem cultum ei a Daniele exhibitum. Tremor autem ad corpus, pavor ad animum pertinet, quando tantus est timor internus, quod redundat in corpus usque ad ejus concussionem. *Ipse enim est Deus vivens* per essentiam, et ipsa actualissima, supersubstantialis, supervoluptuosissima vita, *et æternus in sæcula,* quum sit ens simpliciter primum, independens et incommutabile prorsus; *et regnum ejus non dissipabitur,* quoniam congregatio electorum ac Beatorum (qui sunt regnum Dei) manet perpetuo. De horum expositione nunc
transeo, quia supra verba hæc habita sunt Dan. iv, 31.
ac diffuse exposita. *Et potestas ejus usque in æternum.* Ipse enim est sua potestas.
De quo ait Psalmista : Qui dominatur in Ps. lxv, 7.
virtute sua in æternum. *Ipse est liberator,* 27
ab adversitatibus eruendo, *atque salvator,* prospera beatitudinemque præstando, *faciens signa et mirabilia :* signa, in quantum sunt divinæ potentiæ supernaturaliter ostensiva; et mirabilia, quia cernentes in admirationem convertunt; *in cœlo et in terra :* per quæ duo extrema, intelligenda est omnis creatura, quæ Creatori ad nutum obedit. Quomodo enim non plenum dominium super universa haberet, qui cuncta de nihilo fecit? *Qui liberavit Danielem de lacu leonum.* Istam tam pulchram epistolam Darius rex, ut reor, Daniele eum plenius edocente de Deo, dictavit.

Porro Daniel perseveravit usque ad re- 28
gnum Darii et regnum Cyri Persæ. Secundum Hieronymum, non est sensus quod solum vixit usque ad regnum Cyri, scilicet usque ad principium regni ejus super Me-
dos et Persas : nam infra habetur, quod Dan. x, 1.
anno tertio Cyri regis Persarum verbum revelatum est Danieli. Sed sensus est quod usque ad primum annum monarchiæ atque imperii Darii regis, Daniel mansit in Chaldæa in potentia et honore, quousque scilicet Darius regnum Chaldæorum destruxit, et monarchiam adeptus est, qui tunc Danielem duxit in Mediam : quo defuncto, adhuc mansit Daniel sub Cyro rege per aliquot annos, qui Cyrus Dario successit in regno atque imperio.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : ANNO PRIMO BALTHASAR REGIS BABYLONIS.

CONSEQUENTER scribitur visio sexta A
Danielis : sexta, inquam, secundum
ordinem descriptionis visionum in libro
isto; sed quarta, secundum rem gestam et
temporis ordinem. Cur autem Daniel ita
mutavit ordinem in scribendo, in præce-
dentium capitulorum expositione osten-
sum est.
1 *Anno primo,* non vitæ, sed regni, *Baltha-
sar regis Babylonis :* de quo in superiori-
Dan. v. bus dictum est plenius; *Daniel somnium
vidit,* id est, imaginariam visionem sibi in
somno ostensam, interioribus oculis ad- B
spexit et intellexit. Cur autem in somno
fieri soleant revelationes propheticæ ac
divinæ, et cur visio imaginaria seu pro-
phetalis somnium appelletur, et de pro-
prietate visionis imaginariæ, ac distincti-
one inter somnium et visionem, aliisque
quibusdam ad horum intelligentiam ac-
Ibid. II, 1. commodis, dictum est ante. Loquitur au-
tem Propheta de se ipso quasi de alio. *Visio
autem capitis ejus in cubili suo. Et som-
nium scribens* ad aliorum utilitatem. Do-
num siquidem prophetiæ, ad gratias per- C
tinet gratis datas ; gratiæ vero gratis datæ
proprie sumptæ, ad aliorum utilitatem dan-
tur et ordinantur. Ex prophetalibus autem
revelationibus et earum impletionibus, de-
monstratur Deus altissimus omnium ha-
bere certissimam ac distinctam scientiam,
providentiamque completam, et specialiter
probantur Christi mysteria sancta esse et
vera divinitusque prædicta. *Brevi sermone
comprehendit.* Sermo enim compendiosus,
delectabiliter ac fructuose auditur. Et in
Is. x, 23; Isaia legitur : Verbum abbreviatum faciet D
Rom. IX, 28. Dominus super terram. Tædiosa ergo proli-
xitas est vitanda. *Summatimque perstrin-
gens,* id est, visa sibi ostensa, in summa
succinctim exprimens, *ait* verbis scriptis
atque vocalibus. Somno enim completo
vigilans factus, tempore opportuno visa
redegit in scriptis ad perpetuam rei me-
moriam.
Videbam in visione mea nocte : no- 2
cturno siquidem tempore imaginaria vi-
sione hæc vidit, et mente visum intellexit.
Porro per visionem intelligitur hic res in
somno apparens, cujus significationem
Daniel (ut infra habetur) intellexit. Vel
si per visionem intelligere aliquis velit
actum videntis, in hac visione Daniel vidit
formaliter : quoniam visio, ratio est forma-
lis ob quam et per quam vidit, quemad-
modum fertur in Isaia : Commotione com- *Is.* XXIV, 19,
movebitur terra, dissipatione dissipabitur 3.
terra.
Et ecce. Ecce, adverbium est demon-
strandi, ad designandum quod magnum
sit quod narratur. *Quatuor venti cœli pu-
gnabant.* Ubi scribit Hieronymus : Quatuor
ventos cœli, quatuor arbitror angelicas
potestates, quibus principalia regna com-
missa sunt, juxta illud quod in Deuterono-
mio legimus : Quando dividebat Altissimus *Deut.* XXXII,
gentes, quando separabat filios Adam, con- 8.
stituit terminos populorum juxta nume-
rum angelorum Dei. Allegat autem Hierony-
mus hanc scripturam juxta translationem
Septuaginta interpretum : secundum quam
Gregorius eam allegat in sermone de om-
nibus angelis, Anselmus quoque in libro
Cur Deus homo.
Quamvis vero Scholastica historia et cete-
ri expositores catholici, quantum ad princi-
pale, sequantur Hieronymum, quod scilicet
per quatuor ventos cœli, sunt intelligen-
dæ angelicæ potestates, non tamen id uni-
formiter agunt. Nam quidam per potestates

has intelligunt angelos bonos; alii angelos
malos, sicut Albertus, qui scribit hoc loco :
Quatuor venti cœli, id est quatuor angeli-
cæ potestates, quæ regnis in quadripartito
mundo positis præsunt, scilicet potestates
contrariæ : quia secundum uniuscujusque
gentis meritum, bona potestas vel mala
præponitur ei. Dicuntur autem venti, quia
suggestionibus suis tentant : et dicuntur
venti cœli, quia mali ad hoc pugnant, ut
a cœlo dejiciant; boni vero, ut ad cœlum
perducant. Pugnabant quoque, quia quod
boni suadent, mali impugnant, secundum
Apoc. xii, 7. illud Apocalypsis : Factum est prælium in
cœlo; Michael et angeli ejus præliabantur
cum dracone. Insuper aliqui asserunt, lo-
cum hunc dupliciter posse exponi, videli-
cet de angelis bonis et malis : dicentes
quod mali angeli pugnant, quando excitant
homines ad pugnandum; boni, in quan-
tum proponunt coram Deo merita regno-
rum et hominum, quæ sunt aliquando
contraria : sic tamen, quod angeli boni
ista merita contraria coram Deo proponen-
do, non habent inter se voluntates contra-
rias, sed super his requirunt beneplacitum
Dei de futuris, ut quod tale regnum tali
dominetur, vel econtrario; et scita super
hoc voluntate divina, utrique angelo est
accepta, sive sit pro exaltatione gentis cui
præest, sive pro ejus depressione.

Itaque Albertus verba Hieronymi ad an-
gelos malos retorquet. Similiter quod infra
Dan. x, 13. legitur de principe Persarum resistente
Gabrieli, quidam affirmant Hieronymum
interpretari ac intelligere de angelo malo;
imo Thomas in prima parte et super se-
cundum Sententiarum hoc dicit, prout in
capitulo illo tangitur. Verumtamen quan-
tum capere valeo, Hieronymus jam per
quatuor ventos intelligit angelos sanctos.
Primo, quia ad hoc allegat scripturam can-
tici Deuteronomii secundum interpretati-
onem Septuaginta, qui ibidem per ange-
los Dei intelligunt angelos bonos. Secundo,
quia Hieronymus perhibet his angelicis
potestatibus esse commissa ac credita re-
gna mundi. Tertio, quia quod fertur in

A textu, *Quatuor venti cœli pugnabant in
mari magno,* ita exponit : Quatuor venti
qui pugnabant in mari magno, angeli cœli
esse dicuntur, quia unusquisque angelus
facit pro regno quod sibi creditum est.

Postremo, quomodo angeli sive boni si-
ve mali, ad invicem pugnare dicantur, in
expositione capituli decimi clarius est di- *Dan.* x, 13.
cendum. Dicere etiam possumus, angelos
sive bonos sive malos, nomine venti si-
gnari, propter subtilitatem ac invisibilita-
tem naturæ eorum; vel propter motus et
B operationis eorum velocitatem aut agilita-
tem. Nam et alibi in Scripturis spiritus
dicitur ventus. Præterea per mare ma-
gnum mundus significatur, propter ama-
ritudinem inquietudinemque habitatorum
ipsius, et propter instabilitatem, fluxibili-
tatem atque continuam variationem sæculi
hujus instar maris, quod jugiter agitatur
et procellis concutitur. Præterea, quantum
ad imaginariam pertinet apparitionem, vi-
debatur Prophetæ in somno per imagina-
rias similitudines, quod a quatuor plagis
C terræ venti consurgerent, ac inter se in
Oceano compugnarent : et quid per hoc
figurabatur, angelo edocente cognovit. Sic-
que putandum de eo quod subditur.

Et quatuor bestiæ grandes ascendebant 3
de mari : id est, quatuor regna ferocia at-
que potentia, de terra successive exorta
sunt, quæ etiam bestialis vitæ fuerunt,
prout consequenter patebit; *diversæ in-
ter se :* quia regna ista diversas habuerunt
proprietates, leges et consuetudines. *Pri-* 4
ma quasi leæna, id est, primum regnum,
D scilicet Chaldæorum, simile est leænæ; *et
alas habebat aquilæ :* ad designandum al-
titudinem ambitionis et superbiæ regis ac
populi Babylonis, cujus rex ait : In cœlum *Is.* xiv, 13.
ascendam, etc. Aquila autem rex avium
dicitur, et volat altissime. Aquila quoque
rapax est animal : et sic per alas ejus, ra-
pacitas Chaldæorum exprimitur. Circa hæc
scribit Hieronymus : Regnum Babylonicum
propter sævitiam et crudelitatem, sive pro-
pter luxuriam et vitam libidini servien-
tem, non leo, sed leæna vocatur. Aiunt

enim qui de bestiarum scripsere naturis, A leænas esse ferociores, maxime dum catulos nutriunt, et semper gestire ad coitum. Cujus rationem assignat Albertus, quia ex natura habent calorem moventem, et ex sexu humorem materiam ministrantem. Quidam autem non inconvenienter per alas aquilæ, intelligunt abundantiam divitiarum, peritiamque armorum regis et plebis Chaldææ, quibus in altum elationis se erexerunt. Albertus vero per alas intelligit exercitus hinc inde se extendentes, juxta *Is.* VIII, 8. illud Isaiæ : Erit extensio alarum ejus, sci- B licet regis Assyriorum, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel. Insuper ait Hieronymus : Ut leo inter bestias, ita aquila inter aves regnum tenet; et aquila multo tempore vivit : sic regnum Assyriorum, in quo scilicet cœpit regnum Chaldæorum, multis ætatibus est dominatum. Unde in Scholastica historia scribitur, quod in se- *Gen.* XI, 22. cunda ætate mundi inchoans sub Sarug proavo Abrahæ, descendit usque ad quintam sub Balthasar rege Babylonis. Interdum enim hæc regna pro eodem sumuntur. C

Adspiciebam diligenti consideratione in visione prophetica, *donec evulsæ sunt alæ ejus :* id est, regna prius regi Babylonis subjecta, ab ejus dominio recesserunt, *Dan.* IV, 30; V, 30. quando videlicet Nabuchodonosor in amentiam versus est, et quando nepos ejus Balthasar a Medis occisus est; *et sublata est de terra :* quia Nabuchodonosor in furiam versus, ab hominibus est ejectus, et Balthasar interfecto, subversum est imperium *Ibidem.* Chaldæorum, sicut superius plenius dictum fuit; *et super pedes quasi homo ste-* D *tit :* id est, Nabuchodonosor post amentiam ad pristinum statum reductus est; *et cor ejus datum est ei,* id est usus rationis : ita quod se mortalem fragilemque cognovit per pœnas instructus, sicut Antiochus le- II *Mach.* IX, 12. taliter læsus ait : Justum est, subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Istud quoque, secundum Hieronymum, ad totum populum regnumque Babylonicum potest referri, quod Balthasar interfecto, ad communem rediit hominum humilitatem, nec amplius se erexit. Itaque rex Babylonis, qui in prima visione, scilicet in statua quæ Nabuchodonosor appa- *Dan.* II, 31, 32, 38. ruit, significabatur per aureum caput, jam per leænam est significatus.

5 *Et ecce alia bestia similis urso in parte stetit.* Glossa atque Scholastica historia et Albertus sequentes Hieronymum, per bestiam secundam similem urso, intelligunt regnum Medorum atque Persarum propter laboris tolerantiam, victusque parcitatem, ita quod more Lacedæmoniorum, pro pulmento utebantur sale et cardamo. Lyra quoque hic scribit, quod ursus sit potentissimus ad labores ac verbera, et parvo cibo contentus, ita quod pro magna parte anni nil accipit : sic Persæ infrangibiles erant laboribus, et insuperabiles bellis, saltem ad tempus, adeoque parci in victu, ut pene sicco pane uterentur, nisi gratia festi aut hospitum, ut dicit Trogus Pompeius historiographus. Rursus regnum hoc urso comparatur, quia ut ursus est minus ferox quam leæna, sic regnum istud fuit Judæis minus crudele quam regnum Chaldæum. Nam et Cyrus rex Persarum Judæos a captivitate absolvit, templumque reædificari I *Esdr.* I, 2 *et seq.* præcepit. Hincque in Zacharia, per equos *Zach.* I, 8. albos signatur, atque in parte stetisse asseritur, quia non movit se contra Judæos sicut præcedens.

Et tres ordines erant in ore ejus et in dentibus ejus : id est, tria regna in imperio isto adunata fuerunt, videlicet Persarum, Medorum, et Chaldæorum, quod Darius vicit et suo subjugavit imperio. Vel tres ordines isti sunt tres principes, qui centum viginti satrapis præfuerunt sub *Dan.* VI, 1, 2. Dario, ut dictum est ante. Os autem bestiæ hujus et dentes, designant potestatem et bellicositatem, quæ per regna ista ac principes corrosit populos multos. Quidam tamen per dentes intelligunt officiatos regni, qui inferiores premebant. *Et sic dicebant ei* consiliarii et amici : *Surge, et comede carnes plurimas,* id est, homines multos occide : quod secundum Hieronymum et alios, refertur ad Assuerum regem

Esther III. regni præfati, cui Aman et sibi consentientes, persuaserunt occidere omnes Judæos in suo manentes imperio : quod quia divina ordinatione implendum non fuit, Daniel asserit dictum, Comede, non, Comedes.

6 *Post hæc adspiciebam,* in apparitione imaginaria : in qua omnia quæ hic scribuntur, videbantur fieri, sicut in textu narratur; sed Propheta per angelum docebatur, quid singula figurarent. *Et ecce alia* bestia *quasi pardus :* qua regnum Macedonum seu Græcorum, præsertim pro tempore Alexandri, exprimitur. Pardus enim velocissimum animal est, et vario colore perfusum : sic Alexander mirabili velocitate monarchiam adeptus est; pluribus quoque regnis quasi coloribus est ornatus. Dicit autem Hieronymus, quod pardus præceps fertur ad sanguinem, et saltu ruit in mortem. Sic Alexander et milites ejus ad sanguinis effusionem ferebantur præcipites : quo facto, Alexander subito in necem collapsus est. *Et alas habebat avis quatuor super se :* quia Alexander ad victorias potius tanquam avis videbatur volare, quam ire. Propter quod ait Hieronymus : Nihil Alexandri victoria velocius fuit, qui ab Illyrico et Adriatico mari usque ad Indicum oceanum et Gangem fluvium, non tam præliis quam victoriis percucurrit, et sex annis Europæ partem et omnem sibi Asiam subjugavit. Quidam per quatuor alas intelligunt robur corporis, animositatemque cordis, liberalitatem et ingeniositatem, quæ omnia excellenter in Alexandro fuerunt. *Et quatuor capita erant in bestia,* scilicet quatuor duces Alexandri, quibus ipse regnum suum divisit : Ptolemæus qui regnavit in Ægypto, Seleucus qui in Syria, Antigonus qui in Asia, Philippus qui regnavit in Græcia. *Et potestas data est ei,* quasi dicat : Non humana et propria potestate ita invaluit, sed virtute et ordinatione divina, quæ per eum orientales populos justo judicio castigavit. Et Rom. XIII, 1. ut ait Apostolus, Non est potestas nisi a Deo. Propter quod Christus in passione ad

A præsidem : Non haberes, inquit, in me potestatem ullam, nisi datum tibi esset desuper. Joann. XIX, 11. Abusus vero potestatis, ex perversitate est voluntatis humanæ.

Post hæc adspiciebam in visione noctis, 7 *et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis* apparatu, ac plurimum monstruosa; sicque mirabilis, non eminentia bonitatis, sed feritatis; *et fortis nimis :* significavit enim Romanum imperium ceteris regnis multo potentius. Unde secundum Hieronymum et Scholasticam historiam, speciali B nomine non explicatur, ut quidquid in bestiis ferocius excogitare poterimus, in Romano intelligamus imperio : a quo etiam Christi Ecclesia in principio sui atrocissimam persecutionem sustinuit. Hebræi tamen, ut refert Hieronymus, dicunt bestiam istam similem apro fuisse, juxta illud Psalmistæ : Exterminavit eam aper de silva, et Ps. LXXIX, 14. singularis ferus depastus est eam. *Dentes ferreos habebat magnos :* ad designandum quod Romanus exercitus populos innumerabiles devastaret, principesque acutos C et duros haberet; *comedens,* aliquos totaliter occidendo, *atque comminuens,* quosdam debilitando, spoliando, seu partim necando, *et reliqua pedibus suis conculcans,* id est, tributis ac servituti subjiciens.

Dissimilis autem erat ceteris bestiis quas videram prius, id est tribus prædictis, quia Romanum imperium in pluribus cetera regna excessit; *et habebat cornua decem :* per quæ intelligendi sunt decem reges, non sibi invicem in imperio succedentes, sed simul exsistentes, quoniam im-D minente tempore Antichristi, Romanum imperium dividetur in decem reges. Dicit namque Hieronymus : Dicamus quod omnes scriptores ecclesiastici tradiderunt : In consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros esse reges qui orbem Romanum inter se dividant. Et in Scholastica historia legitur : Quod sequitur, Habebat cornua decem, respicit ad finem mundi, quia tunc regnum Romanorum dividetur in decem : quod significatum est per decem soles in

vaticinio Sibyllæ. Cornua autem significant reges, ob suam excrescentiam et robur et defendentiam, quia per ea defendunt se bestiæ. Sic etenim eminent reges dignitate atque potentia, estque eorum protegere plebem.

8 *Considerabam cornua,* id est reges istos et eorum potentiam ; *et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum,* id est Antichristus : qui respectu decem regum dictorum erit undecimus, et de medio alicujus regnorum orietur; eritque in primis parvus in potestate, et cooperante diabolo, omnibus fiet potentior. *Et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus,* id est, tria regna de præfatis decem regnis ipse primitus superabit. Unde Hieronymus : Dicamus undecimum surrecturum esse parvulum regem (scilicet Antichristum), qui tres reges de decem superaturus sit, id est, Ægyptiorum, Africæ, et Æthiopiæ : quibus interfectis, et alii septem reges victori colla submittent. De hoc Scholastica narrat historia : Ecce cornu aliud : hic est Antichristus, de ignobili tribu Dan nasciturus, in obscuro Babyloniæ loco; ex seminibus quidem parentum concipietur, sed post conceptum spiritus malignus descendet in uterum matris, cujus virtute puer deinceps nascetur, aletur et adolescet.

Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto : quod dupliciter explanatur. Nam, secundum Hieronymum istud dicitur, ne putemus Antichristum fore diabolum, sed veraciter purum hominem, in quo totus Satanas habitaturus est corporaliter. Secundum alios, per oculos designantur magna providentia, scientia atque astutia Antichristi, quibus plurimos fallet. Qui etiam oculi dicuntur quasi oculi hominis, ad innuendum quod scientia ejus erit non divina, sed secundum humanam diabolicamque astutiam. *Et os loquens ingentia,* id est verba præsumptuosa. Extolletur enim, secundum Apostolum, super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ostensurus se tanquam sit Deus. Hinc

II *Thess.* II, 4.

A Scholastica refert historia : Alta et mirabilis scientia erit in eo. Et magice faciet miracula, invenietque thesauros absconditos, dæmone sibi indicante. Et erit ei os loquens ingentia, quia Deum se dicet, circumcidet se, et dicet se esse Messiam, confluent ad eum Judæi, reædificabit templum, et solium suum ponet in eo, convertet ad se omnes homines (id est pene omnes), Eliam et Enoch interficiet.

Adspiciebam indesinenter intentus visioni prædictæ, *donec* in decursu ac pro- 9
B cessu hujus imaginariæ visionis *throni positi sunt.* In his verbis atque sequentibus describitur secundus Christi adventus, quo ad judicium est venturus, in quo erit sedes præcipua posita judici Christo. Apostolis quoque et apostolicis viris omnibusque perfectis, qui tanquam assessores judicabunt cum Christo, throni ponentur : quibus ipse spopondit, Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel. Et Apostolus, Nescitis, inquit, quia Sancti
C de hoc mundo judicabunt? Porro hi throni, judiciariæ potestates seu privilegiatæ auctoritates sunt perfectorum, qui Christo specialiter conformabuntur, assessorie conjudicando : in quibus et requiescent, tanquam in tanta excellentia firmiter radicati, quod tunc omnibus ostendetur. Ideo pluraliter ait, Throni, quoniam Sancti judicabunt cum Christo.

Matth. XIX, 28.
I *Cor.* VI, 2.

Et Antiquus dierum, id est Deus æternus, scilicet Deus Pater, vel Trinitas Deus, *sedit* ad judicandum. In finali enim judi-
D cio, sicut et nunc, Trinitas Deus est judex principalis per auctoritatem fontanam, et interiorum discussionem, discernentiamque inter bonum et malum. Christus autem secundum naturam assumptam, est judex per sententiæ prolationem, et divinæ æternæque dispositionis exsecutionem : et hanc judicandi dignitatem ac potestatem sua humilitate et passione promeruit, quemadmodum ait loquens de Patre et se : Potestatem dedit ei et judicium facere, quia Filius hominis est. Porro Deus

Joann. V, 27.

æternus vocatur Antiquus dierum, quia
æternitas omne tempus includit. Huic au-
tem scripturæ dicit Hieronymus, et eum
sequens Albertus, consonare illud Apoca-
Apoc. IV, 2, 4. lypsis : Ecce sedes posita erat in cœlo, et
supra sedem sedens ; et in circuitu sedis
sedilia viginti quatuor, et supra thronos
viginti quatuor seniores sedentes. Sed quia
ibidem ad litteram non fit sermo de finali
judicio, magis ad hunc locum pertinere
censetur quod alio loco ejusdem Apoca-
lypsis de isto judicio litteraliter scribitur,
Ibid. XX, 11, 12. dicente de se S. Joanne : Vidi thronum
magnum candidum, et sedentem super
eum; et vidi mortuos, pusillos et magnos,
stantes in conspectu throni.

Vestimentum ejus candidum quasi nix.
Incircumscriptibilis et supersimplicissi-
mus Deus, corporaliter non vestitur, sed
propria sibi consubstantiali claritate, pu-
ritate ac luce ornatur, ac pulcher monstra-
Ps. CIII, 1, 2. tur, sicut de eo in Psalmo cantamus : Con-
fessionem et decorem induisti, amictus
Ps. XCII, 1. lumine sicut vestimento; et item : Domi-
nus regnavit, decorem indutus est; indu-
tus est Dominus fortitudinem. Itaque, per
vestimenti candorem in visione imagina-
ria apparentem, divinæ naturæ munditia,
sanctitas, lux, sinceritas insinuatur. At
vero, secundum Albertum, vestimentum
Dei candidum, est circumdatio Sanctorum,
cum quibus veniet ad judicium. De tali
Is. XLIX, 18. vestimento loquitur Isaias, dicendo : His
omnibus velut ornamento vestieris, et cir-
cumdabis eos tibi velut amictum. De qui-
Ibid. III, 14. bus denuo Isaias scribit : Dominus ad ju-
dicium veniet cum senioribus populi sui,
et principibus ejus. Zacharias quoque :
Zach. XIV, 5. Veniet Dominus Deus meus, omnesque
Sancti ejus cum eo.

*Et capilli capitis ejus tanquam lana
munda.* Per capillorum laniformem mun-
ditiam, quæ senectutem prætendunt, sa-
pientia atque maturitas, ac sinceritas Dei
Job XII, 12. in judicando, signantur. In antiquis enim
est sapientia, et in multo tempore pru-
dentia, ut habetur in Job. Circa quod ait
Hieronymus : Quod capilli ejus lanæ mun-

A dissimæ comparantur, purum ostenditur,
sincerumque judicium, et nullam perso-
nam in judicando respiciens. Senex quo-
que describitur, ut maturitas sententiæ
comprobetur. Simili modo scriptum est de
judice Christo in Apocalypsi : Caput ejus Apoc. I, 14.
et capilli, erant candidi tanquam lana alba
et tanquam nix. Secundum Albertum, per
caput significatur excellentia Deitatis; per
capillos angeli Deo jugiter adhærentes, qui
sunt quasi lana alba, ut per lanam intelli-
gatur eorum mollities ac mansuetudo ad
B bonos ; per munditiam vero, innocentia
eorumdem, quoniam nunquam peccati la-
be fœdati sunt.

Thronus ejus flammæ ignis : id est,
sedes Judicis summi igneæ flammæ assi-
milatur, quia in flamma est lumen et
ardor. Per lumen ergo claritas veritasque
judicii atque justitiæ Dei ostenditur, juxta
illud Osee : Judicia tua quasi lux egredi- Osee VI, 5.
entur ; et in Psalmo, Educet quasi lumen Ps. XXXVI, 6.
justitiam tuam, et judicium tuum tan-
quam meridiem. Per ardorem vero innu-
C itur ignea illa punitio, qua mediocriter
boni purgantur, et valde mali uruntur.
Sicque ait Hieronymus : Thronus ejus
flammæ ignis, ut peccatores tormentorum
magnitudinem pertimescant, et justi sal-
ventur, sic tamen quasi per ignem. Vel
thronus Dei dicitur flammæ ignis, propter
zelum veritatis et æquitatis in Deo, qui
in Exodo protestatur : Ego sum Dominus Exod. XX, 5.
Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum
in filios, in tertiam et quartam generatio-
nem eorum qui oderunt me. De quo et
D Josue ait : Deus sanctus et fortis æmulator Josue XXIV, 19.
est, nec ignoscet sceleribus vestris. Hinc
ait Apostolus : Deus noster ignis consu- Hebr. XII, 29.
mens est. *Rotæ ejus, ignis accensus.* Se-
cundum Albertum, rotæ Dei sunt justitia
et velocitas ejus in peccatores, per quas
in eorum punitionem quasi festinat, et
fertur tempore præstituto. Rota quippe
volubilis est : et quantum in uno arcu
erigitur, tantum in alio deprimitur ; ita
judicium quantum elevat Sanctos, tantum
deprimit impios. Istæ rotæ dicuntur ignis

accensus, propter ardentem justitiæ judiciique amorem, ac igniformem judicandi zelum in Deo, qui loquitur per Sophoniam (*Soph.* III, 8.): In igne zeli mei devorabitur omnis terra. Et Isaias (*Is.* LXVI, 15.): Ecce Dominus in igne veniet reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis. Hinc in Deuteronomio Moyses ait (*Deut.* VII, 9, 10.): Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.

10 *Fluvius igneus rapidusque,* id est abundantia ac impetus atque severitas damnationis ac pœnæ in reprobos, *egrediebatur a facie ejus,* id est a præsentia divinæ justitiæ impios judicialiter adspicientis, juxta illud Isaiæ (*Is.* XXX, 27, 28.): Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus et gravis ad portandum; labia ejus repleta sunt indignatione; spiritus ejus velut torrens inundans ad perdendas gentes. Qui in Deuteronomio testatur (*Deut.* XXXII, 22.): Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. De quo Psalmista (*Ps.* XLIX, 3.): Ignis, inquit, in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. De quo scriptum est per Nahum (*Nahum* I, 8.): In diluvio prætereunte faciet consummationem.

Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Secundum Hieronymum, Gregorium, omnesque doctores catholicos, ponitur hic numerus determinatus, perfectus et maximus, pro numero indeterminato, nobis incomprehensibili et ineffabili angelorum sanctorum: quorum aliqui dicuntur ministrare, alii adsistere; quamvis absolute omnes Deo ministrent laude continua, atque adsistant contemplatione perpetua. Sed per appropriationem ministrare dicuntur, qui ad explenda foris ministeria divinitus emittuntur; adsistere vero, qui sic intima Dei visione fruuntur, quod foras nequaquam mittuntur. Verumtamen, secundum Apostolum (*Hebr.* I, 14.), omnes vocantur administratorii spiritus, in ministerium missi propter electos: quoniam superiorum ordinum an-

A geli, etsi non ad exteriora, corporalia et terrena, tamen ad inferiorum ordinum angelos mitti dicuntur, in quantum eos illuminant. De hoc Thomas in prima parte, et super secundum Sententiarum, multa pulchra conscribit, cum B. Dionysio tenens, quod superiorum ordinum angeli nunquam foras mittuntur: præsertim quum ad denuntiandum summum illud mysterium incarnationis Filii Dei, atque ad explendum ministerium dignissimum circa illud, missus sit angelus Gabriel (*Luc.* I, 26.), qui de

B infima hierarchia consistit. Denique Albertus et Thomas divinum Dionysium in omnibus circa istam materiam assequentes, dicunt quod quatuor superiorum ordinum angeli, scilicet Seraphim, Cherubim, Throni et Dominationes, foras non mittuntur; sed alii quinque ordines inferiores. Nihilo minus secundum Dionysium, plures sunt angeli adsistentes quam ministrantes: quia (ut ait) quo ordo angelicus est altior, eo plures in eo spiritus angelici continentur. Gregorius vero opi-

C natur, quod adsistentes sint ministrantibus pauciores. Unde quod dicitur, Millia millium ministrabant ei, Gregorius exponit non multiplicative, sed indefinite, quasi dicatur: Innumerabilia sunt millia ministrantia. Dionysius autem exponit hoc multiplicative: idcirco quum subditur, Decies millies centena millia adsistebant ei, datur intelligi, quod multo plures adsistant. Et hanc sententiam Thomas probat esse rationabiliorem.

Insuper, secundum Dionysium, angelo-

D rum multitudo omnem materialem multitudinem quasi incomparabiliter excedit, ita quod (ut multi scribunt doctores) quemadmodum cœlestia corpora excedunt in magnitudine quasi incomparabiliter corpora inferiora, ita angelici spiritus excedunt hæc inferiora in multitudine. Quum enim cuilibet homini præsit unus angelus bonus, et universi angeli singulorum hominum custodes esse dicantur de infimo choro, constat quod ad minus sint tot angeli de infimo choro, quot unquam simul

fuerunt, sunt vel erunt homines in hoc mundo. Ex quibus damnatur gravissimus Rabbi Moysis error, qui dixit tot solum esse spiritus intellectuales incorporales separatos, quot sunt orbes cœlestes, sequens in hoc quosdam philosophos : angelos vero in Scripturis dixit vocari effectus et impressiones illorum spirituum in inferioribus istis, ut dicit Albertus super Job ; vel naturales rerum creatarum virtutes, quæ agendo ad quod divinitus institutæ sunt, quasi nuntii Dei videntur, dum ei obediunt ac ministrant.

Denique, quum ad hoc creata sint universa, ut divina in eis perfectio splendeat ac monstretur, probabile est ea amplius esse multiplicata, quæ sunt altioris naturæ seu gradus vel ordinis. Ideo Thomas ait in prima parte, quæstione 112 : Quanto aliquid in rebus creatis est dignius, tanto est magis a Deo intentum ac multiplicatum. Quod autem tam innumerabilis sit angelicorum multitudo spirituum, patet
Job xxv, 3. ex eo quod scriptum est in Job : Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non surget lumen ipsius ? Verum de hac materia possent plura pulcherrima introduci, nisi studendum brevitati esset : et aptiori loco talia sunt servanda.

Judicium sedit, id est, Deus ad judicandum se exhibebit : qui ad judicandum sedens describitur, ad insinuandum quod sine commotione cum summa quietudine
Sap. xii, 18. judicat, juxta illud Sapientiæ : Tu autem, Dominator Domine, cum tranquillitate judicas, et cum reverentia magna disponis nos. *Et libri aperti sunt.* Sunt libri sacræ Scripturæ, videlicet novi ac veteris Testamenti : qui in judicio aperientur, quia sicut Scriptura ista prædixit, judicabitur mundus, et tunc veritas Scripturarum cunctis patebit. Ita exponit Beda super Apocalypsim. — Sunt autem et libri conscientiarum, qui sunt ipsæ conscientiæ, secundum quod in eis merita sive demerita continentur atque leguntur : qui tunc aperientur, quia tunc conscientiæ singulorum singulis innotescent, ut æquitas divini judicii omnibus pateat. Sicque Hieronymus ait hic : Conscientiæ et opera singulorum in utraque parte, vel bona vel mala, omnibus revelantur. Insuper ait : Bonus liber est, quem sæpe legimus, liber viventium. Malus liber, qui in manu tenetur accusatoris, qui est inimicus et vindex, de quo in Apocalypsi legimus : Accusator fratrum *Apoc.* xii, 10.
nostrorum projectus est. Liber iste terrenus est, de quo Jeremias dicit : Recedentes *Jer.* xvii, 13.
a te, in terra scribentur. Lyra quoque hic ait : Liber vitæ aperietur, qui tenebitur in manu Dei ; et liber mortis, qui tenebitur in manu accusatoris. Sed contra hoc videtur quod Thomas in prima parte, quæstione 24, ostendit, quod reprobis non correspondet liber mortis, sicut prædestinatis liber vitæ, quoniam non est consuetum, eos qui repudiantur, conscribi. Ad quod respondendum videtur, quod secundum Thomam reprobis non correspondet liber mortis in Deo ; non autem vult dicere, quod in memoria accusatoris scripti non sint. — Præterea, secundum Richardum, libri intelligi possunt corda Sanctorum, per contemplationem exemplata ad sapientiam et justitiam Dei. Ad quod redire ac pertinere videtur, quod Augustinus per libros apertos intelligit Sanctos, in quibus impii poterunt legere et videre bona quæ facere debuerunt et neglexerunt. His consonat illud Apocalypsis : Libri aperti sunt ; *Apoc.* xx, 12.
et alius liber apertus est, qui est liber vitæ ; et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris.

Adspiciebam, sollicite perpendendo pro- 11
cessum ordinemque judicii, *propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur,* id est propter blasphemias, præsumptiones, jactantias Antichristi : propter quæ verba optabam videre, quem res ipsa, puta processus judicii, exitum sortiretur, præsertim circa hoc cornu. *Et vidi quoniam interfecta esset bestia,* scilicet quarta, designans Romanum imperium, sub quo Antichristus nascetur, quod ante regnum Antichristi dispergetur : qui etiam Antichristus ad quartam pertinet

bestiam, ut dictum est, et significatur per A ipsam. Sicque in bestiæ interfectione, Antichristi occisio designatur : qui in Apo- *Apoc.* XI, 7; XIII, 1, 2, etc. calypsi frequenter bestia dicitur, et a Christo creditur occidendus, dicente Apostolo : II *Thess.* II, 8. Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui. *Et perisset corpus ejus,* id est omnes iniqui pertinentes ad bestiam istam, qui pariter damnabuntur. Sicut autem electi I *Cor.* XII, 27. et justi corpus sunt Christi, sic reprobi et iniqui corpus sunt Antichristi atque diaboli, secundum Gregorium. *Et traditum* B *esset ad comburendum igni* infernali : *Apoc.* XIX, 20. juxta illud Apocalypsis, Qui adoraverunt imaginem bestiæ, missi sunt in stagnum ignis ardentis et sulfuris.

12 *Aliarum quoque bestiarum* trium prædictarum, *ablata esset potestas :* quia ante secundum Christi adventum, omnis terrena prælatio ac potestas cessabit, secundum I *Cor.* XV, 24. illud primæ ad Corinthios, Quum evacuaverit Christus omnem principatum et omnem virtutem. *Et tempora vitæ constituta essent eis,* id est, unicuique bestiæ, scilicet C regno per bestiam designato, præfixum esset a Deo certum tempus quousque viveret et duraret, seu justos persequeretur, et cum Antichristo regnaret : juxta illud *Job* XIV, 5. Job, Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Et istud clarissime cunctis patebit, visa subita occisione Antichristi et satellitum ejus, destructione quoque sui imperii. *Usque ad tempus et tempus,* id est usque ad tempus debitum exterminationi unius, alterius, seu cujuslibet bestiæ : quia post unam surrexit alia, D et suo tempore periit quælibet aut peribit. Vel, Usque ad tempus et tempus, id est usque ad tempus primi adventus Christi, et usque ad tempus adventus ejus secundi. Fuit enim persecutio quædam justorum ante primum Christi adventum : cui persecutioni Deus posuit finem in tempore primi adventus. Alia persecutio cœpit post primum Christi adventum, quæ in secundo ejus adventu cessabit. Vel tempus et tempus, nominat duos annos, quibus persecutio Antichristi ferventior erit : a quo tempore cessare incipiet rabies impiorum. Vel, Usque ad tempus mortis corporalis, et usque ad tempus mortis perpetuæ damnationis, quæ est mors secunda. Hinc in Ecclesiaste legitur : Omnia tempus *Eccle.* III, 1. habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo ; et in Apocalypsi, Venit tempus *Apoc.* XI, 18. judicare*, et reddere mercedem servis tuis timentibus nomen tuum, et exterminandi eos qui corruperunt terram.

* mortuorum judicari

Adspiciebam ergo in visione noctis, in- 13 cessanter intentus prosecutioni hujus visionis somnialis ac prophetalis ; *et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat.* In visione namque imaginaria non veritas, sed similitudo fuit Filii hominis, scilicet Christi : per quam figurabatur, quod ipse vere in forma humana descendet in nubibus judicare vivos ac mortuos : quemadmodum etiam in nube ascendit, juxta illud in Actibus, Nubes suscepit eum *Act.* I, 9. ab oculis eorum ; et post pauca angeli dicunt, Quemadmodum vidistis eum as- *Ibid.* 11. cendentem in cœlum, ita veniet. Christus quoque tempore passionis ait Judæis : Amodo videbitis Filium hominis seden- *Matth.* XXVI, 64. tem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. Scriptum est quoque in Apocalypsi : Ecce venit cum nubibus, et *Apoc.* I, 7. videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Albertus per nubes intelligit lucidos et sibi invicem permixtos splendores Sanctorum, cum Christo ad judicium venientium.

Et usque ad Antiquum dierum pervenit æqualitate divinitatis, qua æqualis est Patri æterno. Sed quomodo ad hoc pervenit, aut in judicio perveniet, quum æternaliter sit Patri æqualis ? Et respondendum, quod Christus in ascensione venit ad dexteram Patris dupliciter : primo, secundum naturam divinam, id est ad Patris æqualitatem, et hoc, quantum ad manifestationem, non omnibus, sed aliquibus factam ; secundo, quoad naturam assumptam, id est ad potiora bona Patris, seu præcipua dona glorificationis, etiam ejus quam ante

non habuit, quantum ad præmium accidentale. Porro in secundo adventu veniet ad Patris æqualitatem, quantum ad manifestationem omnibus exhibendam. Universi enim tunc noscent Christum esse Dei Filium naturalem. Simili sensu sunt exponenda quæ sequuntur.

Et in conspectu ejus, scilicet Patris æterni, seu Dei unius ac trini, *obtulerunt eum,* id est, Christum secundum formam servi, præsentaverunt angeli ac Beati : et hoc rursus, quantum ad manifestationem, vel per veritatis confessionem. Quia enim ut dictum est, in judicio Deus Trinitas erit judex principalis per auctoritatem ; Deus autem, quamvis secundum se sit penitus illocalis, ibi tamen esse asseritur, ubi evidentius operatur, suamque ostendit potentiam : idcirco tunc potissime in loco quo fiet judicium, esse dicetur et erit. Sicque Christus secundum naturam assumptam, ad locum illum corporaliter veniens, ad Deum Patrem seu Trinitatem ibi præsidentem perveniet, imo ut homo, ad se ipsum ut Deus est. Tuncque Beati per laudem et gratiarum actionem offerent eum secundum formam assumptam Antiquo dierum, collaudantes Divinitatis veritatem et æquitatem, quod omnia sicut prædixit, adimpleat, atque per Christum hominem cunctos, ut prophetatum est, judicet.

14 *Et dedit ei,* scilicet Antiquus dierum Christo homini, *potestatem* judiciariam ac adversariorum depressivam : quia tunc omnia erunt ei plene subjecta, ponenturque *Ps.* cix, 1. inimici ejus scabellum pedum ipsius, quando *Is.* xlv, 25. implebitur illud Isaiæ, Ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei ; *et honorem* hyperduliæ, secundum naturam assumptam ; imo tunc adversarii ejus, reverentiam ei exhibebunt, timore coacti. Quidam exponit hoc sic : Et honorem, scilicet latriæ, quæ sibi impendetur non solum ab electis, verum etiam a damnatis, secundum quod dicit Apostolus ad Philippenses : *Philipp.* ii, 10. In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infer-

A norum. *Et regnum,* id est imperatoriam ac regiam dignitatem, et regimen gloriosum quo in electis sine fine regnabit. Denique ab instanti incarnationis, eo ipso quo Christi humanitas unita est hypostatice Verbo, data est ei potestas, honor et regnum super omnem creaturam. *Matth.* xxviii, 18. Unde et ante passionem Christus testatus est in Joannis Evangelio : Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus ; *Joann.* iii, 35. itemque passione instante, Dedisti ei potestatem omnis carnis. *Ibid.* xvii, 2. Nihilo minus post resurrectio-

B nem loquens Apostolis, Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo et in terra : *Matth.* xxviii, 18. quia tunc cœpit datio ista manifestari magis quam ante, et usus ipsius tunc magis invaluit, quando Christus quotidie multos convertit ad se, subjecitque sibi. Sed in judicio ista dabuntur Christo, quantum ad generalissimam atque clarissimam manifestationem, et quantum ad usum completum, quo et bonos ac malos sibi subjiciet, illos frenando, incarcerando, æternaliterque torquendo, istos ad beatissi-

C mam servitutem gloriæ perducendo, quæ erit incessabilis Dei laudatio. De qua in Apocalypsi legitur : Servi Dei servient illi, et videbunt faciem ejus, et regnabunt in sæcula sæculorum. *Apoc.* xxii, 3-5. *Et omnes populi, tribus et linguæ servient ei.* Post judicium servient ei in regno felicitatis æternæ, ut dictum est.

Quidam prædicta aliter exponentes, quod dicitur, In conspectu ejus obtulerunt eum, referunt ad oblationem Christi in cruce, in templo, in altari ; et quod in primo ad-

D ventu data sunt Christo prædicta, atque ex tunc servierunt ei omnes populi, tribus et linguæ, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, sicut in Psalmo : *Ps.* xxi, 28. Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium ; itemque : *Ps.* lxxi, 11. Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei. Sic namque et Christus apud Joannem prædixit : *Joann.* xii, 32. Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Quamvis autem

ista sint vera, tamen non videntur ordini visionis, in qua de finali judicio agitur, consonare, nisi dicatur quod prophetia transeat de tempore uno ad aliud, sicut frequenter fit in Prophetis.

Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur. Potestas Christi, secundum naturam divinitatis, est virtus incommutabilis, increata, æternalis, immensa. Potestas autem assumptæ naturæ collata, creata est, et æterna est, non a parte ante, sed sine fine mansura. *Et regnum ejus quod non corrumpetur.* Sic quippe angelus sanctæ Virgini est locutus : Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. (*Luc.* I, 32, 33.) Regnum enim ipsius, in triumphanti Ecclesia nequaquam cessabit.

Ex præinductis patet stultitia, error, vanitasque Porphyrii, ea quæ nunc de Christo exposita sunt, exponentis de Juda Machabæo et fratribus ejus, quorum nulli certum est ista jam dicta congruere.

15 *Horruit spiritus meus* præ magnitudine visionis, et propter districtionem divini judicii, et ob mala futura atque blasphemias Antichristi. *Ego Daniel territus sum in his.* Naturale est enim fragilitati humanæ, in tam mirabilium et insolitorum apparitione terreri. Nec humana infirmitas consuevit talia sine concussione atque angustia ferre. *Et visiones capitis,* id est cordis *mei;* vel, Capitis, quia hæc visio partim imaginaria fuit, sicque in imaginativa erat potentia, quæ est sensus interior, cujus organum situatur in capite. Hæc autem visio totalis quamvis exstitit una, pluraliter tamen exprimitur propter partes ipsius, et plurima quæ complectebatur. *Conturbaverunt me* conturbatione bona, non vitiosa, id est, multum attonitum, alteratum, tremefactum, sollicitumque fecerunt.

16 *Accessi,* non corporali processu, sed intellectuali accessu : de quo in Psalmo dicitur, Accedite ad eum, et illuminamini; (*Ps.* XXXIII, 6.) *ad unum de adsistentibus* judici Deo sedenti in throno. Quod uno modo intelligitur de aliquo angelo superiori, exsistenti de numero adsistentium, non ministrantium. Illuminationes autem ab adsistentibus in ministrantes descendunt, secundum Albertum. In visione enim hac imaginaria vidit Propheta per similitudines corporales, quasi Deum in throno sedentem, sicut et Isaias fatetur : Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. (*Is.* VI, 1.) Insuper angeli sibi apparuerunt Domino adsistentes, quemadmodum tertio Regum ait Michæas : Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli adsistentem ei a dextris et a sinistris. (III *Reg.* XXII, 19.) Itaque quod ait, Accessi ad unum de adsistentibus, secundo intelligi potest de quocumque angelo Deo fruente. Vel in imaginaria visione apparuit Danieli, quod quidam sanctorum angelorum juxta se essent, quorum unum secundum apparitionem suam accessit. Omnia enim hæc per similitudines quasdam fiebant. *Et veritatem quærebam ab eo de omnibus his* mihi in revelatione ostensis, quid scilicet significarent, et qualiter implerentur. *Qui dixit mihi interpretationem sermonum,* id est expositionem verborum jam descriptorum, *et docuit me.*

17 *Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor regna sunt,* id est, similitudines quatuor bestiarum istarum (de quibus in principio hujus capituli mentio facta est), signant quatuor regna, *quæ consurgent de terra,* id est, terrena erunt, et ex hominibus prodient, videlicet regnum Chaldæorum et Medorum, Græcorum quoque ac Romanorum. Sed quum regnum Chaldæorum tempore hujus prophetiæ diu duraverit, et prope interitum fuerit, quomodo de eo angelus dicit, quod consurget de terra? nisi forte quia pro tunc quotidie se erexit in superbiam contra Deum; vel quoad illud regnum, ponitur futurum pro præterito.

18 *Suscipient autem regnum Dei altissimi,* id est regnum cœleste : de quo cantamus, Regnum tuum, regnum omnium sæculorum; (*Ps.* CXLIV, 13.) atque oramus, Adveniat regnum tuum; (*Matth.* VI, 10.) *Sancti :* quibus in judicio Judex dicturus est : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est (*Ibid.* XXV, 34.)

ab origine mundi. De quibus Sapiens di- A
Sap. v, 16, 17. cit : Justi autem in perpetuum vivent, et
apud Dominum est merces eorum; ideo
accipient regnum decoris et diadema spe-
ciei de manu Domini. *Et obtinebunt re-
gnum* istud *usque in sæculum, et sæculum
sæculorum,* id est in æternum. Confundatur
ergo error hæresisque ponentium ruinam
Is. xxxv, 10. esse in cœlo. Hinc in Isaia habetur : Lætitia
sempiterna super capita eorum; gaudium
et lætitiam obtinebunt. Quibus consonat
Joann. xvi, 22. Christi promissio : Gaudebit cor vestrum,
et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. B
Circa prædicta ait Hieronymus : Quatuor
regna præfata, fuerunt terrena; omne enim
Eccle. iii, 20. quod de terra est, revertetur in terram.
Sancti autem nequaquam habebunt terre-
num regnum, sed cœleste. Cesset ergo
mille annorum fabula.

19 *Post hæc volui diligenter discere* ab an-
gelo *de bestia quarta,* significante Roma-
num imperium, *quæ erat dissimilis,* etc.
Istud jam in textu habitum est atque expo-
20 situm. *Et de cornibus decem quæ habebat
in capite,* per quæ decem reges signati C
sunt, *et de alio* cornu *quod ortum fuerat :*
vers. 8. de quo dictum est in isto capitulo, Ecce
cornu aliud parvulum ortum est de medio
eorum : quo Antichristus exprimitur. Ita-
que volui discere *de cornu illo, quod ha-
bebat oculos et os loquens grandia :* quod
totum expositum est. Unde in Apocalypsi
Apoc. xiii, 5, 6. legitur : Datum est ei os loquens magna et
blasphemias, etc., ad Deum, blasphemare
nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos
qui habitant in cœlo. *Et majus erat cete-
ris :* quia Antichristus, quamvis primo pu- D
sillus erit in potestate, paulatim tamen et
cito sic crescet, quod potestate atque divi-
tiis major erit ceteris regibus terræ.

21 *Adspiciebam, et ecce cornu illud,* vide-
licet Antichristus, *faciebat bellum adversus
sanctos.* Ita in imaginaria visione apparuit,
ad insinuandum quod Antichristus sanctos
in terra gravissime impugnabit, secundum
Matth. xxiv, 21. quod ait Salvator : Erit tunc tribulatio
qualis ab initio non fuit. *Et prævalebat
eis,* vel spiritualiter subvertendo, vel cor-
poraliter occidendo. Nullum tamen sancto-
rum electorum in finem subvertet : quam-
vis multos electorum ad tempus decipiet,
qui eo occiso pœnitebunt, vel antequam
occidetur, per prædicationem Eliæ et Enoch
convertentur, ac martyrium patientur. Hinc
in Apocalypsi legitur : Datum est illi bel- Apoc. xiii, 7.
lum facere cum sanctis, et vincere eos.
Donec venit Antiquus dierum, id est, quo- 22
usque Deus Pater per Christum ad judican-
dum processit : juxta illud Apostoli, Deus Act. xvii, 31.
statuit diem in quo judicaturus est orbem
in æquitate, in viro quem statuit; *et ju-
dicium dedit sanctis Excelsi,* id est, judi-
cialem sententiam dedit pro sanctis suis
seu Christi altissimi. Vel, Judicium dedit
eis, id est potestatem judicandi cum Chri-
sto, secundum modum prædictum. Tunc
enim, ut dicit Sapiens, Stabunt justi in Sap. v, 1.
magna constantia adversus eos qui se an-
gustiaverunt. *Et tempus advenit,* id est
tempus plenum judicii et regni atque vi-
ctoriæ electorum; *et regnum obtinuerunt
sancti,* id est, finaliter prævalebunt, et
regnum sortientur cœleste, et persecutores
suos damnabunt. Quibus per Malachiam
Deus promittit : Orietur vobis timentibus Malach. iv, 2, 3.
nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in
pennis ejus; egrediemini, et salietis quasi
vituli de armento, et calcabitis impios in
die qua ego facio. Et apud Lucam : Nolite, Luc. xii, 32.
inquiens, timere, pusillus grex, quia com-
placuit Patri vestro dare vobis regnum.

Et sic ait angelus, quartam bestiam mihi 23
exponens : *Bestia quarta, regnum quar-
tum erit in terra,* id est, similitudo bestiæ
quartæ designat quartum regnum, puta
Romanorum, *quod majus erit omnibus re-
gnis* præcedentibus ipsum : quando vi-
delicet Romani monarchiam tenebant, ut
tempore Augusti Cæsaris, scilicet Octavia-
ni, quando (ut dicit Lucas) exiit edictum Ibid. ii, 1.
ab illo, ut describeretur universus orbis.
Et devorabit universam terram, id est,
omnes habitantes in terra occidet aut su-
perabit : quod hyperbolice accipi debet,
quia et multi confœderati ac amicitia jun-
cti fuerunt Romanis, quibus nil nocue-

runt. *Et conculcabit,* subjiciendo tributis A
ac servituti, *et comminuet eam,* plurimos
auferendo de ea, civitates quoque et mu-
nitiones comburendo.
24 *Porro decem cornua* designant, quod
ipsius regni Romani *decem reges erunt*
simul : qui tempore Antichristi regnum
Romanum inter se divident, sicut præta-
ctum est. *Et alius consurget post eos,* sci-
licet Antichristus, *et ipse potentior erit*
prioribus regibus, et plures habebit sibi
subjectos, *et tres reges,* scilicet Ægypti,
Africæ, et Æthiopiæ, sicut præhabitum est, B
secundum Hieronymum, *humiliabit,* id est
vincet : quo facto, alii ei colla sua territi
25 subdent. *Et sermones* blasphemiæ *contra*
Excelsum, id est Deum sublimem, cujus
comparatione nihil est altum, *loquetur, et*
sanctos Altissimi conteret modis præfatis;
et putabit, excæcante eum inæstimabili
superbia, *quod possit mutare tempora et*
leges, id est cursum ac ordinem temporis,
seu festa Christi et Sanctorum in solenni-
tates suas convertere; leges quoque seu
cærimonias ac præcepta religionis, præ- C
sertim christianæ, pro posse demolietur, et
suis legibus commutare nitetur. In tantum
nempe elationis barathrum ruet, quod sic-
Matth. XII, 8. ut Christus verissime se dixit esse domi-
num sabbati, legislatoremque nostrum, et
Joann. XIV, 6. Filium Dei, per quem solum pervenitur ad
Patrem, sic Antichristus de se ipso præsu-
met ac dicet. Solent autem dubitare non-
nulli, an in tantum excæcabitur, quod puta-
bit se esse Filium Dei, regem Messiam, et
sanctum ac justum.

Et tradentur in manus ejus, id est, D
sancti permittentur divinitus tribulari ab
Antichristo, ad electorum probationem,
exercitationem, et gloriam ampliorem, *us-*
que ad tempus, et tempora, et dimidium
temporis. Juxta idioma Hebræorum, per
tempus annum unum, per tempora annos
duos, per dimidium temporis medius an-
nus exprimitur. Tamdiu enim perdurabit
persecutio Antichristi. Hinc in Apocalypsi
Apoc. XII, 14. scribitur, quod mulieri, scilicet Ecclesiæ,
pro tempore illo datæ sunt alæ duæ ma-
gnæ, ut volaret in desertum, ubi aletur per
tempus, et tempora, et dimidium tempo-
ris. Rursusque : Data est bestiæ, scilicet *Apoc.* XIII, 7.
Antichristo, potestas in omnem populum,
tribum et linguam. Quod autem tamdiu
durabit persecutio Antichristi, frequenter
in Apocalypsi prædicitur. Prædictum enim
tempus trium annorum ac dimidii anni,
exprimitur per dies mille ducentos sexa- *Ibid.* XII, 6.
ginta. Rursusque fertur, quod civitatem
sanctam, puta Ecclesiam, calcabunt mensi- *Ibid.* XI, 2.
bus quadraginta duobus, id est tribus annis
cum dimidio. Præterea, secundum Grego-
rium, sicut persecutio illa erit gravissi-
ma, sic erit brevissima : quia ut Christus
in Evangelio fassus est, Nisi breviati essent *Matth.* XXIV, 22.
dies illi, non fieret salva omnis caro, sed
propter electos breviabuntur.

Et judicium sedebit, id est, Deus judicio 26
præsidebit, *ut auferatur potentia,* id est,
potestas Antichristi tollatur, *et conteratur*
una cum principe suo, *et dispereat usque*
in finem, ita quod nunquam poterit repa-
rari, juxta illud Apocalypsis : Cruciabitur *Apoc.* XIV, 10, 11.
iniquus igne et sulfure in conspectu ange-
lorum sanctorum et Agni; et fumus tor-
mentorum ejus ascendet in sæcula sæ-
culorum. *Regnum autem et potestas et* 27
magnitudo regni, quæ est subter omne cœ-
lum, id est quidquid potestatis et regni,
seu regiæ dignitatis excellentiæque rega-
lis, infra cœli empyrei ambitum contine-
tur, *detur populo sanctorum Altissimi,* id
est, ad Dei summi electos transferatur, eis-
que detur quoad id quod est perfectionis
et gloriæ : sicut etiam (secundum Basi-
lium) quidquid fœtoris, impuritatis et cali-
ditatis fuerit in igne conflagrationis, atque
in elementis terræ et aquæ ac aeris, simul
cum reprobis in infernum descendet. Om-
nia autem sub cœlo contenta, cedent ad
gloriam electorum ; et ipsi regnabunt in
Deo, secundum voluntatem ipsius impe-
riose agentes, cunctisque inferioribus istis
prælati; et Deus regnabit in ipsis per dona
gloriæ, eos in se tanquam in ultimo fine
æternaliter conservando. Hinc in Apocaly-
psi scribitur : Nunc facta est salus et vir- *Ibid.* XII, 10.

tus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi A
ejus, quia projectus est accusator fratrum
nostrorum. *Cujus* Altissimi *regnum, regnum*
sempiternum est in patria Beatorum; *et*
omnes reges, qui vere sunt reges, quales
Ps. VIII, 6. sunt omnes cœlestis curiæ cives, gloria et
honore divinitus coronati, omnibusque suæ
salutis hostibus superlocati, *servient et*
obedient ei : sicut et nunc angeli sancti
Deo obediunt, quia ut ait sacer Dionysius,
nil, præterquam eis divina lege præfixum
est, facere audent nec volunt, et quidquid
eis Deus præfixit agendum, promptissime B
exsequuntur.

28 *Huscusque finis verbi,* id est, hic ter-
minatur sermo angeli me de hac visione
docentis. Quo facto, *Ego Daniel* evigilans,
multum cogitationibus meis conturbabar,
id est, sollicitabar propter ostensa : sicut
in isto articulo plenius dictum est de cau-
sis conturbationis istius laudabilis. Sic et
Habac. III, 16. Habacuc ait : Audivi, et conturbatus est
venter meus; a voce contremuerunt labia
Jer. XXIII, 9. mea. Et Jeremias : Contritum est, inquit,
cor meum; contremuerunt omnia ossa mea C
a facie Domini, et a facie verborum san-
ctorum ejus. Unde paulo ante Daniel dixit:
Horruit spiritus meus. Sic et Eliphaz lo- vers. 15.
quitur : Quum spiritus me præsente trans- *Job* IV, 15, 14.
iret, horruerunt pili capitis mei; pavor
tenuit me et tremor, et omnia ossa mea
perterrita sunt. *Et facies mea immutata*
est in me. Ex intensa siquidem occupatione
mentis circa divina secreta, anima ab ex-
terioribus sensibusque corporeis abstrahi-
tur, inferiorumque virium actiones remit-
tuntur, et natura debilitatur, ac sanguis ad
cor colligitur : sicque membra frigescunt,
et vultus præsertim pallescit ac contrahi-
tur. Ideo in Isaia habetur : Conturbatus *Is.* XXI, 3, 4.
sum quum viderem; emarcuit cor meum.
Verbum autem, id est sermonem mihi ab
angelo dictum de visione hac, *in corde*
meo conservavi, per diligentem considera-
tionem, frequentem memoriam, tanquam
rem memoria dignam, et ut ista tempore
apto ad aliorum doctrinam conscriberem :
sicut et de beatissima Virgine legitur : Ma- *Luc.* II, 19.
ria autem conservabat omnia verba hæc,
conferens in corde suo.

ARTICULUS IX

ENARRATIO CAPITULI OCTAVI : ANNO TERTIO REGNI BALTHASAR.

CONSEQUENTER describitur visio, quæ
secundum ordinem libri hujus, est
septima, quinta vero secundum ordinem D
temporis atque historiæ, ut in Scholastica
historia edocetur. Præcedens quoque visio
facta est primo anno Balthasar regis Baby-
lonis, cujus imperii tertio anno facta est
ista. Ideo ait Hieronymus : Post duos an-
nos superioris revelationis apparuit hæc
visio. Et hoc verum est, si tamen utraque
facta est eodem tempore anni. Itaque di-
1 cit : *Anno tertio regni Balthasar regis*
Babylonis, de quo dictum est supra. Unde
ista visio, sicut et immediate præcedens,
præcessit illam quæ quinto capitulo scri-
bitur. Causa vero permutationis ordinis in
scribendo, assignata est supra. *Visio appa-* Art. VII, p. 94.
ruit mihi, secundum modum qui sequitur.

Ego Daniel post id quod videram, visio-
ne imaginaria ac intellectuali, *in princi-*
pio, id est primo anno Balthasar regis, *vidi* 2
in visione mea ea quæ subsequuntur, *quum*
essem in Susis castro. Hoc communiter ita
exponitur, quod fuit in civitate nomine
Susis, quæ castrum vocatur propter fortis-
simam suam munitionem ac muros firmis-
simos. Potest quoque exponi, quod fuerit in
castro aliquo urbis istius. *Quod est in Elam*

regione, id est in regno Elamitarum. Elam quandoque est nomen regionis, quandoque civitatis a qua regio ista nomen sortita est : sicut a Babylon Babylonia dicitur; et Babylon nunc pro civitate, nunc pro regno Chaldæorum accipitur in Scripturis. Fuit autem regio ista sub rege Medorum, contra
Jer. XLIX, 34 *et seq.* quam Jeremias prophetat : in qua quidam Judæorum dispersi manebant. Nam et in Actibus, inter Judæos qui in Jerusalem ex diversis partibus erant, et ad prædicationem Apostolorum, omnium linguis lo-
Act. II, 9. quentium, stupebant, narrantur fuisse et Elamitæ. Porro Susis fuit metropolis Elamitarum, quæ (ut in Scholastica historia fertur) in libro Judith Ecbatanis nominatur. Circa quod scribit Hieronymus : In
Ant. Jud. lib. X, c. 11. hac civitate Daniel, secundum historiam Josephi, turrim exstruxit excelsam et quadro marmore ædificatam, tantæ magnitudinis ac pulchritudinis, ut usque in præsens nova esse videatur. In eaque regum Persarum atque Medorum conduntur reliquiæ seu corpora, et custos sive ædituus ac sacerdos ejusdem loci, Judæus est. In Scholastica quoque habetur historia, quod fecit in ea mausoleum, id est sepulcrum regum.

Vidi autem in visione esse me super portam Ulai, id est paludis, quia ante hanc portam Susis jacuit palus, a qua porta nomen accepit. Unde Symmachus pro Ulai transtulit, Paludem. Hinc secundum Hieronymum, Ulai est nomen portæ vel loci. Porro visio ista imaginaria fuit per alienationem ab exterioribus sensibus ; sicque videbatur Danieli, quod esset super hanc portam, quia in spiritu fuit illuc trans-
Ezech. VIII, 3 ; XL, 2. latus : sicut Ezechiel perhibet se in Jerusalem et in montem altum fuisse transpositum seu translatum. Hæc autem per corporalium rerum similitudines in interiori sensu imaginativo formatas, angelico ministerio fiunt.

3 *Et levavi oculos meos* interiores, ad intuenda quæ mihi interius objiciebantur videnda, *et vidi* imaginarie quæ subduntur. In tali tamen visione apparet videnti, quasi etiam corporaliter exterius aliquid

A cernat, sicut in somno nobis contingit. In prophetica autem visione non est illusio, sicut in somno nostro communiter : quia ibi vera est significatio, et mentibus Prophetarum, quid per imaginarias formas significetur, desuper declaratur. Circa hoc scribit Hieronymus : Quamvis in somnis videantur, quæ videntur, in umbra videlicet et imagine, tamen ne ipsa quidem videre possumus sine oculis elevatis. In quibus verbis insinuatum videtur, quod non solum imaginaria fuit, sed in somno
B quoque ostensa sit visio ista : juxta quod genus visionis angelus ait ad Jacob, Leva *Gen.* XXXI, 12. oculos tuos, et vide masculos ascendentes super feminas.

Et ecce aries unus, id est similitudo arietis, *stabat,* secundum apparitionem, *ante paludem* sitam ex adverso portæ, videbaturque stare inter portam atque paludem, *habens cornua excelsa.* Per arietem significabatur rex seu regnum Medorum, sicut infra in textu hujus capituli dicitur : imo, secundum Hieronymum, aries dicitur
C Darius filius Astyagis, rex Medorum, avunculus Cyri. Per duo autem cornua, duo reges signati sunt, in regno Medorum ac Persarum præcipui, scilicet Darius iste et Cyrus : ita quod Darius fuit unus in persona, sed virtualiter rex bipartitus seu duo reges, quoniam imperavit Persis ac Medis ; sicque per arietem et per cornua arietis designatur. *Et unum excelsius altero atque succrescens.* Per quod figuratus est Cyrus, qui secundum Hieronymum, simul cum Dario imperavit Persis Medisque, sed tan-
D quam minus principalis et cedens avunculo : quo defuncto, solus Cyrus imperavit his regnis, et suum sic dilatavit imperium, quod multo potentior fuit quam ejus avunculus erat. Nam in Esdra ait : Omnia regna I *Esdr.* I, 2. terræ (scilicet orientalis seu Asiæ majoris) dedit mihi Deus cœli. Per paludem quæ est locus non firmus, aliqui putant significatam instabilitatem regni Medorum, quod a Græcis post breve tempus fuit destructum. Et quoniam Cyrus ac Darius non fuerunt Judæis molesti, sed potius pii, idcirco per

arietem animal mansuetum expressi sunt. In præcedenti vero visione regna Medorum atque Græcorum, seu reges eorum, per alia animalia designantur quam hic, ut patet consideranti : et hoc, propter diversas proprietates significantium ac significatorum ad invicem. Propter quod dicit Augustinus, quod cognitio proprietatum naturalium rerum, pandit abdita Scripturarum.

4 *Postea vidi arietem cornibus ventilantem,* id est caput moventem, *contra orientem, contra occidentem, et contra aquilonem, et contra meridiem,* id est versus quatuor plagas terræ. Secundum Scholasticam historiam istud refertur ad regnum Medorum, non ad personam, id est determinatum aliquem regem illorum : quia paulatim reges regni istius versus quatuor plagas terræ se moverunt, varias regiones hinc inde impugnando ac superando. Scribitur quoque in Judith libro, quod Nabuchodonosor qui fuit alio nomine dictus Cambyses, eratque filius Cyri regis, misit Holofernem cum grandi exercitu ad subjugandum sibi regna omnia occidentis, voluitque esse mundi monarcha. Porro Hieronymus dicit istud non esse referendum ad Cyrum vel Darium ejus avunculum, sed ad alium Darium ultimum regem imperii Persidis, quem Alexander Magnus devicit : quem Darium potentissimum ditissimumque fuisse, tam Græcorum quam Latinorum ac Barbarorum narrant historiæ. *Et omnes bestiæ non poterant resistere ei,* id est, nulli reges aut regna potuerunt huic regno regibusque Medorum obsistere aut reniti seu prævalere, saltem ad tempus, secundum quod statim tangetur. Convenienter autem hæc regna et reges populi paganismi, nominibus bestiarum expressi sunt, quia creatorem suum non cognoscentes, bestiis vilius injustiusque vixerunt. *Neque liberari de manu ejus :* quia omnes quos regnum Medorum invasit, sibi subjecit.

Judith II, 3-6.

Fecitque secundum voluntatem suam, non Dei ; et instar tyrannorum, non rationem, sed voluntatem secutum est. Quamvis enim regnum hoc fuit ad tempus, quasi flagellum divinæ justitiæ, per quod Deus multorum punivit peccata; in quantum tamen regnum hoc in aliorum vastatione non ad Dei respexit honorem, sed proprium commodum, et ex crudelitate, ambitione, cupiditate, non ex bono fonte ad bella processit, Dei data sibi potestate abutens, propriam secutum est voluntatem, nec sic motum fuit a Deo ad prælia. *Et magnificatus est* aries, id est rex seu regnum Medorum monarchiam acquirens et possidens, præsertim tempore Darii ultimi jam præfati : cui et Græci erant subjecti ; atque Philippus rex, pater Alexandri putativus, solvit Dario illi tributum, prout in vita Alexandri narratur.

Et ego Daniel *intelligebam* quodam mo- 5
do in communi quid ista signarent, videlicet mutationem regnorum per prælia. Nam in præcedenti visione his similia viderat, et ea ad mutationem regnorum pertinere didicerat. Hinc ait Hieronymus : Ex superioribus visionibus, in quibus secundum regnum per arietem et ursum significatum est, etiam nunc intelligit, quod Medorum atque Persarum cernat imperium. Quod autem nondum plene intellexit ista, infra patebit. *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ.* Per hircum animal luxuriosum, fœdum ac velox, exprimitur rex et regnum Græcorum, qui lubrici erant : et præsertim hic per hircum Alexander rex primus Græcorum signatur, qui a Macedonia ubi regnavit pater suus Philippus (quæ est in plaga occidentali quoad Medos), venit contra Darium regem Medorum, omnemque ejus terram occupavit celeriter. Ideo subditur : *et non tangebat terram :* quia tam velociter prævaluit, quod triumphis videbatur volare potius quam incedere, sicut de homine velocissime currente dicimus quod volet. *Porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.* Quod tripliciter explanatur : primo, quod hircus, id est regnum Græcorum, habuit unum insignissimum principem, scilicet Alexandrum ; secundo, quod Alexander habuit regiam

potestatem præclaram ac fortiorem; tertio,
quod Alexander ad unum potentissimum
regnum obtinendum oculos suos præser-
tim direxit, videlicet ad Darium regem Me-
dorum ac Persarum. Legitur quippe in
vita Alexandri, quod legatis Darii venien-
tibus ad Philippum patrem Alexandri pro
tributo, Alexander ex responsione illorum
sit indignatus : tuncque mente concepit
Darium impugnare. Ideo quoque Alexander
cornu insigne inter oculos habere visus
est, quia ingeniosus fuit et doctus, ac phi-
losophorum, præsertim Aristotelis, utens
consiliis.
6 *Et venit usque ad arietem illum cor-
nutum,* duo scilicet cornua præferentem,
quem videram stantem ante portam Su-
sis, id est usque ad Darium regem præ-
fatum, in quo finitum fuit imperium Me-
diæ. Alexander enim primo variis præliis
duces ac populos Darii superavit. Postre-
mo Darius cum exercitu maximo contra
Alexandrum personaliter venit, et præli-
um perdidit. *Et cucurrit ad eum in im-
petu fortitudinis suæ,* id est, cum ani-
mositate audaci, velocitate impetuosa, ac
forti exercitu Alexander Darium invasit.
7 *Quumque propinquasset ad arietem, effe-
ratus est in eum,* id est, atrociter Darium
impugnavit, *et percussit arietem,* id est,
Darium interfecit, non tamen propria ma-
nu : imo Darius a duobus suis principibus
fuit clam letaliter vulneratus, sicut in vita
Alexandri habetur; sed ideo eum percus-
sisse asseritur, quia compulit eum in fu-
gam, ex qua fuga Darius mortem incurrit;
exercitum quoque Darii pro maxima parte
peremit. *Et comminuit duo cornua ejus,*
id est, regnum Persarum ac Medorum va-
stavit et subjugavit, *et non poterat aries
resistere ei. Quumque eum misisset in
terram,* id est, prostrasset in fugam, eum
conculcavit, id est, regno privavit et hu-
miliavit, *et nemo quibat liberare arietem
de manu ejus :* quia Dario nullus suorum
potuit opem ferre adversus Alexandrum.
8 *Hircus autem caprarum,* scilicet Ale-
xander, *magnificatus est nimis* potestate,

A divitiis, fama et gloria. Nam et Indiam su-
peravit, et Asiam totam, Africamque pro
parte, secundum historias. Sic itaque ex
ordinatione divina fortior insurgit contra
fortem, et spolians spoliatur, spernensque
spernitur. *Quumque crevisset* Alexander
potestate et opibus, et factus esset monar-
cha, *fractum est cornu magnum :* id est,
Alexander rex Græciæ maximus, statim
defunctus est, veneno peremptus tricesimo
secundo ætatis suæ anno in Babylone, se-
cundum Hieronymum. In toto autem re-
B gnavit annis duodecim, et post triumphos
statim, scilicet post paucos annos, scilicet
sex aut septem, vel circiter, est mortuus,
ut patet primo Machabæorum. *Et orta sunt* I *Mach.* I, 8.
quatuor cornua subter illud : id est, qua-
tuor reges Alexandro minores ac inferio-
res, successerunt in regnis : quibus ipse
adhuc vivens suum divisit imperium. No-
luit enim parem habere, nec voluit sibi
post mortem suam aliquem dici parem :
idcirco imperium suum non uni dimisit
in toto, sed quadripartitus est illud. Quæ
C omnia in vita Alexandri, et primo Macha- *Ibid.* I-10.
bæorum, in Scholastica quoque historia
plenius recitantur. *Per quatuor ventos cœ-
li,* id est per quatuor plagas terræ, ex
quibus principales quatuor venti oriuntur
et flant. Qui autem fuerint hi quatuor re-
ges, et in quibus regnaverint regnis, di-
ctum est in præcedenti articulo. *Dan.* VII, 6.
De uno autem ex eis, id est de Seleuco 9
rege Asiæ, uno ex quatuor successoribus
Alexandri, *egressum est cornu unum mo-
dicum,* id est, carnaliter genitus est rex
D unus, qui primo parvæ exstitit potestatis,
puta Antiochus Epiphanes de Seleuco de-
scendens, quanquam aliqui intermedii fu-
erint. Iste Antiochus parvum cornu voca-
tur, quia in primis fuerat Romæ obses, et I *Mach.* I, 11.
ignorante senatu, a Roma discedens, re-
gnum Syriæ occupavit, filium fratris sui
primogeniti, regno sibi debito privans, se-
que in primo humilians intentione vanis-
sima. Est enim qui nequiter se humiliat, et *Eccli.* XIX, 23.
interiora ejus plena sunt dolo. *Et factum
est grande contra meridiem,* id est, regem

Ægypti (quæ respectu Syriæ est in parte A meridiana) devicit, videlicet Ptolemæum Philometorem, quo fugato, regnum Ægypti adeptus est, *et contra orientem,* id est eos qui erant in Perside, qui respectu Syriæ orientales fuerunt, *et contra fortitudinem,* id est urbem Jerusalem et populum Israel, ubi Deus immensæ potentiæ colebatur. Vastavit enim et intravit Jerusalem, et filios Israel in potestatem redegit, sicut in libro Machabæorum conscribitur. I *Mach.* I, 22 *et seq.*

10 *Et magnificatum est usque ad fortitudinem cœli,* id est contra populum Israel, B qui ad angelicas fortitudines specialiter pertinebat, et vallabatur ac roborabatur ab eis. Vel sensus est, quod contra angelos sanctos Israelitarum custodes, magnificatus est : non quod eis prævaluit, sed his qui illorum custodiæ erant commissi. Nec mirum si contra angelos hoc modo magnificatus dicatur, quum paulo post contra Deum magnificatus enuntietur. *Et dejecit de fortitudine,* id est, quosdam de forti populo Dei prostravit, ad idololatriamque coegit ; *et de stellis,* id est, de viris C perfectis, luce sapientiæ atque justitiæ decoratis, quorum conversatio fuit cœlestis, (*Philipp.* III, 20.) quosdam occidit, ut septem fratres, et alios multos : ut patet secundo libro Machabæorum; (II *Mach.* VI, VII.) *et conculcavit,* id est, irreverenter tractavit *eas.*

11 *Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est,* id est, contra Deum per superbiam blasphemiamque erectus, secundum Hieronymum. Alii tamen per principem fortitudinis, intelligunt pontificem Judæorum, alii Judam Machabæum. *Et ab eo tulit juge sacrificium,* D id est quotidianam immolationem agni, quæ omni die fiebat semel de mane, et semel in vespere, prout in Levitico habetur. (*Lev.* VI, 9, 12; *Exod.* XXIX, 38, 39.) Figuravit autem hoc sacrificium immolationem corporis Christi, quod in altari offertur quotidie. Prohibuit namque Antiochus sacrificia legalia Deo offerri. (I *Mach.* I, 47.) *Et dejecit locum sanctificationis ejus,* id est, templum Dei violavit, ponendo ibidem idolum Jovis, secundum quod primo Machabæorum habetur : Ædificavit rex Antiochus (*Ibid.* 57.) abominandum idolum desolationis super altare. Sed et aliis variis modis templum Jerusalem profanavit, ut scribitur in libris Machabæorum. (I *Mach.* I, 23 *et seq* ; II *Mach.* VI, 2 *et seq.*) Templum autem dicitur locus sanctificationis Dei, quia in illo præcipue populum exaudivit, purgavit ac sanctificavit, et populus ibidem Dei sanctitatem profitebatur, monstravit ac coluit. Vel dicitur locus sanctificationis Dei, id est Deo consecratus, et ab eo sanctificatus.

Robur autem datum est ei, id est, for- 12
titudo Antiocho divinitus data est effective, et abusus potestatis concessus est ei a Deo permissive, *contra juge sacrificium,* ita quod illud impedivit (quod secundum Albertum fuit Deo sacrificiis cunctis acceptius, scilicet propter significatum ipsius, quod est immolatio Christi in cruce atque altari), *propter peccata,* quibus filii Israel Deum offenderant, sicque affligi meruerant, sicut secundo Machabæorum frequenter innuitur. (II *Mach.* V, 17, 18; VI, 15; VII, 32; XII, 42.) *Et prosternetur veritas in terra :* quia in Judæa ubi cultus Dei viguit, idololatriam frequentavit, et veritatem vitæ, doctrinæ ac justitiæ suppeditavit, multosque Judæorum ad divinæ legis compulit abnegationem ; *et prosperabitur* falsa prosperitate, id est, secundum suam affectionem expeditum habebit successum. De tali prosperitate ait Psalmista : Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitiam. (*Ps.* XXXVI, 7.) *Et faciet,* opere exsequendo quæ vitiose concepit.

Consequenter inducitur declaratio visionis istius. *Et audivi,* interiori auditu quo 13
audiunt ab omni exteriori sensu alienati, *unum de sanctis,* scilicet angelis, *loquentem. Et dixit unus sanctus* angelus *alteri nescio cui* sancto angelo, *loquenti* sibi, id est præfato angelo, cui tanquam inferiori alius superior loquebatur. Ex quo patet, quod angeli inferiores a superioribus quærunt et illustrantur, quemadmodum etiam loquitur Zacharias : Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit : (*Zach.* II, 3, 4.) Curre, et loquere ad puerum istum. Ex

quibus eorum error ostenditur, qui negabant totum processum doctrinæ B. Dionysii in libro de Angelica hierarchia, quoad ea quæ scribit de mutua angelorum purgatione, illuminatione et perfectione : dicentes, omnes angelos et Beatos a Deo, et solum ab eo, de omnibus illuminari. Denique etiam secundum Philosophos, et ut in libro de Causis docetur, intelligentiæ inferiores projiciunt suos vultus in lumina superiorum intelligentiarum. At vero secundum Albertum, angeli loquuntur ad se invicem et ad homines : ad se invicem per illuminationem, qua invicem se convertunt; loqui autem eorum ad homines, est per species sensibiles vel imaginales aut intellectuales hominem erudire. Fluunt autem illuminationes a superioribus, secundum quod dicit divinus Dionysius legem esse Divinitatis, reducere ad se media per prima, et ultima per media. Et quia superiores usum non habent ministerii exterioris, et angeli secundum Gregorium nomina sortiuntur ab exteriori officio, ideo nomen hujus angeli superioris mansit Danieli incognitum.

Usquequo visio et juge sacrificium, et peccatum desolationis quæ facta est, et sanctuarium, et fortitudo conculcabitur ? Loquitur angelus more dolentis, et quasi Judæis compatiens : ideo verba ejus truncata sunt, quibus supplendum est aliquid. Dolorosi namque, sermones defectivos solent proferre, quia affectio verba abrumpit, sicut dum Christus ad Jerusalem ait in Luca : Quia si cognovisses et tu ; et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. (*Luc.* XIX, 42.) Sensus ergo verborum istorum est : Usquequo visio, id est lex divinitus revelata, vel prophetalis revelatio de adversariorum populi Israel dejectione, conculcabitur ab adversariis legis, seu effectu privabitur ? Simili modo quærit : Usquequo juge sacrificium, et sanctuarium, id est templum, et fortitudo, id est virtus justorum in Israel, conculcabitur ab Antiocho rege et suis? Et usquequo peccatum

A desolationis, id est idolum Jovis ab Antiocho in templo locatum, faciens desolationem Judæis, seu idololatria aut desolatio templi ob populi scelera introducta, supple, durabit ? (I *Mach.* I, 57; II *Mach.* VI, 2.)

14 *Et dixit ei* angelus superior, de secretis divini consilii ac operum ejus plura cognoscens : *Usque ad vesperam et mane,* id est per dierum protractiones ac temporum intervalla, per dies quorum numerus subinfertur : *dies duo millia trecenti :* qui faciunt annos sex, tres menses et viginti B dies, secundum Albertum, quibus duravit conculcatio memorata. Unde in Scholastica historia legitur : Ab ingressu Antiochi in Jerusalem, usque ad mundationem templi factam a Juda Machabæo, per successiones diei ac noctis fluxerunt sex anni, tres menses et dies viginti. Hieronymus quoque hic scribit : Legamus Machabæorum libros et Josephi historiam, ibique scriptum reperimus, quod centesimo quadragesimo tertio anno a Seleuco, qui post Alexandrum primus regnavit in Syria, Antiochus C ingressus est Jerosolymam, et universa ibi vastavit, reversusque anno tertio, posuit in templo statuam Jovis ; et usque ad Judam Machabæum, id est usque ad annum centesimum quadragesimum octavum, per sex annos vastitatis Jerusalem, contaminationis autem templi tres annos, esse completos dies prædictos.

Pro quorum intellectu sciendum, quod Antiochus bis intravit Jerusalem, et in primo ingressu vastavit urbem, in secundo profanavit templum, idolum ibi con- D stituens, quod tribus illic annis permansit. (I *Mach.* I, 21-29. *Ibid.* 30-57 *et seq.*) Sicque conculcatio sex annorum, non refertur ad tempus desolationis idoli hujus, sed ad desolationem civitatis ac populi Israel, imo etiam ad desolationem templi, quantum ad spoliationem ipsius ab Antiocho, ut primo Machabæorum libro clarissime dicitur, quod Antiochus primo suo ingressu in Jerusalem spoliavit templum. (*Ibid.* 23, 24.) Porro primo Machabæorum libro habetur, quod Judas et fratres ejus mundaverunt templum anno centesimo qua- (*Ibid.* IV, 52.)

dragesimo octavo. Et quoniam Daniel ista tam lucide prænuntiavit, Hieronymus perhibet eum non tam prophetam, quam historiographum exstitisse, qui eminenter
Ps. L, 8. dicere potuit Deo : Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Hinc impius sacrilegusque Porphyrius specialiter nisus est librum hunc reprobare, et esse confictum probare.

Et mundabitur sanctuarium, id est templum a Juda et fratribus ejus ab immunditiis idololatriarum ac idolo Jovis : prout primo Machabæorum libro diffuse
I Mach. IV, 36. describitur, ubi loquitur Judas : Ecce contriti sunt inimici nostri : ascendamus nunc mundare sancta et renovare.

15 *Factum est autem quum viderem ego Daniel visionem,* id est, visioni huic imaginariæ tota mente intenderem, scire æstuans quid singula designarent, *et quærerem* ab angelo *intelligentiam ejus :* nondum enim singula distincte cognovit, sed parum quid in communi, prout superius dixit, Ego intelligebam ; *ecce stetit in conspectu meo quasi species viri,* id est angelus in specie viri : fuitque Michael, secundum Hebræos, ut statim patebit, qui interiori conspectui Danielis apparuit per
16 imaginariam formam. *Et audivi* interiori auditu, *vocem* in interiori sensu formatam, non foris sonantem, *viri,* id est angeli hujus, *inter Ulai,* id est inter paludem et portam a palude adjacente, portam
vers. 2. Ulai dictam, sicut præhabitum est. Daniel enim videbatur sibi esse super hanc portam, et angelus iste videbatur stare prope portam inter paludem et eam. *Et clamavit,* non clamore in aere resonante, sed in vi imaginativa per similitudines imaginales sonoro, *et ait* angelo inferiori de quo subditur : *Gabriel, fac intelligere visionem istam,* id est, huic Danieli visionem istam expone. Ex quo probatur ordo in ministeriis angelorum : et quoniam Michael princeps exstitit Synagogæ, diligentiam habuit de illuminatione Prophetæ, cujus illuminatio erat pro totius Synagogæ
17 utilitate et consolatione. *Et venit* Gabriel,

A *et stetit juxta ubi ego eram*,* scilicet ante me, ad docendum me. * stabam

Circa hæc ait Hieronymus : Virum istum qui Gabrieli præcipit ut Danielem faciat intelligere visionem, Judæi Michaelem autumant. Consequenter autem, quia visio de præliis erat regumque certaminibus, imo successionibus regnorum, Gabriel qui præpositus præliis erat, huic officio interpretationis circa Danielem mancipatur. Gabriel enim, in nostram vertitur linguam, fortitudo vel robustus Dei. Unde eo
B tempore quo erat Dominus nasciturus, et indicturus bellum dæmonibus, et de mundo triumphaturus, Gabriel ad Zachariam Luc. I, 19, 26.
et ad S. Mariam transmittitur. Ubicumque autem medicina et sanatio necessaria est, Raphael mittitur, qui medicina seu curatio Dei interpretatur : hoc videlicet nominis interpretatione signante, quod vera in Deo sit medicina. Porro ubi populo prospera promittuntur, et propitiatio vel expiatio necessaria est, Michael dirigitur, qui interpretatur, Quis ut Deus ?

C *Quumque venisset, pavens corrui in faciem meam,* secundum imaginariam apparitionem : sicut Ezechiel subinde cecidisse se perhibet, quando scilicet adductus erat in Jerusalem in visionibus Dei. Ezech. XL, 2; XLIII, 3; XLIV, 4.
Angeli autem in apparatu terrifico solent apparere igneo vultu, prout in libro Judicum ait mater Samsonis : Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Judic. XIII, 6.
Præterea, juxta Albertum, non timore mali, sed reverentiæ ob visionis et illuminationis magnitudinem, lapsus est.
D Natura enim animæ est, ut intenta ad unum, remittatur seu debilitetur ad alterum. Unde tota ad illuminationem intenta, retrahitur a corpore. Corpus vero ab anima derelictum, ruit in se ipsum ac collabitur.

Et ait ad me, allocutione interna : *Intellige* quæ vidisti, *fili hominis.* Filium hominis vocat Prophetam, ut inter tam sublimes angelos esse se videns, memor sit fragilitatis humanæ, gratiam penset, neque se efferat. Hinc ait Hieronymus :

Ezechiel, Daniel, et Zacharias, quia sæpe A
se inter angelos esse cernunt, ne eleven-
tur in superbiam, et angelicæ naturæ vel
dignitatis esse se credant, admonentur fra-
gilitatis suæ, et filii hominum nuncupan-
tur, ut homines esse se noverint. Verum-
tamen Zacharias in toto libro suo ita non
appellatur formaliter, sed æquivalenter.
Angelus namque superior dixit ad ange-
Zach. II, 4. lum inferiorem : Curre et loquere ad pu-
erum istum. *Quoniam in tempore finis
complebitur visio,* id est, completa iniqui-
tate malorum, et bonis per eos purgatis, B
consummabitur veritas seu effectus per
visionem hanc significatus. Quum enim
Judæorum populus fuisset per Antiochum
et subsequentes emendatus, impletum est
quod visio ista intendit. Completa quoque
iniquitate Medorum, per Græcos puniti
sunt. Finis autem in Scripturis non sem-
per ultimum tempus durationis sæculi,
scilicet tempus proximum finali judicio
signat, sed interdum significat finem ea-
rum, de quibus sermo est, rerum : ut
quum in Isaia, et (quantum ad sensum) in C
Is. II, 2; *Mich.* IV, 1. Michæa conscribitur, Erit in novissimis
diebus præparatus mons domus Domini in
vertice montium : quod ad litteram de
Christi primo adventu exponitur, secun-
dum omnes doctores catholicos. Et Jere-
Jer. XXIII, 20. mias ait : In novissimis diebus intelligetis
consilium ejus. Denique, quod in Genesi
sanctissimus patriarcha Jacob suis loqui-
Gen. XLIX, 1. tur filiis, Congregamini ut annuntiem vo-
bis quæ in novissimis diebus ventura sunt,
non ad tempus proximum finali judicio
potest referri : imo plura illorum ante D
Christi adventum, et multa illorum in pri-
mo Christi adventu impleta sunt. Quidam
tamen occasione verbi istius putant ista
ad tempus Antichristi debere referri, in
quantum Antiochus fuit Antichristi figura.

18 *Quumque loqueretur ad me, collapsus
sum pronus in terram :* cujus causa jam
posita est. Sic et Ezechiel ait in principio
Ezech. II, 1; III, 23; XLIV, 4. libri sui et postea : Vidi, et cecidi in faci-
em meam. Et Isaias : Corrui, inquit, quum
Is. XXI, 3. viderem. Sic et Joannes in Apocalypsi te-
statur : Cecidi ad pedes ejus tanquam *Apoc.* I, 17.
mortuus. Siquidem tantæ lucis splendo-
rem, tam arduam visionem, tantam in di-
vina absorptionem, anima sine corporali-
um virium destitutione ferre non solet. *Et
tetigit me,* tactu virtutis et confortationis.
Sic et Joannes in Apocalypsi : Posuit, ait, *Ibidem.*
dexteram suam super me, et dixit, Noli
timere. Dictum est autem in isto articulo, vers. 3.
quomodo secundum Hieronymum facta vi-
deatur visio ista in somno. Quo dato, etiam
forte facta est Danieli in strato quiescen-
ti : sicque collapsio hæc fuisset secundum
imaginationem, non secundum realem cor-
poris lapsum. *Et statuit me in gradu meo,*
ita quod more hominum steti erectus super
pedes, sive realiter, sive in imaginatione :
ad insinuandum, quod ad susceptionem
illustrationis divinæ, requiratur elevatio
mentis ad Deum, dummodo illustratio sit
formata. Sic et ad Ezechielem angelus ait :
Fili hominis, sta super pedes tuos, et lo- *Ezech.* II, 1, 2.
quar tecum. Et ingressus est, inquit, spi-
ritus in me, postquam locutus est mihi, et
statuit me super pedes meos.

Dixitque mihi : Ego ostendam tibi quæ 19
ventura sunt in novissimo maledictionis.
Secundum Albertum, maledictionem vocat
tempus quo idololatria duravit in templo
Jerusalem. Tunc enim maledictio abunda-
vit, gratia benedictionis Dei juste sublata
ab ipsis idololatris. *Quoniam habet tem-
pus,* id est spatium durationis seu vitæ
vel regni, aut transgressionis cujusque
hominis, *finem suum :* juxta illud Job :
Breves dies hominis sunt, numerus men- *Job* XIV, 5.
sium ejus apud te est; constituisti ter-
minos ejus, qui præteriri non poterunt.
Et in Actibus loquitur Paulus : Deus fecit *Act.* XVII, 26.
ex uno omne genus hominum inhabitare
super universam faciem terræ, definiens
statuta tempora et terminos habitationis
eorum. Denique in Genesi Dominus ait :
Nondum completæ sunt iniquitates Amor- *Gen.* XV, 16.
rhæorum.

Consequenter explanat visionem perlu-
cide. *Aries, quem vidisti habere cornua* 20
duo, rex Medorum est atque Persarum.

Ista et cetera quæ transilio, ex dictis in A
isto capitulo atque articulo clarissime pa-
tent, nec dicta, denuo sunt promenda.
23 *Et post regnum eorum*, id est finito
dominio quatuor regum succedentium Ale-
xandro, quibus ipse suum divisit impe-
rium, *quum creverint iniquitates :* tunc
enim ambitio, prælia, invidia, dolus et
I *Mach.* I, 10. plurima vitia simul exorta sunt, sicut pri-
mo libro Machabæorum habetur; *consur-
get rex impudens facie,* puta Antiochus,
nullum habens pudorem laudabilem, quia
de nullo vitio verecundabatur; fuitque ex B
uno illorum quatuor natus, videlicet ex
Seleuco Asiæ rege; *et intelligens proposi-
tiones :* quia astutus fuit et sapiens ad fa-
24 ciendum mala per calliditates vulpinas. *Et
roborabitur fortitudo ejus,* quam habuit
in se et suo exercitu adversus adversarios
suos quibus prævaluit, *sed non in viribus
suis,* id est, non ex ipso erit tanta virtus
victoriæ, sed permissione divina : quo-
niam Deus justo judicio permisit iniquos
superari ab ipso, quemadmodum per Isa-
Is. X, 5. iam Dominus ait de rege Assyriorum : In C
manu ejus indignatio mea; *et supra quam
credi potest, universa vastabit* in terra
Israel et Ægypto, *et prosperabitur* in ma-
lis, *et faciet* quæ concepit.

Et robustos et populum sanctorum in-
25 *terficiet secundum voluntatem suam :* mul-
I *Mach.* I, 25, 39, 63-66; II *Mach.* V, 12-14; VI, VII. tos enim justos in Judæa fecit occidi, ut
in libris scribitur Machabæorum; *et diri-
getur dolus in manu ejus,* id est, fraudu-
lenta cordis sui machinatio optatum ha-
bebit effectum, per opera impia finem
adipiscens intentum, Deo juste id permit- D
I *Mach.* I, 30 *et seq.* tente. De hoc primo Machabæorum ha-
betur, quomodo suos dolose miserit in
Jerusalem ac Judæam, et per eos occi-
dit quamplures; et incredibile apparebat,
Ibid. 11. quod Antiochus, quum esset Romæ ob-
ses, ad tantam perveniret potentiam. *Et
cor suum magnificabit.* Nam superbissi-
II *Mach.* V, 21. mus fuit, juxta illud Machabæorum : Exi-
stimavit Antiochus rex præ superbia ter-
ram quidem ad navigandum, pelagus vero
ad iter agendum se deducturum propter
mentis elationem. *Et in copia omnium
rerum occidet plurimos.* Ad tempus enim
fuit prædives et pecuniosus, largaque ma-
nu dedit suis stipendia, per quos occidit
quamplures, ut patet in libro Machabæo- I *Mach.* III, 28-30.
rum. *Et contra principem principum con-
surget,* id est contra verum Deum omnium
dominatorem, cujus cultum prohibuit; *et
sine manu conteretur,* id est, letaliter pla-
gabitur, non quidem ab homine, sed a
Deo, qui propter superbiam Antiochi eum
collisit. Unde primo Machabæorum, ipse
vexatione edoctus testatur : Nunc remini- *Ibid.* VI, 12, 13.
scor malorum quæ feci in Jerusalem; co-
gnovi ergo quia propterea invenerunt me
mala ista, et ecce pereo tristitia magna in
terra aliena. Secundo autem libro Macha-
bæorum habetur : Deus percussit eum in- II *Mach.* IX, 5, 9.
sanabili et invisibili plaga : ut enim finivit
hunc sermonem (scilicet contra Judæos
quibus minabatur), apprehendit eum do-
lor dirus viscerum, et amara internorum
tormenta, ita ut de corpore impii vermes
scaturirent.

Et visio vespere et mane quæ dicta est, 26
id est visio ista præfata, dierum processu
protrahenda, temporumque successu im-
plenda, *vera est. Tu ergo visionem signa,*
id est, nota seu scribe, vel sigilla seu scri-
ptam claude, ut ad posterorum utilitatem
permaneat; *quia post multos dies erit,* id
est implebitur. Multi enim anni ante to-
talem ejus impletionem fluxerunt.

Et ego Daniel langui et ægrotavi per 27
dies plurimos : in quo visionis magnitudo
notatur. Ex quo contigit, quod præ sus-
pensione mentis ad consideranda divina
secreta, et ex apparitione præfulgida an-
gelorum sanctorum, ex pavore quoque et
admiratione, et ex dolore quod populo Is-
rael tot mala imminerent, corporalis natura
in Daniele totaliter immutata est, et con-
cidit vehementer, ac destituta est viribus,
ita quod cito reparari nequivit. Et secun-
dum Albertum, necesse est ut corpus re-
lictum ab anima, concidat. Unde in hoc
casu (secundum eumdem) verum est quod
ad Corinthios ait Apostolus : Quum infir- II *Cor.* XII, 10.

mor, tunc fortior sum. In talibus namque A delectatur homo et concupiscit, et nihilo Ps. LXXXIII, 3. minus deficit, juxta illud in Psalmo : Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. *Quumque surrexissem* ab infirmitate, *faciebam opera regis* mihi commissa, ut Deo et homini satisfacerem, ac debita solverem : implens quod ait in Evangelio Matth. XXII, 21. Christus : Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo. *Stupebam ad visionem,* id est, de his quæ in ea mihi apparuerunt et dicta sunt, etiam postea diu ex memoria admirabar, *et non erat* B *qui interpretaretur,* id est, singula mihi exponeret determinate, videlicet quoad nomina regum, distinctionesque temporum, ut Hieronymus et Glossa hic dicunt. Vel, Non erat qui interpretaretur tam publica interpretatione, ut aliæ visiones expositæ sunt, ut exponit Albertus. Ex quo patet, secundum Lyram, quod Spiritus Sanctus non semper revelat Prophetis sensum plenarium visionis, sed solum quantum expediens est pro loco et tempore ac personis propter quas fit revelatio. Ideo Pro- C phetæ non tam clare scripserunt Christi mysteria de futuro, sicut Evangelistæ scribentes historiam de præterito.

Aliqui quoque litteram hanc ab illo lo- vers. 23. co, Et post regnum eorum, quum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, exponunt de Antichristo, qui ad omne malum impudentissimus erit : et quomodo littera possit applicari ad hoc, ex dictis facillimum reor. Porro, quum aliquid scribitur de aliquo non solum ut est persona seu res quædam, sed ut est typus alterius ; tunc quod ad litteram de illa persona seu re scribitur, etiam litteraliter, imo litteralius ac principalius de illo exponitur, cujus persona seu res illa exstat figura : et ita dicunt ista ad litteram de Antiocho scripta, in quantum fuit Antichristi figura.

Postremo, circa verbum illud quod Daniel ait, Quumque surrexissem, faciebam opera regis, oritur mihi dubitatio quædam, de quo scilicet rege id dicat : an scilicet de rege Medorum, an de rege Babylonis. Videtur enim quod de rege Medorum non possit intelligi, quia (ut dictum est in expositione principii capituli sexti) Daniel fuit in Babylone usque ad interfectionem Balthasar regis Babylonis ; et Babylone destructa, Darius rex Medorum tulit secum Danielem in Mediam. Ergo tempore visionis istius jam scriptæ, Daniel nondum fuit officialis Darii regis Medorum, quum visio ista sit facta vivente Balthasar rege, et tertio anno regni ejus, ut in principio hujus capituli continetur. Videtur quoque quod de rege Babylonis, scilicet Balthasar, non queat intelligi : quia, ut dictum est, regio Elam in qua Daniel vidit hæc, fuit sub rege Medorum. Hanc quæstionem non legi ab aliquo motam neque solutam, nec ex verbis eorum quos legi, certam video solutionem elici posse, nec pro præsenti certa occurrit solutio : idcirco responsionem jam differo, quia cordis mei conjecturas pro firma veritate promere non præsumo. Veram solutionem Deus scientiarum Dominus revelare dignetur.

(Marginalia: vers. 27. — Dan. VI, 2.)

ARTICULUS X

ENARRATIO CAPITULI NONI : IN ANNO PRIMO DARII FILII ASSUERI, DE SEMINE MEDORUM.

NUNC visio scribitur, quæ secundum D rem gestam et ordinem libri istius octava est, ut ex Scholastica probatur hi-
1 storia. *In anno primo Darii filii Assueri.*

Secundum Hieronymum et doctores communiter, iste non fuit Darius sub quo ædificatum est templum, ut in Aggæo Zachariaque legitur ; nec ille quem Alexan- Agg. I, 1; Zach. I, 1. I Mach. I, 1.

der Magnus dejecit : quia uterque illorum A
fuit post istum. Sed iste est de quo di-
Dan. v, 31. ctum est supra ; qui regnum Chaldæorum
vicit, ad Medosque transtulit, fuitque filius
Esther I, 1. Assueri, non illius sub quo Esther historia
contigit, sed ejus qui alio nomine dictus
est Astyages. *De semine Medorum.* Medus
enim fuit hic Darius natione. *Qui impe-
ravit super regnum Chaldæorum,* scilicet
Babyloniæ, quod sibi subjecit et suo jun-
xit imperio. Fuit quoque primus qui de
semine regum Medorum Chaldæis impe-
ravit, quum Balthasar regem Babylonis B
stravisset.

2 *Anno uno,* id est primo, *regni ejus :*
Judæi autem per unum intelligere solent
primum ; *ego Daniel intellexi in libris nu-
merum annorum, de quo* numero *factus
est sermo Domini ad Jeremiam prophe-
tam, ut complerentur desolationis Jerusa-
lem septuaginta anni :* id est, hoc sermo
divinus per Jeremiam prædixit, quod Je-
rusalem tot annis maneret templo privata
ac desolata. Scriptum est enim in Jeremia
Jer. XXIX, 10. de hac : Quum cœperint impleri in Baby- C
lone septuaginta anni, suscitabo super vos
verbum meum bonum, et reducam vos ad
terram vestram. Sed quum Jeremias non
scripserit nisi unum librum, cur plurali-
ter ait, In libris ? Et respondendum, quod
in sanctis Scripturis, etiam epistolæ libri
IV *Reg.* XX, 12 ; *Is.* XXXIX, 1. vocantur, ut patet quarto Regum, ubi le-
gitur rex Babylonis misisse libros ad Eze-
chiam. Jeremias autem de tempore isto
Baruch VI, 2. etiam in sua prophetavit epistola, quam
misit Judæis in Babylonem. Si autem Da-
niel conscius cœlestium secretorum, legit D
scripta Jeremiæ, quanto magis debemus
nos pusilli sacræ Scripturæ libris studere,
tantique vatis exemplo, desiderio intelli-
gendi Scripturas accendi ? Unde inducit
Eccli. XXXIX, 1. Ecclesiasticus : Sapientiam omnium anti-
quorum exquiret sapiens, et in Prophetis
vacabit.

3 *Et posui faciem meam ad Dominum
Deum meum,* id est, mentis adspectum et
intellectum ad Deum erexi attente orando,
sed et faciem corporalem versus locum
templi Jerusalem verti : ut dictum est su- *Dan.* VI, 10.
pra. Denique Deum omnium vocat Deum
suum, propter singularem cultum, dile-
ctionem, fiduciamque, quas habebat in
Deo, et ob præcipua beneficia sibi a Deo
concessa. *Rogare* mentaliter cum fervore,
et deprecari vocaliter cum vigore, *in je-
junio et sacco et cinere,* id est, corpus
meum jejuniis affligendo, sacco seu cilicio
operiendo ac induendo et cinere adsper-
gendo : ut non solum verbis, sed et factis
orarem, interiori quoque affectui exterior
corresponderet effectus ; et quia humilitate
maxime juvatur oratio, juxta illud Eccle-
siastici, Oratio humiliantis se, nubes pe- *Eccli.* XXXV, 21.
netrabit. Usus autem sacci et adspersio ci-
neris, signa sunt humilitatis et arma pœ-
nitentis, imo et incitamenta humiliandi se
ipsum : ideo in sacco et cinere exoravit.
Quantum vero jejunium valeat, constat ex
eo quod Christus in Evangelio nequissi-
mum genus dæmonum asserit non posse *Marc.* IX, 28.
expelli, nisi in oratione atque jejunio. Hinc
quoque apud Tobiam angelus Raphael pro-
testatur : Bona est oratio cum jejunio et *Tob.* XII, 8.
eleemosyna. Præterea ita Daniel se affli-
xit, humiliavit et effudit propter populi
peccata magis quam sua.

Sed cur Daniel, sciens tempus liberatio-
nis divinitus promissum jam imminere, et
quasi in proximo adesse, oravit pro libe-
ratione hac populi sui ? Ad quod respondet
Hieronymus, quod sic oravit, ne securitas
negligentiam, et negligentia pareret Dei
offensam. Orat ergo, ut quod Deus per suam
promisit clementiam, per ejus impleat pre-
ces. Denique in Genesi legimus centum *Gen.* VI, 3.
viginti annos pœnitentiæ constitutos ante
diluvium : et quia tanto tempore, id est
centum annis, noluerunt agere pœniten-
tiam, nequaquam exspectavit ut viginti
alii anni complerentur, sed infert ante,
quod postea fuerat comminatus inferre.
Oravit etiam Daniel, ut per orationem suam
Deus gratiam suam multiplicaret in popu-
lo ; et rursus, quia sciebat quod Deus fre-
quenter sic aliqua spondet ac asserit se
daturum sive facturum, ut nihilo minus

velit pro hoc rogari. Sic et Christus, instante passione, pro corporis sui glorificatione, et nominis sui clarificatione per
Joann. XVII, 1. mundum, oravit : Pater, clarifica Filium tuum.

4 *Et oravi ad Dominum Deum meum.* Oratio enim, secundum Damascenum, est petitio decentium a Deo. *Et confessus sum,* confessione laudis divinæ, et confessione propriæ (vel potius populi Israel) culpæ.
Prov. XVIII, 17. Justus autem in principio accusator est sui, ut ait Scriptura. *Et dixi : Obsecro,* id est, per sacrum quid rogo, vel propter tuam bonitatem, caritatem, clementiam,
Ps. CXLIV, 3. *Domine Deus magne,* cujus magnitudinis (id est perfectionis et gloriæ) non est finis, *et terribilis* in peccatores ingratos, qui pro uno temporali ac brevi peccato pœnam in-
Rom. XI, 33. fligis æternam, cujus incomprehensibilia
Ps. LXV, 5. sunt judicia, qui terribilis es in consiliis
Hebr. X, 31. super filios hominum, in cujus manus incidere est horrendum ; *custodiens pactum* quod cum patribus nostris pepigisti, scilicet fœdus miserendi pœnitentibus ac dandi promissum, *et misericordiam,* id est pietatis tuæ gratiosos effectus, *diligentibus*
Ps. CXLIV, 20. *te :* sicut ait Psalmista, Custodit Dominus omnes diligentes se. Etenim amatores suos Deus amabilissime inspicit, exaudit, ac gratiis implet, juxta illud Ecclesiastici :
Eccli. XXXIV, 15. Oculi Domini in diligentes se. *Et custodientibus mandata tua.* Tantum enim Deum diligimus, quantum ejus jussionibus obedimus. Signum namque dilectionis, est
Joann. XIV, 23. exhibitio operis. Et Salvator in Joanne : Si quis (inquit) diligit me, sermonem meum servabit. Ideo in prima sua epistola ait
I *Joann.* III, 18. Joannes : Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. Nullus ergo fallat se ipsum, de Dei dilectione sibi inaniter blandiendo. Amicorum est eadem velle et nolle.

5 *Peccavimus* in nos, *iniquitatem fecimus* in proximos, *impie egimus* contra Deum. Vel, Peccavimus per venialia, iniquitatem fecimus per mortalia, impie egimus per consuetudinem vitiosam et obdurationem in vitiis. *Et recessimus* per mentis aver-
A sionem, *et declinavimus* per operum obliquitatem, *a mandatis tuis* moralibus, *ac judiciis,* id est mandatis judicialibus : per quæ inter proximos servabatur ordo justitiæ, sicut per mandata cærimonialia servabatur modus et ordo justitiæ in cultu divino, prout Thomas in prima secundæ
ostendit. *Non obedivimus servis tuis Pro-* 6
phetis. Ista loquitur Daniel non in sua, sed in populi sui persona, sicut de tribus pueris dictum est plenius in expositione capi- *Dan.* III, 29, 30.
tuli tertii. *Qui locuti sunt in nomine tuo*
B *regibus nostris,... omnique populo terræ*
Judææ. Unde per Jeremiam Dominus ait *Jer.* VII, 25, 26; XXV, 4; XXIX, 19; etc.
frequenter : Misi ad vos omnes servos meos Prophetas, et non audistis me.

Tibi, Domine, justitia competit, inest, 7
et adscribatur, quoniam juste egisti, nos puniendo. *Nobis autem confusio faciei* interioris in conscientia ex remorsu ejus contra peccata quibus subjecta est ; confusio quoque faciei exterioris, quia ab inimicis nostris confundimur, et coram te verecundari habemus ob scelera nostra :
C sicut loquitur Esdras : Deus meus, con- I *Esdr.* IX, 6.
fundor et erubesco levare faciem meam, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt, et peccata nostra creverunt usque ad cœlum. Sic et secundo Paralipomenon libro dicit Manasses : Non sum dignus vi- *Oratio Manassæ.*
dere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum. Hinc et Baruch ait :
Deo nostro justitia, nobis autem confu- *Baruch.* I, 15; II, 6.
sio faciei nostræ, sicut est dies hæc. Discamus ergo et nos vitia nostra non excusare, sed humillime recognoscere ac
D fateri, graviter accusare, et debite castigare, Deumque in omnibus collaudare. *Sicut est hodie viro Juda,* id est natis de tribu Juda seu exsistentibus de regno ejus, *et habitatoribus Jerusalem et omni Israel,* id est, qui ibi aliquando habitaverunt. Hujus enim orationis tempore fuit Jerusalem dissipata. Unde subjungitur : *his qui prope sunt, et his qui procul in universis terris, ad quas ejecisti eos,* etc. Quidam enim in locis propinquis Danieli seu Judææ, quidam in locis remotis dispersi fuerunt.

9 *Tibi,* Domine, *misericordia* competit ex A
natura, *et propitiatio* in effectu, quia et
citra condignum punis, et omni veraciter
pœnitenti ignoscis. Postquam Deo adscri-
psit justitiam tanquam judici summo, nunc
ei adscribit clementiam, ut tanquam pa-
trem ad parcendum inclinet. Porro, oratio
qua Deum ferventer laudamus, et nos ipsos
toto corde humiliter accusamus, efficacis-
sima est ad impetrandum quod petit, di-
Ps. xvii, 4. cente Psalmista : Laudans invocabo Domi-
num, et ab inimicis meis salvus ero. Sicque
Daniel nunc precatur, et eumdem sensum B
frequenter resumit, ut moris est loquenti-
bus ex affectu. Talis namque oratio hu-
juscemodi repetitione affectum renovat et
10 accendit. *Non audivimus* interiori auditu
vocem Dei, ut ambularemus in lege ejus,
quam posuit nobis per servos suos Prophe-
Joann. i, 17. *tas.* Lex per Moysen data est originaliter;
sed per Prophetas posita fertur, tanquam
per hortatores proponentes sua prædica-
tione eam in audientium cordibus homi-
num. Prophetæ quoque nonnulli in libris
suis scripserunt multa eorum quæ in li- C
11 bris Moysis scripta sunt. *Et stillavit,* id
est, instar stillicidiorum paulatim, non in
toto simul, venit, *super nos maledictio,* id
est pœnarum inflictio, et gratiæ spoliatio,
et detestatio qua Deus nos abominatus est,
quæ scripta est in libro legis *Moysis,* id
Deut. xxviii. est in Deuteronomio : ubi prænuntian-
tur mala transgressoribus legis parata, et
transgredientes legem maledicuntur, custo-
dientesque eam benedicuntur. Quomodo
autem Deus paulatim punivit duas tribus
cum dimidia ac decem, ut converteren- D
tur, et tandem impœnitentes ac obstinatos
IV Reg. xvii; II Par. xxxvi, 14-21. prorsus evulserit, patet in libris Regum et
Paralipomenon. Dicit quoque, Stillavit, ad
innuendum quod omnis pœna vitæ præ-
sentis, ad futuram pœnam, est sicut stilla
ad mare.

12 *Et statuit,* id est, opere implevit ac po-
suit, *sermones suos* comminatorios, *quos*
locutus est super nos, pœnas nostras præ-
nuntiando per vates. *Malum magnum,*
quale nunquam fuit sub omni cœlo, se-
cundum quod factum est in Jerusalem.
Aliqui putant tantam fuisse calamitatem
et tribulationem Judæorum in Jerusalem IV Reg. xxv.
tempore Sedeciæ, quod nunquam fuerat
ante similis super terram. Aliqui vero pu-
tant verbum istud per hyperbolen dictum,
ad insinuandum incredibilem magnitudi-
nem mali illius. Alii putant istud verificari
propter templi combustionem, ita quod
secundum eos ante non accidit tale ma-
lum. Hinc in Threnis ait Jerusalem seu
populus Juda : Attendite, et videte si est Thren. i, 12.
dolor sicut dolor meus. Jeremias quoque Jer. xix, 3.
atque Ezechiel idem dicunt quod nunc Da- Ezech. v, 9.
niel scribit, scilicet quod tale malum nun-
quam acciderit. *Et non rogavimus faciem* 13
tuam, id est pietatis tuæ adspectum. Istud
dicitur in persona induratorum. *Ut rever-*
teremur ab iniquitatibus nostris, et cogi-
taremus, id est, diligenter attenderemus,
veritatem et justitiam tuam, seu legem et
veram tuam doctrinam.

Et vigilavit, id est diligenter intentus 14
fuit, *Dominus super malitiam* vitiorum
nostrorum, illa pensando ad ulciscendum,
et adduxit eam super nos, id est, nobis eam
imputavit, et nos propter eam punivit :
sicut ubertim ait per Ezechielem, Vias ve- Ibid. ix, 10; xvi, 43; xxii, 31.
stras ponam in caput vestrum; et in Jere-
mia, Vigilabo super verbo meo, ut faciam Jer. i, 12.
illud. Vel : Vigilavit Dominus super mali-
tiam pœnæ, de qua dicit Jonas, Misertus Jonæ iii, 10.
est Dominus super malitiam quam locutus
est ut faceret eis, et non fecit; et adduxit
eam super nos, quemadmodum in Threnis
Jerusalem ait : Vigilavit jugum iniquita- Thren. i, 14.
tum mearum in manu ejus; convolutæ
sunt et impositæ collo meo, videlicet per
inflictionem pœnarum. *Justus Dominus*
Deus noster in omnibus quæ fecit. Ita et
nos, quantumcumque a Deo castigemur,
patientes simus, gratiasque agamus, et
Deum in omnibus semper laudemus, con-
fitentes quod multo graviora meruimus, et
quod infinitæ pietatis sit ejus, quod in præ-
senti nos punit, ne æternaliter pereamus.

Insuper post confessionem humillimam,
ponit devotissimam precem. Qui enim pec-

cata sua humiliter confitetur, veniam oran-
15 do meretur. *Et nunc, Domine Deus no-
ster, qui eduxisti populum tuum de terra
Ægypti in manu forti,* id est omnipotenti
tua virtute, et per opera miraculosa : ut
Exod. xiv; III, 19. patet in Exodo, ubi et Dominus ait, Non
dimittet populum nisi in manu forti. Con-
suetudo autem fuit Judæis, in orationibus
suis commemorare beneficia patribus præ-
stita, præsertim liberationem ex Ægypto,
ut ex hoc fiduciam sibi in Deo augerent,
et Deum ad exaudiendum inducerent :
quia qui de acceptis beneficiis gratus est,
majoribus dignum se exhibet. Et sicut
beneficii dati oblivio, est ingratitudinis
pars maxima, secundum Senecam ; sic
ejusdem recognitio, est gratitudinis pars
præclara. *Et fecisti tibi nomen secundum
diem hanc,* id est, per mirabilia illa in
Ægypto peracta, et circa patres in mari
Rubro ac eremo, deinde in terra promis-
sionis, fecisti tibi nomen gloriosum et fa-
mam præcipuam, quia per illa hominibus
innotuisti, et tuam potentiam ostendisti.
Is. LXIII, 14. Hinc Isaias dicit Deo : Sic eduxisti popu-
lum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.
Exod. IX, 16. Et in Exodo Deus loquitur Pharaoni : Id-
circo posui te, ut ostendam in te fortitu-
dinem meam, et narretur nomen meum
in omni terra. *Peccavimus* peccatis omis-
16 sionis, *iniquitatem fecimus in omnem ju-
stitiam tuam,* id est contra justitiam tuam
perfectam, vel contra justitiam legis na-
turalis et divinæ seu scriptæ, et contra
justitiam præceptorum triplicium, scilicet
moralium, judicialium, cærimonialium :
Is. XXIV, 5. quemadmodum in Isaia habetur : Trans-
gressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipa-
verunt fœdus sempiternum.

*Avertatur, obsecro, ira tua et furor tuus
a civitate tua Jerusalem, et a monte san-
cto tuo.* Ira Dei et furor ejus, non sunt
passiones aut turbationes ejus, qui cum
Sap. XII, 18. invariabili tranquillitate judicat cuncta :
sed per similitudinem, ira Dei dicitur ju-
sta punitio minus aspera ; furor autem,
punitio valde dura : ita quod Deus per
modum irati et furentis se habet in vin-
A dicando. Unde tradendo urbem suam ele-
ctam Jerusalem in manus hostiles, quasi
iratus apparuit ; sed templum suum illis
tradendo, per modum furentis se habuit.
Orat itaque Daniel has punitiones cessare,
urbemque et templum reædificari. Vel per
montem intelligit regnum et sacerdotium,
quia in monte Sion erat regis palatium et
templum. Petit ergo regno ac sacerdotio
misereri. *Propter peccata enim nostra et
iniquitates patrum nostrorum,* quas imi-
tati sumus, *Jerusalem et populus tuus in
B opprobrio sunt omnibus per circuitum no-
strum.* Filii sæpe propter peccata paren-
tum ad corporales pœnas affligi dicuntur,
quia secundum corpus sunt aliquid pa-
rentum, et descenderunt ab eis. De hoc
super Jeremiam et alibi plenius dixi.

Exaudi orationem servi tui mentalem, 17
et preces ejus vocales : quia ex uno affectu
multa verba formantur. *Et ostende faciem
tuam,* id est pietatis tuæ respectum et
opem, *super sanctuarium tuum quod de-
sertum est,* id est templum a Chaldæis
C combustum, ut reparetur, *propter temet-
ipsum,* id est ob tuam bonitatem, liberali-
tatem, dilectionem, misericordiamque im-
mensam, et propter tui ipsius gloriam ac
honorem.

Deus meus, inclina aurem tuam, et au- 18
*di ; aperi oculos tuos, et vide desolationem
nostram.* Loquitur de Deo immateriali et
simplici, quasi de homine, qui quando
oratur, applicat aurem et aperit oculos. In
Deo autem aures et oculi spiritualiter sunt,
et idem consistunt, videlicet scientia ejus,
D qua omnia intra se cernit ac noscit. Sicque
aurem metaphorice loquendo inclinat et
oculos aperit, quando per effectum mi-
sericordiæ suæ ostendit se noscere vota
et preces ac indigentias nostras. Loquitur
autem Daniel blandè et affectuose ac de-
votissime valde : ejusque modum orandi
discere ac sectari debemus, nos ipsos in
omnibus humiliando, ardenter optando, fi-
ducialiter vicibus repetitis precando, ac
Dei in omnibus gloriam finaliter inten-
dendo. *Et civitatem super quam invoca-*

tum est nomen tuum, id est, Jerusalem A propitius respice ut instauretur, quam ad tuum cultum specialiter elegisti, et pro cujus conservatione servi tui te singulariter invocaverunt. *Neque enim in justificationibus nostris,* id est, non confidendo in propriis meritis, *prosternimus,* id est, humiliter seu prostrati offerimus, *preces* nostras *ante faciem tuam,* id est tuæ pietatis adspectui, seu præsentiæ tuæ omnia intuenti. Porro justificationes dicuntur observationes præceptorum, de quibus in *Ps.* cxviii, 12, 26, etc. Psalmo toties dicitur, Doce me justifica- B tiones tuas : his enim formaliter justificamur. Nam et præcepta sunt de actibus justitiæ. *Sed in miserationibus tuis multis,* id est, fiducialiter innitendo misericordiæ tuæ immensæ. Miseratio autem Dei (secundum quod dicit actum miserentis, ignoscentis vel subvenientis) in Deo est una ac simplex, sed pluraliter designatur ob varios ejus effectus et modos quibus Deus suis auxiliatur clementer.

Hanc sanctissimi Danielis formam et humilitatem sectemur orando, et propriam C vilitatem, defectuositatem ac pravitatem, atque in omne malum infelicissimam proclivitatem sapienter, profunde, jugiterque pensando. Nam et hoc affectu loquitur pius rex Josaphat secundo Paralipomenon II *Par.* xx, 12. libro : Quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Denique, etsi interdum justus in suis confidens sit IV *Reg.* xx, 3. meritis, et oret cum Ezechia, Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto : non ta- D men hoc agat sistendo in eis, vel quasi ex se ipso habeat ea; sed merita sua consideret, esseque fateatur Dei dona, et sic totum refundat in Deum, et speret humiliter quod qui gratiose ac pie largitus est merita ista, etiam alia bona pro quibus petitur, largietur : per unum donum dans aliud ei qui gratus est, non errat, nec præsumptuosus est. Hinc et in Isa- *Is.* l, 10. ia scriptum est : Quis ambulat in tenebris, et non est lumen ei? Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum.

19 *Exaudi, Domine; placare, Domine,* id est, debitas pœnas dimittendo, et ea quibus te offendimus remittendo ; *attende* per effectus exhibitionem, *et fac.* Ecce quam affectuosissime deprecatur, et quoties eumdem sensum aliis verbis resumit, ut ardore amoris quasi Deo prævaleat, quem noverat sola caritate potissime superari, secundum quod dixit ad Moysen : Dimitte me, ut irascatur furor meus contra *Exod.* xxxii, 10. eos. *Ne moreris propter temetipsum, Deus meus,* id est, ob tuam bonitatem, et propter tui ipsius gloriam ac honorem festina implere quod precor. Beatus qui ex sincera conscientiæ bonæ fiducia, fervidoque ad Deum amore, Deum omnium, suum potest Deum tam specialiter nominare. *Quia nomen tuum invocatum est,* id est, tu ipse exoratus es a me, aliisque tuis electis, *super civitatem* Jerusalem, ut reædificetur, *et super populum tuum* Israel, ut ad propria reducatur.

20 *Quumque adhuc loquerer* verba jam scripta Deo, *et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel.* Quo homo viator perfectior fuerit, eo peccata sua etiam venialia amplius pensat, exaggerat, accusat, dolet et punit. Daniel autem sine venialibus non vixit peccatis : ideo primo se ipsum coram Deo humiliat et accusat. Aliqui tamen dicunt, quod dicendo, Confiterer peccata mea, insinuat peccata populi sui : quæ dicit sua, quia cum aliis pœnam pro eis luit, scilicet captivitatem. Sed quia subjungit, Et peccata populi mei Israel, videtur de propriis quoque culpis confessus. *Et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei,* eas Deo humiliter cum prostratione corporis offerendo, *pro monte sancto Dei mei,* id est pro monte Sion, ut scilicet in eo templum rursus construeretur.

21 *Adhuc loquente me in oratione mea.* In quo efficacia orationis justorum innuitur, præsertim quando ex ardentissimo orant affectu, quod antequam finiant verba, Deus

preces eorum exaudit, quemadmodum ait A
Is. LXV, 24; per Isaiam : Adhuc illis loquentibus, di-
LVIII, 9. cam, Ecce adsum. *Ecce vir Gabriel,* qui
in specie viri apparuit, et ratione virtutis,
non sexus, vir appellatur. Unde, ut refert
Albertus, scriptum est in libro qui dicitur
Phædon : Socrates moriens dixit amicis :
Ibimus ad deos, ad illos optimos viros.
Quem videram in visione imaginaria *a
principio,* scilicet visionis præteritæ præ-
cedenti capitulo scriptæ, *cito volans,* id
est, celerrime me accedens. Sicque vola-
tus angeli agilitatem virtutis, prompti- B
tudinemque exsequendi divina præcepta
designat. Et forte vidit eum de cœlo de-
scendere. Hæc autem visio in vigilia fuit,
atque ad oculum exteriorem. Hinc in Isaia
Ibid. VI, 6. habetur : Volavit ad me unus de Sera-
phim. *Tetigit me,* tactu virtutis ac luminis
influentia, vel etiam corporali attactu per
corpus ab ipso assumptum, in quo mihi
sensibiliter adstitit, loquebatur ac vide-
Act. XII, 7. batur : quemadmodum in Actibus legitur
angelus adstitisse Petro apostolo, percus-
soque latere ejus, excitasse eumdem. Te- C
tigit autem Prophetam, qui pene totus ab
exterioribus abstractus jacuerat, et præ
fervore desideriorum sanctorum, corpore
debilitabatur ac affligebatur, ut eum con-
fortaret, consolaretur, et ad angelicam præ-
sentiam attendendam familiariter admone-
ret. *In tempore sacrificii vespertini :* quia
secundum Hieronymum, Danielis oratio a
sacrificio matutino usque ad sacrificium
vespertinum duravit. Ideo Dei in se flexit
clementiam, non propter multitudinem
verborum, sed ob continuationem affe- D
Josue VII, ctuum. Sic et legitur, quod ipse Josue ce-
6, 10. cidit pronus in terram coram Domino us-
que ad vesperam, et tunc angelus ei
Jacob. V, 16. apparuit. Sic enim scripsit Jacobus : Mul-
tum valet oratio justi assidua.
22 *Et docuit me* de his pro quibus oravi,
intus illuminando ; *et locutus est mihi*
vivæ vocis oraculo, *dixitque : Daniel, nunc
egressus sum* de loco in quo, antequam
huc venirem, fui, seu de regni cœlestis
palatio, vel ab invisibilitate ad hanc vi-
sibilem apparitionem, vel a contemplationis secreto ad publicum istud mutuæ collocutionis. Dicuntur autem angeli egredi a facie Dei, quando destinantur ad viatores : non quod a Dei contemplatione descendant, aut elongentur a Deo, sed quia ad eos qui peregrinantur, et a beatifica longe sunt visione, descendunt. *Ut docerem te* quæ discere concupisti de pertinentibus ad liberationem populi tui, *et intelligeres* ea per intelligentiam claram, de quibus nunc fluctuas ac varie opinaris.

Ab exordio precum tuarum istarum 23
egressus est sermo : id est, statim ex quo pro hac re Deum rogare cœpisti, ab ipso Deo processit et mihi revelatus est sermo, seu sententia de tua exauditione, instructione, populique reductione, et plena ejus fienda per Christum liberatione. An autem angelus Gabriel acceperit illuminationem istam immediate a Deo, vel mediate per angelum aliquem superiorem, in textu non explicatur, et de hoc aliqui diversimode opinantur. *Ego autem veni ut indicarem tibi.* Quamvis Deus per se ipsum omnia possit agere, implere, ac gubernare ; ut tamen bonitatem suam copiosius creaturis communicet, et ordinem in cunctis observet, voluit ecclesiasticam hierarchiam per angelicam edocere. *Quia vir desideriorum es,* id est excellenter affectuosus ac fervens ad cognoscendum divina, ad præsciendum futura Christi mysteria, ad Dei promovendum honorem, ad proximorum salutem, ad templi et Terræ sanctæ recuperationem : et ardor ac copia desideriorum istorum ex serenissima ac fortissima Dei atque proximi caritate procedit. Aliqui autem sunt naturaliter valde affectuosi, sicut et ingeniosi. Et sicut tales sunt pessimi et fiunt pravissimi, quando juste a Deo relicti, afficiuntur ad delicias carnales, ad divitias temporales, honores humanos, tunc enim intentissime afficiuntur ad talia ; sic optimi effici solent, quando misericorditer caritate ac gratia decorati, ad Deum atque divina afficiuntur : tunc enim vehementer ad ea afficiuntur

seu inflammantur, zeloque caritatis ac æquitatis, et divini honoris, proximorumque salutis desiderio maxime succenduntur. Vel, Vir desideriorum es tu, id est Deo ac angelis dilectus atque amabilis. *Tu ergo, animadverte sermonem,* quem tibi dico et dicam, *et intellige visionem,* quid scilicet visio qua tibi appareo, prætendat, quid signet, quo ordinetur.

Et subdit de summa temporis usque ad consolationem perfectam per Christum, et primum ejus adventum ac passionem; infra quam etiam asserit esse futurum id quod Daniel postulavit, videlicet reædificationem civitatis ac templi, reductionemque populi. Itaque substantia visionis
24 subjungitur : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.* Horum verborum expositioni tanto diligentius insistendum, quo difficiliora, altiora, sententiosioraque sunt, et ad convincendam Judæorum perfidiam fortiora.

De horum autem expositione verborum, doctores ecclesiastici ante Hieronymum et interim diversimode conscripserunt. Hieronymus autem circa expositionem hujus difficillimi passus, nihil aut quasi nihil de proprio scribit aut asserit, sed eorum qui ipsum præcesserunt, recitat positiones : primo Africani, secundo Eusebii Cæsariensis, tertio Apollinaris Laodiceni, quarto Clementis viri excellentissimi * atque presbyteri Ecclesiæ Alexandrinæ, quinto Origenis in quinto Stromatum libro, sexto Tertulliani, septimo Hebræorum, scilicet Judæorum conversorum ad fidem. Hæc beatus Hieronymus prolixe prosequitur, et verba ejus in propria forma decreveram scribere : sed quia in eis prolixitas magna est, et quasdam positionum istarum ipsemet breviter tollit, positionum quoque probabiliorum in Scholastica historia multum compendiose continetur sententia, ex verbis Hieronymi sumpta ac breviata; idcirco quo tædium prolixitasque vitentur, ad Scholasticam me converto historiam.

* eruditissimi

A

Aliqua tamen sunt præmittenda, in quibus omnes concordant expositores præcipui, tam catholici quam Hebræi, quod scilicet in Scripturis veteris Testamenti, ad quas pertinet liber iste, hebdomada dupliciter sumitur : Primo, pro hebdomada dierum, quæ continet septem dies, ut quum in Levitico jubentur numerari septem hebdomadæ, quæ faciunt dies quadraginta novem, et die quinquagesimo festum Pentecostes præcipitur celebrari. Et ita nullus expositorum hic sumit hebdomadas. Sic enim quæ hic prædicuntur futura, fuissent infra annum cum medio adimpleta. Secundo accipitur pro hebdomada annorum, ita quod una hebdomada est tempus septem annorum, ut dum in Levitico dicuntur numerandæ septem hebdomades annorum, quæ faciunt annos quadraginta novem, et annus proxime sequens, scilicet quinquagesimus, appellatur jubilæus, utpote remissionis. Et ita omnes expositores hic sumunt. — Verumtamen Lyra dicit, quod quidam acceperint hoc loco hebdomadam seu septenam pro hebdomada jubilæorum, quarum quælibet continet annos quinquaginta; alii pro hebdomada centenariorum, quarum quælibet continet centum annos. De his opinionibus alibi nihil legi, nec aliqui authentici dicunt sic, sed forte quidam ac vani scioli, contentione et disceptatione verborum ac novitate gaudentes. Lyra quoque satis reprobat eas, et facillime reprobantur, quia secundum eas nondum esset Jerusalem et templum ædificata post reditum a Babylone, nec sacrificium esset oblatum, nec hostiæ defecissent legales, eo quod tempus hebdomadarum talium nondum completum sit. Nec sacra Scriptura alicubi alibi sic sumit hebdomadas.

Lev. xxiii, 15, 16. — B — Ibid. xxv, 8, 10. — C — D

Præterea intuendum, quod duplex ponitur annus, puta solaris, et lunaris, qui anno solari brevior est undecim diebus. Quia ergo in littera hebdomades istæ ab-

breviatæ vocantur, Africanus et Beda, Scholastica quoque historia et Albertus Magnus ac Glossa, et communiter doctores Ecclesiæ Bedam sequentes, hoc loco per hebdomadas annorum intelligunt annos lunares : ita quod hebdomades septuaginta faciunt annos quadringentos nonaginta lunares, qui faciunt annos solares quadringentos septuaginta quinque. — Sed contra hæc arguit quidam, quoniam Africanus et Beda moti sunt ex hoc, quia (ut dicunt) Hebræi computant per annos lunares ; item, quia in textu isti anni dicuntur abbreviati : et ultra assumit, quod salva reverentia Bedæ, utrumque dictum ejus falsum videtur. Nam Hebræi, ut dicit et probat, computant per annos solares : et in Hebræo non habetur, Abbreviatæ, prout sonat in diminutionem ; sed ibi habetur, ut asserit, Præscisæ, prout notat temporis determinationem, nec majus, nec minus. Ipse ergo exponit de annis solaribus.

Sed nequaquam reor Africanum, quem Hieronymus vocat doctissimum, et venerabilem Bedam sine rationabili causa asseruisse, quod Hebræi computent per annos lunares : et si Hieronymus hoc falsum putasset, non arbitror quod recitando sententiam Africani, inde conticuisset. Nec dubium reor, quin Africanus et Beda, sicut Hieronymus, de hac re cum Hebræis contulerint, et ab eis quæ dixerunt, didicerint. Albertus quoque non mediocriter diligens fuit scire facta ac dogmata Judæorum, tam theologica quam philosophica, sicut legentibus scripta ejus certissime constat. — Porro, quod Judæi a luna computent tempora, probatur per illud quod
Eccli. XLIII, 6, 8. in Ecclesiastico legitur : Luna ostensio temporis, et signum ævi ; mensis, secundum nomen est ejus. Puto ergo verum quod Beda ait, Hebræos computare per annos lunares, eo sensu quo Beda id dicit, quamvis non eo modo fortassis, quo prædictus reprobat eum. Non enim Beda affirmat, quod regulariter in omnibus per istos computent annos. Denique Albertus aperte hic ait, quod hoc loco non sint A computandi anni solares, ut aliqui putant, sed lunares quibus Hebræi utuntur. Præterea, sicut aliquando utuntur hebdomada dierum, aliquando hebdomada annorum ; sic forte interdum utuntur annis solaribus, interdum lunaribus. Et forsitan Beda dicere voluit, quod expositores seu conversi Hebræi, hoc loco computent per annos lunares. Postremo, quidam etiam tempore isto legis evangelicæ, utuntur annis lunaribus in quibusdam negotiis.

Insuper, quod præfatus dicit secundum B dictum Bedæ et Africani falsum, non videtur consulte aut congrue dictum : quia (ut dicit) in Hebræo non habetur, Abbreviatæ, ut notat diminutionem, sed, Præscisæ, ut dicit determinationem seu certam taxationem. Primo, quia sæpissime in expositionibus Prophetarum inveni, quod iste dixit in Hebræo aliter haberi, quam in translatione Hieronymi : et tamen expositionem Hieronymi diligenter considerans, inveni quod secundum Hieronymum dictio Hebraica sit æquivoca, et utrumque, inter- C dumque plura, significans. Ita in præsenti contingere posset. Secundo : nam dato quod in Hebræo haberetur, Præscisæ, tamen non oportet hoc interpretari, ut dicit determinationem ; imo hoc ad utrumque potest referri. Quod enim abbreviatur, dici potest præscisum comparatione longioris. Tertio, quia ut dicit iste præfatus, secundum Rabbi Salomonem, in Hebræo habetur, Scissæ : et nonne scissio magis vel tantumdem ad diminutionem, sicut ad determinationem, est pertinens ? Nam et secun-
D do Regum scribitur rex filiorum Ammon II *Reg.* X, 4.
præscidisse vestimenta servorum David : sicque vestes illorum erant præscisæ, id est abbreviatæ, non taxatæ ad numerum.

Postremo, præfatus, ut ipsemet recitat circa hunc locum, quando primo hunc passum exposuit, incepit computationem istarum hebdomadarum annorum solarium a vicesimo anno Artaxerxis regis, qui II *Esdr.* II, 1-8.
misit Nehemiam ad instaurationem civitatis ac murorum Jerusalem : finitque eas in anno quarto post Christi passionem. Postea

autem expositio ista sibi non placuit, quia secundum eam Mardochæus fuisset ducentorum quinquaginta novem annorum, quando ab Assuero rege est exaltatus. Ideo positionem hanc corrigens, incipit computationem temporis hujus, ab eo tempore quo egressus est sermo a Deo ad Jeremiam, et deinde ab Jeremia, de reditu populi a Babylone, et per consequens de reædificatione Jerusalem ac templi in ea. Hic autem sermo habetur Jeremiæ vicesimo nono capitulo, ubi legitur Dominus dicere : Quum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo et reducam vos ad locum istum. Incipit ergo computationem hanc a quinto anno regni Sedeciæ regis, quia præallegatum verbum asserit dictum circa finem quarti anni Sedeciæ. — Verum ista computatio videtur minus apta quam prima, præsertim quum dicat quod computatio hæc debeat inchoari a primo verbo, ex revelatione Domini procedente de reditu populi in Jerusalem, et civitatis ac templi reparatione. Nam secundum hoc potius inchoanda videretur computatio ista a tempore Isaiæ, quo ipse Isaias, diu ante Jeremiam, de hac re apertissime ac diffuse prædixit. Frequenter enim loquitur inde. Isaiæ quadragesimo quinto etiam Dominus ad litteram loquens de Cyro rege prædixit : Ipse ædificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet, non in pretio neque in muneribus.

Esther VIII, 2. — *Jer.* XXIX, 10. — *Is.* XLV, 13.

His ergo præmissis, exponenda est littera, sequendo Bedam, Glossam, Scholasticam historiam, et Albertum, aliosque doctores authenticos. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ,* scilicet annorum lunarium, qui faciunt annos lunares quadringentos nonaginta, ut dictum est. Et dicuntur hebdomadæ istæ abbreviatæ, non numero, quod pauciores sint, sed quantitate, quia annus lunaris brevior est solari undecim diebus. *Sunt* divinitus præordinatæ ac futuræ prænuntiatæ, *super populum tuum* Judaicum : qui tuus est sanguine et affectu, et propter peccata sua non meretur dici populus Dei, sed tuus : sicut ad Moysen Dominus dixit,

A quum filii Israel vitulum adorassent, Descende, peccavit populus tuus ; *et super urbem sanctam tuam* Jerusalem : ut scilicet infra istud* fiant quæ subsequuntur, quæ ad populi tui pertinent liberationem. Ideo subditur :

Exod. XXXII, 7. — * istas

Ut consummetur prævaricatio consummatione consumptionis, id est, terminetur seu finiatur. Quod quantum ad satisfactionem, pro originali peccato accipi potest : sicque Christus sua passione illud, quantum in se fuit, consumpsit. *Et finem*
B *accipiat peccatum* actuale, quod merito passionis Christi deletum est. De quo Baptista prædixit : Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi ; et Dominus per Isaiam, Propter scelus populi mei percussi eum ; et, Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. *Et deleatur* per Christum *iniquitas* omnis quæcumque sit illa, quantum est ex sufficientia meriti Christi, cujus virtute dimittuntur peccata in sacramentis, et per contritionem ac fidem Salvatoris. Unde de Christo legitur in Apocalypsi :
C Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo ; et Petrus in prima sua epistola, Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. *Et adducatur* per Christum *justitia sempiterna,* id est perfecta et sine fine mansura evangelicæ legis perfectio, cui lex alia non succedat, et cujus justitia inchoatur in via, et completur in patria, in qua caritatis præceptum plene impletur. Vel, Justitia sempiterna, quoniam Christus per viam justitiæ genus humanum redemit, pro culpa luendo pœnam,
D non per solam potentiam. *Et impleatur visio et prophetia,* videlicet quidquid de Christo ejusque mysteriis fuit prædictum. Unde in Joanne habetur : Lex per Moysen data est, veritas per Jesum Christum facta est. Et iterum scriptum est : Jesus sciens quia jam consummata sunt omnia, ut consummaretur scriptura, dixit, Sitio ; et quum accepisset acetum, dixit, Consummatum est.

Joann. I, 29. — *Is.* LIII, 8. — *Ibid.* 6. — *Apoc.* I, 5. — I *Petr.* II, 24. — *Joann.* I, 17. — *Ibid.* XIX, 28, 30.

Et ungatur Sanctus Sanctorum, id est, Christus secundum assumptam humanita-

tem plenitudine gratiæ ac divinorum cha- A
rismatum impleatur in ipsa Verbi incar-
natione et animæ Christi creatione. De qua
Ps. XLIV, 8. unctione ait Psalmista : Unxit te Deus,
Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus
Act. X, 38. tuis. Petrus quoque in Actibus : Jesum
unxit Deus Spiritu Sancto et virtute. Et
Is. LXI, 1. Christus per Isaiam : Spiritus, inquit, Do-
mini super me, eo quod unxerit me. Por-
ro Christus secundum divinitatem est San-
ctus Sanctorum, per essentiam sanctus, et
Sanctos principaliter mundans atque san-
ctificans ; secundum humanitatem quoque B
antonomastice sanctus, et solus sanctior
universis, per quem et cujus merito, ut
sic, quasi instrumentaliter sanctificamur.
I *Cor.* I, 30. De quo ait Apostolus ad Corinthios : Fa-
ctus est nobis a Deo sapientia et justitia
et sanctificatio et redemptio.

Ista ergo impleta sunt infra septuaginta
hebdomades dictas, videlicet circa finem
earum, secundum modum quem angelus
consequenter expressit. In verbis namque
sequentibus ponitur quasi expositio reve-
lationis inductæ. Et in eis angelus per C
partes exsequitur quod dixit in summa,
ostendens quod ipse Christus fuerat ven-
turus, passurus ac prædicaturus.

25 *Scito ergo et animadverte* diligenter,
quod subditur de intellectu hebdomada-
rum et quando incipiant, scilicet : *Ab
exitu,* id est prolatione, *sermonis, ut ite-
rum ædificetur Jerusalem,* id est a vicesi-
mo anno Artaxerxis regis Medorum, quan-
II *Esdr.* II, 1-8. do rex iste Deo inspirante dedit Nehemiæ
licentiam eundi ac construendi Jerusalem,
usque ad Christum ducem, id est regem D
Messiam. De quo Dominus ait per Isaiam :
Is. LV, 4. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac
Mich. V, 2. præceptorem gentibus. Et Michæas : Et
tu, Bethlehem, etc., ex te mihi egredietur
qui sit dominator in Israel. Porro quod
ait, Usque ad Christum ducem, refert (se-
cundum Albertum et alios) ad illud tem-
pus quo Christus cœpit se ducem populi
declarare, scilicet ad tempus Baptismi, in
Matth. III, 16, 17. quo et Patris voce, et Spiritus Sancti de-
scensu super eum, dux populi est osten-
sus. *Hebdomades septem, et hebdomades
sexaginta duæ erunt,* id est hebdomades
sexaginta novem : et sic remanet una heb-
domada de septuaginta, de qua infra fit
mentio. Septuaginta enim hebdomades,
quas angelus primo simul expressit, nunc
in tres partes divisit, scilicet in septem,
et sexaginta duas, et unam, quia in his
partibus specialia facta sunt opera, ut sub-
ditur.

Et rursum ædificabitur platea et muri,
scilicet Jerusalem, pro qua oras : per pla-
team intelligendo ejus plateas, sicut fre-
quenter ponitur singulare pro plurali. Et
istud exprimit angelus, ad ostendendum
quod fiet in primis septem hebdomadibus
prædictarum septuaginta hebdomadarum.
Propter quod jam septem a sexaginta dua-
bus divisit. *In angustia temporis,* id est
in magna tribulatione temporis hujus :
quia, ut patet in Esdra seu Nehemia, Ju- I *Esdr.* IV;
dæi reædificantes Jerusalem, a nationibus II *Esdr.* IV, VI.
et vicinis plurimum infestabantur, ita quod
una manu tenebant gladios, alia opera-
bantur.

Et post hebdomades sexaginta duas si- 26
mul et post septem de quibus jam dictum
est, quæ præmittuntur in computo ista-
rum sexaginta duarum, id est post heb-
domades sexaginta novem, puta in ultima,
scilicet hebdomada septuagesima, *occidetur
Christus* a Judæis incredulis. De quibus
ait in Psalmo : Circumdederunt me ca- *Ps.* XXI, 17.
nes multi, consilium malignantium obsedit
me ; foderunt manus meas et pedes meos.
Et non erit ejus populus per prædestina-
tionem et gratiam, *qui eum negaturus est,*
id est Judæi, qui coram Pilato dixerunt,
Non habemus regem nisi Cæsarem ; et *Joann.* XIX, 15.
iterum, Tolle, tolle, crucifige eum ; item- *Ibidem.*
que, Sanguis ejus super nos et super fi- *Matth.* XXVII, 25.
lios nostros. Istud tamen non universaliter
de omnibus illis valet intelligi, sed de in-
duratis ac reprobis qui non pœnituerunt.
Aliqui vero pœnituerunt : de quibus et
Christus ante passionem prædixit in Joan-
ne : Quum exaltaveritis Filium hominis, *Joann.* VIII, 28.
tunc cognoscetis quia ego sum. Imo in

Act. vi, 7. Actibus Apostolorum scribitur, quod etiam
multa turba sacerdotum obediebat fidei.
Et civitatem Jerusalem, *et sanctuarium*,
id est templum, *dissipabit*, id est destruet,
populus Romanus *cum duce* secum *venturo*,
videlicet Tito seu Vespasiano. Istud
fuit post præfatas hebdomades; sed additur,
quia in ultionem occisionis Christi
inflicta est pœna ista Judæis. *Et finis ejus*,
id est Jerusalem et templi seu Judææ ac
populi ejus, erit *vastitas* per Romanos inducta.
Et post finem belli Romanorum
contra Judæos hos, erit *statuta*, id est a
Deo præfinita, ac in æternum ratificata,
desolatio Judæorum.

Deinceps redit ad ultimam hebdomadam
prædictarum, scilicet septuagesimam; et
quid in ea futurum sit, pandit. Siquidem
occasione mortis Christi, exierat tempus
seu durationem ac terminos septuaginta
hebdomadarum, prænuntiando pœnam pro
morte Christi inflictam. Ideo revertitur ostendere
quid in ultima hebdomada fieri
27 amplius debeat. *Confirmabit autem* Christus
pactum, id est evangelicam legem novumque
gratiæ testamentum, *multis*, de
Joann. xiii, 18. quibus dixit: Ego scio quos elegerim. Et
rite ait, Multis, non, Omnibus, quamvis,
quantum in se fuerit, omnibus illud firmaverit:
quia non omnes illud recipere
Ibid. i, 11, 12. voluerunt, sicut Joannes inducit, In propria
venit, et sui eum non receperunt.
Quotquot autem receperunt eum, illis confirmavit
hoc pactum non solum sufficienter,
sed etiam efficienter ac consummate,
ad eorum salutem. *Hebdomada una*, id
est in ultima ac septuagesima hebdomada:
in qua primo per se ipsum multa
et magna, solique Deo possibilia egit miracula,
ad novi Testamenti confirmationem
spectantia; deinde per discipulos suos
partim ante passionem suam, plenius autem
post eam, innumerabilia ac potentissima
fecit miracula. De hoc Christi pacto
Jer. xxxi, 31. scriptum est in Jeremia: Ecce dies veniunt,
dicit Dominus, et feriam domui Israel
et domui Juda pactum novum.

Et in dimidio hebdomadis hujus ultimæ,
A *deficiet hostia et sacrificium*, id est, legales oblationes cessaverunt, quantum ad obligationem efficaciamque merendi: nam in Christi passione suam amiserunt virtutem, et ipse in Cœna novissima Sacramentum evangelicæ legis instituendo, finem imposuit hostiis legis, quæ fuerunt figuræ et umbræ passionis mysteriorumque Christi. Figura autem et umbra cessant, dum advenit veritas. Post publicationem demum Evangelii, sacrificia ac cetera cærimonialia legis fuerunt non solum mortua,
B sed et mortifera atque illicita, sicut super quartum Sententiarum doctores concorditer scribunt.

Christus autem passus est in dimidio hujus hebdomadæ ultimæ, id est in quarto anno ipsius. Tribus enim annis cum dimidio circiter anno prædicavit: quo peracto, occisus est; tuncque in dimidio hebdomadæ hujus defecit oblatio legis. Verumtamen quidam dicunt Christum passum in dimidio hujus hebdomadæ, id est circa finem primæ medietatis ipsius, ita quod
C alia pars hujus hebdomadæ, scilicet tres anni cum medio, post passionem residua fuit ac fluxit: in qua missus est Spiritus Sanctus; et Christus per suam resurrectionem, frequentem apparitionem, ascensionem, Paracleti missionem, Apostolorum prædicationem, evangelicam legem firmavit ac dilatavit. Alii dicunt, quod passus sit in dimidio hujus hebdomadæ, id est in ultima ejus medietate circa finem, ita quod in passione fuit ista hebdomada terminata. Unde in Scholastica historia legitur:
D Tres anni et dimidius hujus hebdomadis novissimæ præterierant, quando baptizatus est Dominus; et in dimidio ejusdem hebdomadæ residuo, circa finem hujus residui deficiet hostia et sacrificium, id est, veniente veritate cessabunt umbræ.

Et erit in templo abominatio desolationis: id est, in sacrificiis ac ritibus templi post Christi occisionem erit abominabilis desolatio, ipsaque sacrificiorum oblatio erit sacrilega, detestabilis, abominataque Deo; nec erit in templo post Evangelii

promulgationem cultus verus Dei, sed po- A
tius ludus diaboli. Aliqui autem per abominationem desolationis, intelligunt statuam Adriani imperatoris, quam ipse jussit poni in loco templi, et quo steterat arca. Sed hoc fuit in templo a Romanis destructo, nec infra hebdomades istas illud contigit, juxta computationem præmissam. Denique hanc scripturam Christus allegat in
Matth. xxiv, 15. Matthæo, ubi ait : Quum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto ; qui legit, intelligat. Quod quidam de B
statua Adriani exponunt ; alii, de imagine Cæsaris quam Pilatus collocavit in templo; nonnulli de Antichristo, qui secundum
II *Thess.* ii, 4. Apostolum in templo Dei sedebit, ostendens se tanquam sit Deus. *Et usque ad consummationem* generationis ac status vitæ præsentis, *et finem* sæculi, id est usque ad tempus proximum fini mundi, *perseverabit desolatio,* id est captivitas ac derelictio Judæorum : super quos (ut ait
I *Thess.* ii, 16. Apostolus) pervenit ira Dei usque in finem.
Ps. lxviii, 25-27. Et Psalmista : Effunde super eos C
iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos ; fiat habitatio eorum deserta : quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Porro circa finem sæculi convertentur ad prædicationem Eliæ, quia (ut
Matth. xvii, 11. Christus testatur) Elias quum venerit, re-
Malach. iv, 5, 6. stituet omnia, prout apud Malachiam plenius legitur. Et Apostolus ad Romanos :
Rom. xi, 25, 26. Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. De hoc demum cla- D
Osee iii, 4, 5. rissime legitur in Osee : Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim ; et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum (id est Messiam, secundum omnes expositores), et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum.

Præterea tempus prædictarum hebdomadarum fuisse in Christi passione impletum, Beda ostendit per annos regum et monarcharum qui a tempore vicesimi anni Artaxerxis regis usque ad octavumdecimum imperii Tiberii Cæsaris, quando passus est Christus, fuerunt : ita quod secundum Bedam et eum sequentes, a prætacto anno Artaxerxis, Persæ et Medi tenuerunt imperium annis centum decem et octo, deinde Græci annis trecentis, reliquum temporis sub Romano computatur imperio. Tertullianus autem in libro quem scripsit contra Judæos, et Hebræi quidam ad fidem conversi, incipiunt numerare istas hebdomadas a primo anno Darii, de quo in principio hujus capituli legitur, id est a tempore quo Danieli visio ista ostensa est : sicque per exitum sermonis de reædificatione Jerusalem, intelligunt horam qua Gabriel Danieli denuntiavit sententiam hanc esse a Deo egressam ac revelatam. Verumtamen, sicut Beda et Africanus in principio numerationis hebdomadarum harum conveniunt, incipiendo a vicesimo anno Artaxerxis ; et in fine discordant, quoniam Africanus extendit septuaginta hebdomadas solum usque ad quintumdecimum annum imperii Tiberii, quando baptizatus est Dominus, Beda vero usque ad tempus passionis, ut patuit : similiter Tertullianus et Hebræi in principio suæ numerationis conveniunt, sicut jam dictum est ; sed in terminatione discordant, quia Tertullianus extendit septuaginta hebdomadas usque ad captivitatem Judæorum per Romanos, Hebræi autem usque ad ultimam destructionem Jerusalem ab Adriano imperatore, qui etiam Judæos de terra promissionis penitus expulit. — Fuerunt quoque qui computationem istam a reditu de Babylonica captivitate exorsi sunt, quidam vero a tempore destructionis primi templi.

Sed quocumque horum modorum sumatur, habemus ex his certissimum argumentum contra Judæos, quod Messias jam venit, et impleta sit visio ac prophetia ; quod item Christus in primo suo adventu venit in paupertate, ut judicaretur et occideretur, et quod Judæi ob Christi negatio-

nem et occisionem sint in hac gravissima captivitate.

Sed et Rabbi Samuel in epistola sua ad Rabbi Isaac, ex verbis his Danielis pulcherrime probat Christum venisse, inter cetera dicens : Amplius videtur etiam, domine mi, Danielis prophetia quæ scribitur nono capitulo, completa esse, ubi sic dicit : Postquam consummatæ fuerint sexaginta duæ hebdomadæ, occidetur Christus ; et veniet populus cum principe venturo, destruetque civitatem et domum, et consummabit eam ; et consumetur sacrificium, et erit consummata destructio desolationis perpetuæ. Et non est, domine mi, dubium, quin destructio perpetuæ desolationis sit ista captivitas, in qua jam sumus. Nam jam sunt mille anni, et aperte dicit Dominus per Prophetam, quod erit desolatio perpetua propter occisionem Christi, sicut est desolatio nostra post occisionem Christi. Non comminatus est desolationem perpetuam, nisi post occisionem Christi. Et si voluerimus dicere, quod ante occisionem Christi fuerimus in desolatione, respondent nobis Christiani, quod ante illam mortem non fuit desolatio nisi septuaginta annis, et post hoc fuimus reducti in terram promissionis, et fuimus apud Deum in gratia et honore. Certe, domine mi, non video evasionem contra populum : quia de facto probatur nobis, quod postquam a reædificatione templi fuerunt completæ septuaginta hebdomadæ, supple, annorum, quæ sunt anni abbreviati, tunc fuit Jesus occisus a patribus nostris, et A postea venit dux, scilicet Titus, et populus, scilicet Romani, et fecerunt nobis secundum prophetiam istam. Hodie sunt mille anni, et sic in ira Dei sumus, et tamen in ipso speramus. Et si dicimus, quod Christus nondum venit, sed cito sit venturus, et habebimus terram promissionis, et reædificabimus civitatem, et habebimus gratiam Dei et honorem in terra nostra, et ista desolatio sit temporalis et non perpetua : respondent nobis Christiani, quod adhuc manebit occisio Christi, et B adventus Titi et populi Romani, et desolatio pejor quam ista in qua modo sumus, quia jam sunt mille anni. Heu ! mi domine non est excusatio seu evasio consona.

Hæc in præfata epistola, in qua per alia plura ex lege et Prophetis evidenter probantur Christi mysteria. Unde quia ex hoc vaticinio Danielis, Judæi tempore Christi, ejus adventum non pensaverunt, increpat eos, dicens Pharisæis : Faciem cœli judicare nostis, signa autem temporum non potestis ? *Matth.* XVI, 4. Postremo, quam irrationabilis, C vana et stulta sit expositio quorumdam infidelium Judæorum, evadere quærentium argumenta de adventu Christi ex isto capitulo sumpta, constat ex eo quod Lyra hic recitat, qualiter Rabbi Salomon (quem Hebræi moderni pro præcipuo habent doctore) litteram istam exponens, per Christum ducem primo intelligit Cyrum regem ; secundo per Christum ducem occisum, intelligit Agrippam regem Judææ : et alia multa hic dicit, quæ Lyra sufficienter repellit.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : ANNO TERTIO REGNI CYRI REGIS PERSARUM.

HOC loco describitur nona visio Danielis : quam Hieronymus secundum Hebraicam veritatem, dicit distinctam ab ea quæ duobus sequentibus capitulis poni- D tur ; imo aliter verum non videtur, quod in hoc libro scriptæ essent decem visiones Danielis, quod tamen doctores Hieronymum sequentes, communiter dicunt. Ve-

rumtamen Lyra dicit, sibi videri quod non A sit a sequenti visione distincta, sed una cum illa : et tamen in expositione secundi capituli asserit, in hoc volumine decem visiones Danielis esse contentas.

1 *Anno tertio regni Cyri regis Persarum.* Iste est Cyrus nepos Darii, de quo in præcedentibus dictum est, quod simul vicerunt Chaldæos et Babylonem sunt demoliti; simul quoque regnasse dicuntur, sed Cyrus Dario tanquam seniori atque avunculo cessit, ita quod anni quibus regnavit Cyrus, sub ipso Dario computantur : cui B Cyrus successit in regno, et ex tunc, scilicet post mortem Darii, incipit computari numerus annorum imperii Cyri, cujus tertio anno ostensa est visio ista. Et istud ex Scholastica historia sumpsi : qua et quadam glossa ipsius multum adjutus sum in explanatione hujus prophetiæ. Regnum autem Persarum ac Medorum pro tempore isto unum fuit, ut dictum est. Iste est Cy-
Is. XLV, 1. rus, de quo scriptum est in Isaia : Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ei gentes, C et dorsa regum vertam. *Verbum revelatum est,* id est, sermo propheticus dictus atque expositus est, vel res significata per verbum, declarata est, *Danieli cognomento Balthasar.* Primum enim ejus nomen fuerat Daniel, sed a principe eunuchorum
Dan. I, 7. regis Babylonis, vocatus est Balthasar. *Et verbum verum* est hoc, quia divinum et veritatis expressivum, *et fortitudo magna,* id est, magna vis latet in verbo hoc prophetali; ipsumque verbum forte quid fuit, eo modo quo sermo dicitur potens. *Intel-* D
**sermonem* *lexitque verbum*,* quid scilicet significaret : et hoc angelica revelatione cognovit, non humana industria.

Intelligentia enim, id est intellectualis notitia, *est opus,* id est res necessaria ac principalis, *in visione* prophetica tam sensibili quam imaginaria, ad hoc quod debeat dici prophetica : imo aliter non esset pro-
Gen. XLI. phetica. Propter quod Pharao videns in somno boves et spicas per visionem ministerio angelico in ipso formatam, et significationem formarum illarum non intelligens, propheta non fuit, sed Joseph, qui visionem illam exposuit. Simile est de Nabuchodonosor rege, qui statuam vidit, et *Dan.* II, 31.
de Balthasar rege, qui vidit articulos ma- *Ibid.* V, 5.
nus scribentis. Caiphas quoque, qui a Joan- *Joann.* XI,
ne scribitur prophetasse de Christo, quia 49, 50.
expedit ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat, propheta non fuit : quoniam sensum verborum istorum, secundum quem prophetica sunt, non intellexit. Denique quod opus secundum hanc expositionem accipi possit, hinc constat, quia in Luca, ubi nostra translatio habet, Porro unum est necessarium, Augu- *Luc.* X, 42.
stinus utitur littera ista, Unum est opus, id est necessarium, ut exponit.

In diebus illis ego Daniel lugebam tri- 2
um hebdomadarum diebus. Luctus iste præcessit visionem hic scriptam, et dispositivus fuit ad eam : nam, ut ex littera trahitur, per tria, puta luctum, orationem, jejunium, disposuit et aptavit se ad obtinendam hanc visionem. Ut autem Scholastica docet historia, luctus iste incepit primo die primi mensis tertii anni imperii Cyri. Hebdomada quoque non sumitur hic pro hebdomada annorum, scilicet tempore septem annorum, ut præcedenti capitulo, sed pro hebdomada dierum, quæ continet dies septem. Insuper Daniel tot luxit diebus, non penitus indesinenter, sed valde frequenter, quia vir desideriorum seu af- *Dan.* IX, 23.
fectuosissimus fuit; nec dubium quin multo diutius in luctu mansisset, nisi statim vel cito post dies hos luctus suus divinitus consolatus fuisset, ita quod causa lugendi fuit sibi ablata. Samuel luxit Saulem usque I *Reg.* XV,
ad diem suæ mortis, quoniam causa plan- 35.
gendi permansit.

Cur vero Daniel ita se ipsum luctu atque jejunio afflixerit, dicunt expositores communiter, quod populi sui deplanxit peccata, captivitatem atque miseriam. Sed ista etiam præcedenti capitulo legitur deplo- *Dan.* IX, 4
rasse : imo quoniam præcedenti visione *et seq.*
certificatus fuit ab angelo de relaxatione ac reditu captivitatis populi sui, non

apparet quod modo propter captivitatem hanc ita se afflixisset, nisi specialis occurrisset ratio fletus. Itaque in Scholastica historia causa hujus fletus ac abstinentiæ Danielis plenarie edocetur, quum dicitur : Primo anno Darii, Daniel intelligens imminere septuagesimum annum captivitatis populi sui tunc liberandi, oravit Dominum ut Darius et Cyrus tunc liberarent populum suum, scilicet populum Judæorum. Et data est Danieli divinitus sententia seu responsio de danda licentia redeundi, quam Gabriel Danieli denuntiavit visione præhabita. Et ex tunc Darius disponebat de liberatione ac licentia danda Hebræis ; sed morte præventus, non implevit. Cyrus vero primo anno regni sui dedit illis eamdem libertatem quam habebant indigenæ, et licentiam redeundi ad propria. Ipsi vero quia fere omnes nati erant in Chaldæa, et possessiones ibi habebant, eligebant manere in terra nativitatis suæ. Pauci vero qui ascendere disponebant in Judæam, pigri erant et morosi, etiam usque ad tertium annum Cyri. Quod attendens Daniel, vehementiori affligebatur dolore quam prius, et oravit Dominum ut qui prius dederat regibus animum liberandi, daret et populo animum redeundi. Factum est ergo tertio anno Cyri regis, primo mense, primo die mensis, orsus est jejunare.

3 *Panem desiderabilem,* id est lauta cibaria, *non comedi :* panis quippe in Scriptura quemlibet cibum designat ; *et caro et vinum non introierunt in os meum :* in quo rigor abstinentiæ tam in cibo quam in potu ostenditur. Caro autem quia inter cibaria humano corpori est similior, est etiam delectabilior, secundum Albertum. Porro secundum Glossam, tribus hebdomadibus jejunavit propter mysterium Trinitatis, et quoniam populus Israel contra tria peccavit, videlicet contra naturam, rationem et gratiam. Iterum dicit Glossa : A cibis delicatis abstinuit : quod nobis multo magis faciendum est tempore jejunii. Qui enim illicitis usi sunt, abstinere debent a licitis. Hieronymus quoque : Hoc, inquit, docemur exemplo, tempore jejunii a cibis delicatioribus abstinere, nec carnes comedere, nec vinum bibere, nec unguenta quærere. Unde subjungitur : *sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Persis autem et Medis consuetudo fuit, secundum Hieronymum, unguentis uti pro balneis, scilicet pro refrigerio contra intemperiem caumatis. Aliqui demum hic dicunt, quod eo ipso quo Scriptura hæc dicit, quod Daniel ab istis, scilicet carnibus, vino et balneis, tribus septimanis abstinuit, insinuatur, quod aliis temporibus utebatur, et quod in senectute non tantam tenuit austeritatem in victu, sicut in juventute, quando bibebat solum aquam et manducavit legumina, ut jam dictum est. Daniel *Dan.* I, 12.
namque tempore isto fuit tantæ potentiæ, quod faciliter habere potuit cibos lege nequaquam prohibitos ; nec tanta austeritas est servanda in senectute, quando corpus est debilitatum et passiones edomitæ, sicut in juventute, dum vigent passiones.

Die autem vicesima quarta mensis pri- 4
mi, id est Aprilis, oratione jejunioque completis, sub tertio anno imperii Cyri, *eram juxta fluvium magnum qui est Tigris.* Sic enim vocatur ob velocitatem et impetum sui cursus, a tigride quæ est bestia velocissime currens. Estque fluvius iste, unus de quatuor fluminibus paradisi, vadens contra Assyrios, ut in Genesi *Gen.* II, 14.
habetur. *Et levavi oculos meos* exteriores 5
et interiores, *et vidi* quod sequitur. Elevatione autem oculorum opus est, ut mystica cernere valeamus, secundum Hieronymum. Qui etiam ait : Et Ezechiel juxta *Ezech.* I, 1.
flumen Chobar vidit visionem magnam ; et Christo atque Baptistæ juxta fluenta *Luc.* III, 21; *Joann.* I, 32.
Jordanis aperti sunt cœli. Cujus mystica ratio est, quoniam inundantia aquæ, divinorum copiam charismatum signat. Eis autem revelantur divina, ac panduntur cœlestia, qui plenitudine gratiæ decorantur.

Et ecce vir unus, id est angelus in forma viri apparens, virtutibus virens, *in-*

dutus lineis ad monstrandum puritatem innocentiamque naturæ angelicæ, nunquam labe peccati fœdatæ. Linum enim est album, et lucis æternæ imago, competitque
Apoc. III, 5. electis, juxta illud Apocalypsis : Qui vicerit, vestietur vestimentis albis. *Et renes ejus accincti auro obryzo,* id est, auream zonam habuit circa lumbos. Sic Joannes in Apocalypsi angelum sibi in persona
Ibid. I, 13. Christi apparentem, dicit præcinctum zona aurea ad mamillas. Aurum autem obryzum, est aurum mundissimum ; et secun-
Aliis obrizum, quasi Ophirizum, dictum videtur. dum Albertum dicitur obryzum, quasi obrude, quia videlicet in sua prima puritate consistit. Secundum alios vero, obrizon dicitur ab *ob,* et *radio, radians,* quia propter suam radiationem sic nominatur : quo designatur fervor amoris, quo angeli Deo indissolubiliter copulantur, vel pura eorum sapientia, qua Deo adhærent. Per aurum namque, utrumque istorum exprimi-
Apoc. III, 18. tur, ut quum in Apocalypsi dicitur : Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum. Porro renes sunt loca delectationum. Per renes ergo aureo cingulo cinctos, intelliguntur concupiscentiarum victores, qui omnem delectationem suam in Dei sapientia atque amore constituunt. Unde ad innuendum quod tales mereantur ab angelis visitari, eosque contemplari, angelus circa lumbos aureo balteo cinctus apparuit.

6 *Et corpus ejus quasi chrysolithus.* Chrysolithus, secundum Hieronymum, est unus de duodecim lapidibus pretiosis, estque marini seu cœlestis coloris, aureas habens scintillas. Per tale itaque corpus datur intelligi, quod sicut cœlum, in quo sunt stellæ instar auri micantes, movetur et non informatur ab angelico spiritu ; sic corpus quod angelus assumit, movetur quidem, sed non informatur ab eo. Quidam tamen per chrysolithum, propter similitudinem ejus cum mari in colore, intelligunt amaritudinem captivorum. Nam Septuaginta, pro chrysolitho interpretati sunt, Mare. Sic et Ezechielis primo habetur de
Ezech. I, 16. animalibus : Adspectus eorum quasi visio maris. Magis autem videtur per chryso-

A lithum seu marinum colorem, ratione claritatis ac diaphaneitatis, ostendi puritas corporis ab angelo assumpti, quia aeria solent assumere corpora utique munda. Sed si angelus lineis erat indutus, quomodo corporis ejus color seu dispositio vel materia apparebat, nisi forte ob linei indumenti subtilissimam tenuitatem ?

Et facies ejus sicut species fulguris, id est, flammea apparebat ut fulgur : in quo terror et ira contra inimicos Dei ostenditur, vel excellentia gloriæ angelorum, et
B quam terribiles sint adversariis veritatis. Sic et in Matthæo de angelo legitur : Erat *Matth.* XXVIII, 3. adspectus ejus sicut fulgur, vestimenta autem ejus sicut nix. *Et oculi ejus ut lampas ardens.* In quo fervor amoris, claritasque notitiæ in beatifica angelorum visione, insinuantur, vel ut scintillantibus oculis zeli sui ardorem significet. In Apocalypsi quoque habetur : Oculi ejus ut flamma *Apoc.* I, 14; XIX, 12. ignis. *Et brachia ejus et quæ deorsum erant* in corpore isto, *usque ad pedes* inclusive, scilicet crura, *quasi species æris*
C *candentis* in dispositione fuerunt. Per brachia, fortitudo angelica, adjutoriumque quod nobis impendunt, innuitur ; per ea autem quæ deorsum et pedes, agilitas mobilitatis et efficacia processus in actibus angelorum exprimitur. Hæc vero in similitudine æris candentis apparuerunt, ut magnitudo fortitudinis, mobilitatis, et activitatis insinuetur in angelis, per quæ adversarios possunt domare atque terrere, quemadmodum ferrum omnia domat, et suo candore quandoque perterret, quem-
D admodum in armatis. Hinc et Ezechiel inducit : Scintillæ quasi adspectus æris *Ezech.* I, 7. candentis.

Et vox sermonum ejus, ut vox multitudinis. Circa quod dicit Albertus : Multi enim angeli venerunt cum eo ad consolationem Prophetæ, et unus pro omnibus loquebatur. Sic enim in circuitu Elisei, visi sunt angeli multi. Per sonoritatem au- IV *Reg.* VI, 17. tem et multiformitatem vocis angelicæ, significatur efficacia eorum promptissima in loquendo et instruendo de divinis se-

cretis, terror quoque ipsorum in æmulos A Dei. Sic et in Apocalypsi conscriptum est : *Apoc.* i, 15. Vox ejus sicut vox aquarum multarum. *Ezech.* i, 24. Ezechiel quoque ait : Audivi sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei ; quum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum.

Denique generaliter loquendo, in tam inconsueta nobis manerie angeli sancti apparent hominibus, ut eis reverentialem timorem incutiant, humilitatemque augeant, et quanta sit excellentia eorum supra B nos in donis naturæ, gratiæ et gloriæ, manifestent. Et quoniam angeli apparent hominibus per corpora assumpta, ut de occultis eos familiariter instruant : idcirco per proprietates corporis assumpti, spirituales proprietates angeli figurantur.

7 *Vidi autem ego Daniel solus visionem,* id est rem visam, scilicet angelum taliter apparentem. Visio autem interdum significat actum videntis, interdum rem visui præsentatam, interdum revelationem, quandoque ipsam specierum apparitionem. Ex C hoc insuper verbo videtur, quod solus Daniel viderit angelum, sicut et paulo post subditur. Unde Hieronymus dicit hic : Et Paulus apostolus simile quid in Actibus Apostolorum passus est, ut ceteris non cernentibus, solus visionem adspiceret, quando videlicet ivit Damascum. Scriptum *Act.* ix, 7. est enim : Viri qui comitabantur eum, stabant stupefacti, vocem quidem audientes, neminem autem videntes. Vocem utique Pauli audierunt, non Christi loquentis cum Paulo, secundum quod Paulus postea te- D *Ibid.* xxii, 9. statur : Qui mecum erant, vocem ejus non audierunt qui loquebatur mecum. Verumtamen quidam ait hoc loco, quod solus Daniel vidit hanc visionem perfecte, quia non solum vidit angelum apparentem, sed et loquentem intellexit. Alii qui erant cum Daniele, solum viderunt angelum : ideo dicuntur visionem hanc non vidisse, quoniam angelum loquentem non audierunt, nec intellexerunt quæ Danieli revelabantur. Sed textui atque Hieronymo amplius consonat, quod angelum non viderunt : et ita Scholastica historia atque Albertus sentire videntur. In potestate autem angelorum est, ut corpora quæ assumunt, immutent visum unius, non alterius, quamvis adsit : quemadmodum erit in potestate animarum beatarum post resurrectionem communem ; imo et nunc sic est in earum potestate, quæ corporibus suis jam glorificatis denuo sunt unitæ.

Porro viri qui erant mecum, non viderunt. Ecce aperte dicit, quod visionem hanc, scilicet angelicam apparitionem, non viderunt, quia nec digni fuerunt. *Sed terror nimius irruit super eos.* Ex quo apparet, quod aliqua signa angelicæ perceperunt præsentiæ, ut fulgorem, aut aliquid tale. Nam et Paulus fatetur, quod qui se- *Act.* xxii, 9. cum tendebant, lumen viderunt. Humana autem fragilitas talia sine ingenti alteratione atque formidine sustinere non solet. *Et fugerunt in absconditum :* quia et male sibi conscii erant. Semper autem præsu- *Sap.* xvii, 10. mit sæva perturbata conscientia, ut dicitur in libro Sapientiæ. Timuerunt itaque, aliquid adversitatis sibi esse accidereve*. * accidere Istud tamen etiam bonis solet accidere, sicut in homilia refert Gregorius, moriente quadam femina sancta angelos introiisse, quos quidam viderunt, alii non viderunt, sed omnes uno simul timore prostrati sunt.

Ego autem relictus solus, tanquam con- 8 stantior ceteris, *vidi visionem grandem hanc :* quia in se erat res magna quæ apparebat, et magnificenter se demonstrabat; magna quoque significavit hæc visio, ut patebit. *Et non remansit in me fortitudo* corporalis, corpore videlicet destituto ex magnitudine terroris, admirationis et contemplationis ; *sed et species mea immutata est in me,* pristino colore in pallorem converso, et vultu contracto ex sanguinis refluxu ad cor, sicut in debilitatis ac territis cernimus ; *et emarcui, nec habui quidquam virium :* ita quod ex prædictis causis stupidus impotensque effectus sum. De causis autem tantæ alterationis

in corpore ex animæ apprehensione, pas-
Dan. v, 6. sione et affectione, superius plura memi-
9 ni dicta : idcirco pertranseo. *Et audivi*
vocem sermonum ejus, quos dixit ad me;
et audiens jacebam consternatus super fa-
ciem meam : quasi præ debilitate stare non
valens, et forte etiam ut angelum adora-
ret, ut moris erat in veteri Testamento; *et*
vultus meus hærebat terræ : quia et vox
illa angelica auxit timorem, nec tam ter-
ribile objectum audebat, nec sine timore
adhuc valebat adspicere, sicut de Moyse
Exod. III, 6. scriptum est : Abscondit faciem suam, et
non audebat respicere contra Dominum, id
est angelum sibi in persona Dei in rubo
apparentem. Alibi quoque filii Israel di-
Ibid. XX, 19. cunt ad Moysen : Non loquatur nobis Do-
minus, ne forte moriamur.
10 *Et ecce manus tetigit me,* id est, angelus
per manum corporis a se assumpti, suo
me tactu confortavit : nam et talis atta-
ctus, signum fuit familiaritatis atque amo-
ris. Hinc dicit Hieronymus : In hominis
figura videtur angelus, et humanam ad
Prophetam jacentem mittit manum, ut sui
generis corpus adspiciens, non formidet.
Et erexit me super genua mea et super
articulos manuum mearum : sicque pau-
latim confortavit Prophetam. A distanti
enim in distans transitur per medium, se-
cundum Dionysium, et ex imperfecto ad
perfectionem gradatim, secundum Philo-
sophum. Et sic Daniel quasi quadrupes
stetit. In genibus, secundum Albertum, est
virtus gressiva, sicut in pedibus virtus
fulcitiva.
11 *Et dixit ad me : Daniel, vir desiderio-*
rum, intellige verba quæ ego loquor ad te,
et sta in gradu tuo, id est super pedes
erectus. Cur autem Daniel vir desiderio-
Dan. IX, 23. rum vocetur, præcedenti articulo dictum
est. Hieronymus vero hic dicit : Congru-
enter vir desideriorum vocatur, qui in-
stantia precum et afflictione corporis, je-
juniorumque duritia cupit scire ventura, et
Dei secreta cognoscere. Pro viro deside-
riorum Symmachus transtulit, Vir deside-
rabilis. Omnis enim sanctus habens in se
A animæ pulchritudinem, amatur a Domino.
Nunc enim missus sum ad te : ideo debes
confortari atque advertere, non timere.
Quumque dixisset mihi sermonem istum,
steti tremens : quia paulatim vires colle-
git, et membra adhuc frigida erant ac
tremula, quia nondum sanguis rediit ple-
ne ad ea.
Et ait ad me : Noli metuere, Daniel : 12
quoniam adest amicus, non nocitor; *quia*
ex die primo trium hebdomadarum qui-
bus jejunasti, *quo posuisti cor tuum ad*
B *intelligendum* divina secreta atque futu-
ra, ad quorum intelligentiam te per ex-
teriora exercitia virtuosa disposuisti : po-
suisti, inquam, cor tuum, *ut te affligeres*
in conspectu Dei tui per abstinentiam, la-
crimas, preces, vigilias : quæ etiam ceteris
paribus, senioribus laboriosiora noscun-
tur; *exaudita sunt verba tua,* ita quod
statim Deus decrevit te exaudire, idque
mihi denuntiavit, *et ego veni propter ser-*
mones tuos : id est, quia Deum tam arden-
ter precatus es, veni ut tibi nuntiem quod
C oratio tua sit exaudita, ita quod Deus da-
bit jam populo tuo animum redeundi ad
terram promissionis.
Princeps autem regni Persarum restitit 13
mihi viginti et uno diebus, scilicet tribus
hebdomadibus quibus orasti. Hic locum
sortitur quæstio, quam super secundum
Sententiarum et in prima parte Thomas
inducit, An inter angelos sit pugna ratione
custodiæ. Et respondet, quod prædictum
verbum Danieli dictum, Hieronymus ex-
ponit de angelo malo, regno Persarum
D prælato, Gregorius de angelo bono. Deni-
que ista sunt verba Thomæ : Sicut uni-
cuique homini datur ad exercitium unus
angelus bonus, alius malus, ita singulis
gentibus duo spiritus præponuntur, unus
bonus et alter malus. Sed in hoc non est
minor dubitatio. Constat enim, quod an-
gelus Danieli loquens, erat bonus. Quo-
modo enim tam efficaciter sibi restitisset
angelus malus, nisi causam justam habuis-
set? Et si justam habuit causam, multo
magis impossibile erat resistentiam illam

per bonum angelum fieri. Ideo dicendum
cum Gregorio, ait Thomas, quod uterque
angelus bonus fuit. Hæc autem pugna sic
intelligenda est, secundum Gregorium :
Ps. xxxv, 7. Quum judicia Dei sint abyssus multa, pro-
funditatem eorum angeli sancti non semper
intelligunt, nisi in quantum eis divinitus
revelatur. Unde nec semper sciunt, quid
unicuique genti vel homini debeatur, se-
cundum dispositionem divinam, nisi per
revelationem divinam. Contingit autem
quandoque, quod in diversis gentibus in-
veniantur diversa merita, secundum quo-
rum diversitatem videtur quod una gens
alteri subesse debeat, vel ab ejus dominio
liberari, sicut tunc erat in populo Judæ-
orum : quoniam Danielis oratio, quantum
in se erat, liberationem eorum promeruit ;
sed peccata populi hujus, et etiam utilitas
ejus quam fecit in regno Persarum, dum
per eos Dei notitia diffundebatur, et ali-
qui convertebantur, erant in contrarium.
Et quia unusquisque angelus secundum
suum officium, ad examen divinæ justi-
tiæ refert merita sibi subditorum ; id-
eo relatio contrariorum meritorum sive
causarum per angelos facta, exspectantes
divinam sententiam, pugna angelorum vo-
catur : quorum concordia est in percepti-
one illuminationis divinæ, qua de divina
voluntate instruuntur. Hoc enim concordi-
ter volunt, quod Deum velle percipiunt.
Idcirco absolute loquendo, est inter eos
concordia. Itaque Thomas tenet Gregori-
um. Hieronymus tamen hoc loco loquitur
non assertive, sed opinative ac sobrie, di-
cendo, Videtur, et, Forsan.

*Et ecce Michael unus de principibus
primis,* id est unus præcipuorum spiri-
tuum tertii ordinis angelorum : qui ordo
Principatus vocatur, estque summus cho-
rus in infima hierarchia angelica. Prin-
cipum autem (secundum Albertum) est,
principatum dirigere, ut secundum leges
justitiæ populum regant, ac justa decer-
nant. *Venit in adjutorium meum,* simul
orando mecum pro causa tua. Fuit enim
princeps totius Synagogæ, et omnium sci-
A licet Judæorum ubicumque manentium :
ideo omnium commodum procuravit, et ea
quæ pro liberatione ac reditu eorum fa-
cere poterant, simul cum Gabriele coram
Deo allegavit.

Et ego remansi ibi, id est coram Deo,
juxta principem Persarum, id est ange-
lum præsidentem regno Persarum. Angeli
autem qui regnis præsunt, seu toti alicui
populo, sunt de ordine Principatuum, se-
cundum doctores. Et si princeps iste di-
catur angelus sanctus, non est difficile
B quod Gabriel apud Deum juxta eum per-
manserit ; si vero dicatur angelus malus,
ita apud eum mansit coram Deo, quomodo
in Job dicitur Satan adfuisse inter filios *Job* i, 6; ii, 1.
Dei coram eo. Omnes enim boni malique
spiritus, in Dei præsentia sunt. Mansit au-
tem Gabriel apud principem Persarum tot
diebus, ne orationes Danielis privarentur
effectu, et ut causas pro liberatione po-
puli Juda Deo offerret : et hæc causa est,
quod Gabriel tam diu distulit venire ad
Danielem, quia divinam exspectavit sen-
C tentiam, et ut Propheta diu rogando, flen-
do ac abstinendo, amplius mereretur di-
vinitus exaudiri. *Veni autem* nunc, cognita 14
Dei sententia de populi tui negotiis, *ut
docerem te quæ ventura sunt populo tuo
in novissimis diebus,* id est in consumma-
tione sæculi, secundum Hieronymum. Ideo
sequitur : *quoniam adhuc visio in dies*
protelatur, id est, impletio ejus adhuc diu-
tius differtur. Quo constat quod venit ad
instruendum Danielem non solum de re-
ditu Judæorum in sua sub Cyro, et de his
D quæ ante Christi adventum peracta sunt,
vel in illo ; sed de his quoque quæ in
Antichristi tempore fient, sicut sequenti-
bus patebit capitulis.

Quumque loqueretur mihi hujuscemodi 15
verbis, tam altissimis, arduis et secretis,
dejeci vultum meum in terram, tanquam
ad intellectum angelicorum verborum de-
ficiens, et vultus ejus splendorem ferre
vix valens, (et de populi sui peccato con-
fusus, propriam quoque fragilitatem re-
spectu angelicæ sublimitatis magis per-

pendens atque humilians,) *et tacui.* Sic A
quoque Lucæ ultimo scriptum est de san-
ctis mulieribus ad Christi sepulcrum per-
Luc. xxiv, 4, 5. gentibus : Ecce duo viri adstiterunt juxta
illas in veste fulgenti ; quum timerent au-
tem, et declinarent vultum in terram, etc.
Ideo demum Daniel vultum dejecit in ter-
ram, quia verebatur ne forte angelus dice-
ret populo suo plura adversa postmodum
esse ventura.
16 *Et ecce quasi similitudo filii hominis,*
id est Gabriel in specie hominis juvenili-
que forma apparens, *tetigit labia mea,* ta- B
ctu suo ea perficiens ad loquendum di-
vina : quemadmodum angelus loquitur
Is. vi, 7. Isaiæ, Ecce tetigi labia tua, et auferetur
iniquitas tua ; *et aperiens os meum, locu-
tus sum,* sumpta fiducia ex tam familiari
applicatione angeli ad me, *et dixi ad eum
qui stabat contra me,* scilicet Gabrielem :
*Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt
compages meæ, et nihil in me remansit
virium :* id est, ex tam gloriosa tua ap-
paritione sic tremefactus sum et deje-
ctus, quod juncturæ membrorum a pristina C
cohæsione ac firmitate defecerunt, ex sub-
tractione sanguinis atque spirituum con-
currentium ad cor ex passione timoris :
Dan. v, 6. sicut superius clarius dixi. *Et quomodo*
17 *poterit servus domini mei,* scilicet ego
homo infirmus, *loqui cum domino meo?*
Act. ix, 3, 4. Sic et Paulus circumfulgente se luce cœ-
lesti, cecidit pronus in terram. *Nihil enim
in me remansit virium :* sicut expositum
est. *Sed et halitus meus intercluditur,* ut
præ angustia spiritus spirare vix queam :
ut accidit his qui in excessivis affectioni- D
bus positi sunt.
18 *Rursum ergo tetigit me quasi visio ho-
minis,* id est angelus in similitudine ho-
Jer. i, 9. minis adstans. Sic ait et Jeremias : Misit
Dominus manum suam, et tetigit os meum.
19 *Et confortavit me, et dixit : Noli timere,
vir desideriorum ; pax tibi ; confortare*
Josue i, 6. spiritu, *et esto robustus* corpore. Idem di-
cit Josue. Bonorum quippe angelorum, se-
cundum Antonium, est timorem expelle-
re, et consolationem infundere. *Quumque*
loqueretur mecum hujusmodi verba bona
ac consolatoria, *convalui,* cessante timore,
et sanguine ad propria receptacula reflu-
ente, *et dixi : Loquere, domine mi, quia
confortasti me,* ut jam ad usum rationis
sim potens : quem immoderatæ passiones
impediunt, juxta illud Job, Neque enim Job ix, 35.
possum metuens respondere. Anima vero
quiescendo fit prudens.
Et dixit : Numquid scis quare vene- 20
rim ad te consolandum et certificandum
de exauditione precum tuarum, et instru-
endum de futuris ? quasi dicat : Ex præ-
habitis verbis meis id scire vales. *Et nunc
revertar* ad eum qui me misit : a quo,
loco non disto ; sed ad locum revertar quo
steti coram eo in aliis actibus pro tua pre-
ce ac populo tuo intentus, quam sint actus
quibus nunc circa te versor, et ad illos
actus repetendos regredior. Albertus ex-
ponit, Revertar ad intima contemplationis ;
et alii, Revertar in conspectu Dei. Sed a
Dei contemplatione et Dei conspectu an-
geli nunquam recedunt, sed in diversis
locis diversos efficiunt actus. *Ut prælier
adversus principem Persarum* (de quo
dictum jam est), ne suis allegationibus
preces tuas impediat. Quomodo autem hoc
prælium sit intelligendum, nunc patuit.
Est enim demonstratio diversorum meri-
torum gentium quibus angeli præsunt,
propter quæ diversa gentibus illis deberi
videntur. *Quum enim egrederer,* desuper
veniendo ad te, *apparuit princeps Græco-
rum veniens,* id est angelus regno Mace-
donum seu Græciæ præsidens : qui et ipse
venit, ut coram Deo præliaretur contra
principem Persarum atque Medorum, alle-
gando causas ob quas regnum Medorum
esset Græcis subdendum.
Verumtamen annuntiabo tibi, antequam 21
recedam a te, scilicet interim quod prin-
ceps Persarum et princeps Græcorum in-
ter se dimicant, secundum Hieronymum,
quod expressum est in scriptura veritatis,
de his quæ concernunt desiderium tuum
ac statum populi tui : quæ subsequentibus
recitantur capitulis. Præterea per scriptu-

ram veritatis, Albertus intelligit præordinationem divinam, per cujus insinuationem totum horum principum angelorumque prælium ad concordiam revocatur. Dicitur autem scriptura veritatis, quia nec fallit nec fallitur. Similiter Lyra per scripturam veritatis, intelligit præscientiam Dei angelo revelatam. Revelatio autem est quædam impressio divinæ scientiæ. Denique istos sequendo, dici potest quod sicut in Deo ponitur liber vitæ, qui est ipsa prædestinatio Dei, seu tenax et firma memoria sive notitia in mente divina eorum quos Deus salvare decrevit, ita in Deo ponitur scriptura veritatis. Verumtamen, quia secundum doctores, liber vitæ in Deo metaphorice dicitur, sicut etiam Thomas in prima parte, quæstione 24, ostendit, videtur quod scriptura veritatis non proprie dicatur præordinatio seu præscientia Dei, sed metaphorice potius. Ideo per scripturam veritatis, proprie intelligendam reor Scripturam canonicam veteris Testamenti, potissime Prophetarum, in quibus ante hoc tempus collocutionis Gabrielis cum Daniele, scripta erant de quibus nunc mentio. Siquidem de liberatione ac reditu Judæorum ad propria, de finali judicio, de Antichristi adventu, et aliis multis, multa in Isaia, et quædam in Jeremia ac Ezechiele habentur; et ista Danieli per angelum distincte ac clare ostensa, partimque particularius revelata sunt, quam in præfatis habeantur Prophetis.

Et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester, id est princeps Synagogæ, secundum Hieronymum : qua repulsa, imo qua Deum repellente, factus est princeps Ecclesiæ. Sed mirum videtur, quod Gabriel nullum dicit esse suum adjutorem in omnibus his Synagogæ promotionem concernentibus, nisi Michaelem, quum quarto Regum dicat Eliseus, ostensis puero suo aciebus angelicis : Plures nobiscum sunt, quam cum illis, scilicet Syris. (IV *Reg.* VI, 16.) Amplius autem, nonne et angeli singulis Judæis ad custodiam deputati, pro singulorum orabant profectu? Sed et princeps Græcorum eo ipso quo restitit principi Persarum, contra quem Gabriel præliabatur, nonne Gabrielem videtur juvisse? Forte hæc quæstio ex verbis Alberti aliqualiter solvitur. Ait nempe hoc loco : Multos in acie sua ducit signifer Michael, qui omnes decertant pro nobis. Hoc significatum est in Apocalypsi, ubi habetur : Michael et angeli ejus præliabantur (*Apoc.* XII, 7.) cum dracone. Sicque quod ait, Nisi Michael, intelligendum esset per inclusionem agminis sui, velut si princeps terrenus contra aliquem pugnaturus assereret : Nemo est adjutor meus, nisi rex Franciæ. Præterea, secundum Dionysium, nullus angelorum quidpiam agere usquam attentat, nisi quod sibi divinæ legis præfixione injungitur. Ideo Gabrielem nemo adjuvit in istis formaliter ac directe, nisi cui ex præstitutione divina id fuit injunctum, ut Michael, juxta sensum a sancto Gabriele intentum : in cujus verbi intellectu plenario hebetudinem intelligentiæ meæ fateor caligare.

Postremo, ex commento Alberti adjicio, quod glossa quædam mystica super illud hujus capituli verbum, Caro et vinum non (vers. 3.) introierunt in os meum, dicit quod scilicet caro corpus est Christi, et vinum sanguis ipsius, quibus destitutus, deficit homo. Et videtur innuere, quod tempore luctus ab his abstinendum sit; tempus autem luctus, est tempus pœnitentiæ. Hoc etiam videtur Augustinus velle, qui dicit quod corpus Domini sumere non debet, nisi confortatus bona conscientia. De novo vero pœnitens, non est confortatus bona conscientia. De novo autem pœnitentem vocamus, contritum et non confessum, et qui non satisfecit. Et hoc videtur velle magister Hugo de S. Victore, qui dicit : Audacter dico, quia etsi contritus sit et non confessus, Christi corpus sumere non debet. Contra hoc videtur esse, quod quando contritus est, culpa tota remissa est, juxta Ezechielis censuram : Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum (*Ezech.* XVIII, 21, 22.) ejus non recordabor. Contritus ergo dignus est vita æterna, ergo et communione. Di-

cendum quod contritus et non confessus, A dignus est communione, dummodo non contemptus religionis, sed necessitas impedimenti rationabilis sit causa dilatæ confessionis. Et ad verbum Augustini dicendum, quod confortationis causam habet et bonam conscientiam, qui conscientiam peccati mortalis non habet. Et quod dicit magister Hugo, de eo intelligitur qui non habet propositum confitendi. Hæc Albertus.

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO CAPITULI UNDECIMI : EGO AUTEM AB ANNO PRIMO DARII MEDI.

PRÆSENS capitulum a B. Hieronymo, B Scholastica historia, et Alberto, aliisque communiter Hieronymum assecutis, exponitur tanquam distinctam continens visionem a præcedenti, ita ut primum hujus capituli verbum, in persona Danielis sit dictum, et visio ista ostensa sit ante immediate præhabitam, scilicet primo anno Darii avunculi Cyri, quemadmodum in superiorum visionum descriptione factum esse jam patuit. Et de causa mutationis ordinis habitum est. Hinc ait Hieronymus : Porro, juxta Hebraicam veritatem, separa- C ta sunt quæ sequuntur (scilicet duo isti capituli, a capitulo duodecimo), et scripta ordine præpostero. Non enim sub Cyri anno tertio, sed sub Darii anno primo narrantur hæc.

1 Itaque Daniel in sua ait persona : *Ego autem ab anno primo* imperii *Darii Medi*, id est regis Medorum qui Babylonem destruxit, et Balthasar regem ejus occidit, secundum opinionem communem, *stabam* orationi intentus, *ut confortaretur* ipse in imperio et in vita, *et corroboraretur* re- D gnum ipsius. Quidam vero putabant in isto ac sequenti capitulo, non contineri specialem visionem, sed prædictæ visionis prosecutionem et explanationem, ita ut verbum expositum, dicatur in persona Gabrielis, non Danielis : ut quia Gabriel obtulit preces Danielis Deo, hinc sicut Daniel stetit orando pro Dario ejusque regno, sic Gabriel idem se perhibet peregisse, quoniam orantis Danielis precem Deo obtulerat. Et hanc opinionem sequitur quidam, probans quod verbum præfatum non possit de Daniele exponi, eo quod verbum immediate præcedens sit Gabrielis, videlicet ultimum verbum capituli decimi; similiter verba immediate sequentia, huic verbo per conjunctionem copulativam adjecta, sint Gabrielis, non Danielis.

Sed ad istud sufficienter respondet Hieronymus, dicens : Consuetudinis est Prophetarum, repente personas introducere seu mutare, sine ulla præfatione verborum, ut est illud in Psalmo ubi orat Propheta, Tu es refugium meum a tribulatione *Ps.* XXXI, 7. quæ circumdedit me : repente persona Dei introducitur respondentis, Intellectum tibi *Ibid.* 8. dabo, etc. Denique hujus exemplum evidentius etiam in oratione copulativis conjunctionibus continuata, habetur in Isaia, quum Propheta ibidem alloquitur Deum, Quum feceris judicia tua in terra, justitiam *Is.* XXVI, 9-11. discent habitatores orbis; moxque in persona Dei subjungitur, Misereamur impio : ad quod in persona Prophetæ vel Ecclesiæ, ex zelo justitiæ respondetur immediate, Et non discet facere justitiam, in terra sanctorum iniqua gessit. Ad quod Deus respondet ut judex, Et non videbit gloriam Domini : cui sententiæ applaudens Propheta, Domine (inquit) exaltetur manus tua, ut non videant. Ad quod Deus statim subjungit, Videant et confundantur zelantes populi : quibus verbis favens Prophe-

ta, adjecit, Et ignis hostes tuos devoret. Hic autem modus loquendi, in Zacharia est frequens. Idcirco Scholastica dicit historia, quod hic sit metaplasmus, id est mutatio de persona una in aliam.

Itaque consequenter Gabriel loquitur Da-
2 nieli : *Et nunc,* tempore hujus revelationis, *veritatem annuntiabo tibi* de regno ac regibus Persidis, pro qua re sollicite oras, præsertim amore Darii regis, qui te sic
Dan. VI. diligit et sublimavit, et de lacu leonum eduxit, atque pro te sollicitus fuit. *Et ecce adhuc tres reges stabunt,* regnando *in Perside,* post Darium et Cyrum : qui nunc pro eodem computantur, quia simul regnabant, et Cyrus Dario cessit, ut dictum est sæpe et pluries. Nec solum tres stabunt ibi, sed etiam quartus, sicut mox subditur : *et quartus* rex Persidis *ditabitur opibus nimiis super omnes,* qui ante eum in Perside regnaverunt. Primus istorum quatuor, secundum Hieronymum et eum sequentes, fuit Cambyses filius Cyri : qui
Judith I, 5. Cambyses in libro Judith Nabuchodonosor appellatur. Secundus fuit Smerdes magus, qui filiam Cambysis duxit uxorem. Quo a septem magis occiso, regnavit Darius filius Hystaspis : qui Darius præfatam Cambysis filiam conjugem sumpsit, genuitque ex ea Xerxem filium, qui in Perside rex potentissimus atque ditissimus fuit, et contra Græciam innumerabilem duxit exercitum, eaque gessit quæ Græcorum memorant historiæ : succendit enim Athenas. Hinc sequitur : *Et quum invaluerit* iste rex Persidis quartus *divitiis suis,* per quas auxiliarios aggregavit, *concitabit omnes,* scilicet subjectos, et favere paratos, *adversum regnum Græciæ :* quod et vicit, et suo junxit imperio sub tributo.

Insuper, secundum Hieronymum, post hunc potentissimum Persidis regem, adhuc novem fuerunt usque ad Alexandrum Magnum : qui omittuntur hoc loco, quia non curavit spiritus prophetalis seu sermo propheticus ordinem historiæ prosequi, sed præclara quæque perstringere. Hinc secundum Albertum, isti quatuor tanquam

A principaliores ponuntur. Et rursus, quia præfatus Xerxes dedit Græcis occasionem præliandi contra Persas, idcirco post eum statim fit mentio de maximo rege Græcorum, Persarum victore, scilicet Alexandro. Quidam vero dicens se sequi Hebræos, affirmat quod quatuor regum Persidis de quibus nunc sermo, primus fuit Cyrus; secundus, Cambyses filius ejus; tertius, Assuerus Esther maritus; quartus, Darius *Esther* I, 1; II, 18.
Assueri istius filius, quem dicit ab Alexandro devictum. Sed contra hoc Hieronymus
B dicit aperte : Frustra quidam Darium quartum regem, qui ab Alexandro victus est, scripsit : qui non quartus, sed quartusdecimus post Cyrum Persarum rex fuit, quem septimo imperii sui anno superavit et occidit Alexander. Præterea æstimare non valeo, quod historiographi Persarum atque Medorum seu aliorum gentilium, ex quibus Hieronymus asserit se cepisse quæ scribit de regibus istis, tantum in descriptione rerum gestarum erraverint, ut scriberent in regno Persarum quatuordecim
C reges post Danielem seu Cyrum regnasse usque ad Alexandrum, si non nisi quatuor regnaverunt; nec apparentiam habet, quod novem regnasse confinxerint; nec imperium Persarum tot annis duravit sub quatuor regibus memoratis, quot annis chronicæ Persarum, quas sequuntur Hieronymus, Africanus, Beda, ceterique catholici, illud durasse testantur.

Surget vero rex fortis, et dominabitur 3
potestate multa, et faciet quod placuerit ei. Hoc omnes de Alexandro Magno Ma-
D cedone interpretantur, qui tempore Darii ultimi imperatoris ac regis Persarum atque Medorum se erigens, ac plurimas terras sibi subjiciens, tandem Darium superavit, et Indiam subjugavit, mirabilem habens in omnibus bellis prosperitatem, atque ad libitum prævalens. De qua re supra dicta sunt multa, quæ resumenda non reor.

Et quum steterit Alexander, id est, duo- 4
decim annis regnaverit, *conteretur regnum ejus :* quia triginta duorum exsistens an-

norum, secundum Hieronymum, in Babylone veneno interiit. Jolus enim pincerna ipsius eum infecit*, vino miscens venenum. *Et dividetur in quatuor ventos cœli.* Moriturus quippe imperium suum divisit in quatuor partes, quarum una fuit ad orientem, altera ad occidentem, tertia ad austrum, quarta ad aquilonem : ex quibus terræ plagis flant venti quatuor principales, ideo dicitur, In quatuor ventos cœli aerii. In Ægypto equidem, quæ est ad meridiem, regnavit Ptolemæus Lagi filius; in Macedonia, quæ est ad occidentem, frater Alexandri Philippus; in Syria et Babylone ac superioribus locis, quæ sunt ad orientem, Seleucus, qui et Nicanor vocatus est; in Asia et plagis vicinis, quæ sunt ad septentrionem, Antigonus. His verbis addidit Hieronymus : Hoc secundum totius orbis plagas dicimus, utpote non habito ad specialem locum respectu. Ceterum, qui in Judæa est, ad aquilonem Syriam, et ad meridiem habet Ægyptum. Secundum Albertum, quatuor plagæ terræ vocantur quatuor venti cœli, quia res hujus mundi, quasi vento huc illucque jactantur. *Sed non in posteros ejus.* Isti enim Alexandri successores non fuerunt ex eo progeniti; imo, secundum Hieronymum, fuerunt alieni ab eo, dempto Philippo fratre ipsius. Dicit quoque Hieronymus, quod Alexander non habuit liberos. Verumtamen sicut in vita Alexandri habetur, habuit prolem unam ex conjuge sua filia Darii regis Persarum, sed matrem cum prole occidit Jolus cum Cassandro sibi in his adsistente, videlicet interfectione Alexandri et interfectione conjugis suæ ac prolis. *Neque secundum potentiam illius,* id est, nullus regum istorum similis erit Alexandro in potestate, *qua dominatus est* Alexander potentissimus regum.

* interfecit

Lacerabitur enim, id est dividetur, *regnum ejus,* scilicet Alexandri, *etiam in exteros* (seu *externos*), id est inferiores et obscuriores reges prædictis quatuor regibus. Alexandro quippe defuncto, regibus ab ipso constitutis eorumve posteris inter se præliantibus, plures ab Alexandri imperio seu monarchia se subtraxerunt, et reges sibi constituerunt, qui diademata suis imposuerunt capitibus. Nam Cappadocia, et Armenia, atque Bithynia, Bosphorus quoque ac aliæ provinciæ, a Macedonum recesserunt imperio, Alexandro defuncto. Sic ergo divisum est Alexandri regnum in exteros sive extraneos reges, *exceptis his* regibus præinductis. In istis atque sequentibus sequor Hieronymum, Scholasticam historiam et Albertum. Ideo non opus est ad singula allegationes inducere.

Et confortabitur rex austri. Hic determinatur de processu ac præliis duorum regnorum de prædictis quatuor regnis, utpote de regno Ægypti ac Syriæ : et de istis Gabriel loquitur Danieli, aliis duobus regnis omissis, quia hæc duo regna erant Judæis viciniora, et eis frequenter molesta fuerunt. Propositum autem Scripturæ veteris Testamenti fuit, non exterarum gentium historias texere, sed Judæorum, et aliorum secundum quod copulabantur Judæis sive in bono, sive in malo. Itaque angelus ait : *Confortabitur rex austri,* id est Ægypti, quæ ad meridiem est, scilicet Ptolemæus Lagi filius, qui primus post Alexandrum in Ægypto regnavit, pluresque insulas, regiones et urbes obtinuit, subjugavit, et suum dilatavit dominium : qui, secundum Hieronymum, prudentissimus atque ditissimus fuit. Porro, ab isto Ptolemæo sequentes reges Ægypti dicti sunt Ptolemæi : quorum primus fuit Ptolemæus Philadelphus filius Ptolemæi præfati, deinde Ptolemæus Evergetes, Ptolemæus Philopator, Ptolemæus Epiphanes.

Et de principibus ejus, id est filiis atque principibus a Ptolemæo Lagi filio descendentibus, *prævalebit super eum,* id est, unus illorum eo erit præclarior, potestate, opibus, gloria, scilicet Ptolemæus Philadelphus prædicti filius Ptolemæi, et post imperans in Ægypto, *et dominabitur ditione,* id est, grandi dominio fulcietur. Circa hunc locum scribit Hieronymus : Sub isto

Philadelpho Septuaginta interpretes Alexandriæ Scripturam sanctam in Græcum dicuntur vertisse sermonem : qui Eleazaro pontifici multa Jerosolymam, et in templi donaria vasa transmisit. Tantæ narratur fuisse scientiæ, ut patrem suum in ea excederet. Narrant historiæ, habuisse eum ducenta millia peditum, viginti millia equitum, millia curruum, quadringentos elephantos, quos ex Æthiopia primus adduxit, naves longas mille quingentas, et alias mille ad cibaria militum deportanda. Insuper aliqui asserunt, quod tantus sapientiæ fuit amator, quod omnium gentium libros in sua bibliotheca congregavit. Unde libros legis Mosaicæ fecit transferri : et hoc, de consilio magistri sui Demetrii, ut aliqui dicunt. *Multa enim dominatio ejus :* quia (ut dictum est) patre suo fuit potentior.

6 *Et post finem annorum,* id est, aliquibus annis prælii evolutis, *fœderabuntur* præfatus Ptolemæus Philadelphus, et Antiochus Theos rex Syriæ; *filiaque regis austri,* scilicet Ptolemæi jam dicti regis Ægypti, quæ est versus plagam australem, *veniet ad regem aquilonis,* id est Antiochum Theos Syriæ, quæ est in parte aquilonari, *facere amicitiam :* quia a patre suo data est huic Antiocho uxor, ut bellum inter eos cessaret. Hinc Theodotion transtulit : Post annos illos commiscebuntur. Quod Ptolemæus ideo fecit, ut regnum Syriæ ad semen filiæ suæ, suos videlicet devolveretur nepotes. *Et non obtinebit fortitudinem brachii :* id est, robur ac regnum Syriæ et militum ejus hæc Ptolemæi filia, Antiochi uxor, non adipiscetur, secundum quod pater ejus speravit; *nec stabit semen ejus,* id est, filius quem ex Antiocho isto genuit, non stabit in regno Syriæ, nec diu in vita. Et quomodo fieret hoc, subditur :

Et tradetur ipsa, filia Philadelphi, uxor Antiochi; *et qui adduxerunt eam* de Ægypto in Syriam, *adolescentes ejus* milites ac nobiles, *et qui confortabant eam in temporibus,* id est Antiochus ejus maritus, qui eam ad tempus roboravit in reginam : hi omnes traditi sunt in mortem. Iste nam-A que Antiochus quando filiam regis Ægypti sumpsit in conjugem, priorem suam uxorem repudiavit, et quasi ancillam concubinamque habuit. Postea victus ejus amore, accepit eam ad priorem gratiam atque honorem. Porro illa viri instabilitatem perpendens, metuensque ne denuo abjiceretur ab ipso, et ne filii quos ex eo habuit, regno Syriæ privarentur, devolvereturque regnum hoc ad filium viri sui, quem ex filia regis Ægypti genuit, per ministros suos virum suum occidit veneno, ejusque B conjugem Ægyptiam cum filio suo tradidit quibusdam suis principibus occidendam. Postea filium suum majorem nomine Seleucum, cognomento Galericum, loco patris sui constituit regem. Sed istam occisionem filiæ regis Ægypti, prolisque ejus, frater suus, scilicet Ptolemæus Evergetes rex Ægypti post patrem suum Ptolemæum Philadelphum, ulcisci curavit, secundum quod subditur.

Et stabit de germine radicum ejus, id 7
est de posteritate parentum filiæ Philadel-C phi, *plantatio,* id est germen seu filius, scilicet Ptolemæus Evergetes frater ipsius, imperans in Ægypto; *et veniet cum exercitu* valde ingenti, *et ingredietur provinciam regis aquilonis,* scilicet Syriam, quæ est in parte aquilonari seu septentrionali, *et abutetur eis,* id est Seleuco Galerico, et matre ipsius cum filio suo in Syria tunc regnante, quibus fertur abusus, quia opprobria intulit eis, crudeliterque subvertit : juxta quem modum Jeremias dicit, In tempore furoris tui abutere eis; *et obti-* *Jer.* xviii, 23.
D *nebit,* id est, sibi subjecit; et ut aliqui dicunt, ambos occidit : imo, secundum Hieronymum, Syriam cepit atque Ciliciam, superioresque partes trans flumen, et pro-
pemodum Asiam universam. *Insuper deos* 8
eorum, puta Syrorum, *et sculptilia, vasa quoque pretiosa auri et argenti captiva ducet in Ægyptum.* Quum enim (ut tactum est) taliter prævaluisset, atque audisset in Ægypto seditionem oriri, spoliavit Syriam, tulitque secum ex ea vasa aurea et argentea pretiosa, deorum quoque simulacra

duo millia et quingenta, ac quadraginta A
millia talentorum argenti. *Ipse prævalebit*
adversus regem aquilonis, scilicet Ptole-
mæus Evergetes contra Seleucum Galeri-
9 cum Syriæ regem, ut patuit. *Et intrabit*
in regnum Syriæ, illud undique perva-
gando, ut dictum est, *rex austri,* videlicet
Ptolemæus præfatus, *et revertetur ad ter-*
ram suam, id est Ægyptum, Syria sic va-
stata.
10 *Filii autem ejus,* puta Seleuci Galerici,
patre suo Galerico interfecto, *provocabun-*
tur ad pugnam contra regem Ægypti Pto- B
lemæum Philopatorem, præfati Ptolemæi
Evergetis filium ac successorem, *et con-*
gregabunt multitudinem exercituum plu-
rimorum, ut patris sui mortem in eum
vindicent, a cujus patre pater eorum oc-
cisus est. Galericus quippe filios duos pue-
ros dereliquit, qui adulti, ista fecerunt. *Et*
veniet unus duorum fratrum istorum, vi-
delicet Antiochus, qui dictus est Magnus,
properans ad resistendum regi Ægypti, *et*
inundans, id est impetu numeroque exer-
citus sui abundans : sicut de rege Assy- C
Is. VIII, 8. riorum scriptum est in Isaia, Et ibit per
Judæam, inundans et transiens usque ad
collum; *et revertetur* Antiochus iste. Fuit
enim ad tempus in Babylone, et interim
frater ejus primogenitus tertio regni sui
anno in Phrygia dolose occisus est : quo
audito, frater ejus junior, scilicet iste An-
tiochus, sumpsit regnum et propere venit
de Babylone. *Et concitabitur,* animo fer-
vens ad pugnam, *et congredietur cum robo-*
re ejus, id est, cum fortitudine sui exerci-
tus, bellum inibit contra duces et populum D
Ptolemæi Philopatoris in Syria, quæ pro
tunc quasi hereditarie tenebatur a rege
Ægypti, hoc est, sicut et pater ejus Ptole-
mæus Evergetes eam in suam redegit po-
testatem. *Et exaltabitur cornu ejus :* quia
prævaluit ducibus Ptolemæi, et Syriam
recuperavit.
11 *Et provocatus rex austri,* id est, Ptole-
mæus Philopator rex Ægypti, animo inflam-
matus contra Antiochum Magnum, audita
dejectione suorum, *egredietur* Ægyptum,

et pugnabit adversus regem aquilonis, id
est Antiochum istum Syriæ regem, *et præ-*
parabit multitudinem nimiam, id est gran-
dem valde exercitum. Hoc quippe fecit
antequam iniit pugnam. *Et dabitur mul-*
titudo in manu ejus, id est, magnum An-
tiochi exercitum superabit. *Et capiet mul-* 12
titudinem, id est, multos de parte Antiochi
in prælio captivabit, *et exaltabitur cornu*
ejus, id est regia ejus potestas, obtento
triumpho contra Antiochum, *et dejiciet*
multa millia exercitus Antiochi quæ oc-
cidit in bello, *sed non prævalebit* contra
Antiochum totaliter atque finaliter. Antio-
chum enim fugientem comprehendere ne-
quivit. Hinc subditur :
Convertetur enim rex aquilonis : id est, 13
Antiochus iste rex Syriæ post fugam rursus
faciem suam direxit contra regem Ægypti
ad impugnandum; *et præparabit multitu-*
dinem multo majorem quam prius contra
regem Ægypti, non Philopatorem, sed fi-
lium ejus Ptolemæum Epiphanem, patri
in imperio succedentem, qui patre suo
mortuo erat tunc quatuor annorum; *et in*
fine temporum annorumque ad hoc præ-
definitorum, videlicet post aliquot annos
Philopatore defuncto, *veniet* iste Antiochus
Magnus *properans* contra Ægyptum, *cum*
exercitu maximo et opibus nimiis. Contra-
xit enim, secundum Hieronymum, incre-
dibilem exercitum a superioribus Babylo-
nis partibus, atque cum rege Macedonum
Philippo iniit pactum ut se contra Ægypti
regem juvaret, hac conditione quod unus-
quisque eorum urbes Ægypti superandas,
suo imperio viciniores, haberet, suoque
regno adjungeret : sicque cum multis venit
divitiis. Ideo subditur : *Et in temporibus* 14
illis multi consurgent cum isto Antiocho
adversus regem austri, id est Ægypti, Pto-
lemæum Epiphanem.
Consequenter inserit quiddam, quod tunc
contigit. *Filii quoque prævaricatorum po-*
puli tui, id est Judæi transgressores filii
transgressorum, *extollentur,* præsumptuo-
se agendo, *ut impleant visionem,* id est,
implere se jactent et æstiment prophe-

Is. xix, 19. tiam Isaiæ : In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus ad terminum ejus : quod ad litteram dictum est pro tempore Christi et Evangelii prædicationis conversis ad Salvatorem Ægyptiis. Porro inter se dimicantibus regibus Syriæ et Ægypti, Judæi inter se dividebantur, quibusdam eorum faventibus regi Syriæ, aliis regi Ægypti. Hac occasione Onias Judæorum sacerdos, assumptis multis Judæis, in Ægyptum fugit, quem rex Ægypti Ptolemæus Epiphanes cum honore suscepit : sicque Onias de regis consensu atque subsidio in Ægypto construxit templum et altare similia templo et altari Jerusalem, asserens se præinductum Isaiæ vaticinium adimplere. Et in hoc egit inique et contra legem, quæ prohibuit alibi (*Deut.* xii, 13, 14.) fieri templum hostiasque offerri, nisi in urbe divinitus ad hoc præelecta, puta Jerusalem. Duravitque templum hoc annis ducentis quinquaginta, quousque a Vespasiano, repugnantibus Judæis Romano imperio, funditus est destructum una cum civitate in qua erat, quæ ab Onia, civitas Oniæ fuit vocata. Onia quoque in Ægypto manente, innumerabiles ad eum confugerunt Judæi. *Et corruent :* quia hoc faciendo peccaverunt, et postea templum, ut dictum est, fuit destructum.

15 *Et veniet* Antiochus Magnus *rex aquilonis,* videlicet Syriæ, *et comportabit aggerem,* per suos satellites implentes fossas munitionum, quas rex Ægypti adhibuit urbibus quas regi Syriæ abstulit; *et capiet urbes munitissimas.* Rex namque Ægypti plures Syriæ urbes abstulit regi ejus, quas Antiochus iste recuperavit. Rursus, Antiocho isto Magno obtinente ac habente Judæam, rex Ægypti misit ducem sui exercitus in Judæam, qui cepit eam, et optimates Antiochi inde ejecit. *Et brachia austri,* id est auxilia, militesque regis Ægypti, quos in urbibus Syriæ ac Judææ pro defensione terrarum illarum reliquit, *non sustinebunt,* id est, ferre non poterunt invasionem ac impetum Antiochi Magni, qui prædictum regis Ægypti ducem expulit de A Judæa; *et consurgent electi ejus,* id est elegantiores pugnatores regis Ægyptii, *ad resistendum* Antiocho Magno, *et non erit fortitudo* eis hoc adimplendi.

16 *Et veniens* Antiochus ad urbes et terras has, *faciet super eum,* id est contra regem Ægypti, *juxta placitum suum,* prævalendo, ut dictum est, *et non erit qui stet contra faciem ejus,* id est, nullus ex parte regis Ægypti tunc poterit rebellare Antiocho. *Et stabit in terra inclyta :* id est, Judæam terrarum omnium (ut in Ezechie- (*Ezech.* xx, 15.) B le dicitur) præcipuam, melle ac lacte manantem, a Deo electam, et ob cultum Dei in ea insignem, Antiochus tunc habebit. Nam et Judæi in Jerusalem eum honorifice susceperunt. *Et consumetur in manu ejus.* Aliqui hoc exponunt, quod Antiochus multa Judæis intulit mala sub Juda Machabæo (I *Mach.* iii, iv.) ; sed ille non fuit iste Antiochus Magnus, sed filius ejus Antiochus Epiphanes. Aliqui vero exponunt : Consumetur, id est, præsidia regis Ægypti demolietur, et expellet ab ea, secundum quod dictum est. C Hieronymus autem exponit : Consummabitur, id est, perficietur in manu ejus, quoniam templum ac populum Juda tunc honoravit.

17 *Et ponet faciem suam,* id est, Antiochus Magnus se vertet, *ut veniat* ad Ægyptum, *ad tenendum universum regnum ejus,* id est regis Ægypti. Acquisitis quippe de manu regis Ægypti Syria, Cilicia, ac Judæa, totum quoque Ægypti regnum obtinere optavit. Ambitio enim finem sibi non statuit. *Et recta faciet cum eo,* id est, sicut D fecit sibi, sic restituet ei. Rex namque Ægypti abstulit sibi urbes, et sic vicem ei rependit. Sic quidam exponunt. Alii autem intelligunt, quod faciet secum recta, id est, fœdera pacis secum dolose inibit. Ideo subditur : *Et filiam feminarum,* id est filiam suam Cleopatram, de numero feminarum sexu atque lascivia seu moribus unam (et sic non est hic verborum superfluitas aliqua), *dabit illi,* id est Antiochus Magnus Ptolemæo Epiphani adhuc adolescenti in conjugem, *ut evertat illum,*

id est, regem Ægypti decipiat ; vel, Ever- A
tat illud, id est, regnum Ægypti sibi sub-
jiciat. Videns equidem se virtute armorum
non posse de facili superare Ægyptum, fi-
liam suam dedit regi Ægypti, ut sic tem-
pore suo quasi amicus intraret Ægyptum,
ac vinceret eam. *Et non stabit* consilium
ejus, id est, non habebit effectum, *nec
illius erit* regnum Ægypti. Rex enim Ægy-
pti et principes dolum perceperunt. Cleo-
patra demum marito suo magis quam ma-
chinationibus patris sui favebat.
18 *Et convertet faciem suam ad insulas, et* B
capiet multas : quia videns se frustratum
spe sua quoad Ægyptum, convertit se ad
insulas Asiæ expugnandas, et multas ibi-
dem devicit ; *et cessare faciet principem
opprobrii sui :* quod intelligitur de se ip-
so, quia propriæ confusionis suæ exstitit
princeps ; vel de principe suæ militiæ,
per quem opprobria intulit atque prome-
ruit. Impugnando autem has insulas Ro-
manis confœderatas, causa fuit propriæ
dejectionis. Nam insulæ istæ Romam mi-
serunt ; tuncque senatus Romanorum mi- C
sit eis in adjutorium duos fratres legatos,
videlicet Scipionem Nasicam, et Scipionem
Africanum, qui Annibalem imperatorem
Carthaginensium superavit ; a quibus vi-
ctus est Antiochus iste. Ideo subditur : *et
opprobrium ejus convertetur in eum :* quia
quod aliis intulit, passus est, juxta illud,
Ps. VII, 16. Incidit in foveam quam fecit. *Et conver-*
19 *tet faciem suam ad imperium terræ suæ,*
id est, de Asia fugiens, ad Syriam conaba-
tur redire, *et impinget* in adversarios sibi
resistentes, *et corruet, et non invenietur.* D
Quum enim contra Elimæos pugnaret, cum
omni suo exercitu deletus est, secundum
Hieronymum. Quidam autem, scilicet Al-
bertus, exponens hunc locum, dicit hic
aliqua quæ de isto Antiocho verificari non
queunt, sed de Antiocho Epiphane filio
ejus, qui internorum viscerum mortuus
II *Mach.* IX, 7 *et seq.* est dolore, ut secundo Machabæorum ha-
20 betur. *Et stabit in loco ejus vilissimus, et
indignus decore regio.*
Sed hic ait Hieronymus, Scholastica quo-
que eum sequens historia : Hucusque de
historiæ ordine inter Porphyrium atque
catholicos nulla contentio est. Sequentia
autem in isto et sequenti capitulo, Por-
phyrius de Antiocho tantum exposuit, Ca-
tholici vero mixtim et partim de Antiocho
typo Antichristi, et de ipso Antichristo,
sicut patebit.
Itaque ait : *Stabit in loco ejus,* id est,
Antiocho Magno succedet in regno, *vilissi-
mus, et indignus decore regio,* id est Se-
leucus Philopator primogenitus ejus, iners,
rudis et pavidus, qui nil dignum actibus
patris sui ac regno Syriæ gessit ; *et in
paucis diebus conteretur,* id est, cito mo-
rietur, nec diu regnabit, et *non in furore,
nec in prælio :* quia non in hostium fu-
rore aut bello peremptus est. *Et stabit in* 21
loco ejus despectus, id est, sibi in regno
succedet frater ejus Antiochus Epiphanes
sive Illustris, quod idem est, qui primo
fuit modicæ reputationis. Romani enim
victo Antiocho Magno, horum duorum fra-
trum patre, susceperunt istum Antiochum
obsidem, ne pater ejus a fidelitate rece-
deret Romanorum : qui patris sui morte
audita, venit a Roma in Syriam, ignorante
senatu, ut aliqui dicunt ; quidam tamen
affirmant, quod de eorum venit licentia.
Et non tribuetur ei honor regius. In prin-
cipio enim vilipendebatur, præsertim in
Syria, ab his qui Ptolemæo regi Ægypti
favebant. *Et veniet clam,* id est occulte
seu fraudulenter de Roma in Syriam, *et
obtinebit regnum* Syriæ *in fraudulentia,*
id est cum dolo. Nam primo se nequiter
humiliavit instar Absalonis, attrahens sibi II *Reg.* XV, 2-6.
plebis favorem, simulans pietatem ac fide-
litatem ad cives, audaciam vero in hostes.
Et brachia pugnantis, id est robur exer- 22
citus seu milites Ptolemæi contra Antio-
chum hunc pugnantis, *expugnabuntur a
facie ejus,* id est, ab exercitu et præsentia
Antiochi superabuntur, *et conterentur :*
multi enim eorum ab ipso sunt victi. Nunc
vero est sermo non de Ptolemæo Epipha-
ne, sed de filio ejus Ptolemæo Philometo-
re, cujus duces contra Antiochum præ-

liantes, primo ab ipso sunt victi. Quum A
enim Philometor adhuc puerulus esset, et
duo ex ejus principibus regnum disponerent,
Syriamque repeterent, quam Antiochus
iste occupavit habuitque dolose, inter
eos et Antiochum ortum est prælium, ipsique
victi sunt. *Insuper et dux fœderis,*
id est Ptolemæus Philometor filius Cleopatræ
sororis Antiochi, cum quo tanquam
nepote Antiochus simulavit amicitiæ fœdus,
ab Antiocho est contritus, id est regno
privatus. Antiochus quoque regnum
Syriæ occupavit injuste, eo quod filium B
fratris sui verum heredem, regno Syriæ
spoliavit : qui postea contra filium Antio-
I *Mach.* VII, 1-4. chi prævaluit atque regnavit, ut primo
Machabæorum habetur.
23 *Et post amicitias cum eo,* id est Ptolemæo
Philometore, *faciet dolum.* Finxit
enim se esse sollicitum pro suo nepote
tanquam adolescente, et regnum ejus Ægyptium
velle commodose disponere : sicque
intravit Ægyptum, et crediderunt ei Ægyptii.
Ideo subditur : *Et ascendet in modico
populo,* id est, cum paucis intrabit C
24 Ægyptum, *et abundantes et uberes urbes*
Ægypti *ingredietur* ac superabit : quia
nil mali suspicabantur de ipso. *Et faciet
quæ non fecerunt patres ejus, nec patres
patrum ejus :* quia nullus regum Syriæ,
a quibus descendit, ita, ut ipse, vastavit
Ægyptum. *Rapinas et prædam et divitias
eorum dissipabit,* id est, Ægypti opes
auferet, distrahet, secumque tollet; *et contra
firmissimas cogitationes,* id est acutas
adinventiones ac consultationes sapientium
ac consulum regis Ægypti, *inibit con-* D
silium. Callidissimus enim fuit iste Antiochus,
et suis versutiis multos oppressit.
Et hoc, usque ad tempus, id est, quamdiu
Deus permiserit : et non diu, quia post
pauca tempora fuit ab Ægypto per Romanos
expulsus ; imo nec diu regnavit.
Consequenter inducitur, quomodo Anti-
25 ochus secundo invasit Ægyptum. *Et concitabitur
fortitudo ejus et cor ejus adversus
regem austri,* videlicet Ptolemæum, suæ
sororis Cleopatræ filium, *in exercitu ma-*
gno quem congregavit. *Et rex austri,* id
est Ptolemæus iste Philometor, *provocabitur
ad bellum multis auxiliis et fortibus
nimis.* Ptolemæus etenim iste, ducesque
ejus cum fortissimis et plurimis auxiliatoribus
se contra Antiochum præparaverunt.
Et non stabunt, id est, duces seu
auxiliatores aliqui non fideliter Ptolemæo
adsistent, *quia inibunt adversus eum,* id
est Ptolemæum dominum suum, *consilia.*
Antiochus quippe in omnibus dolose se
habens, et a nepotis sui exercitu maximo
opprimi metuens, quosdam de parte Ptolemæi
donis atque blanditiis traxit ad se,
per quos triumphus Ptolemæi est impeditus.
Ideo subditur : *Et comedentes panem* 26
coram eo, id est aliqui de domesticis seu
commensalibus vel familiaribus Ptolemæi,
conterent eum, id est, fraudulenter impedient,
et quosdam suorum occidi procurabunt;
exercitusque ejus opprimetur fraudibus
magis quam viribus Antiochi ; *et
cadent interfecti ejus plurimi :* quia multos
de exercitu regis Ægypti occidit Antiochus.
Duorum quoque regum cor erit ut ma- 27
lefaciant, id est, cor Antiochi et Ptolemæi
regis Ægypti, erit ad nocendum sibi invicem,
*et ad mensam unam mendacium
loquentur.* Antiochus namque cum Ptolemæo
per intermedios quos attraxit, iniit
pacem dolose, et in signum amicitiæ pariter
comederunt ; sed nullus eorum alteri
favit, nec Ptolemæus avunculo (cujus expertus
fuit fraudulentias) credidit : ideo
verba mendosa invicem sunt locuti, quod
scilicet unus alteri nil vellet nocere. *Et
non proficient* Antiochus et ejus exercitus,
quia Ptolemæum superare non potuerunt,
sed a militibus Ptolemæi ejecti sunt.
Vel, Non proficient reges isti, id est, nullus
eorum poterit alterum totaliter vincere,
quia adhuc finis, id est exitus hujus rei,
in aliud tempus a Deo servatus est, ut
quilibet eorum tempus sibi a Deo præfixum,
impleret. *Et revertetur* Antiochus 28
in terram suam, scilicet Syriam, *cum multis
opibus,* quas ab Ægyptiis cepit. *Et cor*

ejus adversum testamentum sanctum, id A
est, intentio atque propositum cordis sui
erit destruere cultum legis Moysis, ritum-
que veteris Testamenti; *et faciet* quod
decrevit, videlicet multa mala in Jerusa-
I *Mach.* I, 22-29. lem ac Judæa, prout in libro Machabæ-
orum habetur. *Et revertetur in terram
suam,* vastata Judæa.

Porro ad intelligentiam prædictorum
conferunt, quæ scripta sunt primo Ma-
Ibid. 17, 19-25. chabæorum, quo inter cetera legitur : Pa-
ratum est regnum in manu Antiochi, et
cœpit regnare in terra Ægypti, ut regna- B
ret super duo regna. Et constituit bellum
adversus Ptolemæum regem Ægypti, et
veritus est Ptolemæus ab eo; et accepit
spolia terræ Ægypti. Et convertit Antio-
chus, postquam percussit Ægyptum, et
ascendit ad Israel. Et ascendit Jerosoly-
mam in multitudine gravi; et intravit in
sanctificationem, id est templum, cum su-
perbia, et accepit altare aureum et can-
delabrum luminis, etc. Et sublatis omni-
bus, abiit in terram suam. Et fecit cædem
magnam hominum. C

29 *Statuto tempore* quod sibi præfixit, id
est post duos annos, secundum Hierony-
mum, *revertetur* Antiochus a terra sua, *et
veniet ad austrum,* id est ad regnum Ægy-
pti, *et non erit priori simile novissimum,*
id est, ultima ista impugnatio Ægypti ab
Antiocho, non erit tam gravis sicut præ-
30 cedens. Cujus ratio subditur : *Et venient
super eum trieres,* id est naves Italicæ, *et
Romani* in eis; *et percutietur,* id est, ab
eis vincetur. Trieres dicuntur quasi tri-
remes, id est naves tres ordines remorum D
habentes. Quum autem Antiochus Alexan-
driam Ægypti, in qua tunc duo fratres
Ptolemæi Philometoris ac filii Cleopatræ
erant, obsideret, advenerunt Romanorum
legati, quibus Ægyptii tunc erant confœ-
derati. Popilius vero Marcus legatus Ro-
manorum, inveniens Antiochum in littore
stantem, dixit ad eum : Senatus populus-
que Romanus præcipiunt tibi, ab amicis
suis recedere, et tuo regno esse conten-
tum. Dumque inducias respondendi An-
tiochus peteret, Marcus circa eum fecit in
sabulo circulum cum virga, et ait : Sena-
tus populusque Romanus præcipiunt ti-
bi, ne egrediaris hunc circulum donec re-
spondeas. Territus ergo Antiochus, ait : Si
sic visum est senatui ac populo Romano,
recedendum est. Et abiit de Ægypto. Sic-
que percussus fuit, id est humiliatus, non
interfectus.

Et revertetur de Ægypto versus Judæ-
am, *et indignabitur contra testamentum
sanctuarii,* id est templum et legem cul-
tumque Judæorum, volens in eos retor-
quere adversitatem sibi illatam, *et faciet*
quæ concepit; *reverteturque et cogitabit
adversus eos qui dereliquerunt testamen-
tum sanctuarii,* id est Judæos testamenti
veteris transgressores, quos etiam dicitur
spoliasse. *Et brachia ex eo stabunt,* id est 31
duces et auxiliarii ejus, per quos Judæam
afflixit, et quosdam suorum in arce Jeru-
salem posuit : quæ primo Machabæorum I *Mach.* I, 30 *et seq.*
clarius scripta sunt. Vel, Brachia ex eo
stabunt, id est, aliqui de ejus progenie
post eum regnabunt. Unde pro brachiis
alia translatio habet, Semina. *Et polluent
sanctuarium fortitudinis,* id est templum
forte, in quo Dei virtus apparuit, et quod
summæ potestatis Deo fuerat consecratum.
Fecerunt namque in templo aras et loca
scortantium. *Et auferent juge sacrifici-
um,* quod quotidie offerebatur mane et ve-
spere, prout supra commentum est ple- *Dan.* VIII, 11.
nius. Prohibuerunt enim duces Antiochi
sacrificia legis Deo offerri, ut dicitur primo I *Mach.* I, 47.
Machabæorum. *Et dabunt abominationem
in desolationem,* id est idolum Jovis, quod
Judæi velut abominationem spreverunt, et
quod eos in desolationem perduxit. Hinc
primo Machabæorum habetur : Ædificavit *Ibid.* 57.
Antiochus abominandum idolum desola-
tionis super altare. Et Mathathias pater
Judæ Machabæi conqueritur : Sancta no- *Ibid.* II, 12.
stra et pulchritudo nostra et claritas no-
stra desolata est, et coinquinaverunt eam
gentes.

Et impii testamentum simulabunt frau- 32
dulenter : id est, quidam Judæi fingent se

legem servare et Dei zelo moveri, et tamen A
gentibus se miscebunt, et cum eis contra
Judæos venient, dicentes se impium nihil
his machinari, sicque decipient bonos, pro-
I Mach. VII, 15. ut primo Machabæorum de Alcimo legitur.
Populus autem sciens Deum suum, id est,
affectivam atque formatam Dei habens
scientiam, legem *obtinebit, et faciet* opera
virtuosa, adversariisque resistet, ut patet
de Mathathia, et filiis ejus adjutoribusque
Ibid. II, 1 et seq. ipsorum, prout primo Machabæorum ple-
33 ne narratur. *Et docti in populo docebunt*
plurimos. Mathathias namque filiis suis B
pulcherrima tradidit documenta de ser-
vanda in adversis constantia et forti pro
æquitate præliatione, atque custodia legis
Ibid. 49 et seq. divinæ, sicut allegato capitulo continetur.
Postea filii ejus populum docuerunt. *Et*
ruent in gladio et in flamma, et in capti-
vitate et in rapina dierum tribulationis
illius, id est, quæ fient in illis diebus.
Aliqui enim Judæorum pro legis custodia
gladio cæsi sunt, quidam incensi, aliqui
capti, nonnullique spoliati : quæ omnia in
libris Machabæorum plenius sunt digesta. C
II Mach. V, 14. Scribitur equidem : Erant in triduo in
Jerusalem octoginta millia ab Antiocho in-
terfecti, quadraginta millia vincti, non mi-
nus venundati.

34 *Quumque corruerint* ita Judæi, *subleva-*
buntur auxilio parvulo, id est adjutorio
Mathathiæ filiorumque ejus : non quod
iidem numero qui mortui fuerunt, sint
sublevati, sed quidam de plebe eadem,
Ps. LXXVII, 34. sicut in Psalmo habetur : Quum occideret
eos, quærebant eum, et revertebantur, et
diluculo veniebant ad eum. De hoc auxilio D
I Mach. III, 1, 2, 5. scribitur primo libro Machabæorum : Sur-
rexit Judas Machabæus pro patre suo, et
adjuvabant eum omnes fratres ejus, et qui
se conjunxerant patri ejus, et præliaban-
tur prælium Israel cum lætitia ; et perse-
cutus est iniquos. *Et applicabuntur eis*
plurimi fraudulenter. Sæpe enim tam in-
fideles Judæi, quam quidam gentilium, sub
specie amicitiæ tentaverunt se illis misce-
re ad decipiendum.

35 *Et de eruditis ruent.* Nam Judas et fra-
tres ejus in lege periti, omnes occisi sunt,
multique de amicis eorum. *Ut conflen-*
tur, id est, tribulationibus involvantur, ut
solent electi Dei, secundum illud Sapien-
tiæ : Tanquam aurum in fornace probavit Sap. III, 6.
illos Dominus, et quasi holocausti hostiam
accepit eos ; *et eligantur,* id est, a Deo
electi monstrentur, qui ait : Ego quos amo, Apoc. III, 19.
arguo et castigo ; *et dealbentur,* id est, per
temporales tribulationes a vitio omni pur-
gentur, quemadmodum per Zachariam Do-
minus protestatur de suis electis : Ducam Zach. XIII, 9.
eos per ignem, et uram eos sicut uritur
argentum, et probabo eos sicut probatur
aurum. Quod in septem fratribus eorum-
que matre plenissime factum est, ut scri- II Mach. VII.
bitur secundo Machabæorum. *Usque ad*
tempus præfinitum, id est divinitus præ-
fixum, istud durabit : quo finito, Deus
finivit persecutionem Judæorum a genti-
bus, prout in libro Machabæorum descri- I Mach. XIV.
bitur qualiter tempore Simonis fratris Ju-
dæ, reges contriti sint, et pax concessa
Judæis. *Quia adhuc aliud tempus erit* per-
fectæ victoriæ in Christi adventu secundo ;
eritque aliud tempus gravioris tribulatio-
nis justorum ab Antichristo, cujus figura
fuit Antiochus : et tunc ea quæ dicta sunt,
plenius complebuntur.

Denique, sicut prætactum est, et S. Hie-
ronymus asserit, ea quæ dicta sunt ab illo
loco, Et stabit in loco ejus despectus et non vers. 21.
tribuetur ei honor regius, doctores catholi-
ci usque ad finem capituli exposuerunt de
Antichristo, et præliis ejus, persecutioni-
busque sanctorum sub ipso : ita quod sic-
ut Isaias sub persona regis Babylonis lo- Is. XIV, 4-21.
quitur de casu Luciferi, similiter Ezechiel Ezech. XXVIII, 11-19.
de eodem sub persona regis Tyri, ita nunc
tractat Propheta de Antichristo sub desi-
gnatione Antiochi, qui fuit Antichristi fi-
gura ; et persecutio Judæorum ab ipso,
fuit figura futuræ persecutionis Christia-
norum ab Antichristo. Itaque Antichristus
de abjecta et modica plebe Judæorum sur-
recturus, primo despectus et impotens ap-
parebit ; sed dæmonis adjutorio variis
seductionibus regna mundi adipiscetur.

Brachia quoque Romani imperatoris sibi resistentis superabit, et pacem simulabit cum multis, suisque astutiis firmissimas aliorum cogitationes ad nihilum rediget. Et tanta ac talia faciet, qualia nullus prædecessorum ipsius ; urbes et regna suæ subjiciet ditioni, atque in primis regem Ægypti victurus asseritur, et terras Christianorum depopulaturus. Hæc atque similia Hieronymus plenius tangit. Sed fateor, valde invite scribo quidquam de futuris Antichristi operibus et concernentibus ipsum, nisi quod ex Scripturis canonicis manifeste habetur : idcirco pertranseo.

Porro quæ sequuntur, quidam de solo Antichristo putant intelligenda : et verum videtur, quod multa eorum quæ sequuntur, non possunt de Antiocho exponi, nisi multum improprie. Porphyrius vero omnia de Antiocho interpretatur : cujus errorem B. Hieronymus clare multipliciterque ostendit. Et tamen, ut ait Hieronymus, etiam si omnia hæc de Antiocho exponerentur, quid ad nos ? id est, non esset nostræ fidei contrarium. Non enim ex singulis capitibus, Christi adventum et Antichristi impietatem probamus. Sicut ergo hucusque, ita et consequenter Hieronymum sequar.

36 *Et faciet rex juxta voluntatem suam :* quia Antichristus ad tempus prosperabitur, et quasi ad libitum persequetur fideles. Antiochus quoque ad tempus fecit contra Judæos quæ voluit. *Et elevabitur,* per stultam ac infirmam superbiam, *et magnificabitur adversus omnem deum. Et adversus Deum deorum loquetur magnifica.* Hoc non videtur Antiocho convenire, qui Jovi diisque Græciæ deservivit : ad tempus tamen jussit omnibus sibi subditis (I *Mach.* I, 43.) legitima sua relinquere, et suum deum, scilicet Jovem adorare, seu alios quos colebat. (II *Mach.* VI, 2, 7.) Antichristo autem hæc convenire dicuntur, qui (teste Apostolo) extolletur (II *Thess.* II, 4.) supra omne quod dicitur deus aut colitur, ostensurus se tanquam sit Deus. Verumtamen quum Antichristus dicturus sit se A esse Messiam in lege promissum, nequaquam apparet quod formaliter ac directe verum Deum negabit, ut fecit Antiochus, nec Deum Israel coli vetabit verbis apertis. Sed quia Christum Dei Unigenitum verumque Deum omnino negabit ac blasphemabit, vere nunc dicitur, quod contra Deum deorum, scilicet Christum regem regum et omnium creatorem, loquetur magnifica. *Et dirigetur,* id est, optatum sortietur effectum, dirigente et adjuvante diabolo, *donec compleatur iracundia,* id B est, justa Dei ultio in eum descendat ; vel, Iracundia, id est punitio qua Deus in præsenti suos per eum purgaverit : quod etiam Antiocho aliqualiter competit. *Perpetrata est quippe definitio,* id est, in Dei præscientia ita decretum est fieri. Dicit autem Hieronymus, quod ab hoc loco quo dicitur, Et faciet rex juxta voluntatem suam, Hebræi putant dictum de Antichristo : et (ut reor) Hieronymus loquitur de Hebræis ad fidem conversis.

Et Deum patrum suorum non reputa- 37
C *bit.* Hoc Antiocho non videtur competere, qui deos Græciæ coluit, sed Antichristo dupliciter. Primo, quod verum Deum non reputabit, quia etsi verbis eum fatebitur, opere tamen negabit et inhonorabit, quemadmodum de impiis dicit Apostolus : Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. (*Tit.* I, 16.) Secundo, quia unigenitum Dei Filium Jesum Christum Deum Prophetarum ac Patriarcharum contemnet. *Et erit in concupiscentiis feminarum.*

Circa hoc ex verbis Hieronymi scribit D Albertus : Istud in Hebræo ambigue positum est, unde Aquila verbum e verbo exprimens, transtulit : Super Deum patrum suorum non intelliget, et super concupiscentias feminarum. Quæ locutio dubia est, quia intelligi potest habere eum concupiscentiam feminarum, et non habere. Hoc namque quod dicitur, Non intelliget, referri potest ad utrumque, vel ad alterum tantum. Si ad utrumque, sensus est quod non curabit concupiscentias feminarum ; et hoc Antichristo (ut fertur) conveniret, qui

castimoniam simulabit, ut plures decipiat. Si refertur ad alterum tantum, sensus est quod erit in concupiscentiis feminarum : quod Antiocho potissime competebat, de quo refert Hieronymus, quod luxuriosissimus fuit, et in tantum dedecus ac corruptelas regiæ dignitatis per stupra ac vitia carnis devenit, ut mimis quoque et scortis publice jungeretur, et libidinem suam populo præsente compleret. Itaque, secundum Hieronymum et Albertum, Antichristus putatur castus futurus. In Scholastica quoque fertur historia, quod istud, scilicet, In concupiscentiis feminarum, de solo Antiocho sit sumendum : nam Antichristus castus erit ob simulationem religionis. Verumtamen istud certum non arbitror, præsertim quum dicat S. Augustinus, quod primo simulabit castitatem, et adepta potestate, luxuriosus erit. In Apocalypsi quoque frequenter per bestiam designatur, in qua vita carnalis notatur. Sed et omnibus vitiis plenus erit. Et dato quod abstinebit ab opere, mente tamen libidinosus erit, ut æstimatur, sicque concupiscentia feminarum sibi conveniet.

Nec quemquam deorum curabit veraciter : quia nulli legi erit subjectus, sed dæmonis voluntati in omnibus; atque se ipsum pro Deo ab omnibus coli jubebit, prout Haymo, Beda, Berengarius, Albertus et alii, super Apocalypsim testantur. Præterea quo quis superbior fuerit, eo minus curat de Deo : Antichristus autem superbissimus erit. *Quia adversum universa consurget,* totum mundum suæ volens subjicere ditioni, nec Deum timebit nec homines. Ista non videntur convenisse Antiocho Jovis cultori, ac Romanis subjecto.

38 *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur.* Maozim interpretatur, præsidii sui. Et secundum Albertum, non est nomen proprium alicujus dei, sed Hebræum compositum, ut sit sensus, quod illum adorabit a quo se habere putabit præsidium. Antichristus autem habebit diabolum præsidentem quem colet. Et tamen quomodo colet eum, an scilicet directe atque formaliter, an æquivalenter, non satis agnosco. Antiochus quoque deum præsidii sui, secundum suam æstimationem, utpote Jovem, venerabatur. *Et deum quem ignoraverunt patres ejus, colet auro et argento et lapide pretioso rebusque pretiosis.* Istud non censetur convenire Antiocho. Antichristus autem præsidem suum diabolum suo modo honoraturus est per externas istas divitias, eis secundum diaboli instinctum utendo. Patres autem Antichristi, secundum hanc expositionem, intelliguntur Judæi, de quorum semine orietur, quorum meliores
hujuscemodi deum non coluerunt. *Et fa-* 39
ciet ut muniat Maozim, id est præsidium suum, vel locum quo suum præsidentem colet, *cum deo alieno quem cognovit* per approbationem, id est cum veneratione dæmonis sui : cum quo, ut dicitur, pacta inibit, familiaritatemque contrahet; *et multiplicabit gloriam* sibi ac suis in divitiis atque honoribus, *et dabit eis potestatem in multis :* Antichristus nempe satellites suos constituet principes terræ ac judices; *et terram dividet gratuito,* id est, gratis dabit sibi adhærentibus terras fidelium quas rapiet eis. Hinc ait Hieronymus: Antichristus multa deceptis munera largietur, et terram suo exercitui dividet ; quosque terrore non quiverit, subjugabit avaritia.

Et in tempore præfinito, id est disposito 40
divinitusque præviso, *prœliabitur adversus eum rex austri,* id est Ægypti, qui in primis impugnabitur ab Antichristo, secundum Hieronymum, *et quasi tempestas veniet contra illum rex aquilonis,* id est Antichristus rex totius confusionis. Præterea, quia superius rex Syriæ dictus est rex aquilonis, per regem istum seu Antiochum significatus est Antichristus; per aquilonem quoque, mali et qui in vitiorum sunt frigore, exprimuntur, quorum Antichristus rex erit : qui tanquam tempestas contra adversarios veniet, id est cum impetu et terrore et grandi exercitu. Hinc sequitur : *in curribus, et in equitibus, et in classe multa,* id est in navi-

bus pluribus bellicis. Navali equidem et
equestri atque pedestri bello per se et
suos impugnabit fideles, ut creditur. *Et*
ingredietur terras diversarum regionum,
et conteret habitatores earum, spiritualiter
avertendo, vel corporaliter occidendo seu
persequendo; *et pertransiet,* undique in-
satiabiliter sæviendo, tanquam avidissimus
propriæ gloriæ appetitor. Quocontra lo-
Joann. VIII, 50. quitur Christus : Ego non quæro gloriam
meam.

41 *Et intrabit in terram gloriosam,* id est
Judæam sive Ecclesiam, ubi Deus mirabi-
lia perpetrando suam gloriam declaravit.
Antichristus autem ingredietur Jerusalem,
et in Judæa solium figet, cujus typus in
Antiocho olim præcessit, *et multæ* urbes,
gentes ac provinciæ *corruent. Hæ autem*
solæ salvabuntur de manu ejus, Edom et
Moab, et principes seu terra principum
filiorum Ammon. Secundum Hieronymum,
Antichristus has terras relinquet intactas,
quia illic sancti ad deserta confugient. Et
Albertus : Hæ, inquit, regiones de Anti-
christo eripientur, non ex operibus justitiæ
quæ fecerunt habitatores earum, sed quia
ibi deserta latissima sunt, montiumque
cavernæ, ad quæ sancti multi confugientes,
ab Antichristi persecutionibus absconden-
tur. Harum itaque terrarum salvatio ita ex
Dei misericordia fiet, quia sancti illuc ali-
quod habebunt refugium : quod (ut dici-
tur) fiet propter minus fortes, qui non
auderent se Antichristo opponere. — Por-
phyrius præinducta de Antiocho inter-
pretatur, quod undecimo regni sui anno
rursus contra Ptolemæum regem Ægypti
properare curavit : quo audito, Ptolemæus
ad resistentiam se paravit. Sed non videtur
convenire Antiocho istud : Hæ solæ sal-
vabuntur, Edom, etc. Non enim Antiochus
universas terras præter istas vastavit, quam-
vis dicat Porphyrius quod contra regem
festinans Ægypti, præfatas provincias ex Ju-
dææ latere sitas pertransiit, ne alieno bello
intentus, adversarium redderet fortiorem.

42 *Et mittet manum suam in terras,* quas-
dam per se et sibi conjunctos, alias per
A missos a se, invadendo; *et terra Ægypti*
non effugiet : quia (ut dictum est) illud
regnum erit de primis Antichristo subji-
ciendis. Ista dicuntur probabiliter magis
quam assertive. *Et dominabitur thesau-* 43
rorum auri et argenti, et in omnibus pre-
tiosis Ægypti. Maximas enim colliget opes,
ut eruat thesauris quos aliter subvertere
nequiverit. *Per Libyam quoque et Æthio-*
piam transibit, eas sibi subdendo. Ægy-
ptus namque et Æthiopia et Libya desi-
gnantur per tria cornua, quæ primitus ab Dan. VII, 8.
B Antichristo prædicta sunt evellenda : quod
non convenit Antiocho, quamvis Porphy-
rius multa excogitet. *Et fama turbabit* 44
eum ab oriente et aquilone, quum audierit
sibi ab illis mundi plagis resistentiam præ-
parari, et inde sibi imminere qui velint
resistere; *et veniet in fortitudine* magna* * *multitudine*
cum ingenti exercitu, *ut conterat* spiri-
tualiter, *et interficiat* corporaliter *pluri-*
mos sibi non consentientes.

Et figet tabernaculum suum apadno. 45
Apadno, verbum compositum est, inter-
C pretaturque solium suum. Nec est nomen
proprium, sed commune, secundum Al-
bertum. Ut sit sensus : Tabernaculum solii
sui, in quo ut rex sedebit, figet *inter ma-*
ria, id est inter mare Mortuum ab oriente,
et mare Mediterraneum seu Tyrrhenum
vel Magnum, ab occidente. Figet enim in
Jerusalem tabernaculum suum, quæ inter
hæc maria sita est. Denique quidam dicit
hoc loco, quod Apadno secundum Hiero-
nymum, idem est quod Emmaus. Sed non
videtur sic dicere S. Hieronymus ; imo sic
D dicit : Figet tabernaculum suum in Apad-
no juxta Nicopolim, quæ prius Emmaus
vocabatur, ubi Judææ montana incipiunt
consurgere : ubi (ut dicitur) primo taber-
naculum figet. *Super montem inclytum*
et sanctum, id est montem Sion seu Olive-
ti : quorum uterque est mons sanctus ac
inclytus propter præcipua opera Dei in eo.
Templum enim fuit in monte Sion : ubi et I *Mach.* IV, 36-38.
Christus prædicavit, miracula fecit, Cœ- *Joann.* X, 23 *et seq.*
nam ultimam celebravit, paracletum Spi-
ritum Sanctum misit, ubi et evangelica lex

primo ab Apostolis orsa est prædicari. Sed A
Luc. xix, 29; xxi, 37; *Joann.* viii, 1; *Act.* i, 9, 11, 12. et mons Oliveti frequenti Christi visitatione, ejusque prænobili ascensione sanctificatus cognoscitur. *Et veniet usque ad summitatem ejus :* quia ad utriusque montis altitudinem verticemque ascendet, ut scilicet
II *Thess.* ii, 4. in vertice montis Sion resideat, ostendens se tanquam sit Deus, et adoretur. A monte demum (ut dicitur) Oliveti dicet se ascensurum. *Et nemo auxiliabitur ei,* id est, nullo ei valente opem præbere, ibidem divinitus occidetur, sicut ait Apostolus ad
Ibid. 8. Thessalonicenses : Quem Dominus Jesus B
Is. xi, 4. interficiet spiritu oris sui. Et Isaias : Spiritu, inquit, labiorum suorum interficiet impium. Ad quod allegat Hieronymus il-
Ibid. xxv, 7. lud Isaiæ : Præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super universas nationes. Allegat autem aliam translationem, videlicet Septuaginta interpretum, ut opinor, quæ ad hoc clarius sonat, quum legitur : Præcipitabit Dominus in monte Sion faciem dominatoris tenebrarum super omnes gentes, et eum qui dominatur cunctis populis. Postremo, ista non convenire Antiocho, Hieronymus et eum sequentes efficaciter probant.

Exponit autem Hieronymus difficillimum istud capitulum valde prolixe, pulchre ac optime, multa venusta commemorans, quæ omisi. — In Scholastica vero historia fertur, quod Antichristo ascendente, et veniente ad locum unde Christus ascendit, vox audietur in aere, dicens, Morere; et statim fulminabitur.

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : IN TEMPORE AUTEM ILLO CONSURGET MICHAEL.

CONSEQUENTER inducitur finis omnium præhabitorum, in judicio et gloria resurgentium, perfecta quoque electorum victoria contra malignos.
1 *In tempore autem illo* regnationis Antichristi, *consurget Michael princeps magnus :* de quo
Dan. x, 13, 21. dicta sunt multa in expositione capituli decimi; *qui stat pro filiis populi tui,* id est pro populo Synagogæ : de quorum sanguine Daniel fuit, qui et pro illis specialiter sollicitus fuit. Hujus autem populi Michael fuerat princeps tempore veteris Testamenti, sicut nunc est princeps Ecclesiæ; et stetit pro eis coram Deo orando, et contra adversarios resistendo. Tempore quoque finalis tribulationis, prædicante atque Judæos convertente Elia, Michael stabit pro electis Judæis ac omnibus Christianis, eos tuendo per se et angelos sibi subministrantes, adversariis etiam tam dæmonibus quam Antichristianis fortiter re- C sistendo : imo (ut aliqui dicunt) Christus interficiet Antichristum imperative seu auctoritative, Michael autem ministerialiter et exsecutive. *Et veniet tempus* tantæ tribulationis, *quale non fuit ab eo* tempore, *ex quo gentes esse cœperunt,* id est a principio mundi seu primorum parentum, *usque ad tempus illud.* Hoc idem ait Salvator apud Matthæum : Erit tunc tribulatio ma- *Matth.* xxiv, 21, 22.
gna, qualis non fuit ab initio usque modo, neque fiet; et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed D propter electos breviabuntur.

Ex quo ostenditur error Porphyrii, ista pro tempore Antiochi et de tribulatione per ipsum Judæis inflicta interpretantis, præsertim quum persecutio Judæorum a Nabuchodonosor rege fuerit major, quando et templum et civitas prorsus destru- IV *Reg.* xxv; II *Par.* xxxvi.
cta sunt, totusque populus Juda translatus est, paucissimis demptis, nec fuit qui tunc

resistere posset. Tempore autem Antiochi A nullum contigit horum; imo tunc Judas et fratres ejus fortissime restiterunt, et cum lætitia prælia Israelis exercebant, incredibilesque triumphos sortiti sunt, quamvis vicissim valde graviter affligebantur. Denique tribulatio ista sub Antiocho, particularis fuit atque in modico populo Judæorum : quomodo ergo de ea diceretur, quod nunquam fuerit tribulatio tanta a principio mundi in toto hominum genere ? Constat enim, quod aliquibus gentibus et urbibus graviora olim acciderint, etiam B Chananæis ad ingressum filiorum Israel, ut apparet.

Insuper persecutio Antichristi erit durissima, quia ex omnibus tribulationibus præcedentibus conflabitur et constabit, easque virtualiter continebit. Passa est enim Ecclesia primo a tyrannis corpus necantibus, secundo ab hæreticis fidem impugnantibus, tertio a falsis fratribus mores subvertentibus : et tunc omnia ista adversa simul evenient. Antichristianorum enim aliqui, erunt principes gladio præliantes; C aliqui, prædicatores fidem corrumpentes, perfidiamque docentes; alii, hypocritæ maledicti morum infectores.

Et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro, id est omnes electi Judæi, quos Deus a se viderit prædestinatos. De libro autem
Dan. vii, 10. vitæ dictum est plenius supra in locis di-
Rom. xi, 25, 26. stinctis. Hinc ait Apostolus : Quum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet. Ad prædicationem namque Eliæ et Enoch patefacta Antichristi nequitia, D convertentur Judæi, quemadmodum per
Malach. iv, 5, 6. Malachiam Dominus contestatur : Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres.

2 *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere,* id est defuncti, sepulti, in pulveremque quoad corpus redacti. Mortui autem dicuntur dormire, quoniam vivunt vita occulta ut dormientes, et quoniam ad vitam corporalem ac manifestam sunt suscitandi, et quia mors in multis dormitioni est similis. Ideo sequitur : *evigilabunt,* id est, corporaliter suscitabuntur, et corpore ac anima viventes parebunt. Sed quare non ait, Omnes qui dormiunt, etc.? quum dicat Salvator in Joanne : Veniet hora, in qua Joann. v, 28.
omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, scilicet Filii Dei; et Apostolus, Omnes (inquit) resurgemus; et, Sicut I Cor. xv, 51. Ibid. 22.
in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Et respondendum, quod in Scripturis nomine multi, aliquando totalitas designatur, præsertim dum ad universitatem pertinentes sunt plurimi. Aliqui quoque respondent, quod propter pueros non baptizatos dicitur, Multi : qui licet sint resurrecturi, non tamen proprie evigilare dicuntur, quia habituri non sunt sensum pœnæ vel gloriæ. Vigilia autem est sensuum solutio. *Alii in vitam æternam,* id est ad obtinendum vitam gloriæ sempiternam, et plenam in anima ac corpore felicitatem, seu duplicem stolam, sicut electi; *alii* evigilabunt *in opprobrium,* id est ad sustinendum damnationis suæ confusionem, *ut videant semper* sui opprobrii amaritudinem per experientiam dolorosam. Hinc ait Salvator apud Matthæum : Ibunt hi in supplicium æternum, Matth. xxv, 46.
justi autem in vitam æternam; et alibi : Procedent qui bona fecerunt, in resurre- Joann. v, 29.
ctionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

Ista mendax Porphyrius impie exponit de Judæis qui sub persecutione Antiochi ad eremum confugerunt, seque ibidem in speluncis et cavernis petrarum absconderunt, postque prævalente Juda et fratribus ejus, processerunt in publicum. Isti enim non evigilaverunt ad vitam æternam, nec in opprobrium sempiternum, sed postea obierunt. Rursus, quod dicitur, quosdam evigilasse ad vitam æternam, refert ad bonos qui legem custodierunt. Porro, quod dicitur, alios evigilasse in opprobrium, refert ad legis prævaricatores. Istud ex libro Machabæorum falsum ostenditur : nam om- I Mach. iii, 2, etc.

nes qui ita fugerunt, atque ad Judam Machabæum venerunt, legis fuerunt zelatores boni.

Præterea, de hac evigilatione futura san-
Job xiv, 12. ctus Job ait in libro suo : Homo quum dormierit, non resurget; donec atteratur cœlum, non evigilabit. Itaque, quum cœlum atteretur, evigilabit. Et hoc esse de mente Job, elucescit ex eo quod denuo
Ibid. xix, 25. loquitur : Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surre-
Is. xxvi, 19. cturus sum, etc. Hinc Isaias loquitur : Vivent mortui tui, interfectique mei resurgent. Ad quod et applicari potest, quod
Ibidem. rursus loquitur Isaias : Expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere.

Et subdit de dispari claritate Sanctorum, diversisque gradibus resurgentium electo-
3 rum. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Universi electi, et qui in caritate ac gratia sunt, docti sunt unctione Spiritus Sancti, quantum ad salutem requiritur, et septem dona Spiritus Sancti habent secundum aliquem gradum, videlicet sapientiam, intellectum, scientiam, etc., secundum Thomam et Bonaventuram, ceterosque doctores communiter. Itaque docti nunc appellantur, qui simplici præditi sunt doctrina, et non eminent scientia; nec prædicando, sed exemplariter conversando alios instruunt; vel si eminenter edocti sunt, non tamen alios instruunt. Horum beatitudo, merces et gloria comparatur firmamenti splendori, qui non est lucis condensatæ, sed tenuis : quoniam gloria horum, ceteris paribus, minor est felicitate docentium, præsertim quoad præmium accidentale quod aureola nuncupatur, quæ non eis, sed doctoribus datur. Et qui ad justitiam, id est ad juste vivendum, erudiunt plurimos verbo et opere, exemplo et prædicatione seu scripto : quorum, ceteris paribus, majus est præmium; ideo claritati stellarum seu stellis, quarum condensata est claritas, comparantur. Sunt equidem quasi vasa lumi-

A nis, undique profundentia lumen; et de omnium meritis, quos convertunt et instruunt, coronantur; suntque specialiter deiformes, quoniam (B. Dionysio teste) omnium divinarum perfectionum divinissima exstat perfectio, Dei cooperatorem esse in reductione animarum ad Creatorem. Absolute tamen loquendo, qui Deum plus diligit, melior est majorque in gratia; et major erit in gloria, quantum ad præmium essentiale, quod caritatis fervori, intentioni, seu magnitudini correspondet, secun-
B dum B. Augustini doctrinam.

Denique hoc loco scribit B. Hieronymus : Non sufficit scire sapientiam, nisi alios erudias; tacitusque sermo doctrinæ, alium non ædificans, mercedem muto ore recipere non potest. Cui concordat illud Ec-
clesiastici : Sapientia abscondita et the- *Eccli.* xli, 17.
saurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Verumtamen non ita intelligendum est hoc, quasi omnes docti ad vocalem teneantur doctrinam seu prædicationem, præsertim quum juxta D. Dionysium, monachorum
C non sit purgare, illuminare et perficere, sed purgari, illuminari ac perfici. Hieronymus quoque fatetur, quod officium monachi sit lugere, non docere. Quod itaque dictum est, intelligi debet vel de his qui ex officio habent docere, vel de aliis in certo casu, vel de eruditione per exemplum et formam, et ut oratione apud Deum laborent pro aliorum illustratione. Postremo, quod omnes electi in caritate et gratia consistentes, sint aliquo modo docti, constat ex verbo Christi in Joanne protestantis :
D Erunt omnes docibiles Dei; omnis qui au- *Joann.* vi, 45.
divit a Patre et didicit, venit ad me.

Sic ergo fulgebunt electi in perpetuas æternitates, participando ab incommutabili æternoque Deo perpetuam fixionem in cœlo : ad quam præmii perceptione seu beatifica visione pertingent, quia per illam confirmantur in bono. Sed nonne videtur esse nugatio in eo quod ait, Perpetuas æternitates? Et respondendum, quod non. Fit enim ista additio ad distinguendum æternitatem creatam ac participatam, ab æter-

nitate increata ac divina, quæ est ipsemet A Deus æternus. Estque æternitas increata per carentiam inceptionis ac terminationis seu desitionis, hoc est a parte ante, et in post; æternitas vero creata, dicitur per carentiam desitionis. Et quoniam multi sunt æternitatem participantes, pluraliter ait, In perpetuas æternitates. Ex quibus etiam verbis clare confunditur hæresis Origenis, dicentis in regno cœlesti esse ruinam. Huic quoque comparationi Danielis concordat comparatio Pauli apostoli, dicentis ad Corinthios : Stella differt a stella B in claritate; sic et resurrectio mortuorum. *I Cor.* xv, 41, 42.

Aliqui vero hoc loco, docentes qui verbo et doctrina supereminent aliis, comparant splendori firmamenti; ceteros inferiores, splendori stellarum. Sed præinducta expositio, in qua etiam Albertum secutus sum, aptior mihi videtur.

4 *Tu autem, Daniel, claude sermones,* id est, occultos inexpositosque relinque, et obscuritatibus ac ænigmatibus involve sermones istos propheticos tibi desuper revelatos, *et signa librum* istum prophetalem a te descriptum, id est, mysteria ejus describe, ac difficultatum signaculis muni seu tege. Divina quippe secreta non sunt omnibus revelanda, nec mystica sunt vulgaribus atque carnalibus proponenda. Hinc Christus turbis in parabolis loquebatur, discipulis vero seorsum cuncta exposuit. *Marc.* IV, 2; *Luc.* VIII, 10. Propter quod in Matthæo dixit : Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis. *Matth.* VII, 6. Unde, secundum Dionysium, una ratio hujuscemodi involutionis mysteriorum Scripturæ est, ne malitiosi ac imperiti ea derideant; alia, ut studiosis ac bonis detur materia bonæ exercitationis. Propterea Isaias de sui obscuritate voluminis loquens : Erunt, inquit, vobis sermones libri istius quasi verba libri signati, quem si dederint nescienti litteras, dicentes, Lege, respondebit : Nescio litteras. Si autem dederint eum scienti litteras, et dixerint, Lege istum, respondebit : Non possum, signatus est enim. *Is.* XXIX, 11, 12. Joanni quoque in Apocalypsi *Apoc.* V, 1. ostenditur liber signatus sigillis septem. Itaque signa librum, et claude sermones *usque ad tempus statutum,* id est, obscura relinque usque ad tempus præfinitum a Deo, hoc est, donec tempore Christi et evangelicæ prædicationis per illuminationem Spiritus Sancti mysteria Scripturarum pandantur ac impleantur. Hinc in Joanne Christus dixit Apostolis : Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Joann.* XVI, 13. Et post resurrectionem aperuit discipulis sensum, ut intelligerent Scripturas. *Luc.* XXIV, 45. Ad quod designandum, scissum est velum templi tempore passionis, quia videlicet in Christi passione impleta sunt *Matth.* XXVII, 51. Prophetarum eloquia, et deinceps cœpit potissime velamen prophetalium verborum auferri.

Pertransibunt plurimi, hunc librum aliquasque scripturas legendo, studendo, et percurrendo, *et multiplex erit scientia,* id est varia expositio et intelligentia Scripturarum, ac multiplex modus exponendi sensum eumdem, unoquoque abundante C in suo sensu : in quo Scripturæ sanctæ fecunditas declaratur, et quod expositiones super eam frequentius iterarentur. Denique multiplices et diversarum proprietatum sunt visiones per quas est revelata Scriptura; et Spiritus Sanctus qui edidit eam, quamvis sit simplex in essentia, multiplex est tamen in efficacia, juxta illud Sapientiæ : Est enim in illa, scilicet sapientia, spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus. *Sap.* VII, 22.

Et vidi ego Daniel visione sensibili in 5
D vigilia. Ista enim visio non fuit in somno, nec imaginaria tantum, ut patuit. *Et ecce quasi duo alii stabant,* id est angeli duo in forma virorum; *unus hinc,* id est ab una parte, *super ripam fluminis* Tigris, ubi facta est visio ista, ut dictum est supra, *Dan.* x, 4. *et alius inde ex altera parte* * *fluminis,* et ille fuit princeps Græcorum; qui autem stetit ad ripam Danieli propinquam, fuit princeps Persarum, in quorum terra Daniel fuit. Alius vero stetit versus terram cui præsidebat, secundum expositores. Di-

* *ripa*

cit quoque hoc loco Hieronymus, quod Daniel istos angelos non interrogat, nec putat sciscitatione condignos. In quibus verbis rursum sentire probatur, quod princeps Persarum princepsque Græcorum inter se præliantes, et quorum unus contra Gabrielem præliabatur, sint angeli mali : prout
Dan. x, 13, 20. superius dictum est plenius, ubi ostensum est quid super hoc communius a doctoribus teneatur, videlicet quod fuerunt angeli boni.

6 *Et dixi viro qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis.* Iste fuit Gabriel angelus, in specie viri albis induti, Danieli apparens, et stans super Tigrim, ad quem Daniel tanquam ad sibi familiariorem notioremque loquitur, quia et Michael ei commisit ut instrueret Danielem. Cur autem Gabriel super flumen stetit, et alii angeli super ripas? Responderi potest, quoniam Judæi pro quibus Gabriel præliabatur, in fluctibus tribulationum fuerunt captivi. Persæ autem et Græci tunc in propriis regionibus commorantes, in suis possessionibus quiescebant. *Usquequo finis horum mirabilium ?* id est, quamdiu mirabilia ista sub Antichristi persecutione futura durabunt ? et quanto tempore complebuntur ? Hoc Daniel scire optavit. Patientibus enim et compatientibus magnum solet esse solatium, scire quod in brevi adversitas finietur. Hinc Apostolus, ut omnem vitæ præsentis persecutionem doceret æquanimiter sustinendam, momentaneam vocat eamdem, respectu gloriæ quæ pro ea confertur, dicendo
II Cor. iv, 17. ad Corinthios : Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

7 *Et audivi virum qui indutus erat li-*
* stabat *neis, qui stetit * super aquas fluminis,* scilicet Gabrielem : qui cur vir vocetur, et
Dan. x, 5. lineis indutus exstiterit, dictum est supra. Hujus responsionem audivit Propheta per modum qui subditur : *Quumque levasset dexteram et sinistram suam in cœlum,* eo modo quo angeli in assumptis corporibus membra dicuntur habere humana, non univoce, sicut homo, quia corpora ab eis non informantur, sed quoad similitudinem lineamentorum, vel quantum ad apparentiam ; *et jurasset per Viventem in æternum,* id est per Deum, qui solus vere proprieque æternus est, et æternaliter vivit, ac actualissima vita est. Itaque in corporis gestu, et vocis oraculo, ac juramento dictum suum confirmat, ejusque veritatem designat immobilem. Similiter in Apocalypsi ait Joannes : Angelus levavit Apoc. x, 5, 6. manum ad cœlum, et juravit per Viventem in sæcula sæculorum. *Quia in tempus,* id est per annum, *et tempora,* id est per annos duos, *et dimidium temporis,* id est per medium annum, hoc est tribus annis ac medio, durabit persecutio Antichristi. De hoc modo loquendi Hebræorum, verbique hujus intelligentia, ac temporis tanti mensura, et brevitate ultimæ persecutionis gravissimæ, dictum est plenius supra, ubi de Antichristo habetur : Tradentur sancti in manu ejus usque ad Dan. vii, 25. tempus, et tempora, et dimidium temporis. Imaginationes autem Porphyrii, ista ad Antiochum referentis, doctores catholici, sequentes Hieronymum, et partim ex verbis Hieronymi, sufficientissime falsas ostendunt. Præterea, secundum Albertum, dextera significat dispositionem æternorum ; sinistra, dispositionem temporalium rerum : quæ in cœlum elevantur, quando temporalia secundum cœlestia disponuntur.

Et quum completa fuerit dispersio manus, id est fortitudinis, virtuosæque actionis, *populi sancti,* id est fidelium, qui ab Antichristo exagitabuntur, et ad fugiendum inducentur, *complebuntur universa hæc* de Antichristo prædicta. Illius namque persecutionis ac dispersionis tempore terminato, Antichristus subito occidetur, eruntque præfata completa, et sanctis pax reddita, qui paulo ante in publico apparere non ausi fuerunt.

Et ego audivi verba hæc, *et non intel-* 8
lexi plene cuncta quæ dicta sunt, videlicet

quoad certas et singulas circumstantias A
personarum, temporum, nominum, locorum et negotiorum. *Et dixi : Domine mi, quid erit post hæc,* id est post Antichristi ruinam, et mirabilium prædictorum completionem ? Quibus verbis ostendit, se velle scire terminum sæculi seu finem mundi
Dan. IX, 23. determinate. Fuit enim vir desideriorum ; et quanto in præsenti homo plus discit seu proficit, tanto plus inflammatur in eo affectus discendi, et amor sapientiæ ac virtutum : si tamen sit vir desideriorum,
9 affectuosæque mentis et nobilis animi. *Et* B
ait : Vade, Daniel, id est, vitam tuam salubriter transige, et viam universæ carnis tempore suo ingredere, atque ad sanctos patres in limbum perge ; interim quoque quod tibi incumbit, fac ; *quia clausi sunt, signatique sermones,* id est, de ista materia non competit tibi aliquid determinatius revelari ; sed sermones jam inchoati, obscuri manebunt, nec aperientur tibi plenarie *usque ad præfinitum tempus,* id est tempus divinitus præstitutum, quo complebuntur, et per ipsam rei eviden- C
tiam seu gestorum effectum patebunt. Sic et Christus Apostolis, finem mundi scire
Act. I, 7. volentibus, ait in Actibus : Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Quibus verbis (ut asserit Augustinus in libro de Civitate Dei) Christus repressit digitos omnium calculantium tempus durationis hujus mundi.
Consequenter tangit profectum electo-
10 rum ex tribulatione pravorum. *Eligentur,*
id est, divinitus ostendentur electi per D
patientiam in adversis, et præ aliis acceptabiles Deo erunt, *et dealbabuntur,* id est, penitus mundabuntur in camino adversitatis, *et quasi ignis probabuntur,* id est, per furorem tribulationis examinabuntur, an vere diligant Deum, *multi* prædestinati ad vitam : juxta illud Ecclesia-
Eccli. XXVII, 6. stici, Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis ; et in Psalmo,
Ps. LXV, 10. Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum. Tobiæ quoque angelus dicit : Quia acceptus eras Tob. XII, 13.
Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Sic et in Judicum libro legitur : Dimisit Judic. III, 4.
Dominus gentes, scilicet Chananæos, ut in eis experiretur Israelem, an audiret mandata Dei, an non. Probat autem Deus electos, id est, probatos facit, non ut ipse agnoscat, sed ut ipsi sibi ipsis ac aliis salubriter innotescant, et per adversa discant ad Deum confugere, non extolli, nec in se ipsis confidere. Ideo orat Psalmista : Proba me, Domine, et tenta me. Et sanctus Ps. XXV, 2.
Job fassus est : Probavit me Dominus quasi aurum quod per ignem transit. Job XXIII, 10.
Et impie agent impii : sicut ait Apostolus : Homines mali proficient in pejus, II Tim. III, 13.
errantes, et in errorem mittentes. Et Ecclesiasticus locutus est : Peccator adjiciet Eccli. III, 29.
ad peccandum. Sed et primo Regum David : In proverbio (inquit) dicitur, Ab im- I Reg. XXIV, 14.
piis egredietur impietas. Ac in Apocalypsi quoque scriptum est : Qui in sordibus est, Apoc. XXII, 11.
sordescat adhuc. *Neque intelligent omnes impii* intelligentia affectiva salubri, quamvis vicissim intelligentiam nudam habeant et informem, de qua Jacobus ait : Scienti Jacob. IV, 17.
enim bonum, et non facienti, peccatum est illi. Scientia autem et sapientia, prout pertinent ad dona gratiæ gratis datæ, communia sunt electis ac reprobis ; sed ut sunt dona Spiritus Sancti de numero septem donorum, non inveniuntur nisi in habentibus caritatem. Hinc Sapiens inducit : In malevolam animam non introibit sapi- Sap. I, 4.
entia. Et Apostolus dicit : Animalis homo I Cor. II, 14.
non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. *Porro docti* unctione Spiritus Sancti, non solum instructione humana, *intelligent* mystica ac divina per donum intellectus, penetrando mysteria Scripturarum : quod Apostolis et Evangelistis, ceterisque sanctis doctoribus potissime competit.
Deinceps angelus explicat, a quo tempore sit inchoanda computatio durationis persecutionis Antichristi, videlicet trium
annorum atque dimidii. *Et a tempore quum* 11
ablatum fuerit juge sacrificium, id est ab eo tempore quo Antichristus, potestate

jam adepta, et orbe sibi subjecto, interdixerit cultum Dei et Christi Filii ejus, sacrificiumque altaris cessaverit publice celebrari, atque continua laus Dei in Ecclesia : de quo sacrificio ait Apostolus ad Hebræos, Per ipsum, scilicet Christum, offeramus hostiam laudis Deo semper; *et posita fuerit abominatio,* id est Antichristi imago seu abominabile idolum ejus ante oculos omnium, ut Antichristum in sua imagine adorent; vel, Posita fuerit abominatio, id est, Antichristus exhibuerit se adorandum; *in desolationem* fidelium, qui inde permaxime affligentur ex zelo divini honoris ac fervore sancti amoris ; *dies mille ducenti nonaginta,* qui faciunt annos tres cum dimidio. Ex quo sequi videtur, quod tres anni ac medius persecutionis Antichristi, inchoandi non sunt ab eo tempore quo incipiet quosdam sibi attrahere, seque ostendere ; sed ab illo potius tempore quo tantæ erit potentiæ, quod sese adorandum præbebit, mundumque subjectum habebit. Ideo dici solet, quod annis sit tribus ac medio regnaturus.

(Hebr. xiii, 15.)

Et subdit de tempore pœnitentiæ dando
12 deceptis ab Antichristo : *Beatus qui exspectat* Dei clementiam, in vitaque manet, *et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque :* qui ultra tres annos ac medium continent dies quadraginta quinque, qui lapsis dabuntur ad pœnitendum Antichristo occiso, et tunc Christi religio maxime vigebit ubique. Beatusque erit, qui cum Antichristo non periit, et cui Deus gratiam pœnitendi præstabit ; qui autem deceptus non fuit in illis diebus, gloriam merebitur ampliorem. Nec intelligendum est istud, quasi omnes simpliciter Antichristo perempto sint convertendi; imo aliqui in sua persistent duritia, quum dicat in Evangelio Christus : Sicut fuit in diebus Noe : edebant, bibebant, nubebant, donec venit diluvium, et tulit omnes ; sic erit adventus Filii hominis. Unde quidam obstinatissimi, principe suo sublato, adhuc ad deliciandum se dabunt, de

(*Matth.* xxiv, 37-39; *Luc.* xvii, 26, 27; *Gen.* vi, vii.)

A quibus ait Apostolus : Quum dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, et non effugient. Postremo, certum non est an post dies illos quadraginta quinque Christus immediate ad judicium sit venturus. Et plures arbitrantur quod non statim post illos dies venturus sit judicare, quamvis Hieronymus dicat hoc loco : Beatus qui interfecto Antichristo, dies supra numerum præfinitum quadraginta quinque præstolatur, quibus est Dominus atque Salvator in sua majestate B venturus. Tamen quod ait, Quibus, posset referri ad beatos illos præstolantes, non ad dies præfixos, ita quod ad illorum pœnitentium gloriam sit venturus.

(I *Thess.* v, 3.)

Tu autem, Daniel, vade ad tempus *præ-* 13
finitum, id est, vive et ambula, de peregrinatione hujus exsilii tendendo ad beatitudinem veram, et hoc, usque terminum vitæ tuæ tibi a Deo præfixum ; *et requiesces,* quantum ad corpus in monumento, quantum ad animam cum patribus sanctis in limbo, *et stabis in sorte tua,* id est C in parte, gradu, loco, et ordine beatitudinis tuæ, *in fine dierum,* id est in die novissimo, corpore suscitato, et animæ reunito. De quo die sanctus Job : Credo, inquit, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.

(*Job* xix, 25.)

Denique Lyra refert hic, quod secundum Judæos, in penultima clausula hujus capituli ponitur tempus quo debent exspectare Messiam futurum ; et quod accipiatur hic non dies usualis, sed annualis, prout D ad Ezechielem Dominus loquitur, Diem pro anno dedi tibi : ita quod debent exspectare Messiam annis mille trecentis triginta quinque, incipiendo computationem annorum istorum a tempore quo positum est idolum in templo. Cujus dicti falsitas faciliter reprobatur, quia sive computatio hæc inchoetur a tempore quo Antiochus posuit idolum Jovis in templo, sive a tempore quo Adrianus imperator in loco templi statuam collocavit, quod fuit quinquagesimo circiter anno post Christi passionem,

(*Ezech.* iv, 6.)

tempus istud jam exspiravit. Nunc etiam currit annus millesimus quadringentesimus quadragesimus.

Postremo, Hieronymus scribit hoc loco : Theodotion transtulit, Tu autem vade et requiesce, et resurges in ordine tuo in consummatione dierum. Quo verbo ostenditur, omnem hanc prophetiam vaticinium esse resurrectionis omnium mortuorum, A quando et Propheta resurrecturus est ; et frustra Porphyrium, quæ in typo Antiochi de Antichristo prædicta sunt, ad Antiochum velle referre. Cujus, scilicet Porphyrii, calumniis plenius responderunt Eusebius Cæsariensis, et Apollinaris Laodicenus, et ex parte disertissimus vir martyr Methodius : ad laudem, honorem, et gloriam Dei sublimis et benedicti.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ET ERAT VIR IN BABYLONE HABITANS, ET NOMEN EJUS JOAKIM.

In sequentibus duobus capitulis aliqua describuntur quæ sub Danielis tempore contigerunt, quæ tamen in Hebraico inter Scripturas canonicas non habentur, sed de Theodotionis translatione accepta sunt. Theodotion quippe transtulit ea de Hebræo (ut dicitur) in Græcum, et post in Latinum translata sunt. Ut autem in Scholastica historia fertur, Hebræi vocant istam Susannæ historiam, fabulam, non quod inficientur rem gestam, sed quia in ea (ut dicunt) falsum continetur de sacerdotibus lapidatis, quos Jeremias adustos testatur ; et quia nos fabulamur eam scriptam a Daniele, quum a quodam Græco sit scripta : quod probant ex allusione quæ infra fit ad nomina arborum, quæ allusio in Hebræo non fit. Tales autem allusiones in Hebræo non inveniuntur. Sed quia historia ista in Ecclesia et in officio Missæ solenniter legitur, sicut et sequens, de veritate non dubitemus, et argumenta hæc Hebræorum faciliter dissolvuntur. In Scripturis namque quælibet gravis pœna nomine ignis exprimitur, et ita duo presbyteri de quibus in isto capitulo mentio agitur, frixi dicuntur in igne a rege Babylonis : quod ex Jeremia patefit, quum scribit : Ponat te Dominus sicut Achab et Sedeciam, quos (*Jer.* xxix, 22.) B frixit rex Babylonis in igne. Illi enim duo sunt, secundum expositores concorditer, de quibus nunc agitur. Insuper verborum allusio etiam quandoque in Hebræo invenitur, ut quum dicitur in Josue : Turbasti nos, turbet (seu exturbet) te Dominus in die hac. (*Josue* vii, 25.) Et Jeremias : Non phassur, inquit, vocavit Dominus nomen tuum, sed phastor, id est pavorem undique. (*Jer.* xx, 3.) Primo quoque Regum legitur, quemadmodum Saule apprehendente summitatem pallii Samuelis, et scissa eadem, Samuel rei gestæ alludens, adjecit : Scidit Dominus regnum Israel a te hodie. (I *Reg.* xv, 27, 28.) C

Præterea de auctore historiæ hujus non est aliquid certum, vel ab Ecclesia determinatum. Imo Albertus hic dicit, quod secundum Hieronymum historia ista non sit a Daniele conscripta, sed ab alio Daniele sacerdote. — Verum est autem, quod hæc duo capitula non pertinent ad Scripturam canonicam, sicut nec Tobias, nec Judith, nec libri Machabæorum, quamvis de veritate non dubitetur.

D Nunc ergo exponenda est littera. *Et* 1
erat vir in Babylone habitans. Incipit istud capitulum a conjunctione *Et,* ut ad præcedentia connectatur, et ad librum Danielis aliquo modo videatur spectare. Ba-

bylon autem quandoque est nomen urbis metropolis in Chaldæa, quandoque regionis ; nunc autem sumi videtur pro urbe, quia et ibi Daniel habitavit, qui præsenti negotio præsens fuisse describitur. *Et nomen ejus Joakim,* nec immerito : Joakim enim præparatus Domino interpretatur, et vir iste* ad divina fuisse videtur præcepta paratus ; eratque cum Joakim rege Juda a Judæa in Babylonem translatus, ut insinuare videtur Scholastica historia, ubi sic legitur : Apparet hoc factum esse adhuc recenti captivitate, quia Daniel adhuc juvenis erat, ut infra habetur. Daniel autem cum Joakim rege fuit abductus et captus, seu potius transmigratus, ut in principio hujus libri fertur. (*Dan.* I, 6.) Aliqui etenim justi cum injustis captivi abducti sunt tam in captivitate duarum tribuum, ut patet de Ezechiele, Daniele et sociis ejus, quam in captivitate tribuum decem, ut constat de Tobia ac Gabelo. Temporalis quippe afflictio corporalisque pœna, interdum sine propria patientis culpa divinitus infliguntur ad patientiæ exercitationem, gratiæ augmentationem, gloriæ incrementum, sive ob alias causas divino judicio notas, ac rationabiles. Cum talibus autem Deus specialiter fuit in captivitate, tuendo eos in omnibus, et frequenter in temporalibus quoque ditando, ut cum Daniele et Mardochæo, ac aliis multis.

* virtute

2 *Et accepit uxorem nomine Susannam,* quæ interpretatur, obtentus lilii sui, seu lilium. Nec indigne ita vocata est, quoniam corpore pulchra fuit, et pulchrior mente, fuitque bonus odor Dei in omnibus ac honestissimæ famæ, ut subditur. *Filiam Helciæ,* qui et ipse cum conjuge sua a Judæa captivus translatus est in Babylonem : nam infra habetur, quod Susanna venit cum parentibus suis. *Pulchram nimis* in vultu et corpore, magis autem in corde et moribus per virtutes. Porro pulchritudo corporis, secundum Augustinum in libro de Civitate Dei, donum Dei est, et inter dona naturæ non minimum : quod idcirco frequenter reprobis datur, ne ab

A electis immoderanter optetur sive ametur. Et consistit pulchritudo corporalis in tribus : Primo, in congrua membrorum comproportione seu cohabitudine. Secundo, in eleganti quantitate : ideo secundum Philosophum, homines parvæ staturæ non proprie pulchri dicuntur, sed decori vel speciosi. Tertio, in vivaci ac splendida coloris aut lucis superfusione. Ideo quoque pulchritudo Susannæ describitur, ut incentivum tentationis senum insinuetur, et quia electis dona naturæ sunt instrumenta B virtutum ; et tanto laudabiliores sunt se juste habendo per gratiam, quanto aptiores sunt sæculo per naturam aut naturalem perfectionem.

Et timentem Deum casto ac filiali timore, quæ est fuga offensæ sanctissimi Dei, seu abominatio refutatioque peccati. De quo timore in Ecclesiastico scriptum est : Timor Domini corona justitiæ; (*Eccli.* I, 22.) et, Nihil dulcius quam timere Deum ; (*Ibid.* XXIII, 37.) et, Timor Dei super omnia se superposuit; (*Ibid.* XXV, 14.) itemque, Plenitudo sapientiæ, timere Deum : (*Ibid.* I, 20.) quæ C omnia intelligenda sunt, in quantum timor iste virtualiter in se caritatem includit, cujus proprius est effectus, ex ea emanans : nam eo ipso quo quis diligit Deum sincere, timet ejus offensam, ac separationem ab ipso. Ideo quoque timor iste in tantum extollitur, quoniam omnes virtutes custodit, et universa peccata expellit, secundum quod Salomon protestatur : Qui timet Deum, nihil negligit. (*Eccle.* VII, 19.)

Parentes enim ejus quum essent justi, 3
erudierunt filiam suam secundum legem D *Moysis :* in qua timor Dei præcipue edocetur. Nam et Augustinus affirmat, quod brevis inter legem evangeliumque distinctio est, timor et amor. Circa hoc loquitur Origenes decimo Stromatum libro : Hoc utendum est testimonio ad exhortationem parentum, ut doceant juxta legem sermonemque divinum non solum filios, sed et filias suas. Denique parentes debent filiis, haud dubium quin et filiabus, educationem, provisionem, disciplinam, seu correctionem et instructionem.

4 *Erat autem Joakim dives valde.* Dedit
enim ei Deus coram gentilibus gratiam,
Tob. I, 13. sicut Tobiæ, et propter Judæorum capti-
vorum relevamen, ad quos Joakim cari-
tativus fuit atque benignus. Bonis autem
divitiæ sunt instrumenta virtutum, dum
eis bene, liberaliter frugaliterque utun-
tur, nec ad eas inordinate afficiuntur, im-
Ps. LXI, 11. plentes illud Psalmistæ : Divitiæ si af-
fluant, nolite cor apponere. *Et erat ei
pomarium vicinum domui suæ,* pertinens
sibi, sicut et domus. In Babylone autem
latissima urbe domus ita dispositæ erant,
quod quælibet (ut dicitur) habuit hortum
congrue magnum. Denique, juxta Philoso-
phum quarto Ethicorum, Magnificum ha-
bitatio decet pulcherrima. Ex exteriori
quoque pulchritudine horti et florum ac
arborum, memoria generatur spiritualium
florum ac arborum, videlicet internalium
ornamentorum, in exemplis Sanctorum :
sed et Creatoris excellentia in creaturarum
venustate conspicitur ac laudatur, et Deus
ex sui effectus consideratione timetur ac
honoratur. Propter quod Salomon ait :
Eccle. III, 14. Cuncta fecit Deus ut timeatur. *Et ad ip-
sum confluebant,* gratia consolationis at-
que subsidii, *Judæi* in Babylone captivi,
eo quod esset honorabilior omnium ad se
confluentium : quamvis absolute loquen-
do, forte non fuerit honoratior cunctis
Judæis tunc captis, videlicet Daniele et
Ezechiele, atque similibus. Porro quum
honor sit exhibitio reverentiæ in signum
virtutis, ut primo Ethicorum habetur, ille
proprie honorabilior est, qui virtuosior
comprobatur.

Itaque Joakim iste etiam in præsenti
quodammodo felix, et multis felicior fuit :
nam bono triplici abundavit, puta utili,
quoniam dives ; delectabili, quia pulcher-
rimam ac honestissimam conjugem ha-
buit ; honesto, quia honorabilior omnibus
fuit. Et hæc omnia ad bona gloriæ ordina-
vit, utendo eis ut oportebat in ordine ad
ultimum finem, ad quem etiam virtutes
nunc ordinantur.

5 *Et constituti sunt duo senes judices in*
A *illo anno.* Secundum Albertum, consuetu-
do tunc fuit Judæis annuos judices pone-
re, ne confirmati in potestate superbirent.
Ideo autem constituerunt senes, quia sunt
magis experti atque prudentes ; et duos
hos tunc statuerunt, quia virtuosi vide-
bantur, sanctitatem simulando. *De quibus
locutus est Dominus, quia egressa est ini-
quitas a Babylone,* id est ab inhabitanti-
bus Babylonem Judæis. De quibus mox
subditur : *a senioribus judicibus,* scilicet
istis duobus, quia gravissime transgredi-
B endo, et feminas ad adulteria pertrahen-
do, ac tandem plurimos scandalizando, fue-
runt quasi judices originesque peccati, qui
senes fuerunt ætate et pravitate provecti,
non sapientia vera moribusque ornati. Sed
ubi locutus est Dominus de senibus istis ?
Fateor, in Scripturis veteris Testamenti
non inveniuntur hæc verba in forma, nisi
hoc loco. Aliquid tamen hujuscemodi in
Scripturis illis canonicis invenitur. Siqui-
dem de duobus his senibus in Jeremia ha-
betur, quod fecerunt stultitiam in Israel, et Jer. XXIX, 23.
C mœchati sunt in uxores proximorum su-
orum, et prophetaverunt mendaciter. In
Jeremia quoque legitur : A prophetis Je- Ibid. XXIII, 15.
rusalem egressa est pollutio super omnem
terram ; et in Esdra : Manus magistratuum I Esdr. IX, 2.
fuit in prævaricatione hac prima. *Qui vi-
debantur regere populum.* Pulchre ait, Qui
regere populum videbantur, non, Qui re-
gebant. Bene etenim præsidentes populo,
vere hunc regunt ; qui autem tantum no-
men habent judicum, seu pastorum aut
præsidentium, atque injuste populo præ-
D sunt, videntur populum regere magis quam
regant : quibus competit illud Zachariæ,
O pastor et idolum, derelinquens gregem ! Zach. XI, 17.
Isti frequentabant domum Joakim, et 6
veniebant ad eos omnes Judæi illic demo-
rantes, *qui habebant judicia,* id est causas
ad judicandum. Domus etenim illa spatiosa
fuit atque amœna, eratque ibidem Judæ-
orum confluxus : idcirco senes ibi profe-
rebant judicia, et ad judicandum sede-
bant, quos tamen concupiscentia et avaritia
traxit. *Quum autem populus revertisset* 7

meridie. Usque meridiem, sensibus exsistentibus sobriis, tempus est judiciorum. Facto vero meridie, populus ad propria rediit, et tunc solitarium mansit pomarium, eratque opportunitas Susannæ deambulandi in eo. Ideo sequitur : *ingrediebatur Susanna, et deambulabat in pomario viri sui.* Verecunda etenim fuit : ideo populo præsente mansit in abdito, nec egrediebatur ad plateas vaganter, sed intra viri sui clausuras, sequens exemplum, non Dinæ quæ per regionem discurrens corrupta est, sed Dei, de quo dicitur in Genesi : Quum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem. Deambulatio autem excitat calorem, et eventat corpusculum, secundum Albertum ; et tempore æstivo, sumpto cibo, expediens est. Origenes demum hic dicit : Non incongruum est hunc locum assumere, quod recte quis ad vegetandum corpusculum deambulat. Sed et causa recreationis, et ob loci amœnitatem ibi deambulavit.

Gen. xxxiv, 1, 2. — *Ibid.* iii, 8.

8 *Et videbant eam senes quotidie ingredientem et deambulantem.* Populo namque abeunte, senes judices aliquantulum ibi manserunt ad conferendum de causis propositis, et ut tali occasione Susannam adspicerent. Quod enim carnaliter amatur, videri optatur. Susanna quoque non tantum cavebat a senibus propter eorum senectutem sanctitatisque apparentiam, quantum ab aliis. *Et exarserunt in concupiscentiam ejus,* id est, ardenti sensualitatis affectu ferebantur in eam : et fervor ac tendentia ista, est ipsa concupiscentia tam intensa. Ex visus itaque incustodia lapsi sunt in tantum periculum. Ex apprehensione etenim sensuum exteriorum, sensus interiores et ratio ac appetitus inferior atque superior solent moveri, et vitiose occupari, nisi per rationem sensus regantur. Ideo orat Psalmista : Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Recteque ait, Exarserunt, quoniam concupiscentia fornicationis est ignis, juxta illud Job : Ignis est usque ad consummationem devorans, et omnia eradicans genimina. Et Osee ait : Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente.

Ps. cxviii, 37. — *Job* xxxi, 12. — *Osee* vii, 4.

9 *Et everterunt,* id est, a recto ordine perverterunt, *sensum suum,* tam exteriorem, quam interiorem ac intellectualem, qui est ipsemet intellectus, de quo Joannes inducit : Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum verum. Porro sensum exteriorem evertit, qui eum rationis directioni non subjicit, secundum quod debitus ordo requirit partem sensitivam ab intellectiva in omnibus gubernari. Similiter de interiori sensu dicendum. Sensum autem intellectualem evertit, qui eum legi non subdit divinæ, prout ordo requirit justitiæ. Et sic isti fecerunt, sensualitatem brutalem sequentes, et carnem spiritui præferentes, juxta illud Baruch : Aversi sunt sensus nostri, ut recederemus a te.

I *Joann.* v, 20. — *Baruch* i, 19, 22.

Et declinaverunt ad terrena atque carnalia *oculos suos,* tam corporales quam mentales, quos ad divina erigere debuerunt, *ut non viderent cœlum,* id est, Creatorem cœli habitantem in cœlo, neque cœlestia considerarent. Et hoc concomitanter se habuit ad concupiscentiam carnis, quoniam inordinata affectio intellectum excæcat, et carnis desideria obtenebrant rationem, secundum quod dicit Osee : Fornicatio et ebrietas et vinum auferunt cor. Denique etiam corporeos oculos ad intuendum cœlestium corporum magnitudinem ac decorem debemus erigere, ut ex ipsorum sensitiva apprehensione mens ad Creatoris eorum contemplandam excellentiam excitetur. Propter quod Isaias dicit : Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Hinc quoque Ovidius primo Metamorphoseon ait :

Osee iv, 11. — *Is.* xl, 26.

> Os homini sublime dedit, cœlumque videre
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Refrenandi ergo sunt oculi, præsertim a moroso et curioso intuitu feminarum. Propter quod loquitur Augustinus : Oculus vester etsi jaciatur in aliqua feminarum, in nulla figatur. Et Ecclesiasticus sapientis-

Eccli. IX, 5, 7-9. sime scribit : Virginem ne conspicias, ne A
scandalizeris in decore ejus. Noli circum-
spicere in vicis civitatis. Averte oculos tuos
a muliere compta. Propter speciem mulie-
ris multi perierunt. *Neque recordarentur
judiciorum justorum,* id est, divinorum
judiciorum æquitatem non rite pensarent,
nec ipsi recte, ut spectat ad judices, ju-
dicarent, judicantes secundum impetum
passionis, non secundum sinceritatem ra-
tionis, et legem divinam, scriptam ac na-
turalem transgredientes. Sicque de impio
Ps. X, 5, sec. Hebr. fertur in Psalmo : Auferuntur judicia tua B
a facie ejus.

10 *Erant enim ambo vulnerati amore ejus*
carnali, impuro, id est, vehementer accensi,
et præ passionis magnitudine quodammo-
do languidi. Excessus namque hujusmodi
passionum, innaturalem facit transmuta-
tionem, et ex consequenti debilitatem in
corpore. Hinc et Pamphilus ait :

Vulneror, et clausum porto sub pectore vulnus.

Econtrario ex divino amore ardentissimo
atque purissimo languor et vulneratio lau- C
dabilis oriuntur, prout in Canticis Sponsa
Cant. II, 4, 5. fatetur : Vulnerata caritate ego sum, et
amore langueo. *Nec indicaverunt sibi vi-
cissim dolorem suum,* prædictam scilicet
vulnerationem et afflictionem, quam sus-
tinebant ex hoc, quod optato objecto frui
non poterant. Talis quippe dilatio est af-
flictiva, sicut in Proverbiis scriptum est :
Prov. XIII, 12. Spes quæ differtur, affligit animam ; li-
11 gnum vitæ, desiderium veniens. *Erubesce-
bant enim indicare sibi concupiscentiam
suam, volentes concumbere cum ea.* Talis D
namque concupiscentia erubescibilis est
et inhonesta, præsertim in senibus, et cir-
ca feminas reverendas. Valde ergo corru-
pti sunt mente ac vitiosi, qui expletis con-
cupiscentiis carnis, de opere fœtido se
jactant jam perpetrato, nec id pandere
confunduntur, quibus competit illud Jere-
Jer. III, 3. miæ : Frons mulieris meretricis facta est
tibi ; noluisti erubescere. Et quo amor ne-
farius plus crevit, eo diligentius quære-
bant conjungi desiderato.

*Et observabant quotidie sollicitius vide- 12
re eam.* Dilecti enim adspectus, jucundus
est, si bene se habeat. *Dixitque alter ad
alterum : Eamus domum, quia hora pran- 13
dii est.* Quilibet enim eorum optavit ab
alio separari, ut cito revertens, posset so-
lus cum Susanna loqui atque misceri. *Et
egressi, recesserunt a se. Quumque rever- 14
tissent* ad pristinum locum, exagitante eos
concupiscentia, quæ miserum non sinit
quiescere : quilibet autem eorum per viam
propriam festinavit reverti ; *venerunt in
unum* locum seu pariter. Sicut enim ambo
ardenter amabant, sic et celeriter remea-
bant. *Et sciscitantes ab invicem causam*
reditus hujus, *confessi sunt* non sacramen-
taliter, sed libidinaliter, *concupiscentiam
suam, et tunc in commune statuerunt,* id
est concorditer inter se, vel ut communi-
ter ei jungerentur, *tempus, quando eam
possent invenire solam.* Noverant enim
quibus horis diei consueverat pomarium
ingredi. Circa hoc dicit Albertus : Statue-
runt in commune, ut non tantum adulte-
ram, sed et communem facerent more Ni-
colaitarum, qui communes dicebant esse
mulieres.

*Factum est autem, quum observarent 15
diem aptum* executioni pravæ voluntatis
ipsorum, *ingressa est aliquando,* id est
quadam vice, Susanna pomarium, *sicut
heri et nudiustertius,* id est, prout ei so-
litum fuit. Iste autem est modus loquendi
Scripturæ, ad insinuandum frequentiam
facti. *Cum duabus solis puellis* adjuvanti-
bus ad necessaria corporis. Ex quo vide-
tur, quod multas habebat pedisequas seu
ancillas. Unde excellentia ejus in multis,
magis attraxit atque succendit impuden-
tium senum corda : quorum vesaniam plu-
res sequuntur. *Voluitque lavari in po-
mario* pro corporis refrigeratione atque
munditia. *Æstus quippe erat :* et tunc cor-
pora in sudores laxantur. Hinc Augustinus
in regula : Balneum, inquit, corporis quum
necessitas exigit, minime denegetur. Et de-
nuo ait : Placet angelis sanctis munditia
corporalis. Pariformiter in Exodo habetur :

Exod. II, 5. Ecce autem descendebat filia Pharaonis, ut
lavaretur in flumine; et puellæ ejus gra-
diebantur per crepidinem alvei.
16 *Et non erat ibi quisquam,* id est, nullus
virorum in pomario fuit, *præter duos se-
nes absconditos,* qui se ipsos in secretiori
parte horti locaverant, ne ab aliquo cerne-
rentur, *contemplantes eam,* id est avide et
acute inspicientes. Nomenque contempla-
tionis hic communissime sumitur. Proprie
autem contemplari, est divina sinceriter in-
tueri. Vehemens vero amor facit amantem
diligentissime intuentem et cogitantem,
quasi penetrantem omnia quæ sunt dile-
cti. Advertant visu incustoditi quod loqui-
tur Augustinus : Non dicatis vos habere
animos pudicos, quum habeatis oculos im-
pudicos. Impudicus enim oculus, impudi-
ci cordis est nuntius.
17 *Dixit ergo puellis : Afferte mihi oleum :*
quod hic sumitur pro materia seu humore
subtili et aromatico contra æstum refrige-
rationem præstante, ut aliqui dicunt. Vel
tenue quoddam unguentum, illuminati-
vum exhilarativumque pellis, vocatur hic
oleum. Imo secundum Scholasticam histo-
riam, lotio pro unctione ponitur paulo an-
te, quum dicitur : Voluitque lavari. *Et
smigmata,* vel ut aliqui legunt, *migmata.*
Et secundum Scholasticam historiam, mi-
gma proprie dicitur hordeum cum palea,
unde mulieres faciunt decoctionem, forte
ad vultus nitorem. Sicque in Isaia scri-
Is. XXX, 24. ptum est : Pulli asinorum commixtum mi-
gma comedent sicut in area ventilatum
est. Alii legentes, Smigmata, dicunt quod
smigma sit aqua, de hordeo et palea facta,
ad lavandam refrigerandamque faciem. Al-
bertus vero affirmat, quod smigmata sint
unguenta quibus restringuntur sudores.
Et ostia pomarii claudite : ne quis intret,
18 et me nudatam conspiciat. *Et fecerunt
sicut præceperat; clauseruntque ostia, et
egressæ sunt per posticum, ut afferrent
quæ jusserat.* Posticum, secundum Alber-
tum, est transitus parvus, ubi non nisi
familiares transeunt.
19 *Quum autem egressæ essent puellæ, sur-*

A *rexerunt duo senes, et accurrerunt ad eam*
impetu passionis : quæ fertur in præceps,
ad insaniamque convertit, prout septimo
Ethicorum Philosophus inducit illud Ho-
meri : Doli complicatrix Venus, furata est
mentem valde sapientium. Hinc in Eccle-
siastico legitur : Vinum et mulieres apo- *Eccli.* XIX, 2.
statare faciunt etiam sapientes. *Et dixe-
runt : Ecce ostia pomarii clausa sunt, et* 20
*nemo nos videt, et in concupiscentia tui
sumus : quamobrem assentire nobis, et
commiscere nobiscum :* ostendentes se ma-
B gis timere hominum adspectum quam Dei,
quibus competit illud Ecclesiastici : Dicit *Ibid.* XXIII, 25, 26.
peccator : Quis me videt? Tenebræ cir-
cumdant me, et parietes cooperiunt me,
et nemo circumspicit me : quem verebor?
Delictorum meorum non memorabitur Al-
tissimus. Apud antiquos, Consentior et As-
sentior, verba erant deponentia : et ita hic
sumitur Assentire, id est, consensum præ-
be. *Quod si nolueris, dicemus contra te* 21
testimonium, scilicet *quod fuerit tecum
juvenis, et ob hanc causam,* ut cum illo
C liberius fornicareris, *emiseris puellas a te.*
Blandiuntur in primis, ut fallant ; dein-
de minas adjiciunt, ut si adulatione non
profecerint, timore convincant, præsertim
quum mulieres sint timidæ, nec solum
mortem, sed infamiam quoque vehemen-
ter formident, potissime quæ honestæ ha-
bentur.
Ingemuit Susanna præ tristitia et ti- 22
more, *et ait : Angustiæ,* id est afflictivæ
pressuræ, periculum et discrimen, *mihi
sunt undique* in corpore et anima, vel po-
D tius ex omni parte hujus negotii, videli-
cet, sive consensero, sive negavero, sum
perplexa : sicut et David ait secundo Re-
gum, Coarctor undique nimis. Hinc cau- II *Reg.* XXIV, 14.
sam angustiæ pandit : *Si enim hoc ege-
ro,* id est consensero, *mors mihi est :* id
est, corporalem mortem secundum legem
promereor, quia lex jubet adulterantes la- *Lev.* XX, 10;
pidibus obrui ; mortem quoque animæ, *Deut.* XXII, 22, 24 ;
quæ est peccatum mortale, incurro, et *Joann.* VIII, 5.
mors damnationis æternæ mihi debetur.
Si autem non egero, non effugiam manus

vestras, id est, mortem corporalem non
evadam per viam humanam, ob vestram
accusationem. Et ista dicendo, mentita non
est, quamvis mortem evaserit non agendo
quod senes petebant, quia intentio ejus
fuit, quod per humanum auxilium non ef-
fugeret occisionem. Et quia mors animæ
est peccatum, hinc secundum Hierony-
mum, toties morimur, quoties peccamus.
23 *Sed melius est mihi absque opere* vitio-
so *incidere in manus hominum,* id est
mortem innocenter pro justitia pati, *quam
peccare in conspectu Domini* cuncta cer-
nentis. Peccatum quippe est infinitæ fugi-
bilitatis, quum Deus sit immensæ honora-
bilitatis, sanctitatis ac dignitatis ; et ratio
mali multo plus competit malo culpæ,
quam malo pœnæ : imo pœna non est
quid simpliciter malum, sed culpa. Et
quamvis mors sit naturaliter horribilis at-
que fugibilis, tamen mori pro Deo, pro
fide, pro justitia, non tam horrendum est,
quam optandum. Propter quod ait Salva-
Matth. x, 28. tor : Nolite timere eos qui corpus occidunt.
Hieronymus quoque Origenis verba com-
memorans, ait : Qui ad summitatem vir-
tutum venerit, non dicet sibi imminere
discrimen, si adulterorum manus non ef-
fugerit. Humanæ quippe fragilitatis est,
mortem timere quæ pro justitia infertur.
Hinc secundum istos doctores, Susanna
potius sibi dixit inesse angustias propter
opprobrium et ignominiam, quibus fuerat
perfundenda, dicentibus illis : Fuit cum
ea juvenis, idcirco dimisit puellas. Rur-
sus, ut dicunt, in Græco non habetur, Me-
lius est mihi, sed, Bonum est mihi : ita
quod non comparative dixit, sibi melius
esse incidere in manus hominum quam
peccare; sed absolute asseruit, Bonum est
mihi non facere malum, et incidere in ma-
nus vestras, ne peccem in conspectu Do-
mini.

Præterea fortior fuit ista Susanna, quam
Lucretia nobilissima illa Romana, de qua
in gestis legitur Romanorum, et Augusti-
nus tangit in libro de Civitate Dei : quia
quum Tarquinius filius regis Romæ vellet
A eam opprimere, dicens ad apprehensam
in lecto : Tace, Lucretia, ferrum in mani-
bus est; si vocem emiseris, morieris : et
illa mallet mori, quam consentire, minas
adjecit, quod juxta occisam poneret in le-
cto servum jugulatum, ut sic in turpi
adulterio probaretur necata; illa timore
opprobrii victa, Tarquinium admisit fe-
rocem. Postea tamen ex dolore se ipsam
ferro peremit. Susanna vero nec mortis
nec opprobrii timore potuit superari, quia
Deum veraciter timuit, cujus offensam op-
B probriumque magis expavit, quam confu-
sionem humanam.

Exclamavit voce magna Susanna. Et 24
in hoc legem implevit dupliciter, ne scili-
cet per duos opprimeretur, et quia mulie-
ribus intra urbem oppressis, quamvis per *Deut.* xxii, 23, 24.
violentiam, non tamen clamantibus, lapi-
datio debebatur, eo quod non clamaverint.
Clamavit quoque, ut domestici sui accur-
rerent, seque juvarent. Sed et secundum
jura, qui tacet, quando tacendum non est,
consensisse videtur. *Exclamaverunt au-
C tem et senes adversus eam :* quasi trans-
gressionem ejus nequaquam ferre valen-
tes, et ut eam apparentius accusarent, nec
primitus accusarentur ab ea. Sic et im-
pudica illa Ægyptia, videns se a Joseph *Gen.* xxxix, 13, 14.
sanctissimo viro contemptam, clamavit.
Contentiosorum quoque mos est, clamore
vincere velle. Unde, secundum Ambrosium
super epistolam ad Romanos, Contentio *Rom.* i, 29.
est impugnatio veritatis cum confidentia
clamoris. Postremo, palliata justitia, cal-
liditas atque hypocrisis, vestes induunt
D æquitatis ut fallant. *Et cucurrit unus* de 25
duobus his senibus, non de servis Susan-
næ, *et aperuit ostium pomarii,* tanquam
per illud juvenis effugisset. Si enim do-
mestici Susannæ ostia horti clausa compe-
rissent, nec juvenem invenissent in horto,
accusatio senum apparentiæ parvæ fuisset.

Quum ergo audissent clamorem trium 26
clamantium *famuli domus in pomario, ir-
ruerunt,* id est, celerrime accurrerunt, *per
posticum,* quod fuit versus domum : et per
illud tanquam per propinquius iter, in-

gressum familiares domus habebant; *ut* A
viderent quidnam esset negotii in poma-
27 rio. Insolita namque sciri optantur. *Post-*
quam autem senes locuti sunt verba accu-
satoria de adulterio Susannæ cum juvene,
erubuerunt servi vehementer, dominæ suæ
opprobrium quasi proprium reputantes.
Nam et eis dilecta erat quamplurimum,
ejusque infamia redundavit in suos do-
mesticos. Et ideo etiam erubuerunt, quia
hucusque semper bonum de domina sua
testimonium præstiterunt, et eam magni-
fice laudaverunt : sicque erubuerunt, quod B
tam contraria suis verbis evenerunt. Ideo-
que sequitur : *quia nunquam dictus fuit*
sermo hujusmodi de Susanna. Fuit ergo
honesta conversatione ac fama.

Et facta est dies crastina, in qua eam
28 accusare publice voluerunt. *Quumque ve-*
nisset populus Judæorum *ad virum ejus*
Joakim more solito propter causas præ-
dictas, *venerunt et duo presbyteri,* id est
senes, secundum Albertum. Presbyter enim
Græce, Latine senior dicitur. Unde non vi-
dentur fuisse sacerdotes legales, præsertim C
quum essent de tribu Juda, ut dicitur; et
secundum Scholasticam historiam, dice-
bant se esse de semine David : de qua
Hebr. VII, 13. tribu Juda nullus præsto fuit altari, secun-
dum Apostolum ad Hebræos. *Pleni iniqua*
cogitatione adversus Susannam, ut inter-
Ps. LXIII, 6. *ficerent eam.* Firmaverunt sibi sermonem
malignum, et impiæ cogitationi pertina-
29 cissime consenserunt. *Et dixerunt coram*
omni populo ibi præsente, audacter et se-
cure loquentes, quasi qui bonæ conscien-
tiæ essent. Justitia namque parit fiduciam, D
et bona conscientia securitatem; nequitia
vero est timida. *Mittite ad Susannam,* ut
veniat huc. *Et statim miserunt,* adstricti
Exod. XXII, 18. præcepto Dei in Exodo : Maleficos non pa-
tieris vivere.

30 *Et venit cum parentibus et filiis et uni-*
versis cognatis suis adultis, quos habuit
in illo loco. Non dubium, quin Susanna
exposuerit istis totius hujus negotii verita-
tem ac innocentiam suam, crediderunt que
ei, certissime scientes ex tempore diuturno
virtuosam conversationem ipsius. Ideo ex
compassione venerunt cum ea, parati ad-
stare ei usque ad mortem, et si in quo
possent juvare. *Porro Susanna erat deli-* 31
cata nimis, et pulchra specie. Erat enim
optimæ complexionis, et habitudinis bonæ
atque tenerrimæ, ac formosa : ideo ex na-
turali dispositione virtutibus apta, et in-
dolis bonæ, secundum quod taliter na-
turati esse consueverunt. *Et iniqui illi* 32
jusserunt ut discooperiretur, quatenus vul-
tum ejus libidinose adspicerent; *erat enim*
cooperta ad caput et faciem ex tristitia et
rubore; eratque mos antiquus, secundum
Albertum, ut rei discooperirentur, omni-
busque se videndos exponerent, propter
exprobrationem majorem; *ut vel sic satia-*
rentur decore ejus, visu luxuriando, quod
corpore non valebant. *Flebant ergo sui, et* 33
omnes qui noverant eam notitia approba-
tionis, id est, qui eam innocentem nove-
runt, fleverunt* ex compassione. Et quo * adfleverunt
excellentior fuerat atque formosior, eo de
tanto ejus opprobrio vicinaque morte am-
plius affligebantur.

Consurgentes autem, id est, ad malitiam 34
simul surgentes, *duo presbyteri in medio*
populi, in malo concordes, et de sua au-
ctoritate, ætate et fama præsumentes, quod
scilicet eis faciliter propter hæc credere-
tur, *posuerunt manus suas super caput*
ejus, quasi in testimonium veritatis accu-
sationis proponendæ, ut scilicet pœna Su-
sannæ retorqueretur in eos, si mentirentur.
Quæ flens ex præcordiali dolore, *suspexit* 35
ad cœlum, ut oculos corporales dirigen-
do ad cœlos corporeos, oculum mentis ad
Creatorem Regemque cœlorum sublimius
elevaret, eumque contemplando invocaret
spe humili, et quoniam testem qui præsi-
det cœlis, scilicet Deum, interpellabat; et
rursus, quia deficiente humano auxilio,
vidit sibi non posse opem præberi, nisi de
cœlo; postremo, quoniam proprium est
Divinitatis, succurrere in hujusmodi casi-
bus desperatis. Sic et sanctus Job in libro
suo ait : Ecce in cœlo est testis meus, et *Job* XVI, 20, 21.
conscius meus in excelsis; et ad Deum

stillat oculus meus. Itemque Psalmista : A
Ps. cxx, 1. Levavi oculos meos in montes, unde veniet
auxilium mihi. Secundo quoque Paralipomenon libro, pius rex Josaphat loquitur
II*Par.* xx, 12. Deo : Quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. *Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino,* quam sibi Spiritus Sanctus in tanto dedit periculo. Serenitas enim conscientiæ parit fiduciam talem mediante gratia Dei. Unde qui in divinis bene se habent, melioris sunt spei atque majoris constantiæ. B
36 *Et dixerunt presbyteri : Quum deambularemus in pomario soli.* Longum præmittunt præambulum, et vera quædam commiscent, ut accusatio eorum appareat verior. Sic enim callidi facere solent. *Ingressa est hæc,* id est ista tam impia, ut proprio nomine exprimi sit indigna. Unde ex contemptu ita loquuntur, sicut Judæi
Joann. xviii, 40. de Christo tempore passionis : Non hunc,
Luc. xxiii, 2. sed Barabbam; et, Hunc invenimus subvertentem gentem nostram. *Et dimisit a se puellas,* ne testes essent facinoris, et pro- C
pter communem verecundiam. Dicit enim Augustinus, quod parentes in opere carnali, etiam eos quos genuerunt, nolunt ha-
37 bere testes. *Venitque ad eam adolescens qui erat absconditus, et concubuit cum ea.*
38 *Porro nos quum essemus in angulo pomarii,* tanquam occultius de causis consulentes ad invicem, *vidimus eos pariter com-*
40 *misceri,* etc. *Hujus rei testes sumus.* Multa callide impii isti dixerunt, anticipantes rationabilem responsionem Susannæ, qua potuit eos mendaces ostendere; et crimen D
suum in adolescentem transfundunt, de quo magis poterat apparere tam ex parte illius, quam Susannæ. Juvenes enim, ceteris paribus, magis appetuntur quam senes. In innocentem quippe frequenter transponitur culpa nocentis : idque vocatur impostura, dum unus proprium crimen refert in alium.
41 *Credidit eis multitudo :* quæ, secundum Chrysostomum, stulto fertur consilio; *quasi senibus et judicibus populi :* et hoc, absque diligenti examinatione negotii, ætati et auctoritati inordinatius deferentes. Ideo
postea Daniel ait ad eos : Fatui filii Israel. *vers.* 48.
In causa autem criminali sine diligenti ac debita examinatione testibus credi non debet. *Et condemnaverunt eam ad mortem,* non proferendo sententiam, sed approbando a judicibus promulgatam.
Exclamavit autem voce magna, id est 42
affectuosa atque devota : quam secundum Hieronymum, cordis affectus, pura confessio, et bona conscientia fecerant clariorem; *Susanna,* non solum naturali mortis timore et horrore tanti opprobrii, sed et zelo justitiæ tantam falsitatem et æquitatis jacturam silenter ferre non valens. Fuit enim mendacium callidissime coloratum. Nam senes isti in hoc expertissimi erant. *Et dixit : Deus æterne, qui absconditorum,* per comparationem ad notitiam mentis creatæ, præsertim humanæ, *es cognitor :* apud quem nihil exstat absconditum,
juxta illud Apostoli ad Hebræos : Omnia *Hebr.* iv
nuda et aperta sunt oculis ejus. Qui per 13.
Jeremiam loquitur : Si occultabitur vir in *Jer.* xxiii,
absconditis, et ego non videbo eum ? Mens 24.
enim divina incommutabilis et æterna, omnia in propria luce, in sui ipsius essentia, in se ipsa tanquam in superclarissimo speculo omnium similitudinem atque ideam continente ac repræsentante, invariabiliter conspicit. *Qui nosti omnia antequam fiant,* scilicet ab æterno : quia divina scientia non causatur a rebus, nec dependet ab eis, sed potius est causa earum.
Hinc in Ecclesiastico legitur : Domino Deo *Eccli.* xxiii,
antequam crearentur, omnia sunt cognita. 29.
Tu scis, qui es infallibilis supersapientis- 43
simus judex, quem nulla latet cogitatio, nulla affectio, nec aliqua fallit confictio, *quia falsum contra me tulerunt testimonium : et ecce morior,* id est, morti jam proxima sum : quantum humano ingenio potuit considerari. Unde de homine mox morituro dicimus, quod sit mortuus homo, vel quod moriatur. *Quum nihil horum fecerim quæ isti malitiose composuerunt*
adversum me. Exaudivit autem Dominus 44

vocem ejus : qui sperantes in se finaliter A
non relinquit, atque interdum a temporali
tribulatione, hanc tollendo, eripere solet.
45 *Quumque duceretur ad mortem,* id est
ad locum ubi fuerat, nisi Deus succurrisset, necanda, *suscitavit Dominus spiritum
pueri junioris, cui nomen Daniel.* Quod
ait, Suscitavit Dominus spiritum pueri junioris, intelligi potest dupliciter : Primo,
intelligendo per spiritum, animam ejus :
quam Deus suscitavit, id est ad agendum
ac eloquendum quæ subduntur, movit et
instigavit. Secundo, intelligendo per spiri- B
tum, gratiam donumque Spiritus Sancti, ei
jam ante infusum : quod nunc suscitavit,
id est, in actum insolitum supernaturalem
ac magnum procedere fecit, et de occulto
progredi fecit in publicum : sicut a dormitione proceditur in vigiliam. Sicque Hieronymus dicit et Glossa : Hoc sermone
ostenditur, quod nunc Spiritum non infudit seu dedit, quia jam ante erat in Daniele; sed Spiritum in eo quiescentem, et
propter ætatis infirmitatem opera sua non
demonstrantem, data occasione suscitavit C
46 pro femina sancta. *Et exclamavit voce magna,* quia seriosa ac fervida, ut magnitudo clamoris, demonstraret magnitudinem
detestationis pessimi facti : *Mundus ego
sum a sanguine hujus :* id est, injuste
eam dico damnatam, nec innocentis ejus
occisioni consentio : cui si consentirem,
homicidii reus essem, quia ex revelatione
innocentem agnosco.
47 *Et conversus omnis populus* transiens
circa Susannam, *dixit ad eum :* non quod
omnes simul in verba prorumperent, sed D
quidam de principalioribus pro omnibus
loquebantur, sicut in Evangelio S. Joannis
Joann. VII, 20; XII, 34. frequenter habetur : Respondit ei, scilicet
Christo, turba. *Quis est iste sermo quem
locutus es?* id est, quid prætendit, et cujus est auctoritatis? An ex inexperta et
imperita pueritia prodit, an ex inspiratione divina? Noverant quippe isti Judæi
Danielem esse de semine regio, virtuosumque atque castissimum puerum, ut ex
prædictis in expositione primi capituli elici potest. Et forte Daniel cœpit esse in
regis palatio. Hinc verba ejus populus cito
ac multum advertit, præsertim quia ad
exsecutionem latæ sententiæ proni non
erant ex compassione Susannæ, et quia de
negotio satis certi non erant.

Qui quum staret in medio eorum, ait : 48
Sic fatui filii Israel, id est, vera sapientia in hoc processu carentes, et inconsulte
agentes. Unde non ex contemptu, sed zelo
veritatis ex caritate per amatoriam reprehensionem nominat eos stultos, sicut Galatis dicit Apostolus : O insensati Galatæ. *Galat.* III, 1.
Ideo nec peccaverunt in hoc, sed bene
egerunt Propheta atque Apostolus. Porro
quod ait Salvator, Qui dicit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis : intelligendum est, quando ex contemptu et superbia *Matth.* V, 22.
hoc procedit : præsertim quum et Christus post passionem discipulis sit locutus,
O stulti et tardi corde ad credendum. *Luc.* XXIV, 25.
Quum equidem verba oris, sunt indicia
conceptus mentalis, de bonitate et malitia
verborum vocalium judicandum est maxime ex intentione affectioneque mentis.
*Non judicantes, neque quod verum est
cognoscentes,* id est, ordinem judicii non
servantes, nec verba testium examinantes,
sicque illud Deuteronomii non implentes :
Juste quod justum est exsequeris; et ideo *Deut.* XVI, 20.
falsum recipientes pro vero, *condemnastis
filiam Israel?* id est hanc Susannam, quæ
imitatione virtutum vere digna est dici
filia Jacob et Israel, tanquam vitiorum
supplantatrix, atque cœlestium contemplatrix quorum amore maluit diffamari ac
mori quam transgredi. *Revertimini ad judicium* verum, id est ordinatum et pro- 49
vidum.

Et reversus est omnis populus cum 50
festinatione ad locum ubi senes accusaverunt Susannam. Celeriter rediit populus, quia gaudebat de subventione Susannæ. *Et dixerunt ei,* scilicet Danieli, *senes,*
non duo illi presbyteri, ut patet ex verbis
sequentibus, sed aliqui de senioribus ac
principalioribus Judæorum ibi præsentium : *Veni et sede in medio nostrum,* tan-

quam dignus consessione majorum, *et indica nobis* veritatem hujus negotii, et quis te ad loquendum hæc verba induxit; *quia tibi dedit Deus honorem senectutis,* id est, tanta te gratia decoravit, tanta sapientia et auctoritate judiciaria, ut honor qui senibus pro virtutibus, ætate, et auctoritate debetur, tibi quoque videatur deberi. Ex modo enim loquendi Danielis, et gestibus atque constantia ejus consideraverunt eum divinitus instigari ac roborari.

51 *Et dixit ad eos Daniel,* sedens inter hos senes : *Separate illos,* id est duos presbyteros, *ab invicem procul,* ne colloquendo novum confingant mendacium, et unus subornetur ab alio, *et dijudicabo eos,* id est, justo judicio condemnabo. Sicque Apostolus : Si nos ipsos, inquit, dijudicaremus, non utique judicaremur. (I *Cor.* xi, 31.) Qui enim se ipsum humiliter accusat et reprobat, veniam Dei meretur. Magna autem constantia atque fiducia Danielis fuit in verbis his.

52 *Quum ergo divisi essent alter ab altero, vocavit unum ex eis, et dixit ad eum.* Secundum Albertum creditur, quod vocavit eum sicut et alium, non ad se solum, sed coram duobus aut pluribus de populo, a quibus convinceretur paulo post, si quod dixit negaret. *Inveterate dierum malorum,* id est, qui tempus tuum in vitiis expendisti, *nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius,* id est, modo completa sunt et divinitus in publicum deducenda, ulciscenda quoque, non diutius sustinenda. Deus quippe permittit homines peccare usque ad aliquam certam mensuram, qua completa, non suffert diutius, secundum Augustinum. Hinc in Genesi Dominus dixit : Nondum completæ sunt iniquitates (*Gen.* xv, 16.)
53 Amorrhæorum. *Judicans,* id est, judicando proferens, *judicia injusta, innocentes opprimens* violentia vel fraudulentia, *et dimittens noxios* pro lucro terreno, *dicente Domino,* id est non obstante quod Dominus dicat per Moysen : *Innocentem et justum non interficies.* In Levitico Dominus ait : Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. (*Lev.* xix, 13.)

54 *Nunc ergo si vidisti eam* in crimine tanto, *dic sub qua arbore videris eos,* scilicet juvenem et Susannam, *colloquentes sibi.* Castissimus puer de re turpissima urbane profatur. Et quia ante hujusmodi copulam solent verba præcedere, amœnioraque et secretiora loca requiri, quærit sub qua arbore factum sit istud piaculum. Nam hortus arboribus plenus fuit. *Qui ait : Sub schino.* Quam arborem Græci nominant σχῖνον, secundum Albertum, et Latine vocamus lentiscum. Estque arbor humilis atque notabilis, desiderabilem habens umbram, ut dicitur. Ait namque Ambrosius, quod sit arbor humilis, extensorum ramorum in altum et foliorum spissorum, propter quod latebras sub se quiescentibus facit. Glossa etiam dicit, quod succus foliorum ejus scissuras labiorum et manuum solidat.

Dixit autem Daniel : Recte mentitus es, 55
id est, omnino falsum est quod dixisti, ita quod ratio mendacii recte atque formaliter competit verbo tuo, *in caput tuum,* id est ad tui ipsius damnationem et occisionem seu capitis tui pœnam. *Ecce enim angelus Domini accepta sententia* tuæ occisionis *ab eo,* id est a Domino qui angelo jussit ut homines ad te interficiendum juste instiget, *scindet te medium,* id est, corpus tuum faciet vulnerari ac discontinuari hinc inde. Sicque Daniel a nomine arboris, scilicet a schino, formavit nomen supplicii mortis, quod est scissio. Quidam per angelum intelligunt judicem qui presbyteros istos damnavit, quia judices et sacerdotes aliquando angeli nominantur. Sed prima expositio aptior est.

Et amoto illo, jussit venire alterum, et 56
dixit ei : Semen Chanaan et non Juda, id est, o impie, qui propter imitationem malitiæ potius dici mereris filius Chananæorum, quam Judæ patriarchæ seu fidelium Judæorum, quamvis secundum carnem a tribu Juda descenderis. Sic et Christus ait Judæis incredulis : Vos ex patre diabolo estis; (*Joann.* viii, 44.) et rursum, Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. (*Ibid.* 39.) Et Ezechiel quoque

Ezech. XVI, 3. pravo dicit populo Judæorum : Radix tua et generatio tua de terra Chanaan. *Species decepit te,* id est, pulchritudo Susannæ generavit in te concupiscentiam, qua victa atque decepta est ratio tua, ita quod bonum apparens, carnale, caducum, præposuit bono vero, spirituali, incommutabili. Ideo subditur : *et concupiscentia subvertit cor tuum,* id est, rationem a Deo, a lege divina, ab ordine recto avertit : imo concupiscentia ista carnalis, in amore qui a medicis ἔρως appellatur, parit insaniam.

57 *Sic faciebatis filiabus Israel* sicut Susannæ, id est, verba terrentia ac comminatoria eis proposuistis, nisi vobis præberent consensum ; *et illæ timentes* mortem inordinato et excessivo timore, ita quod magis timuerunt eos qui corpus occidunt, quam Deum qui corpus et animam impiorum projiciet in gehennam : ideo magis vitabant malum pœnæ quam malum culpæ, quum tamen malum culpæ sit incomparabiliter amplius abhorrendum ac fugiendum quam malum pœnæ, potiusque debeat homo mortem corporis pati, quam veniale peccatum incidere; *loquebantur vobis* verba carnalis consensus, et miscebantur. Unde apparet, quod isti sint senes de quibus Jeremias scribit, quod mœchati sint in uxores amicorum suorum. Denique Glossa dicit, quod etiam verbis blandis feminas deceperunt, dicendo de eorum semine Christum nasciturum, quum essent de semine Judæ : cujus videlicet Christi adventus maxime desiderabatur. Insuper Glossa, Scholastica quoque historia asserunt Hebræos hoc dicere. *Sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram,* id est, Susanna hæc, carnis propagine et virtutum imitatione digna dici filia Juda, non acquievit subjici vobis et vestro communicare facinori, sed restitit vobis. De aliis autem mulieribus consentientibus probabile reor, quod quædam earum de tribu fuerint Juda; sed filiæ Israel, non Juda, vocantur, quia adulterando secutæ sunt aversiones decem tribuum, quæ nomine Israel designantur, non constantiam tribus Juda, quæ illis idololatrantibus in Dei cultu permansit.

(*Matth.* X, 28. — *Jer.* XXIX, 23.)

58 *Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos colloquentes sibi.* Sicut de beatissimo legitur Nicolao, quod judicem urbis suæ cum innocentes damnasset, durissime reprehendit, sic Daniel Dei electus testes et judices istos falsarios acerrime increpavit. Ad quod ex speciali Dei ordinatione ac munere auctoritatem sortitus est. Deus siquidem constituit eum judicem judicum horum. *Qui ait : Sub prino.* Circa hoc dicit Albertus, quod secundum Hieronymum, πρῖνος Græce, Latine dicitur ilex. Estque arbor spissæ ac desiderabilis umbræ his qui latebras quærunt concupiscentiæ. Πρῖνος etiam Græce, Latine sonat sectionem, et ob hoc Daniel sumit verbum per similitudinem, dicens : Secet te medium. Has ergo arbores presbyteri nominaverunt, ut testimonium eorum credibilius videretur super fornicatione præfata. Dicit quoque hic Lyra, quod aliqui dicunt prinum eamdem esse arborem cum lentisco, et male, ut dicit, quia tunc non esset discordia in testimonio presbyterorum. Et in hoc Nicolaus de Lyra recte locutus est. Et forte notat Scholasticam historiam ubi habetur, quod Latini dicunt schinum ilicem vel lentiscum.

59 *Dixit autem ei Daniel : Recte mentitus es et tu in caput tuum :* secundum sensum nunc introductum. *Manet enim angelus Domini,* id est, te exspectat ad interficiendum, *gladium habens,* id est mortis sententiam contra te : quemadmodum in Apocalypsi de Christo refertur, quod de ore ejus exibat gladius ex utraque parte acutus ; *ut secet te medium :* sicut expositum est. Potest quoque exponi, Ut scindat seu secet te medium, id est, animam a corpore dividat, te in duas partes essentiales diviso ac separato. *Apoc.* I, 16.

60 *Exclamavit itaque omnis cœtus* Judæorum præsentium *voce magna, et benedixerunt Deo* voce magna, benedictione gratiarum actionis et laudis, qua inferior benedicit superiori, non consecrationis,

qua superior benedicit inferiori, juxta il-
Hebr. VII, 7. lud Apostoli ad Hebræos : Sine ulla con-
tradictione, quod minus est a majori bene-
dicitur. Hinc secundo libro Machabæorum
II *Mach.* I, 17. habetur : Per omnia benedictus Deus, qui
tradidit impios. *Qui salvos facit sperantes*
in se. Semper enim salvat eos quantum
ad animam, a damnatione æterna, si per-
severanter speraverint ; quandoque etiam
a tribulatione temporali et corporali, ut in
Susanna, Tobia, et Job, et filiis Israel tem-
pore judicum, multisque aliis. Hoc tamen
non egit in omnibus, ut de martyribus
patet, et in veteri lege de septem fratribus
Ibid. VII. ac matre eorum pro lege occisis, ut legi-
tur secundo libro Machabæorum.
61 *Et consurrexerunt* unanimiter *adver-*
sus duos presbyteros, eos apud regem Ba-
bylonis Nabuchodonosor seu officiales ejus
primitus accusando. *Convicerat enim eos*
Daniel ex ore suo, id est propriis verbis
eorum, *falsum dixisse testimonium.* Unde
multitudo non fecit hæc omnia, nisi Da-
niele pandente verba illorum contraria.
Feceruntque eis sicuti male egerant ad-
versus proximum, id est, pœnam quam
Susannæ voluerunt inferre, intulerunt eis,
et ut promeruerunt peccando in proximum,
reddebant eisdem. Sicque si per proxi-
mum intelligatur Susanna, per proximum
notatur persona, non sexus : quemadmo-
Matth. XIX, 19. dum etiam quum jubemur diligere pro-
ximos sicut nos ipsos, ubi per proximos
non viri tantum, sed et feminæ designan-
62 tur. *Ut facerent secundum legem Moysis*
Deut. XIX, 19. in Deuteronomio scriptam : Reddetur falso
testi sicut fratri suo facere cogitavit. *Et*
interfecerunt eos : vel de licentia regis eos
secundum legem Moysis lapidando, vel re-
gi occidendos tradendo, ita quod secun-
dum modum terræ suæ fecit eos comburi,
Jer. XXIX, 22. prout in Jeremia legitur, quod rex Ba-
bylonis frixit eos in igne : quamvis per
frixionem in igne, quælibet gravis pœna
possit intelligi. *Et salvatus est sanguis in-*
noxius, id est Susanna innocens, *in die illa.*
Solet enim per sanguinem homo intelligi,
et per sanguinem innocentem homo ju-

A stus, sicut in Psalmo : Sanguinem innocen- *Ps.* XCIII, 21.
tem condemnabunt. Et Paulus ad Galatas : *Galat.* I, 16.
Non acquievi, inquit, carni et sanguini.
Helcias autem et uxor ejus laudaverunt 63
Deum pro filia sua Susanna, cum Joakim
marito ejus et cognatis omnibus, quia non
esset inventa in ea res turpis. Secundum
Hieronymum, isti tanquam sancti seu vir-
tuosi, non de hoc principaliter Deum lau-
dabant, quod salvata est Susanna a corpo-
ris morte, quia hoc magnum non fuit ; imo
ad animæ gloriam profuisset pro justitia
B mori : sed quia immunis inventa est a tan-
to facinore, nec turpitudo peccati hujus-
modi fuit in ea. Majus equidem bonum est
innocentia, quam corporalis naturalisque
vita. Hoc ergo potissimum Dei beneficium
est, quod hominem a peccato præservat,
nec eum libere peccare permittit. *Daniel* 64
autem factus est magnus in conspectu po-
puli a die illa et deinceps, id est præcipuæ
reputationis, quia videbant Spiritum Dei
esse in eo ad faciendum judicium, ad reve-
landum secreta, ad prænuntiandum futura,
C ad zelandum pro lege, ad custodiendum ju-
stitiam, ac providendum populo Judæorum.
Et rex Astyages appositus est ad patres 65
suos. Iste est Astyages, alio nomine dictus
Assuerus, non ille vir Esther, sed pater
Darii avunculi Cyri, ut dictum est plenius
in expositione capituli noni. Hic itaque *Dan.* IX, 1.
Astyages appositus est per mortem ad pa-
tres suos, et secundum errorem gentilium,
cum illis inter deos translatus ; secundum
veritatem autem, cum illis in inferno se-
pultus, quantum ad animam, et in hu-
D mo, quantum ad corpus. *Et suscepit Cyrus*
Perses, id est rex Persarum, et de semine
Astyagis regis Persarum atque Medorum,
regnum ejus. Fuit enim filius filiæ Astya-
gis veraciter, prout in Scholastica historia
plenius recitatur. His autem verbis deter-
minatur tempus sequentis historiæ, non
tempus liberationis Susannæ. Quando enim
Cyrus regnum Astyagis suscepit, videlicet
Astyage defuncto, Daniel pueritiæ annos
excessit, prout Lyra satis hoc loco osten-
dit, et Scholastica historia idem testatur.

ARTICULUS XV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ERAT AUTEM DANIEL CONVIVA REGIS ET HONORATUS.

1 *ERAT autem Daniel conviva regis, et honoratus super omnes amicos ejus.* Quamvis Daniel post destructionem Babylonis, et occisionem Balthasar ultimi regis ejus, fuerit maximus apud Darium regem, deinde apud Cyrum ; tamen in ista particula per regem cujus Daniel fuit conviva, non intelligitur Cyrus, nec Darius, sed rex Babylonis, scilicet Balthasar, vel potius pater ejus. Sequens namque historia accidit, durante Babylone, et stante rege in ea, sicut in prosecutione patebit : fit tamen hic mentio de Cyro propter ejus clementiam in Judæos. Et quia in verbis præhabitis notatur tempus sequentis historiæ, quidam incipiunt istud capitulum ultimum in verbo quo dicitur : Et rex Astyages, etc. Fuit ergo Daniel conviva regis Babylonis, qui propter sapientiam ejus habuit eum in honore præcipuo, sicut et Nabuchodonosor rex, pater vel avus regis de quo nunc sermo, et sub quo accidit factum istud. Communiter autem capitulum hoc inchoari notatur in verbo quod subditur :

2 *Erat quoque idolum apud Babylonios :* per quos intelligi possunt specialiter habitatores urbis, nomine Babylonis, vel generaliter habitatores regni Babyloniæ seu Chaldææ; *nomine Bel.* Dicunt aliqui idololatriam ortum habuisse a Nemrod rege Ninive, qui legitur homines compulisse adorare et colere ignem. Alii asserunt, quod a Nino rege Assyriorum sumpsit originem, adstruentes quod Ninus de morte patris sui nomine Beli plurimum dolens, pro sua consolatione fecit sibi patris sui idolum, statuam sive imaginem, deferens ei tantum reverentiæ ac honoris, quod confugientibus ad ipsam quamvis rei essent, pepercit : et ex hoc exorsi sunt homines divinum honorem imagini illi impendere. Denique ad similitudinem statuæ hujus, homines in locis diversis fecerunt sibi amicorum suorum mortuorum, vel etiam longe distantium, imagines, impendebantque eis honores. Et sicut idola facta sunt ad imitationem idoli præfati Beli, ita ex eo sortita sunt nomina, cum aliqua tamen vocabulorum variatione, secundum diversitatem gentium atque linguarum. Primum siquidem idolum dictum est Belus, quemadmodum ille pro cujus honore inolitum est. Aliorum autem quidam idolum suum vocaverunt Baal, quidam Beelzebub, quidam Beelphegor, quidam Baalim, quidam Beel, quidam Belim. Porro apud Babylonios vocatum est Bel.

Num. xxii, 41; *Judic.* ii, 13; vi, 25, etc.; IV *Reg.* i, 2; *Num.* xxv, 3; *Judic.* ii, 11; *Is.* xlvi, 1, etc.

Insuper, secundum Albertum, Bel interpretatur vetustus. Fuit namque idolum Saturni, qui pater deorum vocatur. Unde et cetera idola ab ipso denominantur. Saturnus enim quia altior erat, pater et princeps deorum dicebatur : ideo a gente quæ aliis gentibus fuit dominans, colebatur. Sed et usque hodie manet liber Chaldaicus de fundendo capite Saturni, quod necromantici dicunt dare responsa petentibus. Hæc Albertus. Ex cujus verbis elicitur, quod Albertus per Saturnum intelligit planetam, qui ceteris planetis est altior situ, quem quidam coluerunt gentilium. Aliqui vero Saturnum hominem quemdam Jovisque patrem coluerunt. Rursus, secundum Albertum, idolum dicitur ab εἶδος Græce, quod Latine sonat forma sive figura, quia in imaginibus dæmon colebatur, prout ad Corinthios ait Apostolus : Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. I *Cor.* x, 20.

Præterea, sicut refert Hieronymus, historiam istam draconis et Belis, Hebræus

quidam fabulam appellavit, eo quod falsum et impossibile continetur in ea, videlicet de translatione Habacuc a Judæa in Babylonem, et quia nihil propheticum continetur in ea, sed opus tantum ex industria factum. Sed istæ instantiæ nihil concludunt. Numquid enim omnipotentiæ Dei est impossibile quidquam? et nonne angelus sua virtute eximia sic potuit portare Prophetam? Imo in communi resurrectione corpora resuscitata, saltem non glorificata, per angelos ad locum judicii deferentur. Nec sequitur, si in Scripturis canonicis (B) tale nil invenitur, quod nec in isto acciderit. Et tamen in novo Testamento interim quidam Sancti leguntur repente de loco ad locum translati in corpore, angelico plane obsequio. Rursus non sequitur, quod idcirco sit fabula, quia in ea nihil prophetico spiritu gestum narratur. An tamen verum sit, nihil propheticum contineri in ea, infra dicetur. Multa quippe etiam in propheticis libris habentur pure historica, de quorum veritate non dubitatur. Quoniam ergo Ecclesia in officio Missæ utitur (C) ista historia, legitque eam loco Epistolæ, non videtur de veritate dubitandum.

Et impendebantur in eo, id est, idolo huic offerebantur, et proponebantur pro esu et alimento ipsius, *per dies singulos similæ,* quæ est optima delicatissimaque farina, *artabæ duodecim.* Juxta Scholasticam historiam, artaba apud Chaldæos eadem mensura est, quæ et ephi apud Hebræos, puta mensura trium modiorum. Albertus vero dicit, quod artaba sit mensura proportionata ad panis quantitatem, et quod (D) quotidie duodecim panes offerebantur, propter duodecim forte horas diei, ut singulis horis videretur Bel capere cibum. Per similam quoque intelligit similagineum panem. Sed secundum hoc dicere oporteret, quod panes illi fuissent quantitatis prægrandis. Sequitur enim, quod quotidie impendebantur *quadraginta oves,* id est carnes earum, *et sex amphoræ vini,* quæ magna vasa fuisse feruntur. Ista autem alimenta tantæ fuerunt quantitatis, quod

(A) sufficiebant septuaginta sacerdotibus Belis, domesticisque eorum, ut infra habetur. (vers. 9, 14.) Quantum vero apud Babylonios determinate continuerit modius vel amphora, certitudinaliter non habetur. Mensuræ enim secundum terras, gentes, et tempora, variantur. Sed conjici potest ex hoc, quod panes et carnes oblatæ, tot hominum sustentationi suffecisse dicuntur.

Rex quoque colebat eum, rex scilicet Ba- 3
bylonis, *et ibat per singulos dies adorare eum.* Circa quod dicit Albertus : Quod nescio quare fecerit, nisi ne ei noceret, quia in libris Chaldæorum scriptum est, quod Saturnus nulli unquam profuit, et multis nocuit. Est enim distans altitudine, piger motione, frigiditate mortificans, et siccitate discontinuativus. Ex quo, quod jam dixi, rursus patescit, quod scilicet Albertus per Saturnum intelligat hic planetam, non hominem. Sed juxta hoc mirum videtur, quomodo rex et populus putaverint Belem comedere, quum planeta alimentis hujusmodi non utatur, ut omnibus constat; nec apparentiam habet quod putaverint idolum edere, si id cujus est idolum, edere non putarent. Insuper rex statuam ipsam vivere æstimavit, et ut vivum quid adoravit. Fuit quippe gentilium consuetudo, error ac cæcitas, omne id deum putare, quod supra communem hominum statum apparuit, vel insolita atque magnifica egit : sicut in Actibus Apostolorum describitur, quod Paulo nil patiente a vipera ad ejus manum pendente, Barbari deum eum esse dixerunt. (Act. xxviii, 6.) Et quum claudum ex utero matris sanasset, dixerunt eum gentiles esse Mercurium. (Ibid. xiv, 7-11.) Quoniam ergo idolum istud tanta quotidie videbatur consumere, rex et populus æstimaverunt quod aliquis esset deorum, sicque adorabant Belem, non quasi planetam in cœlo gyrantem, sed ut rem in se vivam atque divinam, quæ posset succurrere atque nocere.

Daniel adorabat Deum suum,* qui universorum Deus est per creationem, et Deus uniuscujusque eum devote colentis tanto specialius, quanto et ipse Deus gratiosius

* *Porro Daniel*

habet se circa suum cultorem, et quanto a
suo cultore cordialius amatur ac reveren-
tialius colitur. *Dixitque ei rex,* vel Balthasar,
sar, vel pater ipsius : *Quare non adoras*
4 *Bel? Qui respondens, ait ei.* Amicus enim
quærit amicum habere secum eumdem
deum, et comparem cultum. *Quia non co-*
lo idola manu facta, quum nihil numinis
sit in eis. Et in Sapientiæ libro legitur :
Sap. XIV, 27. Infandorum idolorum cultura, omnis mali
causa est et initium et finis. *Sed viventem*
Deum, qui est suum vivere ac intelligere,
et suum velle atque diligere, quum sit
simplicissimus purusque actus, *qui crea-*
vit cœlum et terram, et habet potestatem
omnis carnis, cunctorum scilicet morta-
lium et omnium creaturarum, quia pote-
statem habet super hæc disponendi de eis
ad nutum. Communicavitque Christo se-
cundum naturam assumptam hanc pote-
statem, dando sibi auctoritatem judiciari-
am, et potestatem dominatoriam creatam
ac dependentem, et quoad increatam, po-
tentiam quasi instrumentalem super hæc
omnia, secundum quod Christus in Joanne
Joann. XVII, 2. loquitur Patri de se ipso : Sicut dedisti ei
potestatem omnis carnis.

5 *Et dixit rex : Nonne videtur tibi Bel*
esse vivens deus? An non vides, quanta
bibat et comedat quotidie? Bibere autem
et comedere non competunt nisi viventi-
bus. Si in naturali philosophia rex erudi-
tus fuisset, faciliter potuisset pensare quod
idolum illud non viveret, quia non habuit
materiam dispositam ad informationem
6 formæ substantialis vitalis. *Et ait Daniel*
arridens, ut benignitate regem leniret, fa-
ceretque attentum, et risu contemneret
idolum : *Ne erres, rex. Iste enim deus*
tuus, scilicet Bel, *intrinsecus luteus est, et*
forinsecus æreus : ideo membra non habet
et viscera, ad comestionem et potationem
requisita. Circa quod scribit Albertus : Su-
per formam luteam idolum fusum fuit. Et
videtur tunc idolum factum fuisse, sicut
nunc fit. In necromantia enim docetur
fundi caput Saturni.

7 *Et iratus rex* contra eos qui sibi oppo-
situm persuaserunt, et magnorum sump-
tuum sibi causa in idoli hujus cultura fue-
runt, id est contra sacerdotes Belis, *vocavit*
sacerdotes ejus, et ait eis : Nisi dixeritis
mihi, quis est qui comedat impensas has,
id est oblationes præfatas ad mensam Belis
altareque positas, *moriemini,* id est, sta-
tim faciam vos occidi. *Si autem ostende-* 8
ritis, quod Bel comedat hæc, morietur Da-
niel, quia blasphemavit in Bel, secundum
gentilium æstimationem, quamvis Belem
dehonorare ac reprobare, non fuerit bla-
sphemare, secundum veritatem. *Et dixit*
Daniel regi : Fiat juxta verbum tuum.
Territus non fuit Daniel sanctus, quia ex
naturali scientia et supernaturali illumi-
natione certissime noverat, idola viva non
esse neque comedere. *Erant autem sacer-* 9
dotes Bel septuaginta : quia (ut dicitur)
fuit ibi templum conventuale; *exceptis*
uxoribus et parvulis et filiis jam adultis,
qui cœperant forte ministrare in templo.

Et venit rex cum Daniele in templum
Bel, et dixerunt sacerdotes : Ecce nos egre- 10
diemur omnes de templo, *et tu, rex, pone*
escas ante Belem propria manu, vel per
ministrum, *et vinum misce,* lymphando
vinum sex amphorarum. Solet enim, ut
dicitur, in terris illis vinum aqua tempe-
rari propter fortitudinem suam. Et secun-
dum Albertum, vinum calidarum terrarum
nocet, si bibatur non mixtum. *Et claude*
ostium, et signa annulo tuo. Sic enim re-
ges et principes sigillare antiquitus con-
sueverunt, ut patet in libro Esther de As- *Esther* III, 12; VIII, 8, 10.
suero. *Et quum ingressus fueris mane, nisi* 11
inveneris omnia comesta a Bel, morte mo-
riemur, id est, a te occidemur, *vel Daniel*
*qui mentitus est contra nos. Despiciebant** 12
autem adversarium suum, scilicet Danie- * *Contemnebant*
lem, nec de hujusmodi obligatione cura-
verunt, certi de idolis suis, et putantes se
deprehendi non posse a Daniele; *quia fe-*
cerant sibi *sub mensa* seu altari Belis *abs-*
conditum introitum, et per illum ingre-
diebantur semper, id est opportunis horis
in templum occulte. Per viam quoque sub-
terraneam de domibus suis ad illum usque

introitum, ut fertur, venerunt. *Et devora-* A
bant ea, id est cibaria posita ante Bel.
13 *Factum est igitur postquam egressi sunt*
illi, et rex posuit cibos ante Bel, præcepe-
rat Daniel pueris, id est famulis *suis,* ut
cineres sibi afferrent; *et attulerunt cine-*
rem, cribravitque cineres *per totum tem-*
plum, id est super pavimentum, ut ve-
stigia latere non possent, *coram rege; et*
egressi de templo, rex et Daniel cum suis
ministris, *clauserunt ostium* templi, *et si-*
14 *gnantes* illud *annulo regis, abierunt. Sa-*
cerdotes autem ingressi sunt nocte, etc., *et* B
comederunt omnia et biberunt. Sacerdotes
isti de illorum fuerunt numero impiorum,
Sap. XV, 12. de quibus Sapiens scribit : Æstimaverunt
lusum esse vitam nostram, et conversatio-
nem vitæ ad lucra compositam, et oportere
undecumque acquirere.
15 *Surrexit autem rex summo diluculo.*
Desiderium namque sciendi quod latet et
magnum atque mirabile æstimatur, in-
flammat accelerarique facit optantem, et
curiositas sciendi incitamentum producit.
16 *Et Daniel cum eo. Et rex ait* quum venis- C
set ad ostium templi : *Salvane sunt signa-*
cula, Daniel? id est, nonne jam integra
sunt et intacta signeta seu sigilla, ostio
templi annulo meo impressa? *Qui respon-*
17 *dit : Salva, rex,* sunt signa ista. *Statim-*
que quum aperuissent ostium, fractis signe-
tis, *intuitus* est *rex mensam* Belis, super
quam posita erant cibaria. Ubi affectus,
ibi et oculus; atque in id quod ardentius
appetitur aut amatur, oculus primo proji-
citur. *Clamavit voce magna* ad laudem dei
sui, et ex affectu quo ejus excellentiæ con- D
gaudebat : *Magnus es, Bel,* id est grandis
potentiæ : quasi hoc magnum sit, tot ciba-
ria devorare, quod et bestiis competit; *et*
non est apud te dolus quisquam, ut Daniel
asserit, sed bonus, verus et justus es. Re-
fert Valerius Maximus, quod quidam gen-
tilium idola coluerunt, non tanquam viva
aut numinis contentiva, sed solum ut im-
mortalium deorum repræsentativa : sicque
ut adstruit, antiqui Romani idola venera-
bantur. Alii colebant ea, ut viva atque di-
vina : quorum princeps fuit Hermes Tris-
megistus, qui de idolis loquens : Statuas,
inquit, animatas dico, sensu et spiritu
plenas, humana proximitate contentas, im-
becillitates et sanitates hominibus facien-
tes : prout libro de Civitate Dei diffusius
recitat Augustinus. De quorum consortio
rex iste et sui fuisse videntur.
Et risit Daniel, non ex vanitate, levita- 18
te aut pompa, sed ex æquitate, idololatriæ
stultitiam deridendo. Itaque non omnis ri-
sus exstat culpabilis, sed qui ex inordinata
procedit origine, ex vana cordis lætitia, aut
superbo contemptu cujusquam, vel simili
causa. De quo loquitur Christus : Væ vobis, *Luc.* VI, 25.
qui ridetis, quia plorabitis; et Jacobus,
Risus vester convertatur in luctum. Porro *Jacob.* IV, 9.
ridere ex complacentia veri et boni, vel ex
contemptu falsitatis et malitiæ, virtuosum
censetur, quemadmodum de idolis loquitur
Jeremias : Vana sunt et risu digna. Super- *Jer.* X, 15; LI, 18.
fluitas vero et dissolutio in ridendo, sem-
per vitanda est : imo et risus in se non
vitiosus, frenandus et moderandus est, ne
quispiam scandalizetur. *Et tenuit regem,*
ne ingrederetur intro. Ex devotione nam-
que ad Bel, mox voluit ejus altare accede-
re, et idolum adorare : quod Daniel non
permisit, quia iniquum, et ne rex suis ve-
stigiis vestigia confunderet aliorum. *Et di-*
xit regi : *Ecce pavimentum, animadverte*
cujus vestigia sint hæc, an scilicet unius,
an plurium. Vestigia quippe non fallunt.
Nam vestigia dicuntur quasi pestigia, id
est stigmata pedis. *Et dixit rex : Video* 19
vestigia virorum et mulierum ac infan-
tium. Vestigia autem infantium seu pue-
rorum, a vestigiis virorum ac mulierum
discreta sunt quantitate, quia minora. Ve-
stigia vero virorum ac mulierum ab invi-
cem discrevit figura, quoniam mulieres
calceis aliter in figura dispositis utebantur.
Præterea, secundum Albertum, viri pedem
habent magis concavum et fortius calcea-
tum; feminæ pedem habent subtus pla-
niorem et delicatius calceatum. *Et iratus*
est rex propter fraudulentiam sacerdotum,
et suam ab eis illusionem.

20 *Tunc apprehendit,* id est, capi teneri-
que jussit, *rex sacerdotes et uxores et filios*
eorum; et ostenderunt ei abscondita ostiola
in templo sub altari, *per quæ ingredie-*
bantur, et consumebant quæ erant super
mensam. Ad hoc enim rex compulit eos, et
in falsitate deprehensi tam evidenter fue-
runt, quod nullus tergiversationi manserat
locus : imo sicut confunditur fur in furto
21 compertus, sic illi. *Occidit ergo illos rex*
per suos ministros, vel per unum eorum,
et Bel tradidit in potestatem Danielis. Vidit
enim, quod Bel non erat nisi res inanima-
ta et fallax. *Qui subvertit eum et templum*
ejus, comminuens idolum, et templum per
subditos destruens.

22 Consequenter alia recitatur historia. *Et*
erat draco magnus (draco est maximus
serpens) *in loco illo.* Dicunt quidam, quod
fuit in quodam templo civitatis Babylonis
in lacu seu subterraneo loco. Circa hæc
dicit Albertus : Aristoteles vult, quod dra-
co sit serpens cubitalis, qui propter hoc
quod omne aliud venenosum comedit, pes-
simum habet morsum. Hic autem draco
dicitur magnus serpens extensi corporis,
magnorumque dentium, ita quod fossura
dentium ejus, magna et profunda infert
vulnera, ut dicit Semirion philosophus. *Et*
colebant eum Babylonii. Mirum videtur
quod homines sic poterant excæcari, quod
tam turpem bestiam coluerunt. Et nonne
sciverunt quod bestia esset vilior homine,
et draco eis prodesse non potuit? Et re-
spondendum, quod indicibilis fuit et est
cæcitas idololatrarum, et justo Dei judicio
sic excæcari sinuntur, a dæmonibusque il-
ludi. Nec tantum draconem coluerunt gen-
tiles, sed et volucres et serpentes, juxta
Sap. xv, 18. illud Sapientiæ : Animalia miserrima co-
lunt. De quibus ad Romanos scribit Apo-
Rom. i, 23. stolus : Mutaverunt gloriam incorruptibilis
Dei in similitudinem imaginis corruptibi-
lis hominis, et volucrum, et quadrupedum,
et serpentium. Denique quomodo indurati
Judæi quandoque talpas et vespertiliones
Is. ii, 20; *Ezech.* viii, 10, 11. adoraverunt, in Isaia et Ezechiele ostendi-
tur. Albertus autem habet hic aliam con-

A sideratíonem, dicendo : Antiqui etiam in-
fernales deos colebant, ut Plutonem et
Vulcanum; et in dracone videtur deus in-
fernalis magis coli quam alius. Insuper
dicit : Cur draconem coluerunt nescitur,
nisi forte ut non noceret. Potuit autem
diabolus permissione divina draconem a
nocumento solito impedire, ut homines
tam insanis erroribus involverentur.

Et dixit rex Danieli : Ecce nunc non 23
potes dicere, quod iste non sit vivens deus.
Rex iste et populus ejus pari amentia la-
B borabant, deum et adoratione dignum pu-
tantes, quidquid insolitum et magnum ac
supra hominum virtutem apparuit. Aliqui
tamen affirmant, quod Babylonii virtutem
alicujus dei infernalis in dracone esse pu-
tabant. *Adora ergo eum,* ne dispari cultu
dividamur, qui tanta amicitia nectimur.
Dixitque Daniel : Dominum Deum meum 24
adoro, quia ipse est vivens Deus, iste autem
non est vivens Deus, sed bestia vilis. *Tu* 25
autem, rex, da mihi potestatem, et interfi-
ciam draconem absque gladio et fuste, id
C est adjutorio Dei viventis, et per rationis
industriam naturalesque causas, sicut pa-
tebit. *Et ait rex : Do tibi.*

Tulit ergo Daniel picem et adipem et 26
pilos, et coxit pariter fecitque massas, id
est offas ad modum massarum, *et dedit in*
os draconis, accedendo draconem absque
læsione, virtute divina, vel ut aliqui pu-
tant, massam projiciendo draconi, *et diru-*
ptus est draco. Secundum Albertum, Daniel
tulit picem, ut viscositate picis intestinum
draconis, quod spissum est, conglutina-
D retur et cohæreret; adipem, ut ob ejus
dulcedinem appeteret offam, et sumeret
eam; pilos, ut adeps cum pice continuitate
pilorum contineretur, et massæ digestio
impediretur. Dicit enim Avicenna, quod
pili ab animalibus non digeruntur, sed
evomuntur. Coxit autem hæc pariter, ut
quodlibet istorum alterum ubique pene-
traret; et dedit in os draconis, ut ex massa
strictum intestinum draconis scinderetur,
pice conglutinaretur, et horrore pilorum
ad vomitum elevaretur, sicque draco sin-

gultiens rumperetur. Lyra quoque hic ait :
Propter odorem pinguedinis calefactæ, draco massam libenter accepit : quam quum momordisset, dentes ejus involuti sunt propter picem et pilos, sic quod non quivit os aperire, et massam hanc masticare, et ex consequenti nec respirare. Et quia est animal valde calidum, ut patet per effectum, quia aliquando emittit fumum, aliquando ignem, ex defectu respirationis ruptus est venter ejus. Ex quibus ostenditur, quod draconis occisio partim fuit miraculosa, præsertim si (ut dicit Albertus) Daniel draconem accessit, et dedit in os ejus offas unam post aliam; partimque naturalis, ex naturalibus scilicet causis et humana procedens industria. *Et dixit* Daniel : *Ecce quem colebatis,* id est, ex hac diruptione et sordenti materia claret, quod deus non fuit.

27 *Quod quum audissent Babylonii* qui tunc præsentes non erant, *indignati sunt vehementer :* in quo patet mira eorum excæcatio, ingratitudo et pravitas. Nam gratias agere debuerunt, quod a diabolo, venenatoque bruto fuerant liberati. Sed forte a residuis sacerdotibus, et propinquis sacerdotum jam occisorum incitabantur, imo et ex proprio cæco amore, quo ad deos suos instigante diabolo afficiebantur. Fertur autem in Scholastica historia, quod sacerdotes draconis habebant hydraulia, id est vasa plena aqua, facta de coriis vitulorum, et percutiebant ea virgis coraulinis *, ut facerent sonum terribilem quasi tonitruum, ad quem excitatus draco, quandoque emittebat fumum, aliquando ignem, interdum visibiliter apparebat. Quibus verbis addit Lyra, quod vulgares reputabant quod apparuit quasi sacrum, decepti a sacerdotibus draconem colentibus propter quæstum temporalem. Similiter, inquit, fit in Ecclesia quandoque maxima deceptio populi in miraculis fictis a sacerdotibus, vel eis adhærentibus propter lucrum. Et talia sunt a bonis exstirpanda prælatis, quemadmodum illa exstirpata sunt a Daniele.

* alias corallinis

A *Et congregati sunt adversum regem.* Primo inter se convenerunt contra regem, habendo consilium quid essent acturi. *Et dixerunt* inter se : *Judæus factus est rex.* Quod dupliciter intelligi potest : primo, quod dicere voluerunt Danielem Judæum, esse factum regem ipsorum, quia omnia faceret inter eos quæ vellet; secundo, quod rex eorum judaizaret, et patrias leges relinqueret, Danielem sequendo. *Bel destruxit, sacerdotes et draconem interfecit,* vel rex dando licentiam, vel Daniel de licentia
B regis. *Et dixerunt, quum venissent ad* 28
regem : Trade nobis Danielem ad occidendum, *alioqui interficiemus te et domum,* id est familiam et sobolem *tuam.* Vehemens passio et impatientia ita occupavit et vicit eos, quod nec regem honoraverunt, nec rationem attenderunt, sed sola potentia ac violentia uti decreverant.

Vidit ergo rex, quod irruerent in eum 29
vehementer animo concitato et impetuoso, concordes facti in malo ; *et necessitate compulsus,* quia eis reluctari non valuit,
C *tradidit eis Danielem :* quem etiam rapuissent, quamvis rex non dedisset. Furor autem multitudinis, irrationabilis valde est
atque timendus. *Qui miserunt eum in la-* 30
cum leonum, ut eorum dentibus discerperetur : quod pœnale est valde. *Et erat ibi sex diebus :* ut si non a leonibus devoraretur, fame periret. Timebant fortasse ne aliqua arte leones compesceret, qui draconem tam mirabiliter interfecit. Ideo tot diebus eum ibi dereliquerunt lacu clauso manente, nec aliquo accedere fas
D habente. *Porro in lacu erant leones sep-* 31
tem. Consideranti litteram istam et textum
sexti capituli, constat quod ista missio Dan. vi, 16
Danielis in lacum leonum, in pluribus dif- et seq.
fert ab illa quæ sub Dario facta est, prout habetur supra. *Et dabantur eis duo corpora quotidie* hominum damnatorum, qui ad hoc reservabantur et colligebantur, *et duæ oves* de communi, regalibusve impensis. *Et tunc non data sunt eis, ut devorarent Danielem :* si non ex naturali ferocia, saltem ex famis magnitudine fa-

cerent hoc. Bestiis autem clausis proprium A
est, magis sævire.
32 *Erat autem Habacuc propheta,* unus
duodecim Prophetarum minorum, *in Ju-*
dæa. Fuitque Habacuc de tribu Simeon,
secundum Scholasticam historiam. *Et ipse*
coxerat pulmentum, et intriverat panes
in alveolo, id est vase concavo parvo, dicto
ex similitudine alvi, id est ventris, in quo
cibi ponuntur. Intriverat autem panes, se-
cundum Albertum, ut mollificati, facilius
sumerentur. *Et ibat in campum, ut ferret*
33 *messoribus* quæ paravit. *Dixitque angelus* B
Domini ad Habacuc. Forte visibiliter sibi
apparuit : nam et frequenter sibi creditur
apparuisse. *Fer prandium quod habes,* id
est cibum hunc quem defers pro prandio
tuis messoribus, *in Babylonem Danieli,*
34 *qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc,*
angelum recognoscens : *Domine, Babylo-*
nem non vidi, et lacum nescio. Prævidit
enim Jerusalem capiendam, venientibus-
que Chaldæis, fugit in alium locum, se-
cundum Scholasticam historiam. Albertus
tamen dicit, quod videtur fuisse de pau- C
IV *Reg.* XXV, 12. peribus terræ, qui relicti sunt a principe
militiæ Chaldæorum. Sed istud faciliter, ut
arbitror, concordatur. Quamvis enim in-
stante obsidione Jerusalem, Habacuc fu-
gerit, tamen capta urbe potuit reverti,
præsertim audito quod rex Babylonis præ-
fecisset Judææ Godoliam Judæum : quia
tunc multi Judæorum dispersi hinc inde,
redierunt ad eum, et collegerunt messem
Ibid. XXV, 23; *Jer.* XL, 7-12. multam, ut quarto Regum et in Jeremia
de hisce rebus dicitur.
35 *Et apprehendit eum angelus Domini in* D
vertice ejus, et portavit eum capillo capi-
tis sui. Angelus in assumpto corpore se
ostendens, similitudine manus apprehen-
dit Prophetam in vertice capitis, et solos
capillos, vel unum dumtaxat crinem ca-
pitis ejus tenuit manu, ad insinuandum
quam facillime eum ferre potuerit. Virtus
autem angelica tetigit, non pilos dumta-
xat, sed totum Habacuc corpus, movens
illud facillime, quum et angelici spiritus
cœlestia moveant corpora rapidissimo mo-
tu, quorum comparatione tota terra est
tanquam punctum. Itaque apprehenso Ha-
bacuc per capillum, ille capillus non tulit
corporis gravitatem, sed virtus angelica
influxit in illud ac tulit. *Posuitque eum*
in Babylone super lacum in impetu spi-
ritus sui, id est celerrima actione suæ
spiritualis potentiæ. Verumtamen, secun-
dum Albertum sensus est, quod angelus
fecit spiritum, id est ventum impetuosum,
ac si Habacuc vento fuisset portatus. Vel,
In impetu spiritus sui, id est sui ipsius, qui
spiritus est seu spiritualis substantia ; visi-
biliterque apparens, videbatur quasi quid
constans ex corpore et spiritu ut homo, in
cujus forma apparuisse credendus est.
Et clamavit Habacuc : Daniel serve 36
Dei, non servitute servilis, sed filialis ti-
moris atque infusi amoris. Sic enim et
Christus secundum naturam assumptam
dicitur Dei servus, quum in Isaia dicitur :
Ecce intelliget servus meus, et sublimis *Is.* LII, 13.
erit valde. *Tolle prandium quod misit tibi*
Deus. Cur angelus per se ipsum ista aut
alia alimenta non attulit ? nisi ad decla-
randam Dei potentiam, et ad consolatio-
nem non tam Danielis quam Habacuc ;
itemque, ut opera misericordiæ humana
in esurientes et captos exhibita commen-
dentur, socialisque vita approbetur. Sic et
devoto presbytero jussit Christus, ut Be-
nedicto beatissimo cibum afferret. *Et ait* 37
Daniel : Recordatus es mei, Domine Deus,
id est, per hanc providentiam subventio-
nemque tuam, ostendisti te memorem esse
mei, et instar recordantis te habuisti, cu-
jus scientia immutabilis est et æterna ; *et*
non dereliquisti diligentes te caritate in-
fusa : de quorum numero Daniel per re-
velationem aut certa indicia scivit se esse.
Surgensque Daniel comedit. Primo be- 38
nedixit Deo : quo facto, comedit. Si lacus
erat magnæ profunditatis, Daniel forte per
gradus ascendit usque ad Habacuc, vel
Habacuc intravit ad Danielem non timens
leones, de angelica certus præsentia : et
forte quod angelus lacum aperuit, vel ejus
virtute Propheta.

Porro angelus Domini restituit Habacuc confestim in locum suum apud messores, vel in loco quo eum apprehendit. Et puto quod nemo in terra vidit Habacuc sic volantem in aere, agente hoc virtute divina; vel ob motus velocitatem corpus ejus videri, aut non, aut vix potuit.
39 *Venit ergo rex die septima,* completis
sex diebus, ad quos fuit Daniel adjudicatus esse in lacu sine visitatione, *ut lugeret Danielem* quem credidit mortuum; *et*
40 *ecce Daniel in medio leonum sedens. Et*
exclamavit voce magna, scilicet ex magna admiratione et gaudio, *rex, dicens : Magnus* potentia, pietate et gloria, imo in omni perfectione immensus, *Dominus Deus Danielis :* omnium quidem Deus per creationem, Danielis specialiter per provisionem tam singularem ac gratiosam. *Et extraxit eum de lacu,* manibus ministrorum
41 suorum. *Porro illos qui perditionis,* id
est condemnationis ad mortem, seu perditionis, non quæ fuit, sed quæ fuisset, nisi Deus succurrisset, *ejus causa fuerant,* quantum in ipsis fuit : et isti fuerunt aliqui principales, qui communitatem ad seditionem et contra Danielem inflammaverunt; *intromisit in lacum, et devorati sunt in momento,* id est valde velociter, *coram eo :* quia leones diu nil comederunt; et Deus sic voluit, ut Danielis liberatio miraculosior appareret, ad gentilium ædificationem, ac divinæ potentiæ
42 declarationem. *Tunc rex ait : Paveant ha-*
bitantes in universa terra imperii mei, vel per totum orbem terrarum, *Deum Danielis, quia ipse est liberator,* ab universis

A eripiendo, *et salvator,* prospera conferendo, *faciens signa* divinæ potentiæ ostensiva, *et mirabilia* mentes hominum in stuporem et admirationem moventia; *qui liberavit Danielem de lacu leonum.* De horum verborum expositione pertranseo, quia plenius exposita sunt sexto capitulo. *Dan.* VI, 26, 27.

Postremo circa id, Clamavit rex voce magna, dicens, Magnus es, Bel, scribit Hieronymus : Istud videtur observationem nostram subvertere, qua dudum asseruimus vocem magnam in sanctis tantum reperi- B ri. Quod solvit Hieronymus, quia ista historia non est in canone, id est in Scriptura canonica, nec apud Hebræos habetur. Vult ergo Hieronymus dicere, quod in Scripturis canonicis vox magna non nisi sanctis seu bonis et virtuosis attribuatur. Verumtamen objici potest B. Hieronymo illud quarti libri Regum : Stetit itaque Rabsaces, et exclamavit voce magna Judaice, et ait. (IV *Reg.* XVIII, 28.) Secundo quoque Paralipomenon libro ita habetur : Clamore magno lingua Judaica contra populum persona- (II *Par.* XXXII, 18.) C bat. Sed et in Luca de Judæis Christi crucifixoribus legitur : At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur. (*Luc.* XXIII, 23.) Verum quoniam istud raro invenitur, et quod modicum est pro nihilo reputatur, verbum Hieronymi expertissimi in Scripturis, pie potest intelligi. Magna autem vox sanctis proprie adscribitur, qui non solum sonitu oris, sed et mentis fervore caritativo clamant ad Creatorem superamabilem et superdignissimum, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. D Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN DANIELEM PROPHETAM

ENARRATIONES

IN

DUODECIM PROPHETAS MINORES

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES PIÆ AC ERUDITÆ

IN DUODECIM PROPHETAS MINORES

OSEE, JOELEM, AMOS, ABDIAM, JONAM,

MICHÆAM, NAHUM, HABACUC, SOPHONIAM, AGGÆUM,

ZACHARIAM, MALACHIAM

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

JOANNIS SOTERIS ET MELCHIORIS NOVESIANI, MDXXXIII; (s. t. n.) MDXXXIX;

JOANNIS QUENTEL, MDXLIX;

GERVINI CALENII ET HEREDUM JOANNIS QUENTEL, MDLXVIII.

EGREGIO ET VENERABILI VIRO, JURISPRUDENTIÆ CONSULTISSIMO AC DOMINO D. JOANNI RINCK, PATRONO AC MÆCENATI NOSTRI ORDINIS ET OMNIUM LITTERATORUM MAGNIFICENTISSIMO, F. THEODORICUS LOER A STRATIS CARTUSIÆ COLONIENSIS VICARIUS S. D.

OMNES ferme priscorum philosophorum exactissimi, perbeatos censuerunt eos (et quidem mea sententia rectissime) quibus non modo optima fortuna arrisisset, sed virtutum splendor quoque illustriores redderet. In quorum te albo, ornatissime Vir, non postremum conspicio, nempe cui pulcherrimæ corporis et animæ dotes, cui opulentissima honoris dignitas, et cui rerum temporalium cumulatissimæ opes, et quod inter hæc mihi laudatissimum videtur, multijugæ eruditioni tuæ, summæ religionis pietas copulata est. Hinc probe claritudinem natalium tuorum, totiusque familiæ Rinckorum et prosapiæ, tua sapientia et virtutum decore, non modo exornare videris, sed et longe avos, proavos, atavosque, quantumvis clarissimos, superare contendis. Quo factum est, ut non immerito insignis Agrippinæ te Senatus ad sui splendorem suo jampridem ordini adsciverit, idque prudentissime, quo patrem eruditissimum, avum, patruos, omneque avitum genus (qui multo jam tempore consulatum non absque magna laude administrarunt) unus referres. Accedit præterea gloriæ tuæ, quod non eruditione tantum ac dexteritate, verum pietate quoque, quam sibi jam olim Rinckorum stirps præcipuam vindicavit, mirum in modum civibus tuis præluces. Nam in pauperes, eos potissime qui Christo sua ante reliquerunt, quis adeo est pius? quis æque clemens? quis tam liberalis atque tu? Aut cujus limina religiosi, maxime Franciscani, atque tua assidue frequentant? Mirandum sane quomodo tantos sumptus tuæ ferre possint quantumvis etiam amplissimæ opes, nisi Christo hos impenderes, a quo quidquid in pauperes erogatur, centuplo mox fœnore recipitur. Præterirem hic quæ in reverendissimum Archiepiscopum Daciæ D. Georgium Schotberch virum integerrimum, doctissimum atque omni virtute consummatum facis (propterea quod parum hinc laudis clero nascitur Coloniensi), nisi tanta virtus, tanta in illum pietas tua et tam diu perseverans, jam omnibus adeo esset nota, ut vel me tacente se ipsam jam ante prædicaverit. Hunc namque virum propter fidei confessionem a sede sua, ab honore, ex re familiari deturbatum, exsulem et pene ab omnibus derelictum, tu aliquot jam annis religiosissime, non ut hospitem, sed ut patrem, et qua decet reverentia, ut episcopum, in domo tua foves. Ubi (ut obiter illud dicam) poterat quidem id universo clero vitio dari, nec sine opprobrio

objici, quod tanto viro, tanto antistiti, propter Christum exsulanti, non providet vel de Christi patrimonio unde vivimus omnes, nisi tu illis et virtutem et laudem præriperes. Tibi enim, ut video, gloria hæc mercesque a Deo servata est, tibi virtutis hujus palma constituta est, tibi misericordiæ hujus præmium debebatur : ut (quod religiosa tibi stirps tua veluti hereditarium reliquit) in egenos impendio sis misericors. Proh pudor, quod arcis otiosam pecuniam includere, aut plerique humo defodere malunt, quam in sanctos hujusmodi Christi pauperes erogare. Nihil revera tua hac misericordia præstantius, nihil liberalitate tua dulcius, nihil commendabilius. Hac namque efficis, ut quantumvis in pauperes eroges, majora semper tibi Deus retribuat : adeo ut propemodum certare tecum divina liberalitas videatur, atque periculum facere an tu plus pro sui valeas amore elargiri, an ipse uberiora queat refundere. Utinam cunctis inesset divitibus hic animus, quo misericordiam faciendo pauperibus, Domino fœnerarentur : atque tribuendo membris Christi, Christum ipsum sibi constituerent debitorem. Verum nequaquam tibi sordere debet hæc virtus, licet a paucis frequentetur, licet pauci hanc colant : quin potius tanto esse tu debes ferventior, tantoque in Christi pauperes eleemosynarum profusior, quanto hac misericordia nihil tibi minui, sed temporalia magis crescere, Domino eadem adjiciente, didicisti. Equidem pro hac tua in Deum fiducia, pro clementia in pauperes, pro liberalitate heroica in omnes, non possum tibi non gratulari : quamvis non tantum has in te virtutes, sed reliquas omnes, quarum nullam tibi deesse credo, admirer. Eapropter, si liceret soli facem circumponere, niterer ego quoque postremus tuus clientulus, post eruditissimos quosque viros, Rodolphum Langenum, Erasmum Roterodamum, Nicolaum Herbron, etc., splendorem tuum orbi toti reddere notiorem et ab oblivionis injuria, qualicumque hoc nostro scripturæ suffragio vindicare. Atque ideo Dionysium hunc nostrum, virum non minus religione ac sanctimonia quam eruditione clarum, tibi tum doctissimo, tum pientissimo legendum, tuo patrocinio defendendum, tuo subsidio evulgandum, qua decet devotione et reverentia dedico. Præsertim enarrationes ejusdem piissimas doctissimasque in Prophetas duodecim quos minores appellamus, non tam argumento et vaticinii decursu, quam elocutionis modulo et sententiarum compage a majoribus differentes. Nam quæ majores concitatiore divini Numinis (ut ita dicam) spiritu stimulati, longo verborum ambitu, variis ænigmatum figuris, et personarum crebris mutationibus effuderunt, hæc quoque minores, quibus gratiæ placidior instinctus adfuisse creditur, angustioribus periodis, et per breviores obscuritatum anfractus complexi sunt. Porro prophetiam non humana mens suapte natura per humanam sapientiam depromit, sed Spiritus Sanctus (ut Sedulius ait) per gratiam loquentis dictat. Prophetas vero enarrare nemo facile potest, nisi divino quodam afflatu excitetur : perinde ac prophetiam nemo eloquitur, nisi Spiritus Sancti inflammatione incalescat, nec interpres sine Dei præcipuo afflatu explicat divinum oraculum, quod citra præsentis Numinis impulsum
Is. XXIX, 11, 12. Propheta effari non potuit. Isaias testatur visiones esse verba libri signati : quem si quis dederit scienti litteras, dixeritque, Lege, respondebit, Non possum, signatus est enim ; sin dederit nescienti litteras, et dixerit, Lege, respondebit, Nescio
Apoc. V, 1, 3. litteras. Joannes se vidisse librum ait scriptum intus et foris, signatum sigillis

septem, quem nemo aperire, cujus signacula nemo solvere potuit. Osee propheta inter hos duodecim primus, voluminis sui obscuritatem cognoscens, scripsit : Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et cognoscet ea? Cui succinit Jeremias *Osee* xiv, 10.
dicens : Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini *Jer.* ix, 12.
fiat, ut annuntiet istud? Quod si prophetiæ librum nemo solvit, nisi leo de tribu *Apoc.* v, 5.
Juda, radix David, si prophetia Scripturæ propria interpretatione (ut beati Petri II *Petr.* I, 20, 21.
verbum est) non fit, si voluntate humana nunquam allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines : quis non videt quemadmodum imprimis arduum, sic quoque periculosum esse, in Prophetas elucubrare commentaria? Nempe in quibus, ut inconcinna quædam verborum congeries lecturienti sese primum offert, ita in eruendo sensu immensus labor, et in errorem proclivus et lubricus, identidem enarratori impendet, ut personarum verba subinde mutantur, ut historiæ ordo confunditur, ut minæ temperantur consolationibus, ut sedationibus mitescunt iræ, ut medicamentis verbera deliniuntur : ita sententiarum quæ ad Prophetæ scopum pertinent, difficilis est et plena discriminis consarcinatio. Quare factum est ut pauci in enarrandis Prophetis oleum et operam impenderint, nonnulli etiam ἀνίπτοις χερσί (quod dicitur) in illorum explanationem provolarint. Apud Græcos, Apollinarium Laodicenum commentariolos in Prophetas reliquisse testatur Hieronymus : verum ejuscemodi, ut sensus magis tangant quam explicent. Cuderunt quoque libros in Prophetas Origenes et Didymus, sed tales, ut beati Hieronymi palato non satisfaciant. Post Hieronymum apud Latinos plerique hanc provinciam susceperunt, ceterum non æquali, neque eruditione et judicio, neque auspicio et eventu. Inter hos est D. Dionysius noster, quem si cum aliis conferas, admiraberis viri sanctitatem, commendabis diligentiam, suspicies eruditionem, deosculaberis pietatem, olfacies spiritum propheticum, quo imbutos esse oportet Prophetarum ῥαψῳδούς et enarratores. Quod ad historiæ veritatem pertinet, sagaciter vestigavit : quod ad allegoriam, firmissimis Scripturæ testimoniis communivit : quod ad ordinem perturbatum, clarissima serie illustravit : quod ad rerum gestarum involucra, miro quodam artificio evolvit : quod postremo ad verborum tricas et sententiarum nodos, docte simul et feliciter enodavit. Hasce itaque elucidationes piissimas tibi consecro, rogans ut ab humili monacho, tu qui doctos omnes piosque amas, foves ac promoves, munusculum hoc non gravato suscipias animo. Scio me nosque omnes hujus monasterii alumnos, majora debere Rinckorum familiæ, nec oblivisci nos posse quidquid candida illa majorum tuorum progenies in nos contulit. Quis enim nesciat quanto favore et benevolentia, quantisve beneficiis tota Rinckorum progenies cœnobium nostrum atque nos semper affecerint? Qui nec immerito loci nostri fundatores censeri poterunt (quorum unus olim apud nos novicius, non parvam attulit in domus subsidium eleemosynam), si interim tacere libuerit quod cellam necessariis provisionibus pro uno monacho, quem perpetuum habeant pro se apud Deum divinorum sacrificiorum exhibitorem et intercessorem, fundaverunt; parvam (ut vocamus) galilæam, non tamen parvis sumptibus; item domum capitularem et bibliothecam : præter ea quæ quotidie ab hac religiosissima familia percipimus. Cui itaque haud immerito is honos tribueretur : tibi vero omnium maxime,

propter haud vulgaria (quibus in dies fovemur) beneficia, et prudentissima consilia quibus in moderandis rebus nostris per te tuosque juvamur, proque pio affectu quo sedulo, non sine laboribus nos invisere dignaris, nobis in divinis assistens officiis, quibus frequenter interesse soles, spem habens bonorum quæ Deus per nos operari dignatur, te participem fieri. Nihil hinc dubito quin boni consulturus sis hujuscemodi nostri auctoris librorum oblationes, tametsi sermone scholastico, impolito et triviali, quomodo suo sæculo et suæ ætatis hominibus conveniebat, absque ullo apparatu vel affectatione, sed presso et facili (quod imprimis ecclesiasticum scriptorem decet) descriptos stilo : veluti prælibamina quædam eorum quos et vestris et universo consulatui propediem consecraturi sumus. Dominus Jesus salvator, amator et redemptor noster te, Vir carissime, cum tibi carissimis bene fortunare atque ad decus urbis nostræ perquam diutissime valere velit, Dionysio nobisque amice faventem. Ex domo divæ Barbaræ Coloniensis Cartusiæ. Anno MDXXXIII.

ENARRATIO
IN OSEE PROPHETAM

PROŒMIUM

SAPIENTIAM omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit. Eccli. XXXIX, 1.

Melior quippe est sapientia cunctis opibus; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Neminem quoque diligit Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat. Ideo Salomon admonet : Dic sapientiæ, Soror mea es, et prudentiam voca amicam. Sed quia ab exordio mundi increata sapientia Dei in animas sanctas se transtulit, Prophetas atque amicos Dei constituens, constat quod in codicibus Prophetarum salutaris sapientia præcipue contineatur, sapientia utique infusa ac supernaturalis, quoniam principe Apostolorum testante, Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. *Prov.* III, 15; VIII, 11. *Sap.* VII, 28. *Prov.* VII, 4. *Sap.* VII, 27. II *Petr.* I, 21.

Ad obtinendum ergo sapientiam hanc, digne ac diligenter scrutandi sunt libri Prophetarum, præsertim quum ipsi sint fundamentum orbis terrarum : quorum solidissima documenta stabiliunt universam Ecclesiam Dei, fidemque catholicam vehementer corroborant, dum quidquid in novo Testamento de Christo audimus peractum, in dictis Prophetarum invenimus prophetatum. Universi namque Prophetæ locuti sunt ad dies Messiæ, quemadmodum Petrus in Actibus protestatur : Omnes Prophetæ a Samuele et deinceps prænuntiaverunt dies istos. Porro quam gratum sit Deo hujusmodi studium, elucescit ex eo quod scriptum est : Concupiscentia sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Quomodo insuper sapientiam sacræ paginæ oporteat investigare, discere, perscrutari, in Proverbiis docemur : Si sapientiam invocaveris, et quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc scientiam Dei invenies. Diligenter igitur, indesinenter, et sine fastidio inquirenda est scientia divinæ Scripturæ : sic tamen, ne caput debilitetur, nec anima tantum se occupet in studio intellectus, neque sic absorbeatur in consideratione et lectione, ut in his quæ devotionem concernunt, tepescat, vel in caritatis sancto fervore minus proficiat. *Act.* III, 24. *Sap.* VI, 21. *Prov.* II, 3-5.

Postremo, quoniam in duodecim Prophetarum volumine quædam abyssus est difficultatum, magna profunditas sapientiæ, abundantia quoque mysteriorum Christi atque Ecclesiæ, intentio est explanationi duodecim Prophetarum in hoc opere insudare, ejus in primis ope et gratia implorata, de quo scriptum est : Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia. Ut enim Hieronymus asserit, in explanatione omnium Prophetarum Sancti Spiritus indigemus adventu, ut cujus instinctu scripti sunt, illius revelatione pandantur. *Ibid.* 6.

ENARRATIO
IN OSEE PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

DE QUIBUSDAM PRÆAMBULIS IN EXPOSITIONE DUODECIM PROPHETARUM.

SICUT in novo Testamento evangelicis documentis adjuncta est apostolica doctrina, in Epistolis Pauli aliisque septem Canonicis, in Apocalypsi quoque et Actibus Apostolorum contenta, ita in veteri Testamento legi Mosaicæ prophetica dicta ac scripta succedunt : non tamen consimili modo parique causa per omnia. Evangelicæ nempe Christi doctrinæ superadditum est apostolicum dogma : non propter insufficientiam vel imperfectionem evangelicæ disciplinæ ; imo evangelica doctrina prorsus perfecta est, tum quantum ad omnis culpæ exclusionem, tum quantum ad præceptorum et consiliorum evidentissimam traditionem, tum etiam quantum ad exemplaris vitæ exhibitionem, fidei corroborationem, cœlestisque præmii pollicitationem : sed propter particulariorem ac diffusiorem admonitionem ac prosecutionem eorum quæ in Evangelio continentur, et ad præcavendos futuros errores, itemque ad solvendum quæstiones incidentes. Legi vero Moysis prophetia succedit, ut minus dicta suppleat, obscura elucidet, et de Christi mysteriis plenius tractet. Quum *Rom.* x, 4. enim finis legis sit Christus, secundum Apostolum, in hoc patet imperfectio legis, quod de Christo ejusque mysteriis tam modice tamque obscure profatur.

Denique, secundum Glossam, quemad- A modum in corporalis fabricæ constructione tria sunt, quibus ad majora consurgitur, scilicet fundamentum, paries, tectum ; ita et spiritualis structura Ecclesiæ tribus quasi munimentis continetur ac consummatur, videlicet lege, prophetia, Evangelio. Lex ergo quasi lapidem ponit in fundamento, prophetia parietes constituit, Evangelium tectum consummat. In lege enim dicitur : Gentibus multis fœnerabis, fratri autem tuo non fœnerabis. (*Deut.* xv, 6; xxiii, 19.) Ecce quasi inchoatio, dum in parte prohibetur usura. B In prophetia vero ille fertur in tabernaculo Domini quieturus, qui pecuniam suam non dederit ad usuram; (*Ps.* xiv, 5.) et Ezechiel, Usuram, inquit, et superabundantiam non accipies. (*Ezech.* xviii, 17; xxii, 12.) Ecce profectus. In Evangelio autem dives ille splendide epulans condemnatur, non quia aliena rapuerit, sed quoniam sua non erogavit. (*Luc.* xvi, 19-22.) Ecce consummatio. Lex itaque elementum est incipientium, prophetia eruditio proficientium, Evangelium consummatio pervenientium : quatenus a fundamento inchoantium, per parietem C proficientium, ascendamus ad tectum pervenientium, tanquam cum Apostolo rapti usque ad tertium cœlum, (II *Cor.* xii, 2-4.) ubi audiamus arcana verba, quæ carnalis homo non percipit. (I *Cor.* ii, 14.) Primum cœlum in lege, secundum in prophetia, tertium in Evangelio. Hi sunt tres panes Eliæ appositi, (III *Reg.* xvii, 6.11, 15; xix, 6.) quos et in Evan-

Luc. XI,5-8. gelio amicus commodat postulanti. Primus A panis est purgatorius, quoniam lex saltem timore pœnæ retrahit a peccatis. Secundus, consolatorius, quoniam prophetia claris de Christo promissionibus consolatur præstolantes. Tertius, consummatorius, quia legis et Prophetarum eloquia Evangelium Christi consummat. Hæc insuper tria, videlicet legalis profunditas, prophetalis subtilitas, evangelica veritas, sunt quasi tria candelabra Ecclesiam illustrantia. Quemadmodum autem ad materialis domus perfectionem atque ornatum alia mul- B ta concurrunt, præter tria præfata, videlicet fenestræ, ostia atque solaria, sic ad spiritualis ædificii matris Ecclesiæ perfectionem ac decorem concurrunt præter prædicta, alia multa, videlicet apostolica documenta, de quibus jam tactum est.

Præterea S. Hieronymus in exordio explanationis duodecim Prophetarum testatur, paucos ante se exstitisse horum Prophetarum expositores. Affirmat tamen se vidisse ac perlegisse commentarios Apollinaris Laodicensis, qui propter nimiam C suam brevitatem ad perfectam intelligentiam non perduxit. Origenes quoque, secundum quod refert Hieronymus, parvum super Osee scripsit libellum, in quo omnia quæ contra Ephraim dicit Osee, ad hæreticos refert. Pierius etiam et Eusebius Cæsariensis aliqua super Osee scripserunt. Insuper dicit Hieronymus, quod dum rogatu S. Paulæ esset Alexandriæ, vidit Didymum virum sui temporis eruditissimum, eumque frequenter audivit, atque rogavit ut in Osee scriberet commentarios. Precibus D ergo Hieronymi acquiescens Didymus, tres libros super hunc dictavit Prophetam, quos Hieronymus lætabundus recepit.

Ego quoque nunc opus istud aggrediens, habeo expositionem Hieronymi, Bedæ quoque, qui pauca ponit, nisi quæ sumpsit ex commentariis Hieronymi. Habeo et Glossam ordinariam cum expositione brevissima Nicolai de Lyra. Glossa vero quæ communiter allegatur, intelligenda est Glossa ordinaria : quæ ordinaria dicitur, tanquam regularis et satis authentica, utpote ex sanctorum ac catholicorum patrum sive doctorum dictis collecta.

Advertendum postremo, quia ut recitat Glossa, S. Hieronymus præsenti libro prologos duos præmittit, quorum primus, qui incipit, Non idem est ordo duodecim Prophetarum, ad totum pertinet librum; secundus specialiter ad Osee : qui prologus incipit, Temporibus Oziæ, habeturque in Bibliis. In primi initio prologi dicit Hieronymus : Non idem est ordo Prophetarum apud Hebræos, qui et apud nos. Unde secundum quod ibi leguntur, hic quoque dispositi sunt. Pro cujus intellectu sciendum, quod Ecclesia usque ad translationem Hieronymi utebatur translatione Septuaginta interpretum. Secundum quos iste est ordo Prophetarum duodecim, Osee, Amos, Michæas, Joel, Abdias, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, et Malachias. Ideo dicit Hieronymus, non eumdem esse ordinem Prophetarum istorum apud Hebræos et nos, id est apud Ecclesiam pro tempore illo quo utebatur translatione Septuaginta interpretum. Hieronymus vero ordinando Prophetas, secutus est Hebræos, apud quos ordinantur Prophetæ secundum ordinem quem habent in translatione Hieronymi, qua utimur modo. Propterea modo idem est ordo duodecim Prophetarum apud Hebræos, qui et apud nos, qui translatione Hieronymi utimur.

Osee commaticus est, id est divisus, quia in singulis clausulis diversas vel plenas promit sententias. Idcirco in Prologo scribitur : Et quasi per sententias loquens. Dicitur quoque in Prologo, Osee fuisse synchronon (id est contemporaneum) Isaiæ.

ARTICULUS II

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI OSEE PROPHETÆ.

1 *VERBUM Domini quod factum est ad* A *Osee filium Beeri, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel.* Hucusque prooemium, prologus, ac titulus libri sequentis. In quo prologo declaratur nomen Prophetæ auctoris libri præsentis, nomen quoque patris ejus, et tempus propheticalium revelationum huic vati factarum : ut sit sensus : *Verbum Domini quod factum est,* id est sermo propheticus divinitus factus, seu revelatus ministerio angeli, quia ut Dionysius adstruit, pro- B phetica revelationes factæ sunt ministerio angelorum. Hic itaque sermo factus *ad Osee filium Bèeri* (qui sermo in processu libri hujus describitur) est materia hujus voluminis, vel liber præsens, seu contentus libro præsenti. Estque sermo (id est sermones libro isto descripti, multi enim fuerunt atque diversis temporibus revelati) factus ad Osee *in diebus Oziæ* regis
IV *Reg.* xv, 1, 2, 5; II *Par.* xxvi, 1, 3, 16-21. Juda, qui alio nomine dictus est Azarias, regnavitque in Jerusalem quinquaginta duobus annis. Quumque officium sacerdotale C sibi temerarie usurpasset, thurificando in templo contra prohibitionem legis atque pontificis, mox percussus est lepra, et habitavit seorsum. Joathan vero filius ejus gubernavit palatium, et populum judica-
Ibidem. vit. Quæ omnia plenius scripta sunt secundo Paralipomenon et quarto Regum.

Cœpit itaque Osee vaticinari regnante Ozia, et exinde prophetavit sub tribus regibus sequentibus, scilicet *Joathan,* qui
Is. vii, 1. secundum Hieronymum super Isaiam, ju-
IV *Reg.* xv, 33. stissimus fuit, et sedecim annis regnavit; D et *Achaz* filio Joathan, qui Achaz etiam
Ibid. xvi, 2 *et seq.* sedecim annis regnavit, cujus iniquitates quarto Regum descriptæ sunt; et *Ezechia,*

de quo quarto Regum habetur, quod ante IV *Reg.* xviii, 5.
eum non fuit similis ei, nec postea, quem constat viginti octo* annis regnasse. *Et* *Ibid.* 2. * novem
in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel. Quemadmodum scriptum est quarto Regum, anno quintodecimo Amasiæ regis *Ibid.* xiv, 23, 24.
Juda patris prædicti Oziæ, regnavit Jeroboam filius Joas regis Israel in Samaria quadraginta et uno annis. Fecitque malum coram Domino, incedens in peccatis Jeroboam filii Nabat Ephratæi primi regis Israel, seu decem tribuum : quarum regnum a præfato Jeroboam Ephratæo usque ad ultimum regem earum, dictum Osee, duravit annis ducentis et quinquaginta, secundum Hieronymum. Denique, anno vicesimo septimo Jeroboam filii Joas, *Ibid.* xv, 1.
de quo jam sermo, cœpit regnare Ozias : ex quo elucescit, quod iste Jeroboam et Ozias simul regnabant quatuordecim annis.

Ponit autem Osee propheta in titulo libri sui non solum reges Juda, sed etiam regem decem tribuum, quoniam utriusque regni populo prophetavit. Pauca tamen, secundum Glossam, loquitur duabus tribubus, scilicet populo Juda ac Benjamin. Sed quia Osee prophetavit non solum sub uno regum Israel, puta Jeroboam jam prædicto, verum et sub filio ejus, imo sub omnibus regibus Israel posterioribus, multis quoque annis post eos, cur non ponit in titulo nomina plurium regum Israel sub quibus prophetavit, sicut commemorat quatuor reges Juda ? Dici potest, quod propter peccata et idololatriam eorum ipsos non exprimit. Sed huic responsioni objicitur, quod etiam Achaz atque Jeroboam idololatræ erant. Ideo dici potest, quod reges Israel non explicantur, quia

expressis regibus Juda, dantur intelligi, A
tanquam contemporanei eis.

IV Reg. xvii, 6. Porro nono anno Osee regis Israel, scili-
cet undecimo anno Achaz regis Juda, ca-
ptæ atque in Medos translatæ sunt decem
tribus a Salmanasar rege Assyriorum. Quo-
niam ergo Osee propheta, prophetare ex-
orsus est tempore Jeroboam et Oziæ, qui
multis annis præcesserunt prædictum re-
gem Osee filium Ela, prophetavitque usque
ad tempora Ezechiæ, qui cœpit regnare
sexto anno post decem tribuum captivi-
tatem : constat Osee vaticinatum ante ca- B
ptivitatem præfatam, et post eam. Propter
quod ait Hieronymus, quod futuram capti-
vitatem Israel prænuntiavit, præsentem
deplanxit, præteritam vero pro correctione
duarum tribuum cum fletu retexuit.

Præterea, secundum Glossam modus tra-
ctandi in Osee, est talis : Primo ponit pro-
œmium, sicut nunc patuit. Secundo dicit
Dominum in ipso præcipue esse locutum.
Postea sub metaphora meretricis atque
adulteræ ait de decem tribubus ac duabus,
nunc conjunctim, nunc separatim. Dein- C
ceps ait de Christi passione et surrectione,
Osee vi, 3. dicendo : Vivificabit nos post duos dies, in
die tertia suscitabit nos. In fine autem os-
tendit voluminis difficultatem, quum ait :
Ibid. xiv, 10. Quis sapiens, et intelliget ista?

Advertendum quoque, quia ut Beda te-
statur, sive dicatur regnum Juda, sive re-
gnum duarum tribuum, scilicet Juda et
Benjamin, semper subintelligenda est ter-
tia tribus, videlicet sacerdotalis sive Levi-
II Par. xi, 13, 14. tica, quæ a tempore separationis decem
tribuum a domo David, adhæsit regibus D
Juda, quia in eis permansit cultus divinus,
eratque templum Dei in sorte eorum.

Adhuc autem quod dictum est, Verbum
Domini quod factum est ad Osee, Hiero-
nymus et Beda exponunt de increato æter-
noque Verbo Dei Patris, de quo legitur :
Joann. i, 1. In principio erat Verbum. Quod licet fa-
ctum non sit, tamen factum est ut hoc
Verbum fieret, id est, loqueretur ad Osee :
ac per hoc ipse Osee per inspirationem et
gratiam hujus Verbi quodammodo factus
est deus, populique salvator, quoniam do-
ctrina et vita cooperabatur eorum saluti,
quemadmodum ait Apostolus : Quatenus Rom. xi, 14.
salvos faciam quosdam ex eis. Hinc Chri-
stus dixit Judæis : Si illos dixit deos, ad Joann. x, 35.
quos sermo Dei factus est, etc. Ex quo
clarum est, quod per divinas revelationes
fiant homines dii. Quæ gratia consonat no-
mini hujus Prophetæ, quia Osee interpre-
tatur salvator. Beeri vero, cujus Osee est
filius, interpretatur, putei mei. Idcirco
Osee significat Christum Salvatorem Fili-
um Patris æterni, qui dicitur puteus, fons,
atque abyssus, prout per Jeremiam testa-
tur : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ. Jer. ii, 13.
Beeri autem pater Osee creditur fuisse
propheta, quoniam teste Hieronymo, He-
bræi affirmant omnes patres seu avos qui
in principiis Prophetarum ponuntur, fuis-
se prophetas, quamvis eorum vaticinia
non sint descripta, quia nec omnes Pro-
phetæ libros ediderunt, vel revelationes
sibi desuper factas scripserunt.

Finito prologo inchoatur tractatus, quum
dicitur : *Principium loquendi Domino in* 2
Osee. Quod dupliciter intelligi potest, se-
cundum Hieronymum : Primo, quod Do-
minus locutus sit huic Prophetæ antequam
aliis, qui sequuntur in hoc libro duodecim
Prophetarum. Ut sit sensus : Principium
loquendi fuit Domino in Osee, ita quod ab
ipso sumpsit loquendi exordium, quan-
tum ad Prophetas sequentes. Huic autem
expositioni alii satis apparenter objiciunt,
quod Abdias est unus duodecim Propheta-
rum, et quartus in ordine. Hic vero Ab-
dias, secundum doctores Hebraicos ac La-
tinos, fuit dispensator Achab regis Israel. A
fine autem vitæ Achab usque ad princi-
pium regni Oziæ, sub quo Osee orsus est
prophetare, fluxerunt centum circiter anni,
ut patet numeranti tempora regum inter-
mediorum. Unde apparet, quod Dominus
primo locutus sit Abdiæ, quam Osee. Ve-
rumtamen objectio ista nil certum con-
cludit : Primo, quoniam teste Hieronymo,
et communiter sic tenetur, illi Prophetæ
in quibus tempus non præfertur in titulo,

sub illis regibus prophetaverunt, sub quibus et illi qui ante eos habent titulos certum tempus continentes. Abdias autem non habet tempus in titulo; sed Amos, qui
Amos I, 1. ponitur ante eum, habet in titulo tempus et nomen Oziæ regis : ergo Abdias sub Ozia prophetavit sicut Osee. Propterea non est certum quod Abdiæ locutus sit Dominus prius quam Osee, quamvis certum sit, secundum Glossam, quod Osee, Isaias, Joel, Amos, Abdias, Jonas et Michæas eisdem temporibus prophetarunt. Rursus, visio seu prophetia Abdiæ est brevissima, propter quod æstimari potest quod Dominus non sit ei locutus tam diu ac sæpe sicut Osee. — Nihilo minus secunda expositio certior est, scilicet ista : *Principium loquendi Domino in Osee* est id quod immediate subjungitur de acceptione fornicariæ, ita quod Dominus prius locutus est hoc, quam reliqua quæ sequuntur.

Porro quod ait, In Osee, quidam exponunt sic : id est ad Osee. Hieronymus tamen et Glossa distinguunt inter hæc duo : ut Dominus dicatur locutus in Osee, in quantum per ipsum proposuit aliis verbum Dei; ad Osee vero, revelando ei verba prophetica. Vel ideo dictum est, In Osee, ut insinuetur quod ista locutio fuit interna per imaginariam repræsentationem, quem-
Zach. II, 3. admodum Zacharias disseruit : Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur.

Et dixit Dominus ad Osee : Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac filios fornicationum. Prophetæ interdum rebus seu factis, interdum verbis prophetaverunt. Unde Dominus jubet sancto Osee, ut fornicariam ducat, ad designandum prophetice quod populus Israel et etiam regnum Juda spiritualiter fornicaretur, recedendo a Deo per idololatriam, vel potius per idololatriæ multiplicationem, quemad-
IV Reg. XVI; II Par. XXVIII. modum in regno Juda patet impletum tempore Achaz. Ideo subditur, *quia fornicans fornicabitur terra a Domino.*

De hac muliere fornicationum Hieronymus diversimode loquitur. In Prologo enim affirmat, eam sic dici propter fornicationem spiritualem seu idololatriam. Unde sic ait : Fornicariam non elocati corporis meretricem, sed gentilem, Deum ignorantem, debemus accipere, quæ Creatoris sui amore contempto, simulacrorum desideriis se subjecit. In commentario autem multa ponit Hieronymus, ex quibus sentire videtur, quod fuerit meretrix. Ait namque : Mulier ista, quam Propheta sumit in conjugem, non semel, sed frequentius fornicata est, ut quanto illa sordidior, tanto sit Propheta patientior, qui talem accepit. Nec culpandus Propheta, si meretricem converterit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala fecerit bonam. Ex quo intelligimus, non Prophetam perdidisse pudicitiam, fornicariæ copulatum, sed illam assumpsisse pudicitiam, quam antea non habebat. Hinc alii dicunt, quod erat publica meretrix. Propheta tamen obedivit in hoc Deo, quamvis secundum communem legem turpe esset ac vile, quemadmodum Isaias de regio semine natus, Deo jubente, incessit nudus ac discalceatus, et Is. XX, 2.
Ezechiel polluto vescitur pane. Ezech. IV, 12, 15.

Est igitur sensus : *Sume tibi uxorem fornicationum,* id est feminam spiritualibus fornicationibus seu idololatriæ vitiis deditam, secundum primam opinionem ; aut certe corporaliter fornicari assuetam, secundum aliam opinionem, accipe in legitimam conjugem. *Et fac filios fornicationum.* Hoc dupliciter explanatur. Primo sic : Fac filios fornicationum, id est, ex femina ista genera pueros : qui dicuntur filii fornicationum, non quia illegitime, sed quia ex ea nati, quæ fornicaria fuit et meretrix : sicut nunc aliquis dicitur filius sacerdotis, non quia pater ejus sacerdos fuit, quum genuit eum, sed postea. Sic isti dicuntur filii meretricis, quia mater eorum talis aliquando exstitit. Ideo ratio Lyræ improbantis hanc expositionem non cogit. Secundo exponitur sic : Fac filios fornicationum, id est, feminam istam sume cum filiis suis in fornicatione natis, sicque filios fornicationum fac tuos

per adoptionem. Huic expositioni consonat A translatio Septuaginta interpretum, quæ continet : Vade, tolle tibi uxorem fornicationis et filios fornicationis. Unde secundum Lyram, in Hebræo habetur : Accipe uxorem fornicationum, et fac filios fornicationum.

Hujus matrimonii mystica ratio subinfertur : *Quia fornicans fornicabitur terra,* id est populus decem tribuum, et etiam regnum Juda, *a Domino.* Per hanc reduplicationem seu ingeminationem, qua ait, Fornicans fornicabitur, denotatur ve- B hementia seu multiplicatio idololatriæ utriusque regni. Itaque desponsatio fornicariæ fuit propheticum signum, quod populus Israel idololatriæ adhæreret. Quod autem Propheta fecit sibi filios fornicationum, significat quod Synagoga filios genuit recedentes ac fornicantes a Deo.

Præterea alia ratio, quod Osee fornicariam duxit, est, quatenus quod ipse fecit corporaliter, figuraretur Deus facere spiritualiter. Deus enim Synagogam spiritua-li ac corporali fornicatione contaminatam C
Ezech. xvi, 35. (cui per Ezechielem locutus est, Et tu, meretrix, audi verbum Domini) suscepit clementer et sibi spiritualiter copulavit, quandocumque ad Deum converti curavit. Propter quod per Jeremiam etiam loqui-
Jer. iii, 1. tur : Tu fornicata es cum amatoribus multis ; tamen revertere ad me, dicit Dominus. Rursus dictum est, quod Osee tenet figuram Christi. Per hoc ergo quod Osee duxit gentilem seu meretricem, figurabatur quod Christus Ecclesiam ex gentilitate assumptam, collectam, electam, in spon- D sam assumeret et uxorem. Cujus uxor est Æthiopissa, quæ confitetur in Canticis :
Cant. i, 4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem.
Apoc. xix, 7. Unde in Apocalypsi legitur : Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se :
Ephes. v, 25, 26. quam, juxta Apostolum, Christus dilexit, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Quemadmodum autem Osee fecit sibi filios fornicationum ex conjuge sua, illos adoptando vel legitimos procreando, ut dictum est : sic Deus in veteri Testamento filios Synagogæ idololatras et perversos misericorditer convertit, et in filios adoptivos mutavit. Fideles quoque ex ea filios genuit, quos præservavit ab idololatria, prout loquitur ad Eliam : Reliqui mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal. Similiter tempore evangelicæ legis fecit Christus in Ecclesia ex gentibus congregata. III *Reg.* xix, 18; *Rom.* xi, 4.

Denique habet locum hic quæstio illa, quam movet Thomas in secunda secundæ, videlicet an Deo in omnibus sit obediendum. Et arguit Thomas quod non, quoniam Deus jussit Abrahæ innocentem filium occidere, et filiis Israel Ægyptios spoliare, item Osee fornicariam ducere, quæ omnia videntur contrariari justitiæ. Et respondendum, quod Deus sublimis et benedictus, est omnium rerum primus motor, atque totius justitiæ regula ac mensura. Unde eo ipso est aliquid justum, quo a Deo præcipitur, quum a Deo dependeat omnis virtus et rectitudo voluntatis creatæ. Quemadmodum ergo divinæ motioni ac voluntati cuncta naturalia naturali necessitate subduntur, sic divinæ jussioni omnes voluntates creatæ, naturali necessitate justitiæ obedire tenentur. Sed sicut in naturalibus aliqua agit Deus supra naturam, non tamen contra eam, quum hoc sit unicuique naturale quodammodo, quod Deus operatur in eo ; sic Deus nil præcipit contra justitiam vel virtutem, quamvis aliquando quædam præcipiat supra solitum modum virtutis. Unde prædicta de Abraham et spoliatione Ægypti, et facto Osee, non erant contra virtutem, quoniam Deus habet imperium vitæ et mortis. Ideo potest, cui vult, vitam auferre ac dare. Ejus quoque sunt omnia ; et cui vult, tribuit ea. Item quum ipse sit ordinator generationis humanæ, ille est debitus modus utendi mulieribus, quem ipse præfigit. *Gen.* xxii, 2. *Exod.* iii, 22. *Act.* xvii, 25.

Et abiit Osee, Deo prompte obediens, 3
non carnali concupiscentia provocatus, *et accepit Gomer filiam Debelaim,* id est viri

sic appellati, vel de loco sic dicto natam; *et concepit, et peperit ei filium.* Quamvis autem Propheta dicat sibi divinitus imperatum, accipere uxorem fornicationum, non tamen evidenter exprimit, an Dominus determinaverit ei, quam sumeret. Unde non videtur certum, an Osee acceperit Gomer propria electione, an divina præfixione. Quidquid tamen dicatur de hoc, probabile reor quod aliquid occultæ virtutis aut probitatis erat in femina ista, propter quod electa est jungi viro tam sancto, sicut et Rahab meretrix præ ceteris suis concivibus est salvata, et filio principis tribus Juda conjuncta, propter fidelitatem suam.

Josue VI, 25. *Matth.* I, 5.

4 *Et dixit Dominus ad eum,* videlicet ad Osee : *Voca nomen ejus Jezrael,* id est, infantulo tibi nato impone nomen hoc, Jezrael. Consuetudo est Hebræis, nomen imponere rebus ab aliqua proprietate, vel ad aliquid designandum, quemadmodum in Isaia, Christus qui spoliavit infernum, jubetur vocari, Velociter spolia detrahe. Jezrael autem est nomen regiæ civitatis, atque unius metropolis in regno decem tribuum. Jubetur itaque puer iste Jezrael nuncupari, quia per eum Dominus significavit punitionem et captivationem decem tribuum, vel ultionem sanguinis injuste effusi in Jezrael, ut alii dicunt. Ideo subditur ratio appellationis pueri, *quoniam adhuc modicum,* id est intra breve tempus, *et visitabo,* id est ulciscar, *sanguinem Jezrael,* id est sanguinem innoxium in hac urbe effusum, *super domum Jehu,* id est in posteritate ipsius Jehu regis Israel : quæ posteritas regnando super decem tribus, dicitur aliquos bonos occidisse in Jezrael, idcirco visitatur sanguis illorum in eis. Haymo per sanguinem Jezrael, intelligit sanguinem Naboth, quem fecit Jezabel occidi in Jezrael. Cui concordat quod in Prologo dicit Hieronymus : Sanguis (inquit) Naboth in Jezrael fusus, in domo Jehu propter peccata redundaturus significatur.

Is. VIII, 1.

III *Reg.* XXI, 1, 13.

Sed contra hoc alii arguunt, quia nec

A Jehu, nec posteri ejus occiderunt Naboth; secundo, quoniam quarto Regum legitur Jehu Domino placuisse, eo quod vindicasset sanguinem Naboth, delendo domum Achab, et Jezabel occidendo. Sicque domus Jehu non fuit propter sanguinem Naboth punita, sed potius sublimata, Domino pollicente ipsi Jehu quod filii ejus usque ad quartam generationem sederent super thronum Israel. Ad quod dici potest, quod sicut Christus in Evangelio dicit, omnem sanguinem justum effusum ab Abel usque

IV *Reg.* X, 30. *Ibid.* IX, X. *Ibid.* X, 30. *Matth.* XXIII, 35.

B ad Zachariam, venturum super Judæos incredulos, quoniam imitabantur peccata eorum qui justum Abel et Zachariam interemerunt, sic sanguis Naboth dicitur visitari super domum Jehu, quia et ipse Jehu et filii ejus ad idololatriam sunt conversi, atque ad multa crimina populum Israel induxerunt.

Gen. IV, 8; II *Par.* XXIV, 20, 21.

Porro visitatio ista sanguinis Jezrael super domum Jehu, facta est in Zacharia filio prædicti Jeroboam regis Israel, sub quo cœpit Osee prophetare : quem Zachariam sexto mense imperii sui occidit Sellum de alia tribu, et regnavit pro eo. De isto Jehu legitur quarto Regum, quod Elisæus misit ad eum unum adolescentem de filiis Prophetarum, qui unxit eum in regem. Quumque Jehu occidisset omnem domum Achab et sacerdotes Baal, propter quod agendum assumptus fuit in regem, locutus est ei Dominus : Quia studiose egisti quod rectum et placitum erat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Jehu autem genuit Joachaz, de quo natus est Joas, qui generavit Jeroboam patrem præfati Zachariæ, in quo Dominus ultus est sanguinem Jezrael. Eratque Zacharias ultimus rex de semine Jehu.

C IV *Reg.* XV, 8-10. *Ibid.* IX, 1-3. *Ibid.* X, 30. D *Ibid.* XIII, 1, 9, 13. *Ibid.* XV, 8, 10, 12.

Et quiescere faciam regnum domus Israel, id est, totum regnum decem tribuum permittam a rege Assyriorum destrui et auferri : quod impletum est nono anno Osee regis. Statim vero occiso Zacharia,

Ibid. XVII, 6.

cœpit regnum decem tribuum a regibus Assyriorum vehementer affligi, primo a
IV *Reg.* xv, 19, 29; xvii, 6. Phul, deinde a Theglathphalasar, postremo a Salmanasar, qui transtulit populum Israel in terram suam. A prædicto autem Zacharia usque ad nonum annum Osee regis, sub quo captæ sunt decem tribus,
5 fluxerunt anni quadraginta novem. *Et in illa die,* id est eo tempore, quum visita- A vero sanguinem Jezrael super domum Jehu (sicut expositum est), *conteram arcum Israel,* id est, omne robur et arma decem tribuum superari atque corrumpi permittam, *in valle Jezrael,* id est in valle latissima sita juxta Jezrael : in qua valle præliantibus decem tribubus contra Assyrios, victæ et cæsæ sunt tribus Israel.

ARTICULUS III

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS PRIMI CAPITULI : ET CONCEPIT ADHUC ET PEPERIT FILIAM.

POSTQUAM Deus prænuntiavit cessationem regni decem tribuum, jam per verba et facta denuntiat captivitatis diuturnitatem atque finalem derelictionem ea-
6 rum. *Et concepit* Gomer *adhuc* ab Osee, *et peperit filiam.* Postquam cæsus est Israel, et regnum ejus dejectum, non jam masculus, sed femina nascitur, quatenus per sexus imbecillitatem atque femineum animum, infirmitas populi Israelis, et puerile cor ejus idola colens, declaretur. *Et dixit* Dominus *ei,* puta Osee : *Voca nomen ejus,* id est filiæ tuæ, *Absque misericordia,* id est, tale nomen ei impone, quod significet misericordiæ abstractionem. Sic nempe vocata est filia ista, non quod ipsa fuerit expers divinæ clementiæ, sed quia per ejus appellationem præfigurabatur durissima atque longissima captivitas decem tribuum : sicut opposito modo Salomon dictus est Amabilis Domino, quoniam Dominus dilexit eum. (II *Reg.* xii, 25.) Ideo subditur ratio impositionis hujus nominis :

Quia non addam ultra misereri domui Israel, id est, populo decem tribuum non parcam de cetero, sicut peperci hucusque. Hoc ideo dicitur, non quod Deus misericordiam suam prorsus populo huic subtraxit (quum in omni opere Dei misericordia et justitia commisceantur, puniatque B etiam in inferno citra condignum : propter quod ait Psalmista, Universæ viæ Domini misericordia et veritas), (*Ps.* xxiv, 10.) sed ideo hoc dictum est, quoniam Deus ultra non distulit captivitatem Israel, nec a regibus vastantibus eos eripuit, sed durissime permisit eos opprimi, occidi, captivari, transferri. Sicque in hac ultione divina justitia clarius resplenduit, quam misericordia. *Sed oblivione obliviscar eorum.* Per hanc ingeminationem insinuatur, quod populus iste vehementer relinquendus esset a Deo. C Quamvis autem in incommutabili Deo non cadat oblivio, nec aliquid ei ignotum sit, dicitur tamen hominum oblivisci, dum misericordiam suam eis non exhibet, nec solitam gratiam beneficiaque impendit; sed ita se habet ad eos, quasi nequaquam cognosceret ipsos, vel sicut se habet homo ad eum quem penitus non agnoscit. Econtrario dicitur hominum recordari, quando misericorditer auxiliatur gratioseque adest. Hinc ait Psalmista, In memoria æterna erit justus; (*Ps.* cxi, 7.) et Salomon in Proverbiis, Nomen impiorum putrescet. (*Prov.* x, 7.)

Quæritur, quomodo verum est quod Dominus ait nunc, Non addam ultra misereri domui Israel, quum infra dicatur, Post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum. (*Osee* iii, 5.) Dicendum, quod

verbis prædictis non denegatur conversio A
populi hujus circa finem mundi, quando
Rom. XI, 25, 26. juxta Apostolum, plenitudine gentium ingressa, omnis Israel salvus erit, detecta
Matth. XVII, 11. per Eliam Antichristi perfidia. Unde per verba inducta designatur diuturnitas, non omnimoda perpetuitas abjectionis populi Israel.

7 *Et domui,* id est regno et populo, *Juda,* id est tribus Juda : per quam denotantur et aliæ duæ tribus, videlicet Levi et Benjamin, sicut jam patuit; *miserebor,* libe-
IV Reg. XIX, 35. rando eos tempore Ezechiæ a Sennacherib B
rege Assyriorum. Alia quoque diversa bona spiritualia ac temporalia præstitit Deus regibus, sacerdotibus, ac populo huic tempore Osee prophetæ, regnantibus Ozia, Joathan et Ezechia, quamvis tempore Achaz maximas miserias passi sint. Quamvis autem in Scripturis [designetur] frequenter nomine Israel, totus populus de Jacob, qui
Gen. XXXII, 28; XXXV, 10. dictus est Israel, generatus; tamen ab eo tempore, quo sub filio Salomonis decem
III Reg. XII, 19. tribus recesserunt a domo David, per Israel designatæ sunt communiter decem tribus C
propter earum multitudinem. *Et salvabo eos in Domino Deo suo,* id est, in me ipso, seu Filio meo unigenito, vel propria vel divina virtute liberabo regnum Juda ab impugnatione Sennacherib. His verbis innuitur pluralitas Personarum in Deo, quum Dominus ait de Domino : Salvabo eos in Domino Deo suo. Juxta quem modum lo-
Gen. XIX, 24. quendi scriptum est in Genesi : Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham ignem et sulfur a Domino. Estque iste modus loquendi frequens in veteri Testamento, ra- D
rus autem in novo, quamvis quandoque inveniatur in eo, ut quum dicit Apostolus :
II Tim. I, 18. Det illi Dominus misericordiam invenire a Domino in die illa. *Et non salvabo eos in arcu et gladio et in bello,* id est virtute armorum et prælii. Propter quod ait Psal-
Ps. XLIII, 7. mista : Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me. *Et in equis et in equitibus,* id est, non in robore aut
IV Reg. XIX, 35. multitudine equorum atque equestrium eos salvabo : quia, ut legitur quarto Regum, angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorum. Sicque per manum angeli Judæi salvati sunt a rege Assyriorum : quam salvationem fecit angelus divino nutu atque imperio, ideo principaliter Deo adscribitur. Hinc Salomon loquitur : Equus Prov. XXI, 31.
paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuet. Et alibi legitur : Non in I Mach. III, 19.
multitudine exercitus, sed de cœlo victoria est.

Denique Deus spiritualiter salvavit multos de regno Juda in se ipso tanquam in fonte et fine beatitudinis universæ, quia in regno Juda tempore præfatorum regum, multi justi fuerunt. De qua salute Isaias professus est : Israel salvatus est in Domi- Is. XLV, 17.
no salute æterna. Salvavit quoque Dominus domum Juda, quoniam licet permisit eos tempore Sedeciæ capi, et in Babylo- IV Reg. XXV, 21.
nem perduci, tamen post septuaginta annos de licentia Cyri regis Persarum, in I Esdr. I, 2-5.
Judæam reversi sunt.

Et ablactavit Gomer *eam quæ erat Abs-* 8
que misericordia, id est, filiam suam vocatam Absque misericordia, amovit a lacte. Per quod prophetice notabatur, quod populus decem tribuum divina consolatione privaretur, nec proprio cibo in terra paterna aleretur, sed cibis externis, videlicet idololatriis, in terra captivitatis vesceretur.

Et concepit Gomer tertium fetum, *et*
peperit ei, puta Osee marito suo, *filium. Et* 9
dixit Deus ad Osee : *Voca nomen ejus, Non populus meus,* id est, hunc filium tuum nomina tali vocabulo quod designet, Non populus meus. Quamvis autem nomina ista, in Latino complexa sunt, in Hebræo tamen incomplexa fuisse reputantur. Causa demum hujus appellationis subjungitur, quum Dominus ait : *quia vos,* o Judæi, estis *non populus meus* per prædestinationem et gratiam, quamvis sitis populus meus per creationem et providentiam generalem; *et ego non ero vester Deus* per cultum devotum seu gratiosam ac piam inhabitationem, ita quod non colatis me

reverenter et caritative, sed in infidelitate et perversitate vestra manebitis. Deus quippe universorum, proprie fertur Deus eorum qui eum super omnia amant, et colunt ut Deum. Istud, ut Haymo dicit, referri potest ad Judæos tempore Osee captos, vel ad eos qui erant in primo Salvatoris adventu, et Christum negantes, coram præside conclamabant : Tolle, tolle, crucifige eum ; et item, Non habemus regem nisi Cæsarem. De quibus in Daniele erat prædictum : Non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Unde et super eos pervenit ira Dei usque in finem, secundum Apostolum ; perdideruntque locum et gentem, et dicuntur filii, non Dei, sed dæmonis. Qui enim non credit in Filium, nec Patrem habet. Propter quod audiunt a Salvatore : Vos ex patre diabolo estis.

(Joann. xix, 15. — Ibidem. — Dan. ix, 26. — I Thess. ii, 16. — I Joann. ii, 23. — Joann. viii, 44.)

10 *Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos; dicetur eis, Filii Dei viventis.* Quidam hoc loco incipiunt secundum capitulum, quidam vero loco sequenti, quo dicitur : Dicite fratribus vestris. Porro litteram istam diversi variis modis exponunt, quemadmodum breviter tangam.

Et erit numerus filiorum Israel, id est, populus Judæorum multus erit, *quasi arena maris, quæ sine mensura est* quantitatis discretæ, id est sine numero hominibus cognito. Ideo sequitur : *et non numerabitur* præ multitudine. Absolute tamen loquendo, non est in creaturis aliquid actualiter infinitum, nec in magnitudine, nec in multitudine, nec in perfectione. Deus namque gloriosus et sapiens, in numero, pondere et mensura universa constituit. Sic filii Israel præ multitudine nequeunt numerari : quod aliqui dicunt impletum in Judæis ab Assyriis captivatis ; aliqui vero, in Judæis qui usque in præsens sub Romano imperio capti tenentur. Quidam autem referunt ad Judæos a Babylone reversos in propriam terram, qui per successum temporis multiplicati sunt vehementer. Nonnulli referunt ad eos qui circa finem sæculi erunt, veniente Elia. — Secundum hanc diversitatem, etiam quæ sequuntur, diversimode explanantur. Subditur enim : *Et erit,* id est, continget quod sequitur : *in loco,* id est in Jerusalem et locis vicinis, *ubi dicetur eis,* id est ubi Deus per Prophetas dixit Judæis, *Non populus meus* estis *vos,* quando coluistis idola : hoc enim per Jeremiam sæpe dixit Dominus populo huic ; *dicetur eis, Filii Dei viventis* estis : id est, ibi post conversionem suam vocabuntur filii adoptivi Dei vivi ac veri, a quo fontaliter profluit omnis vita naturæ, vita gratiæ, vitaque gloriæ. Christo enim incarnato, et inter Judæos conversante ac prædicante, multi crediderunt in eum, multoque plures post Paracleti missionem a Christi Apostolis sunt conversi. Alii per locum istum intelligunt totum orbem, in quo Judæi dispersi sunt, et jam multi eorum ad Christum conversi sunt. In fine autem mundi omnes ubique convertentur, et ita dicentur filii Dei, fide recepta, qui antea dicebantur filii diaboli.

(Sap. xi, 21.)

Et congregabuntur filii Juda, id est na- 11
ti de tribu Juda, Levi ac Benjamin, qui per Judam designantur, quoniam reges erant de tribu Juda, *et filii Israel,* id est aliqui nati de decem tribubus, *pariter,* corporaliter vel spiritualiter. *Et ponent sibimet caput unum,* id est, in Christum concorditer credent : quod universaliter implebitur per prædicationem Enoch atque Eliæ, qui sicut in Evangelio scriptum est, restituet omnia. *Et ascendent de terra,* id est, cœlestia quærent, et ad divina consurgent, quemadmodum monet Apostolus : Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Porro hæc fient, *quoniam magnus dies Jezrael.* Jezrael interpretatur semen Dei : per quod intelligi potest Christus, de quo legitur, In semine tuo benedicentur omnes gentes ; vel congregatio fidelium. Est itaque sensus, quod magnus est dies Christi, id est

(Matth. xvii, 11. — Coloss. iii, 1, 2. — Gen. xii, 3; xxii, 18; xxvi, 4.)

tempus gratiæ, quia in eo Christus magnifice fecit nobiscum, maximam gratiam tribuendo, totumque mundum illustrando, adversarios humanæ salutis dejiciendo, et infinita mirabilia perpetrando. Magnus est quoque dies Ecclesiæ, quæ in nomine Christi mirabilia operatur, et a Sole justitiæ gratiosissime illustratur. De hoc die fertur
Ps. CXVII, 24. in Psalmo : Hæc est dies quam fecit Dominus.

Verumtamen expositiones istæ infirmantur per hoc, quod Apostolus ad Romanos allegat præinductam scripturam de vocatione gentium prænuntiatam. Sic etenim
Rom. IX, 22-26. ait sanctus Apostolus : Deus sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Quos et vocavit, non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam; et erit in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi. Sequendo ergo intellectum divini Apostoli, advertendum quod Prophetæ et Apostoli eodem Spiritu docti atque locuti sunt. Quemadmodum ergo in novo Testamento fit distinctio inter Judæos, seu Israel, carnales et spirituales (de carnali
I Cor. X, 18. siquidem dicit Apostolus, Videte Israel secundum carnem; Joannes quoque in Apo-
Apoc. II, 9; III, 9. calypsi, Dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ; de spi-
Galat. VI, 16. rituali vero loquitur Paulus, Pax super eos, et super Israel Dei); sic Prophetæ loquuntur de duplici Israele, puta carnali ac spirituali, ita quod spiritualis Israel est quicumque fidelis, sanctorum Patriarcharum fidem ac mores amplectens, divina contemplans, adhærensque Christo, qui finis est legis ac Prophetarum.

Est igitur sensus : *Et erit numerus filiorum Israel,* id est multitudo in Christum credentium, scilicet gentilium conversorum, Deum pura fide contemplantium, *quasi arena maris,* quia innumerabilis. *Et erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos,* id est ubique terrarum, ubi gentiles ante suam conversionem nominabantur, non filii Dei, sed dæmonum, quibus et serviebant (omnes enim dii gentium *Ps.* XCV, 5.
dæmonia), *dicetur eis, Filii Dei viventis,* id est, ibi vocabuntur filii Dei, postquam ad Christum conversi exstiterint : sicut ad Galatas scribit Apostolus, Omnes filii Dei *Galat.* III, 26.
estis per fidem in Christo Jesu. Quotquot *Joann.* I, 12.
autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Et congregabuntur,* congregatione spirituali per fidem et caritatem, vel etiam corporali, *filii Juda,* id est primitiva Ecclesia ex Judaismo conversa, puta Apostoli aliique credentes natione Judæi, *et filii Israel pariter,* constituendo unam Ecclesiam in Christo, tanquam in lapide angulari convenientes atque connexi. De quo subjungitur : *Et ponent sibimet caput unum,* id est, Christum unanimiter eligent in regem ac principem : quod non facerent, nisi electi prius essent ab ipso. Hinc scriptum est : Pax erit inter *Zach.* VI, 13.
duos illos, videlicet gentiles et Judæos in Christum credentes. De hoc quoque capite Dominus testatur in Ezechiele : Ego pa- *Ezech.* XXXIV, 15, 24.
scam gregem meum, et ero eis in Deum, et servus meus David princeps eorum. Per David autem omnes intelligunt Christum, qui juxta Apostolum, est caput corporis *Ephes.* V, 23.
Ecclesiæ. Quæ vero sequuntur, exponenda sunt sicut jam factum est.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO MORALIS HUJUS PRIMI CAPITULI.

JAM in superioribus dictum est, quod A
Osee (qui interpretatur Salvator) figura
Matth. I, 21. est Christi, de quo angelus ait : Ipse sal-
vum faciet populum suum a peccatis eo-
Is. XLV, 8. rum; et Isaias, Aperiatur terra, et germi-
net Salvatorem. Per hoc ergo, quod Deus
2 jussit Osee ut acciperet uxorem forni-
cationum, præfigurabatur quod Deus Pa-
ter dixit Christo, quando misit eum in
mundum per incarnationis mysterium, ut
acciperet uxorem fornicationum, id est,
gentilitatem cum idolis fornicantem sibi
Ephes. V, 27. desponsaret, atque ex ea exhiberet sibi B
gloriosam Ecclesiam, non habentem macu-
lam neque rugam. Unde et Christus loqui-
Joann. X, 16. tur : Alias oves habeo, quæ non sunt ex
hoc ovili; et illas oportet me adducere. In
Is. XLIX, 6. Isaia quoque Pater ait ad Christum : Pa-
rum est ut sis mihi ad suscitandas tribus
Jacob, et fæces Israel convertendas; dedi
te in lucem gentium, ut sis salus mea us-
que ad extremum terræ. De hoc jam dicta
sunt plura.

Porro quod Dominus ait de decem tribu-
bus, *Fornicans fornicabitur terra a Do-* C
mino, jam videmus in populo christiano,
Philipp. III, 19. quomodo aliquorum deus venter est, quo-
Luc. XXI, 34. rum corda gravantur crapula et ebrietate.
Coloss. III, 5. Alii avaritiæ (quod est idolorum servitus)
Job XXXI, 24. student : qui dicunt auro, Robur meum; et
obryzo, Fiducia mea : non metuentes quod
Eccli. X, 10. ait Scriptura, Nihil est iniquius, quam
amare pecuniam; et quod ait ad Timothe-
I *Tim.* VI, 9. um Apostolus, Qui volunt divites fieri, in-
cidunt in tentationes et laqueum diaboli.
Alii in sophismatibus ac vanitatibus suis
jugiter occupantur. Contra quos clamat Jo- D
I *Joann.* V, 21. annes : Filioli, custodite vos a simulacris.
3 *Et abiit et accepit Gomer.* Gomer inter-
pretatur consummata sive perfecta. Per
hoc itaque, quod Osee accepit Gomer, præ-
signatum est quod Christus accepit Ec-
clesiam ex gentibus congregatam, quæ an-
te conversionem suam fuerat consummata
in vitiis, imo in fornicatione carnali et spi-
rituali, eratque perfecta filia voluptatis.
Postquam vero ad Christum conversa, et
ei in sponsam unita est, facta est consum-
mata in fide, spe et caritate; itemque per-
fecta in donis Spiritus Sancti, quemadmo-
dum scribit Apostolus gentibus conversis,
puta Corinthiis : Gratias ago Deo, quia in I *Cor.* I, 4, 5, 7.
omnibus divites facti estis in illo, ita ut
nihil vobis desit in ulla gratia. Hinc Sal-
vator hortatur : Estote perfecti, sicut et *Matth.* V, 48.
Pater vester cœlestis perfectus est. Quum-
que Christus accepisset hanc sponsam, *pe-*
perit ei filium, qui appellatus est *Jezrael,* 4
id est, semen Dei. Ecclesia namque per
verbum prædicationis et in fonte Bapti-
smatis generat Christo filios gratiæ ac sa-
lutis, dicente Apostolo : Per Evangelium I *Cor.* IV, 15.
in Christo ego vos genui. Quod Ecclesia
non faceret, nisi prius cognita atque fe-
cundata esset a Christo, non semine ma-
teriali, sed luce cœlesti, donis ac virtute
Spiritus Sancti.

Insuper Dominus ait : *Adhuc modicum,*
et visitabo sanguinem Jezrael : id est, oc-
cisionem seminis Dei, utpote Christi, et
aliorum filiorum primitivæ Ecclesiæ, quos
occiderunt Judæi, ulciscar, *super domum*
Jehu, id est in populo Judæorum incredu-
lo. Quod post quadraginta circiter annos a
Christi passione impletum est, quando Ro-
mani destruxerunt Jerusalem ac Judæam,
et Judæorum plurimos occiderunt, vendi-
derunt, disperserunt, et variis modis af-
flixerunt. Et in tempore illo contritus est 5
arcus Israel, id est, tota fortitudo Judæo-

rum est dejecta *in valle Jezrael,* id est in A
humilitate Christi et Ecclesiæ. Christus
Philipp. II, 8, 9. nempe sua humilitate ac passione promeruit sui ipsius exaltationem, judiciariam
potestatem, adversariorum quoque suorum
dejectionem. Idcirco superbi Judæi, Christum humilem persequendo, ejus humilitate dejecti sunt. Hieronymus et antiqui
expositores, quorum temporibus abundabant hæretici, per decem tribus seu Israel,
qui Dominum dereliquerunt, intelligunt
hæreticos; per regnum vero seu populum
Juda, Ecclesiam. Sicque per contritionem B
arcus Israel, designatur hæreticorum dejectio, qui Christi virtute vincuntur.
6 *Et concepit adhuc, et peperit filiam.* Per
hanc filiam Osee vel Gomer, quæ vocatur
Absque misericordia, designantur hæreti-
Luc. VIII, 13. ci, qui ad tempus credunt, et in tempore
tentationis deficiunt, dæmone suggerente,
varios inducendo errores, et tanquam effeminati, tentationibus succumbendo. Hanc
congregationem seu filiam, quæ divina misericordia meretur destitui, concepit a
Christo Ecclesia, dum eos primo fideliter C
instruit atque baptizat; dum vero fidem
rectam et ecclesiasticam deserunt unitatem, efficiuntur proles diaboli. De quibus
I Joann. II, 19. ait in prima sua epistola Joannes : In nobis erant, sed non erant ex nobis. Hinc
Dominus ait : *Non addam ultra misereri
domui Israel,* id est, conventiculis hæreticorum, qui æternaliter condemnantur ;
7 sed *domui Juda,* id est, Ecclesiæ corde
Rom. x, 10. credenti et ore salubriter confitenti, *miserebor,* perducendo eos ad finem beatum.
8 *Et ablactavit eam quæ erat Absque misericordia,* id est, præfatam hæreticorum D
collectionem privat Deus gratia internæ
refectionis, lacte evangelicæ legis, pane
vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris, quæ malevolam nequaquam ingreditur animam : ita ut tales non jam nutriantur in croceis, sed stercora amplexentur. Eccli. XV, 3. Sap. I, 4. Thren. IV, 5.
Et concepit et peperit filium. Et dixit : 9
Voca nomen ejus, Non populus meus. Per
hunc tertium puerum Osee et Gomer, intelliguntur ceteri impii Christiani, qui rebelles sunt lumini, nec per gratiam et
prædestinationem attinent Deo, sed sola
fide Christiani filiique Ecclesiæ reputantur. De qualibus scriptum est : Ipsi de I Joann. IV, 5.
mundo sunt; et de mundo loquuntur, et
mundus eos audit. De quibus ait Salvator :
Multi dicent mihi in die illo : Domine, Matth. VII, 22, 23.
Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? et tunc
confitebor illis : Quia nunquam novi vos ;
discedite a me, omnes operarii iniquitatis.
Istis melius esset viam justitiæ ignorasse, II Petr. II, 21.
quam cognitam abjecisse : in quibus utique semen Dei non permanet. Horum Deus
omnium asserit se non esse Deum, quia
nec ipsi eum super omnia amant et colunt, nec ipse per gratiam corda eorum
inhabitat, neque per providentiam singularem providet eis efficienter de necessariis ad salutem ; verum dimittit eos, justitia exigente, secundum desideria cordis Ps. LXXX, 13.
eorum, ut eant in adinventionibus suis.
Quocontra de electis habetur in Apocalypsi : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis ; et ipsi populus Apoc. XXI, 3.
ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

ARTICULUS V

DECLARATIO SECUNDI CAPITULI : DICITE FRATRIBUS VESTRIS : POPULUS MEUS.

NUNC in fine præcedentis capituli dictum est, quemadmodum filii Juda et filii Israel congregarentur, et constituerent sibi caput unum, concorditer credendo in Christum. Apostolica quoque auctoritate ostensum est, quod per filios Israel, intelligantur spirituales Israelitæ, id est ele- *Galat.* III, 7. cti gentiles, juxta illud ad Galatas : Qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Idcirco Propheta alloquitur modo prædicatores primitivæ Ecclesiæ natione Judæos, puta Apostolos aliosque Christi discipulos, ut gentilibus gratiam Dei annuntient.

1 *Dicite,* o Apostoli et ex Judaismo conversi, *fratribus vestris,* id est electis ex gentibus : qui sunt fratres vestri, non solum propter conformitatem naturæ et ratione originis ex primo parente, itemque quoniam ab eodem geniti Creatore (secun- *Malach.* II, 10. dum illud Malachiæ : Numquid non pater unus omnium nostrum ? Numquid non Deus unus creavit nos?), sed etiam propter conformitatem fidei, caritatis et gratiæ. *Galat.* v, 6. Unde ad Galatas testatur Apostolus : In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. De talibus fratribus Dominus ait electis Judæis per Isaiam : *Is.* LXVI, 19, 20. Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, in Africam et Lydiam, in Græciam et Italiam ; et adducent omnes fratres vestros. Itaque, Dicite fratribus vestris : *Populus meus,* id est, quod ipsi per gratiam sunt populus meus, sicut et vos. Propter *Rom.* III, 29. quod ad Romanos dicit Apostolus : An Judæorum Deus tantum ? Nonne et gentium ? *Ibid.* x, 12. Rursusque : Non est distinctio Judæi et Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant eum. Hinc per Isa- *Is.* XIX, 25. iam loquitur Dominus : Dicam Ægypto,

A Populus meus; et opus manuum mearum, Assyrio. *Et sorori vestræ,* id est Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, dicite : *Misericordiam consecuta,* id est, quod ipsa misericordiam meam suscepit per gratiam Christi. Propter quod in Isaia habetur : Ecce *Is.* LV, 5. gentem quam nesciebas, vocabis. Et in Actibus ait Petrus : Si Deus eamdem gratiam *Act.* XI, 17. dedit illis (videlicet gentibus) sicut et nobis, ego quis eram, qui possem prohibere Deum ? Hoc est quod ad Ephesios dicit Apostolus : Revelatum est sanctis Aposto- *Ephes.* III, 5, 6.
B lis et Prophetis in Spiritu, esse gentes coheredes et concorporales, et comparticipes promissionis Dei in Christo Jesu.

Præterea, præter hanc expositionem tangit Hieronymus alias duas. Prima est : *Dicite,* o vos de tribu et populo Juda, unum Deum colentes, *fratribus vestris,* id est populo decem tribuum, quod sit *populus meus,* dummodo voluerint idololatriam et alia peccata abjicere. Et quia de semine Patriarcharum progenitus est, *et sorori vestræ,* id est eidem plebi vel Sy-
C nagogæ, dicite quod sit *misericordiam consecuta.* Nam multi ex decem tribubus gratiose salvati sunt, quorum unus fuit Tobias de tribu Nephthali. — Secunda est : Vos, Judæi qui creditis, dicite fratribus vestris, id est fractis ramis, quod sit populus meus, et sorori vestræ Synagogæ, quod sit misericordiam consecuta, quoad hoc quod in fine mundi, quum intraverit plenitudo *Rom.* XI, 25, 26. gentium, omnis Israel salvus erit.

2 *Judicate matrem vestram, judicate : quoniam ipsa non uxor mea, et ego non*
D *vir ejus.* Hunc locum Beda exponit pro tempore Christi, ut sit sensus : O Apostoli et ceteri credentes ex Judaismo, *judicate,* id est reprehendite, *matrem vestram* in-

credulam Synagogam Christo. Et repetit, *judicate,* quatenus frequenter ac strenue increpent eam. Quod in Actibus leguntur fecisse Apostoli, dicente Petro Judæis :
Act. III, 13, 14. Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, et petistis virum homicidam donari vobis. *Quia ipsa* Synagoga incredula, *non* est *uxor mea,* quum non sit mihi per fidem et caritatem conjuncta, non imprægnetur a me fructu operum bonorum ; *et ego non* sum *vir ejus,* id est sponsus, ita, quia non est æterna conjunctio spiritualis matrimonii inter eam et me, quoniam peccata
Is. LIX, 2. ejus diviserunt inter eam et me, et facta est meretrix atque adultera : sicut patebit. Loquitur autem Deus de spirituali conjunctione, quæ est inter creaturam rationalem et Creatorem, metaphorice sub nomine uxoris et viri. Et simili modo ait
Ibid. L, 1. per Isaiam : Quis est iste libellus repudii, quo dimisi matrem vestram? Ei quoque quod nunc Dominus ait, Judicate matrem vestram, simile est quod per eumdem Isa-
Ibid. V, 3. iam Dominus ait : Et nunc, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam, videlicet Synagogam.

Consequenter Deus clementer hortatur Synagogam ad pœnitentiam, et ut illa magis obediat admonitioni divinæ, minatur pœnam. *Auferat,* id est, relinquat atque abjiciat, *fornicationes suas* spirituales, id est idolorum culturas ; fornicationes quoque corporales, id est illicitos concubitus soluti cum soluta ; *a facie sua,* id est ab adspectu atque præsentia sua, ne eas per approbationem adspiciat vel acceptet, sed retro se jactet : quemadmodum per Jere-
Jer. IV, 1. miam Dominus asserit, Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Nihilo minus debet homo peccata sua ante se ponere, ut ea pœnitendo penset
Ps. L, 5. ac defleat, dicente Psalmista : Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Propter
Jer. III, 2. quod Dominus ait per Jeremiam : Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis. *Et adulteria sua* spiritualia

A ac corporalia auferat *de medio uberum suorum,* id est a suis uberibus, vel a corde, quod intra ubera situatur. Corporalia quippe adulteria per contactum uberum provocantur, et consummantur : idcirco de uberibus tolli jubentur. Spiritualia vero adulteria per cordis delectationem explentur. Præcipitur ergo, ne cor vitia idololatriæ diligat, nec ea ad actum deducat. Quamvis autem spiritualis fornicatio præsertim idololatria appelletur, quia per eam cor a Deo formaliter atque totaliter

B separatur ; quodlibet tamen peccatum mortale, fornicatio spiritualis est, quia per ipsum mens, cœlestis Sponsi unione relicta, summique boni adhæsione rejecta, rebus inhæret caducis, et in creaturis potius quam in Deo quiescit ac delectatur. Propter quod in Numeris Dominus : Ne sequantur (inquit) cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes ; et in *Num.* XV, 39.
Ezechiele, Contrivi cor eorum fornicans, et recedens a me. *Ezech.* VI, 9.

Ne forte exspoliem, id est, exspoliando 3
C faciam, *eam nudam,* id est spiritualibus gratiis vel corporalibus beneficiis destitutam. Vestes nempe et ornamenta populi Israel, fuerunt auxilium Dei, angelorum custodia, doctrina legis et Prophetarum, religiosæ ac sanctæ personæ, et cetera dona Creatoris, de quibus gloriabantur, dicentes : Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. *Ps.* CXLVII, 20.
Hæc Deus minatur se ablaturum, nisi pœniteant. *Et statuam,* id est ponam, *eam secundum diem nativitatis suæ,* id est in

D tali ac tanta calamitate, vilitate et abjectione, qualem et quantam habuit in Ægypto, ubi multiplicatus est populus Israel, et multis ærumnis, idololatriis, atque durissimo jugo fuit subjectus. Propter quod in Ezechiele scriptum est : In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et *Ezech.* XVI, 4, 5.
aqua non es lota, sed projecta super faciem terræ. Et denuo : In die, inquit, qua *Ibid.* 4-8.
nata es, non es sale salita ; et transivi per te, et inveni te nudam et deturpatam, et conspersam in sanguine tuo. Sed de tanta

ærumna eripuit Deus hanc plebem, quum A
eam eduxerat de Ægypto. Propter quod
Ezech. xvi, 10-13. subdit : Indui te bysso et subtilibus, et
ornamenta circumposui tibi. Hæc autem
videmus jam Judæis ablata propter incre-
dulitatem suam in Christum.

Et ponam eam quasi solitudinem, id
est, habitatores terræ eorum occidam, vel
transferam de propria terra. Unde Christus
Matth. xxiii, 38. in Evangelio ait Judæis : Relinquetur vo-
bis domus vestra deserta. *Et statuam eam
velut terram inviam,* id est, Synagogam
parificabo terræ quæ viam non habet, eo B
quod non sit habitator vel deambulator in
ea. Sic Synagoga a Deo derelicta est, nec
habet rectam viam tendendi ad Deum,
Is. lx, 15. quemadmodum Isaias testatur : Fuisti de-
relicta et odio habita, et non erat qui per
te transiret. *Et interficiam eam siti.* Hoc
accipi potest de siti corporali, quam Judæi
perpessi sunt, a Romanis obsessi; tunc
enim defuerunt eis cibi ac potus : vel de
siti spirituali, id est aviditate audiendi ver-
bum Dei. Nunc enim Judæi multo tempore
desiderarunt habere et audire Prophetam, C
qui eis aliquid certi de Messiæ nuntiaret
Ps. lxxiii, 9. adventu, dolentesque dicunt : Signa nostra
non vidimus, jam non est Propheta. Sed
exigentibus culpis suis, non merentur di-
vinitus exaudiri. De hujusmodi fame et
Amos viii, 11. siti Dominus ait per Amos : Emittam fa-
mem in terram : non famem panis, neque
sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. In-
terficiuntur quoque obstinati Judæi siti,
id est penuria aquæ sapientiæ salutaris
gratiæque cœlestis. De qua dicit Salva-
Joann. iv, 13, 14. tor : Qui biberit ex aqua quam ego dabo D
ei, non sitiet in æternum ; sed aqua quam
ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis
in vitam æternam. Occiduntur quoque si-
ti, id est immoderato temporalium rerum
affectu, quum sint avarissimi.

Præterea, quidam omnia jam prædicta,
ab illo loco, Judicate matrem vestram, ex-
ponunt de Judæis pro tempore Babylonicæ
captivitatis, ita quod Propheta alloquitur
Prophetas et justos, qui captivitatem illam
prædixerunt, videlicet Jeremiam, Baruch,
quatenus Jerusalem vel Synagogam judi-
cent, atque ex ejus pravitate perpendant
quod non sit sponsa seu uxor Dei, nec
ipse sit sponsus virque ipsius. Cetera quo-
que quæ dicta sunt, applicari possunt Ju-
dæis temporis illius, eodem sensu quo
nunc applicata sunt Judæis pro tempore
Christi. Multum enim viguit utraque for-
nicatio præinducta in populo Judæorum
ante Babylonicam captivitatem. Propter
quod Deus per manum Chaldæorum eos
exspoliavit, et velut solitudinem terram-
que inviam statuit, prout per Jeremiam
prædixit ubertim. Unde loco quodam lo-
quitur Dominus : Derelinquam vos et civi- *Jer.* xxiii,
tatem quam dedi vobis et patribus vestris; 39,40; xxiv, 9; xxv, 18, 8.
et dabo vos in vexationem et maledicti-
onem, et in stuporem, et in sibilum, et
in opprobrium, eo quod non audieritis
verba mea. Denique sicut prædicta, sic et
sequentia utroque modo exponuntur, et
sensus redit in idem.

Et filiorum illius, id est filiorum infi- 4
delis Synagogæ, sequentium matris suæ
perfidiam et peccata : quibus in Evangelio
dicitur, Genimina viperarum, quomodo fu- *Matth.*
gietis a judicio gehennæ? *non miserebor :* xxiii, 33.
quoniam a Chaldæis ac Romanis vastati
sunt; et bona gratiæ in præsenti, bona-
que gloriæ in futuro perdiderunt. Unde
Dominus ait ad Jeremiam : Non assumas *Jer.* vii, 16;
laudem et orationem pro eis; si steterint xv, 1.
Moyses et Samuel coram me, non est ani-
ma mea ad populum istum. *Quoniam filii
fornicationum sunt,* id est, multiformium
fornicationum vitiis servierunt. Propter
quod filii fornicationum vocantur, propter
abundantiam hujusmodi vitii, sicut Anti-
christus dicitur homo peccati et filius per- II *Thess.* ii,
ditionis. Vel dicuntur filii fornicationum, 3.
quia a parentibus fornicatoribus nati non
solum in esse naturæ, sed etiam culpæ,
quoniam patres docuerunt filios suos er-
rores et scelera.

Quia fornicata est mater eorum, videli- 5
cet Synagoga, ut patuit. Unde Jeremias,
Unusquisque, ait, ad uxorem proximi sui *Jer.* v, 8.
hinniebat. Et repleta fuit idolis terra eo- *Is.* ii, 8.

rum, ut Isaias dixit. *Confusa est* incredula A
Synagoga, id est, obstupuit, admirata est,
estque vitiis inordinata, et confusione di-
gna effecta, *quæ concepit eos,* id est filios
fornicationum prædictos, quos enutrivit
diabolo, instruens eos in malo. Sed obviare
Jer. vi, 15. videtur illud Jeremiæ : Confusione non
sunt confusi, et erubescere noluerunt. Et
respondendum, quod sicut in Ecclesiastico
Eccli. iv, 25. habetur, Est confusio adducens peccatum,
et est confusio adducens gratiam et glo-
riam. Confusio itaque una est mala, pec-
cati inductiva, dum quis præ rubore abs- B
condit vitia sua. Alia vero est bona, dum
homo erubescit de malo culpæ. De hac
secunda loquitur Jeremias. Sic enim obsti-
nati non confunduntur, nec verecundan-
tur impie operari. Propter quod obstinatæ
Jer. iii, 3. plebi Judæorum dicitur a Jeremia : Frons
meretricis mulieris facta est tibi, noluisti
erubescere. De talibus loquitur Isaias :
Is. iii, 9. Peccatum suum quasi Sodoma prædicave-
Prov. ii, 14. runt, nec absconderunt; et Salomon, Læ-
tantur quum malefecerint. Præter hanc
duplicem confusionem est confusio tertia, C
dum aliquis frustratur spe sua, et adver-
sariorum suorum voluntati exponitur, at-
que ignominiosam incidit calamitatem. De
Ps. xxiv, 2, 3. qua orat Psalmista : Deus meus, in te con-
fido, non erubescam; neque irrideant me
inimici mei. De hac quoque loquitur nunc
Osee. Subditur enim ratio hujusmodi con-
fusionis :

Quia dixit mater serpentina ac infide-
lis : *Vadam,* spiritualiter per fidem, vel
potius infidelitatem et cultum, *post ama-
tores meos,* id est deos quos colui, vel D
homines in quibus magis quam in Deo
vero confisa sum, id est, idolis adhære-
bo, vel hominum quæram subsidia. Hoc
dixerunt Judæi ex diffidentia divini auxi-
lii. Quemadmodum enim in Jeremia co-
piose describitur, quum sanctus Jeremias
hortaretur eos ad idololatriæ rejectionem,
Jer. xliv, 16, 17. dixerunt : Non audiemus verbum ex te,
sed facientes faciemus omne verbum quod
egreditur ex ore nostro, ut sacrificemus
reginæ cœli. *Qui dant panes mihi, et aquas*
*meas, et lanam meam, et linum meum, et
oleum meum, et potum,* id est necessaria
victui atque vestitui. Hæc enim arbitra-
bantur sibi conferri ab idolis, vel munda-
nis hominibus potius quam a Deo. Spiri-
tualiter dedit Deus electis Judæis panem Eccli. xv, 3
vitæ et intellectus, aquas quoque sapien-
tiæ salutaris, de quibus loquitur Isaias,
Haurietis aquas in gaudio de fontibus Sal- Is. xii, 3.
vatoris; lanam etiam et linum, id est indu-
menta seu decorem virtutum, de quibus
Isaias inducit, Induit me vestimento salu- Ibid. lxi, 10.
tis, et indumento justitiæ circumdedit me;
itemque oleum unctionis et consolationis
internæ, et potum spiritualiter inebrian-
tem, ab æstu concupiscentiæ refrigeran-
tem, ipsamque animam in Deo lætifican-
tem. Unde et scriptum est : Torrente volu- Ps. xxxv, 9.
ptatis tuæ potabis eos. Potus iste est fervor
divini amoris, seu exuberantia gratiæ dei-
formis : per quem cuncta terrena desi-
piunt, solaque sapiunt bona æterna.

Propter hoc, id est, quia dixisti, Vadam 6
post amatores meos, *ecce ego* Dominus *se-
piam,* id est, vallabo et implicabo, *viam
tuam,* id est desiderium vel actionem qua
nitebaris ire ad amatores nocivos, *spinis,*
id est doloribus et ærumnis adversitati-
busque diversis, *et sepiam eam maceria,* id
est muro seu grandi obstaculo, quo impe-
dietur venire quo ivit. *Et semitas suas
non inveniet,* id est, affectum suum non
poterit perducere ad effectum. Non enim
permisit Deus Judæos hos adipisci optata
auxilia a diis vel hominibus in quibus
sperabant; sed gravissimis pœnis eos ad-
dixit, per obsidionem Chaldæorum ac Ro-
manorum, ita quod nullus potuit eis opem
impendere. Insuper ad litteram possunt
per spinas atque maceriam intelligi corpo-
rales munitiones factæ adversus Judæos
tempore obsidionum dictarum, ita quod
non invenerunt semitas suas, id est modum
vel iter effugiendi. *Et sequetur amatores* 7
suos, id est, cordialiter affectabit auxili-
um hominum in quibus speravit, videli-
cet Ægyptiorum tempore obsidionis suæ a
Chaldæis. Promisit enim rex Ægypti Se-

deciæ, quod auxiliaretur ei contra Chaldæos. *Et non apprehendet eos :* non enim poterant ei succurrere. *Et quæret eos* per nuntios ac litteras, *et non inveniet.*

Et dicet, necessitate compulsa, juxta illud, Compelle intrare (*Luc.* xiv, 23.): *Vadam* spiritualiter de vitiis ad virtutes, de amatoribus vanis ad verum ac infallibilem amatorem, *et revertar ad virum meum priorem,* id est ad Deum æternum, deserendo bona caduca, et inhærendo bono incommutabili, Deo summo ac omnipotenti, Sponso cœlesti, qui me sibi desponsavit in legis collatione, vel in sanctorum Patriarcharum adoptatione, et promissione eis facta de beneficiis conferendis posteritati eorum; *quia bene mihi erat tunc,* quando Deo vero adhæsi ac parui, *magis quam nunc,* dum idolis deservivi, atque humana subsidia exquisivi. Constat enim ex toto decursu veteris Testamenti, quod multo melius successit populo Judæorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus bonis, quando divinæ legis observavit præcepta, quam dum idola coluit, vel extranearum nationum postulavit auxilia.

Istud autem, videlicet, Revertar ad virum meum priorem, dixerunt Judæi, saltem aliqui, quando jam viderunt se a Chaldæis mox capiendos. Tunc namque viderunt, quod dii et homines eis nil profuerunt. Propter quod Dei succursum petebant, sed nimis tarde et frustra, quia ex necessitate potius quam ex caritate. Vel si tunc non revertebantur, certum est quod in Chaldæa positi, ad Deum conversi sunt, maxime expletis annis septuaginta, de quibus prædixerat Jeremias (*Jer.* xxix, 10.). — Huic quoque verbo, Vadam et revertar ad virum meum priorem, simile est quod ait filius prodigus ad extremam perductus inopiam (*Luc.* xv, 17, 18.): Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, et ibo ad patrem meum, etc.

8 *Et hæc* mater viperina atque incredula Synagoga *nescivit, quia ego dedi ei frumentum et vinum et oleum,* id est cibos et potus ac condimenta eorum, quæ pertinent ad naturales divitias. Unde paulo ante adscripsit hæc omnia amatoribus suis seu idolis. Ad tantam equidem mentis cæcitatem venerunt Judæi ante Babylonicam captivitatem, quod divinam providentiam negaverunt. Propterea non putabant sibi a Deo vero collata ea quæ possidebant. De hoc Jeremias et Ezechiel plene loquuntur (*Jer.* xliv, 15 *et seq.*; *Ezech.* xvi, 5 *et seq.*). *Et argentum multiplicavi ei,* id est, copiam argenti eis concessi, *et aurum, quæ fecerunt Baal,* id est, argentum et aurum, quæ eis multiplicavi ut ad honorem meum talibus uterentur, expenderunt in fornicationibus, sacrificiis atque ornatibus idoli quod dicitur Baal estque deus Sidoniorum ; vel Bel, deus Babyloniorum. Hoc enim idolum ornaverunt argento et auro, et eadem ei immolaverunt. — Denique spiritualiter dedit Deus populo Judæorum frumentum, id est legem, cujus observantia aluit mentem; et vinum, id est veræ hilaritatis materiam seu multiplex gaudium; oleum quoque unctionis ac illustrationis mentalis; argentum, id est eloquentiæ venustatem vel rerum creatarum scientiam; et aurum, id est sapientiam quæ est notitia divinorum; vel aurum, id est Dei amorem, de quo in Apocalypsi scriptum est : Suadeo tibi emere aurum probatum ignitum, ut locuples fias (*Apoc.* iii, 18.). Hæc bona ac munera Dei, electi Judæi conservabant, et Deo grati fuerunt; quidam vero eorum ea rejecerunt, et totum quod a Deo sortiti fuerunt, converterunt ad idolorum culturam, atque ad cetera mala.

Consequenter comminatur Dominus debitam pœnam pro tantis piaculis. *Idcirco* 9
convertar, per novi effectus operationem, non per mei ipsius mutationem : convertar itaque a pietate clementiæ ad rigorem justitiæ, puniendo quibus diu peperci; *et sumam frumentum meum,* id est, blada tollam a Judæis, *in tempore suo,* id est tempore messis, quando jam propter maturitatem apta erant reponi in horreis : et hoc est gravissima pœna, dum tempore maturitatis et messis terræ nascentia auferuntur, et perit labor agricolarum; vel, In

tempore suo, id est tempore præfinito a A me; *et vinum meum,* id est vinum quod contuli eis, auferam, *in tempore suo,* id est tempore torcularis sive vindemiæ, vel tempore præordinato a me. Hæc Deus abstulit Judæis per tempestates vel hostes, quando a Chaldæis seu aliis vastabantur. *Et liberabo lanam meam et linum meum,* id est, materiam vestimentorum quæ eis concessi, tollam ab eis, ne ab ingratis et impiis possideantur. Dum enim rationalis creatura abutitur bonis Creatoris, hæc ipsa bona indebitæ servituti subduntur. Idcirco liberari dicuntur, dum ab injustis dominis auferuntur. *Quæ* lana et linum *operiebant ignominiam ejus,* id est, idolum populi hujus ornabant. Judæi enim idololatræ, idolum Baal multiplici genere vestium decorabant. Idolum ergo ignominia appellatur, quia hoc erat Judæis ignominiosissimum atque turpissimum, quod relicto Deo patrum suorum, omnipotenti, vero ac summo, idola coluerunt. Superius quoque dictum est, quid spiritualiter per frumentum, vinum, lanam et linum signetur, et quomodo omnia hæc eis spiritualiter sint ablata.

ARTICULUS VI

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS HUJUS SECUNDI CAPITULI, AB EO LOCO : ET NUNC REVELABO STULTITIAM EJUS.

Sap. xi, 17. QUONIAM per ea, per quæ quis peccat, B
10 punitur, idcirco Dominus subdit : *Et nunc,* id est tempore Babylonicæ captivitatis, *revelabo stultitiam ejus,* id est, errorem, seu idololatriam, vel idolum Synagogæ manifestabo, *in oculis amatorum ejus,* id est Chaldæis vel Ægyptiis, cum quibus Judæi habuerunt aliquando amicitiam. Quum enim Chaldæi, superata Jerusalem, ingrediebantur templum, viderunt quomodo Judæi in templo idola coluerunt, et qualiter decepti fuerunt insipienter in Ægyptiis confidendo. Ægyptii quoque hæc C perceperunt, et ita in oculis eorum mentalibus manifestata sunt hæc. *Et vir non eruet eam de manu mea,* id est, nemo poterit liberare Judæos de vindicta seu potestate, quam exercebo in eis per manus
Esther xiii, 9. Chaldæorum. Deo enim nullus valet resistere, quemadmodum scriptum est in
Job xxiii, 13. Job : Deus solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest; et anima ejus quodcumque voluit, fecit.
11 *Et cessare faciam omne gaudium ejus,* id est, destruendo templum atque Jerusa- D lem, populum quoque fame, peste et gladio occidendo, imponam finem lætitiæ Judæorum ad tempus. In maxima enim tribulatione fuerunt Judæi, quum a Chaldæis obsiderentur, ita quod nec in spiritualibus, nec in carnalibus delectabantur. Unde ab Isaia dictum est : Erit pro suavi odore *Is.* iii, 24.
fœtor, et pro crispante crine calvitium. Et Threnorum ultimo : Defecit gaudium *Thren.* v, 15.
cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Faciam quoque cessare *solennitatem ejus,* id est festa Judæorum, ut ponatur singulare pro plurali. Vel per solennitatem, secundum Bedam, intelligitur paschalis festivitas, tanquam solennior, quæ fiebat in commemorationem liberationis eorum de terra Ægypti. Frequenter autem Scriptura utitur singulari pro plurali, et econtra, quemadmodum in Exodo Dominus ait Pharaoni : Dimitte filium me- *Exod.* iv, 23; v, 1, etc.
um, ut sacrificet mihi in deserto. Per filium namque intelligit universos filios Israel.

Deinde ponuntur festa Judæorum in speciali : *Neomeniam ejus,* id est festivitatem

Calendarum, quæ fiebant tempore inno- A vationis lunæ, seu in principio mensium. *Sabbatum ejus,* id est festivitatem septimæ diei, in qua Judæi epulis otiisque vacabant, secundum Glossam. Fiebatque ista solennitas in memoriam creationis mundi, *Gen.* II, 2. quoniam septimo die requievit Deus ab omni opere quod patrarat. *Et omnia festa temporum ejus,* id est solennitates quæ fiebant semel in anno, videlicet Paschæ, Pentecostes, et Tabernaculorum, ac Dedicationis. Eamdem enim Dedicationem non celebrabant nisi semel in anno, quamvis quolibet anno plures celebraverunt Dedicationes.

Hæc omnia fecit Deus cessare in populo Judæorum, quando a Chaldæis capti, occisi, vel translati fuerunt. Propter quod *Thren.* I, 4. scriptum est : Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem. Hinc *Is.* I, 14. in Isaia loquitur Dominus : Solennitates vestras odivit anima mea.

Denique, secundum Thomam in prima secundæ, in veteri Testamento erant septem festivitates temporales, id est, quæ certis diebus anni celebrabantur. Prima erat Sabbati, in memoriam beneficii creationis mundi, ut dictum est. Secunda fuit Neomeniæ, in primo cujuslibet mensis, in memoriam gubernationis rerum a Deo, et quoniam inferiora secundum cursum lunæ mutantur, a qua mensis nomen acce- *Eccli.* XLIII, 6, 8. pit, juxta illud Ecclesiastici : Luna ostensio temporis, et signum ævi ; mensis secundum nomen ejus. Idcirco fiebat ista solennitas in principio cujuslibet lunationis seu lunæ, non in plenitudine ejus. Quod item fiebat propter idololatriæ exclusionem, quia gentiles in plenilunio sacrificabant. Et quoniam hæc duo beneficia Dei, scilicet creationis et gubernationis, communia sunt cunctis hominibus, festa hæc frequenter in anno iterabantur. Alia quinque festa celebrabantur semel in anno, in memoriam beneficiorum specialiter collatorum populo Israel. Quorum primum fuit solennitas Paschæ, de qua prætactum est. Et post quinquaginta dies sequebatur solennitas Pentecostes, in memoriam beneficii legis datæ. Alia vero tria festa servabantur septimo mense, qui apud Judæos quasi totus celebris fuit. Nam primo die hujus mensis erat festum Tubarum, in memoriam liberationis Isaac. Unde tunc cornibus buccinabant, quoniam Abraham vidit arietem cornibus hærentem vepribus, quem immolavit pro Isaac. *Gen.* XXII, 13. Erat quoque festum Tubarum, in quo invitabantur Judæi ad solennitatem Expiationis, quæ decima die septimi mensis fiebat in me- B moriam beneficii quo Deus ad preces Moysis propitiabatur eis de adoratione vituli aurei atque conflatilis. *Exod.* XXXII, 7-14. Post hæc celebrabatur solennitas Scenopegiæ seu Tabernaculorum, septem diebus, in memoriam protectionis ac deductionis eorum in deserto. Unde tunc afferebant fructus arboris pulcherrimæ. *Lev.* XXIII, 40. Porro in die octava fuit festum Cœtus atque collectæ, *Ibid.* 36. quando colligebantur a populo necessaria ad divini cultus expensas. — Denique, per sabbatum, figurabatur spiritualis requies nobis C collata per Christum ; per Neomeniam, quæ est novæ lunæ incensio, figurabatur primitivæ Ecclesiæ illuminatio ; per festum Tubarum, prædicatio Apostolorum ; per festum Expiationis, emundatio Christianorum a vitiis ; per festum Tabernaculorum, peregrinatio Christianorum in hoc mundo exsulantium : per festum autem Cœtus atque collectæ, congregatio electorum in regno cœlesti ; unde hoc festum dicebatur sanctissimum. De his festis loquitur Moyses in Numeris. *Num.* XXVIII, XXIX. — Erat præ- D terea in veteri Testamento una festivitas velut continua, qua immolabatur quotidie agnus mane et vespere. *Exod.* XXIX, 38, 39; *Num.* XXVIII, 3, 4. Per quam repræsentabatur perpetuitas felicitatis futuræ.

Hinc secundum Glossam, prædicta festa Judæis ablata, a fidelibus spiritualiter celebrantur.

Et corrumpam vineam ejus et ficum 12
ejus, id est, vites et ficus ceterasque fructiferas Judæorum arbores destruam grandine, ariditate et gelu, vel per manus Chaldæorum, qui talia destruxerunt, va-

stando Judæam ; *de quibus* vineis et ficu, *dixit : Mercedes hæ, meæ sunt,* id est, bona ista sunt mihi pro præmio data, *quas dederunt mihi amatores mei,* id est dii gentium quos colui. Omnia enim mobilia atque immobilia bona sua, putabant Judæi idololatræ sibi ab idolis condonari, sicque beneficia Dei idolis adscripserunt.

Et ponam eam in saltum. Saltus vocatur multitudo arborum infructuosarum. Est itaque sensus, quod Synagoga comparabitur saltui seu infructuosis arboribus, amittendo fructus Spiritus Sancti, imo omnibus bonis spoliata, sterilis facta, in solitudinemque redacta. Hoc fuit impletum, dum a Chaldæis vehementissime opprimebantur Judæi, ita quod Jeremias prædixit : (II *Par.* XXXVI, 21.) Terra sabbatizavit sabbata sua. *Et comedet eam bestia agri.* Per bestiam istam, intelligi potest incultus atque crudelis exercitus Chaldæorum, vel Nabuchodonosor (*Dan.* IV, 30.) rex eorum, qui (ut Daniel recolit) versus in amentiam, fœnum ut bos comedit, eratque cum bestiis habitatio ejus. Unde Jeremias ait : (*Jer.* L, 17.) Primus Assur comedit eum ; iste novissimus Nabuchodonosor exossavit eum, scilicet populum Judæorum. Hæc igitur bestia comedit, id est, occidit ac minuit Synagogam. Quidam per bestiam agri, intelligunt principem vel exercitum Romanorum, qui finaliter dejecit Judæos : de (*Ps.* LXXIX, 14.) quo exponunt Judæi illud in Psalmo, Exterminavit eam aper de silva. Potest quoque nomine bestiæ dæmon intelligi, qui spiritualiter devoravit Judæos, inducendo eos ad vitia idololatriæ ceteraque peccata. (*Apoc.* XII, 9.) De quo in Apocalypsi legitur : Projectus est draco ille magnus. Unde et alibi scri- (*Ps.* LXXIII, 19.) ptum est : Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.

13 *Et visitabo super eam dies Baalim,* id est, peccata et idololatriam, quæ commisit Synagoga tempore quo idolis Baal servivit, ulciscar per exercitum Chaldæorum. Baalim est pluralis numeri, significatque pluraliter, quod Baal singulariter. Solet autem diei seu tempori attribui, id quod attribuitur his quæ sunt vel fiunt in tempore. Unde Salvator, Sufficit (inquit) diei (*Matth.* VI, 34.) malitia sua ; et ibidem, Crastinus dies (*Ibidem.*) sollicitus erit sibi ; Apostolus quoque, Redimentes tempus, quoniam dies mali (*Ephes.* V, 16.) sunt. Sic modo dies visitari dicuntur, id est peccata dierum puniri. Porro visitatio quandoque in bono accipitur, scilicet pro gratioso vel pio affectu Dei, ut quum ait Psalmista, Respice de cœlo, et vide, et (*Ps.* LXXIX, 15.) visita vineam istam ; quandoque in malo, videlicet pro justa punitione, quemadmodum Jeremiæ Dominus loquitur : Num- (*Jer.* V, 9.) quid super his non visitabo, et in gente tali non ulciscetur anima mea ? Sic quoque accipitur nunc. *Quibus* diebus seu idolis *accendebat incensum,* id est thymiama, tanquam aliquid divinitatis haberent, et honorem Deo debitum ad falsos transtulit deos, *et ornabatur inaure sua et monili suo,* id est inauribus seu ornamentis ad aures pendentibus, ac ceteris decoramentis, ad honorem deorum suorum : sicut fideles in festis ornant se ad honorem Dei atque Sanctorum ; *et ibat post amatores suos,* id est, idolis suis, a quibus se putavit ditari, amari et gubernari, adhæsit corporaliter, quia ad loca certa idololatriæ deputata processit. Propter quod Dominus ait per Ezechielem Judæis idololatris : Quid est excelsum istud, ad quod vos in- (*Ezech.* XX, 29.) gredimini? In locis enim sublimibus idolis sacrificabant frequenter. *Et mei obliviscebatur, dicit Dominus.* Nam vero Deo relicto, deos gentium coluerunt.

Sed quoniam Dominus non solum vul- (*Job* V, 18.) nerat, sed et medetur, et quum iratus fu- (*Habac.* III, 2.) erit, misericordiæ recordatur, juxta illud Tobiæ, Post tempestatem tranquillum fa- (*Tob.* III, 22.) cis, et post fletum exsultationem infundis; idcirco post verba comminationis, inducit Dominus verbum consolationis. *Propter* 14
hoc, id est, quoniam tot mala pœnalia Synagogæ induxi, *ecce ego lactabo eam,* id est, blandiar ei, et consolationibus Spiritus Sancti eam implebo ; *et ducam eam in solitudinem,* id est, ab inquietudine et tumultu eam eripiam, atque ad loca contemplationi orationique apta, ipsam deducam;

et loquar ad cor ejus, id est, verbis dul- A
cibus, consolatoriis et amorosis alloquar
eam. Per locutionem namque ad cor, desi-
Ruth ii, 13. gnatur allocutio talis quemadmodum Booz
Gen. xxxiv, 2, 3. loquebatur ad cor Ruth, et Sichem ad cor
Dinæ. Vel, Loquar ad cor ejus, per revela-
tionem secretorum cœlestium. Istud se-
cundum Hieronymum impletum est post
Christi adventum, quando (ut Lucas nar-
Act. ix, 31; xiii, 52. rat in Actibus) Ecclesia per totam Judæam
et Galilæam habebat pacem, discipuli quo-
que replebantur gaudio et Spiritu Sancto.
Is. xxxii, 18. Hinc apud Isaiam Dominus dixit : Sedebit B
populus meus in pulchritudine pacis et in
tabernaculis fiduciæ, et in requie opulen-
ta. Quidam autem exponunt hæc de Judæis
a captivitate Babylonica redeuntibus per
desertum, alii vero de gentilitate per præ-
dicationem Apostolorum conversa.

15 *Et dabo ei,* id est Synagogæ in Christum
credenti, *vinitores ejus,* id est spiritualis
vineæ spirituales cultores. Synagoga quip-
Ibid. v, 7. pe dicitur vinea, juxta illud Isaiæ : Vinea
Domini exercituum, domus Israel est. Hu-
jus vineæ vinitores post Christi adventum C
et passionem fuerunt sancti Apostoli, qui-
Matth. x, 6. bus dixit Salvator : Ite ad oves quæ per-
ierunt domus Israel. Nam verbo, prece et
exemplo eam coluerunt, superflua seu pec-
cata amputando, semine verbi cœlestis ir-
rigando, atque per pastoralem præsidenti-
am ad spiritualium maturitatem fructuum
perducendo. Fueruntque vinitores hi *ex
eodem loco* nativitatis, id est nati ex Judæa
et Israelitica plebe. Vinitores vero vineæ
hujus, quum educerentur ex Ægypto, fue-
runt Moyses et Aaron, deinde judices, re- D
ges, sancti Prophetæ et sacerdotes.

Et vallem Achor dabo vinitoribus istis
ad aperiendam spem. Achor hoc loco non
est nomen proprium, sed commune, tur-
bationem significans. Ut enim Josue libro
Josue vii, 1 *et seq.* scriptum est, quum Achan usurpasset de
anathemate Jericho, et sorte deprehensus
fuisset, jussit eum Josue lapidibus obrui,
Ibid. 25, 26. dicens : Quia turbasti nos, exturbet te Deus
in die hac. Propter hoc locus iste dictus
est vallis Achor, id est vallis Conturbatio-
nis. Dedit igitur Deus hanc vallem Aposto-
lis ad aperiendam spem, intelligendo per
vallem istam, Jerusalem, Judæam, et tem-
plum. Quoniam, sicut filii Israel, qui pro-
pter peccatum Achan in desperationem
maximumque mœrorem ruerunt : fuge-
runt enim a facie habitatorum urbis Hai, *Josue* vii, 5.
propter quod desperabant se posse Chana-
næis resistere : sicut itaque isto occiso
Achan, spem prævalendi receperunt, et
vehementer consolati sunt ; sic Apostoli
vel successores, discipulique eorum, visa
destructione Jerusalem et templi ac Judæ-
orum, qui peccaverunt in Christum, ha-
buerunt spem quod subjicerent Christo
totum mundum. Sicque vallis hæc fuit eis
ad aperiendam spem, id est ostium spei
seu occasio sperandi quod dictum est. Hæc
est expositio Glossæ et Bedæ.

Potest quoque sic accipi, quod vallis
Achor, id est Judæa vitiis deordinata, con-
fusa, et multipliciter conturbata, data sit
Apostolis ad aperiendam spem, per hoc
quod multa millia Judæorum, etiam eorum
qui occisioni Christi consenserunt, con-
verterent ad Christum. Quo facto sperare
poterant, quod alios quoque converterent
populos. Alii per vallem Achor intelligunt
humilem contritionem de peccato : in qua
contritione est quædam bona turbatio, di-
cente Psalmista, Anima mea turbata est *Ps.* vi, 4.
valde. Per hoc ergo quod Deus dedit ei,
videlicet Synagogæ, humilem contritionem
de culpis, aperuit ei spem salutis. Hiero-
nymus ita exponit, quod vallis Achor data
sit ei ad aperiendam spem, quia per hoc
quod Judæa perpessa est adversitates tur-
bationum atque tumultuum, sperare po-
tuit quod esset perventura ad prospera.

Et canet ibi, id est, Synagoga Christi
fidem recipiens, Deum laudabit in Jerusa-
lem seu Judæa, vel humili contritione, per
vallem Achor significata, *juxta dies ju-
ventutis suæ,* id est, sicut fecit tempore
sanctorum Patriarcharum, quando unum
verum Deum coluit atque laudavit, *et jux-
ta dies ascensionis suæ de terra Ægypti,*
id est, sicut fecit quando egrediebantur

Ægyptum. Submersis quippe in mari Ru- A bro Ægyptiis, Israelitæ laudabant Deum,
Exod. xv, 1. dicentes, Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : ut patet in Exodo. Sic primitiva Ecclesia ex Judaismo conversa, et de spirituali Ægypto, id est caligine vitiorum, educta, et ducta per mare Rubrum, id est Baptismum Christi sanguine consecratum, in quo peccata ac dæmones submerguntur, Deum devotissime jugiter-
Act. II-IV. que laudavit, sicut in Actibus Apostolorum copiose describitur. Unde apud Isaiam di-
Is. LII, 8. citur : Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, quum converterit Dominus Sion. Judæa autem in altiori situ est, quam Ægyptus. Propterea filii Israel dicuntur ascendisse de Ægypto, pergentes ad sanctam terram : multo amplius, qui de spirituali Ægypto ad terram promissionis, id est de tenebris et peccatis hujus mundi ad patriam, ascendit : quia de terrenis ad cœlestia, de carnalibus ad spiritualia, de conversatione vilissima ad vitam tendit puram atque angelicam.

16 *Et erit in die illa, ait Dominus,* id est C tempore evangelicæ legis et primitivæ Ecclesiæ, quando electi Judæi in Christum crediderint, *vocabit me* Synagoga conversa, *Vir meus,* id est, dicet quod ego Dominus sum vir ejus : secundum sensum sæpe prætactum ; *et non vocabit me ultra, Baali :* id est, quamvis posset me ita vocare, quantum ad rem significatam (nam Baal interpretatur, habens ; Baali autem, habens me : sicque sponsa vel conjux posset maritum seu virum suum vocare Baali, id est habens me in conjugium *), non tamen vo- D cabit me ita, propter magnam convenientiam hujus nominis, Baali, cum hoc nomine, Baalim, quod est nomen idoli. Tanquam dicat : Ego Dominus in tantum idola detestor et odio, fideles quoque perfecti in hoc mihi conformantur, quod propter convenientiam vocum, nolo a fidelibus, quorum congregatio est uxor et sponsa mea, dici Baali, sed vir vel sponsus, ne dicendo Baali, recordentur idoli nomine Baalim. Denique Ninus ædificator Ninive, fecit idolum patri suo defuncto, qui dictus est Belus. Hoc idolum Babylonii vocabant Bel, Sido- Dan. xiv, 2; nii Baalim, Judæi Beelzebub. Hoc modo Judic. II, 11; Matth. XII, 24. exponit Hieronymus, Beda et Glossa.

* conjugem

Sed Lyræ videtur, quod Rabbi Salomon exponat hunc locum magis catholice, ita quod vir sumitur hic pro sponso, quod est nomen amoris ; Baali vero, secundum proprietatem Hebrææ linguæ, significat dominum meum, quod est nomen timoris, juxta illud Malachiæ : Servus timet dominum Malach. I, 6. suum : si ergo Dominus ego sum, ubi est B timor meus ? Est itaque sensus, quod populus christifidelis, ex familiaritate cum Deo, vocabunt eum nomine amoris, non timoris : quod proprie competit statui evangelicæ legis, quæ dicitur lex amoris, secundum illud ad Romanos : Non accepistis Rom. VIII, 15. spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater). Unde Augustinus : Brevis, inquit, differentia legis et Evangelii, timor et amor. Vult igitur dicere, quod successerit amor.

Verumtamen prima expositio videtur
consonantior litteræ. Nam subditur : *Et* 17
auferam nomina Baalim, id est idolorum Baal, *de ore ejus,* id est de ore Judææ ad Christum conversæ, ita quod ultra non exprimet nomen hoc, nisi forte in detestationem idolorum ; *et non recordabitur ultra nominis eorum* ad hoc ut idola veneretur, imo et rarissime occurrent memoriæ. Hoc patet impletum, quia primitiva Ecclesia ex Judæis collecta, non solum non coluit idola, sed et gentilitatem avertit ab idololatria. Ex quibus patet, quod Dominus non vult a fidelibus Baali dici, propter similitudinem nominis hujus cum Baalim. Denique Aquila diligens et curiosus interpres, secundum Hieronymum sic transtulit : Vocabit me, Vir meus ; et non vocabit me, Habens me, id est Baali. Rursus in novo Testamento frequenter Deus exprimitur nomine Domini. Dominus enim potest esse nomen timoris filialis et casti, qui non excluditur ab evangelica caritate, sed eam assequitur.

18 *Et percutiam eis fœdus,* id est, Judæis ad Christum conversis dabo pacem, vel eamdem legem, *cum bestia agri, et cum volucre cœli, et cum reptili terræ,* id est cum gentilibus, qui per eorum prædicationem recipient evangelicam legem, et erunt confœderati Judæis in Christo lapide angulari, qui est pax nostra, faciens utraque unum. (*Ephes.* II, 20, 14.) Ex duobus siquidem populis, quasi ex duobus parietibus, constituit unam Ecclesiam, prout in Joanne protestatur : Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et fiet unus pastor et unum ovile. (*Joann.* X, 16.) Unde translatio Septuaginta interpretum habet : Et disponam eis testamentum in die illa cum bestiis terræ, et cum volatilibus cœli, et cum reptilibus terræ. De hac quoque gentilium ac Judæorum confœderatione loquitur Isaias : Habitabit lupus, inquiens, cum agno, et pardus cum hœdo accubabit, vitulus et ovis et leo simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. (*Is.* XI, 6.) Hinc etiam, sicut in Actibus recolitur, quum Petrus iturus esset ad conversionem gentilium, scilicet Cornelii centurionis et suorum, vidit in visu vas in quo erant omnia genera animantium, dictumque est ei ut comederet ea; quumque renueret, audivit : Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. (*Act.* X, 9 *et seq.*; *Ibid.* 15.) Porro gentiles nominibus horum irrationabilium animalium designantur : primo, quoniam bestialiter nimis vixerunt; secundo, quoniam animalia hujusmodi coluerunt, juxta illud ad Romanos : Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et serpentium. (*Rom.* I, 23.) — Spiritualiter vero per bestias agri, possunt intelligi crudeles atque tyranni; per volucres cœli, superbi; per reptilia terræ, avari, gulosi, et luxuriosi carnalibus vitiis pressi.

Hæc itaque faciam *in die illa,* id est tempore gratiæ, radiante evangelicæ veritatis splendore : de qua dicit Apostolus, Nox præcessit, dies autem appropinquavit; (*Ibid.* XIII, 12.) et Isaias, In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria. (*Is.* IV, 2.) Hæc enim præsertim fiebant, divisis et ad loca gentilium destinatis Apostolis.

Et arcum et gladium et bellum conteram de terra, id est, pace hac facta inter credentes, et crudelibus ac superbis gentilibus ad fidem conversis, tollam arma et prælia ab Ecclesia. Hoc maxime factum fuit a conversione Constantini. Nam interim persecutiones generales pro maxima parte quieverunt. Potest quoque referri ad tempus adventus Christi, quando in toto mundo pax fuit, ita quod ad unius viri imperium totus describebatur tunc orbis. (*Luc.* II, 1.) Unde habetur in Psalmo : Auferens bella usque ad finem terræ; arcum conteret et confringet arma, et scuta comburet igni. (*Ps.* XLV, 10.) In Isaia quoque : Conflabunt gladios suos in vomeres, nec exercebuntur ultra ad prælium. (*Is.* II, 4.) *Et dormire eos faciam fiducialiter,* ita quod sine timore hostium ibunt ad lectum. In pace quoque in idipsum dormient, et requiescent in spe futurorum bonorum, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. (*Ps.* IV, 9; *Is.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9.) Hinc Jeremias loquitur : In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter. (*Jer.* XXIII, 6.) Unde Septuaginta transtulerunt : Et habitare eos faciam in spe.

Et sponsabo, id est, per gratiam, fidem et caritatem conjungam, *mihi te* plebem seu congregationem fidelium, ut sis sponsa mea, *in sempiternum,* id est in præsenti et in futuro, quatenus de nuptiis viæ transferaris ad nuptias gloriæ, de quibus in Apocalypsi scribitur : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. (*Apoc.* XIX, 9.) 19

Denique triplex est sponsa Christi, videlicet : universalis, quæ est Ecclesia, cui ait Apostolus, Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo; (II *Cor.* XI, 2.) particularis, quæ est anima justi; et singularis, puta virgo Maria. Ideo quoque Dominus asserit : Sponsabo te mihi in sempiternum, quoniam statui ac nuptiis Ecclesiæ militantis et christianæ non succedet nisi status et nuptiæ Ecclesiæ triumphantis ac patriæ. Propter quod Christus promisit Ecclesiæ : Ecce (*Matth.* XXVIII, 20.)

ego vobiscum sum omnibus diebus usque A ad consummationem sæculi.

Et sponsabo te mihi in justitia, id est, dando tibi habitum et actus justitiæ, ut
Ps. xxxvi, 27. declinans a malo, et faciens bonum, reddas unicuique quod suum est; *et judicio :* quod est actus justitiæ, tanquam habitus dirigentis ad efficaciter judicandum ; et prudentiæ, tanquam habitus actum elicientis. Estque judicium discretio inter bonum et malum, verum et falsum : propter quod efficimur Deo amabiles, prout ad
Jer. xv, 19. Jeremiam Dominus fatur : Si separaveris B pretiosum a vili, quasi os meum eris. Hoc est ordinatum judicium, de quo Apostolus
I Cor. xi, 31. dicit, Si nos ipsos dijudicaremus, non ju-
Ps. i, 5. dicaremur; et Psalmista, Ideo non resurgunt impii in judicio. Propter hæc duo efficitur anima nostra apta et digna, ut sit
Sap. vii, 27. sedes seu thronus Sponsi cœlestis, juxta
Ps. lxxxviii, 15. illud in Psalmo : Justitia et judicium præparatio sedis tuæ. *Et in misericordia et miserationibus,* id est per virtutem misericordiæ et opera ejus, ut sis in te ipsa pia et clemens, compassiva quoque ad alios C
Matth. v, 7. et benefica eis. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequen-
Jacob. ii, 13. tur. Judicium vero sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam; sed et
Ibidem. misericordia superexaltat judicium, ut ait Jacobus. Oportet ergo animam quæ vult esse sponsa Dei, simul habere justitiam, judicium et misericordiam. Propter quod
Ps. cxviii, 66. orat Propheta : Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Nempe per bonitatem misericordiam, per disciplinam justitiam, per scientiam vero discretionem seu D judicium intellexit, quatenus sciat homo justitiam et misericordiam irreprehensibiliter contemperare per discretionis judicium.

20 *Et sponsabo te mihi in fide,* per dilectionem operante, qua fit primo conjunctio meritoria inter Deum et homines, quoniam
Hebr. xi, 6. sine fide impossibile est placere Deo. Pro-
Jer. v, 3. pter quod in Jeremia habetur : Domine,
Habac. ii, 4. oculi tui respiciunt fidem; et alibi, Justus in sua fide vivet. Itaque virtus et actio virtuosa, videlicet fides, justitia, judicium, misericordia, miseratio, sunt causa formalis desponsationis inter Deum et animam. Et recte ait Dominus Judææ in Christum credenti, Sponsabo te mihi in fide, non, in justitia legis : quia, ut ait Apostolus, Arbitramur hominem justificari per fidem Rom. iii, 28. sine operibus legis. Propter quod Christus sæpe testatur in Evangelio : Fides tua te Matth. ix, 22; Luc. xviii, 42, etc. salvum fecit.

Præterea, secundum Hieronymum, in hoc innotescit benignitas Dei, quod Judæam sæpius aversam et adulterantem, non solum sibi reconciliat, sed desponsat. Ter quoque eam desponsavit : primo, in Abraham; secundo, in legis datione; tertio, in Christi adventu per fidem atque Baptismum, quæ desponsatio manet in posteris usque in sempiternum. Rursus, secundum Glossam, hæc est distantia inter conjugium Dei, et conjugia hominum : quoniam homines de virgine non virginem faciunt, sed corruptam; Deus autem junctus meretricibus, efficit virgines mente integras.

Et scies per experientiam tantorum beneficiorum, *quia ego* sum *Dominus,* qui solus valeo tantam tribuere gratiam, cui nullus est similis, et cujus comparatione Ps. lxxxv, 8. omnis creatura est serva, qui solus sum Dominus universalis atque liberrimus. Unde per Isaiam fatetur : Ego Dominus, hoc Is. xlii, 8. est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo.

Et erit : In die illa exaudiam, dicit 21 *Dominus, et exaudiam cœlos, et illi exaudient terram,* etc. Locus iste duobus modis exponitur. Primo, de cœlo et terra materialibus, ac multiplicatione temporalium bonorum. Corporalia autem et inanimata exaudiri dicuntur, dum sortiuntur effectum in his ad quæ naturaliter inclinantur ac ordinantur. Corpora vero cœlestia, naturaliter inclinantur ac ordinantur ad influendum elementis et mixtis terrenis, ad fecundandum et transmutandum ea secundum certum temporum cursum. Est itaque sensus : *In die illa,* quum desponsata fuerit mihi Synagoga (modo præta-

cto), *exaudiam cœlos,* id est, influentiæ
eorum dabo effectum, ut terram fecun-
dent. Ideo subditur : *et illi exaudient ter-*
ram, influendo ei necessaria ad fructifi-
candum. Unde latio seu accessus solis in
circulo obliquo, dicitur causa generationis
22 et renovationis terræ nascentium. *Et terra*
exaudiet triticum, et vinum, et oleum, id
est, fructus istos producet secundum na-
turalem inclinationem seminis fructuum
horum. Semen enim est potentia totum,
et habet naturalem aptitudinem ad totius
productionem. *Et hæc* terræ nascentia *ex-*
audient Jezrael, id est, desiderio fidelium
satisfacient, præbendo necessaria vitæ ut
satientur. Jezrael quippe, ut dictum est,
interpretatur semen Dei : per quod intel-
ligitur congregatio justorum fidelium. De
Is. LXI, 9. quibus Isaias prædixit : Isti sunt semen
cui benedixit Dominus.

Secundo exponitur sic : *Exaudiam cœ-*
los, id est angelicos spiritus et cives cœle-
stes orantes pro viatoribus. Unde Raphael
Tob. XII, 12. dixit se Deo obtulisse orationem Tobiæ.
Vel per cœlos designantur Apostoli, de qui-
Ps. XVIII, 2. bus cantamus in Psalmo : Cœli enarrant
gloriam Dei. Hos Dominus exaudivit pro
aliis deprecantes. *Et illi* cœli exaudierunt
terram, id est homines in terra morantes,
seu militantem Ecclesiam, docendo atque
sanando, ac diversa beneficia suis audito-
ribus impendendo. *Terra* quoque exaudit
triticum, id est, Ecclesia profert suis mem-
bris verbum confortationis et sustentatio-
Ps. XXVI, 14. nis internæ, dicendo : Exspecta Dominum,
viriliter age, et confortetur cor tuum, et
sustine Dominum. Unde in libro Paralipo-
II *Par.* XV, 7. menon dicitur : Confortamini, et non dis-
solvantur manus vestræ; erit enim merces
I *Cor.* XV, 58. operi vestro. Et ad Corinthios : Stabiles
estote et immobiles, abundantes in opere
Domini semper, scientes quod labor vester
non est inanis in Domino. *Et vinum* spi-
ritualis ac mysticæ intelligentiæ, de quo
Prov. IX, 5. Sapientia ait : Bibite vinum quod miscui
vobis. *Et oleum* consolationis, de quo scri-
Ps. XLIV, 8. bit Psalmista : Unxit te Deus, Deus tuus,
oleo lætitiæ. Propter quod monet Aposto-

A lus : Consolamini pusillanimes, suscipite I *Thess.* V, 14.
infirmos, patientes estote ad omnes. *Et*
hæc exaudient Jezrael, id est, ad effectum
perducent desiderium seminis Dei. Cui ait
Christus : Nolite timere, pusillus grex, *Luc.* XII, 32.
quia complacuit Patri vestro vobis dare
regnum. Per prædicta enim spiritualia bo-
na, congregatio fidelium pertingit ad re-
gnum perpetuum.

Et seminabo eam mihi, id est, Judæam 23
conversam, præsertim Apostolos atque eo-
rum discipulos, mittam ad gloriam nomi-
B nis mei, *in terram,* id est ubique terrarum,
juxta illud, In omnem terram exivit sonus *Ps.* XVIII, 5.
eorum. Quibus in Marco dicitur : Euntes in *Marc.* XVI, 15.
mundum universum, prædicate Evangeli-
um omni creaturæ. Hi enim totum orbem
semine verbi cœlestis fecundarunt, quem-
admodum ab Isaia dictum est : Florebit *Is.* XXVII, 6.
et germinabit Israel, et implebunt faciem
orbis semine. *Et miserebor ejus quæ fuit*
Absque misericordia, id est Synagogæ, quæ
dum peccatis ac idolis deservivit, fuit ju-
ste relicta, et sine gratia gratum faciente.
C Nemo tamen est penitus sine misericordia,
quum dicat Salvator : Diligite inimicos *Luc.* VI, 35.
vestros, et eritis filii Altissimi, quia ipse
benignus est super ingratos et malos. *Et* 24
dicam Non populo meo, id est eis qui
tempore idololatriæ seu peccati non erunt
populus meus secundum præsentem justi-
tiam, quamvis fuerint populus meus se-
cundum prædestinationem æternam : *Po-*
pulus meus es tu, per caritatem et gratiam,
credendo in Christum. Vel loquitur non de
eisdem numero, sed specie. *Et ipse dicet :*
D *Deus meus es tu,* et summum et totum bo-
num meum, in quo spes mea et salus con-
sistit : quemadmodum scriptum est : In *Ps.* LXI, 8.
Deo salutare meum, et gloria mea; Deus
auxilii mei, et spes mea in Domino.

Quidam exponunt hunc locum de genti-
litate conversa, quia ad hunc sensum vi-
detur Apostolus allegare hæc verba ad Ro- *Rom.* IX, 25.
manos. Est itaque, secundum hoc, sensus :
Miserebor tempore gratiæ, *ejus quæ fuit*
Absque misericordia, id est gentilitati, quæ
diu abjecta fuit a Deo. *Et dicam Non po-*

pulo meo, id est gentilibus, qui tempore A
suæ infidelitatis erant non populus meus :
Populus meus es tu. De istis enim in Isaia
Is. LII, 15. habetur : Quibus non est narratum de eo,
viderunt ; et qui non audierunt, contem-
plati sunt. Ad Ephesios quoque Paulus :
Vos qui aliquando eratis longe, nunc facti *Ephes.* II,
estis prope in sanguine Christi. De quibus 13.
et Petrus locutus est : Qui aliquando non I *Petr.* II,
populus, nunc autem populus Dei. 10.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO MORALIS HUJUS SECUNDI CAPITULI.

I *Cor.* x, 11. QUONIAM, teste Apostolo, omnia in fi- B
gura contingebant Judæis, quæ de po-
pulo veteris Testamenti litteraliter dicta
sunt, ad Ecclesiam sunt moraliter retor-
quenda. Secundum hoc, sensus hujus ca-
1 pituli est : *Dicite,* o veri Christiani, *fra-*
tribus vestris christifidelibus, quod sint
populus meus : quemadmodum Petrus in-
I *Petr.* II, 9. ducit, Vos genus electum, regale sacerdoti-
um, gens sancta, populus acquisitionis ; *et*
sorori vestræ, id est cuicumque particu-
lari Ecclesiæ, vel congregationi devotæ,
quod sit *misericordiam consecuta.* Com- C
memorare enim debemus alterutrum be-
neficia Dei, ut gratiores Deo reddamur, et
ejus succendamur amore, atque dicamus :
Ps. CXV, 12. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ
retribuit mihi ? Interdum etiam licet et
expedit, fratres ferventes ac diligentes in
opere Dei laudare, sicut Apostolus uber-
tim suos commendavit discipulos, quate-
I *Cor.* XII, nus provocentur ad meliora et animentur,
1 ; II, 12. sciantque quæ a Deo donata sunt eis. Sicut
enim imperfecti et vani laudibus extollun-
tur ac seducuntur, juxta quod Dominus D
Is. III, 12. ait per Isaiam, Popule meus, qui te bea-
tum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam
gressuum tuorum dissipant ; sic discreti
et virtuosi dum laudantur, amplius intra
se humiliantur, scientes quod a se ipsis
nihil habeant, et tanto amplius teneantur
Deo cum humilitate et gratitudine famu-
lari, quanto majora et plura fuerint dona
Ibid. 10. a Deo sortiti. Ideo in Isaia legitur : Dicite
justo quoniam bene, quoniam fructum ad-
inventionum suarum comedet.
Deinde Dominus ait viris perfectis de
aliorum salute sollicitis : *Judicate,* id est, 2
redarguite et vere discernite, *matrem ve-*
stram, id est religionem prolapsam, in qua
regula non servatur, vel Ecclesiam reci-
divantem, quæ in Christi obsequio non
constabilitur ; *quoniam ipsa non uxor*
mea, et ego non vir ejus. Talis enim ma-
ter quum sit a summo bono aversa, et
Christi amori beneficiisque ingrata, non
est sponsa sui Creatoris, sed meretrix.
Quum dicat Salvator, Nolite judicare, ne *Matth.* VII,
judicemini ; et Paulus, Seniorem ne incre- 1.
paveris : quomodo nunc jubentur filii ma- I *Tim.* V, 1.
trem judicare ? Et respondendum, quod in
manifestis licitum est judicare cum debito
moderamine. Seniores quoque, qui vere
seniores sunt, non sunt increpandi ; sed
maledictus puer centum annorum. *Is.* LXV, 20.
Huic insuper fornicariæ atque apostatæ
matri, quæ inhæret creaturis magis quam
Creatori, præcipit Dominus ut fornicatio-
nes et adulteria sua spiritualia atque car-
nalia abjiciat et derelinquat, sobrie, pie, *Tit.* II, 12.
et juste vivendo in hoc sæculo ; et illud
unum quod solum et summe necessarium *Luc.* x, 42.
est, fideli mente contemplando, amando
ac retinendo. *Ne forte exspoliem eam nu-* 3
dam, id est sacramentis ac ceteris bonis
Ecclesiæ eam omnino destituam, dicatur-
que ei illud Apocalypsis : Quia tu es mi- *Apoc.* III,
sera et miserabilis, pauper, cæca et nuda. 17.

Et statuam eam secundum diem nativitatis suæ, id est in tanta vilitate, pravitate et egestate, quantam habebat tempore gentilitatis, vel antequam perveniret ad Christi Baptismum : ita ut penitus obtenebre-
Matth. xii, 45. tur et induretur peccatis, et fiant novissima ejus pejora prioribus. Imo quodammodo damnabilius est in Christianismo, quam in gentilitate, peccare enormiter, quum
II Petr. ii, 21. melius sit viam justitiæ ignorare, quam
Luc. xii, 47. agnitam non implere ; et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis. *Et ponam eam* B *quasi solitudinem, et velut terram inviam.* Interdum Ecclesia exigentibus suis peccatis, hæc mala corporaliter patitur, ita quod hostibus traditur atque conteritur. Spiritualiter vero ponitur quasi solitudo, dum divina inhabitatione privata, omnem virorem virtutum, omnem fecunditatem actionum sanctarum, omnemque communionem spiritualium miserabiliter perdit. Ponitur quoque ut terra invia, dum in omnibus agit inordinate, nec procedit per medium rationis, sed per vitiorum extre- C ma, ita quod quicumque sequitur eam, erret, sicut qui ambulat per terram non tritam.

4 *Et filiorum illius non miserebor,* nisi pœnitentiam egerint : sicut ait Salvator,
Ibid. xiii, 5. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. *Quoniam filii fornicationum sunt,* id est, matris suæ vitia imitantur,
Ezech. xvi, 44, 45. juxta illud Ezechielis : Sicut mater, ita et filii ejus, et filia matris tuæ es tu. Tales sunt omnes solo nomine informique fide Christiani, et solo habitu vel simulatione D religiosi, qui majorem damnationem reci-
5 pient. *Confusa est quæ concepit eos :* id est, ecclesia malignantium, vel religio prævaricantium, quæ alios fovet in errore et vitiis, confusione digna effecta est, abominabilia opera exercendo : quibus con-
II Petr. ii, 22 ; Prov. xxvi, 11. tingit illud veri proverbii, Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti. Tanto enim confusibilius est Christianum peccare quam alium, quanto amplior dignitas majorque gratia Christianis a Christo collatæ sunt, quam alicui usquam nationi.

Quia dixit : Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas et lanam et linum. Tales sunt avari, gulosi, et de providentia divina diffidentes, qui sollicitantur in crastinum, et magis confidunt in hominibus quam in Deo : propter quod divitibus atque potentibus sæculi blandiuntur, et in illicitis obsequuntur, quatenus terrena ab eis commoda consequantur. Unde dum temporales adipiscuntur divitias, non cogitant eas sibi a Deo principaliter condonari : propter quod nec gratias referunt ei, nec pauperibus eas communicant. Multi quoque studentium vadunt post amatores suos, id est philosophos, in quorum dictis die ac nocte se occupant, obliviscentes legis Dei, mandatorumque ejus. Contra quos dicit Ecclesiasticus : Quæ Eccli. iii, 22. præcepit tibi Deus, illa cogita semper ; et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Qui philosophi dant eis panem vanæ scientiæ, et aquam agnitionis insipidæ, per quos sibi conquirunt et cumulant lanam et linum, id est pertinentia ad victum atque vestitum.

Propter hoc, ecce ego sepiam viam tu- 6
am spinis, id est, doloribus et ærumnis variisque diffortuniis, studia vanitatis tuæ et desideria inordinata ab effectu impediam, ut qui non vis blandis et prosperis allici, corrigaris adversis, et sic compellaris intrare : quod utique ad misericordiam pertinet. *Et sepiam eam maceria,* id est grandi aliquo vel inevitabili obstaculo.
Et sequetur per affectum *amatores suos,* 7
homines mundanos, sive philosophos, *et non apprehendet eos,* id est, sibi prodesse non poterunt, nec de adversitatibus suis eripere. Unde ait Hieronymus : Ex his intelligimus, quod providentia Dei sæpe nobis contingant adversa et accidant mala, ne habeamus quæ cupimus, et variis calamitatibus hujus sæculi ac miseriis, ad Dei servitutem redire cogamur. Quocontra de reprobis Dominus testatur : Dimisi eos Ps. lxxx, 13. secundum desideria cordis eorum, ibunt

in adinventionibus suis. Vere enim cle- A
mentissime agit Omnipotens, dum mala
affectantibus, et peccare optantibus ponit
obicem, ne quod impie cupiunt, scelera-
tius perpetrent. Propter quod in libro Ma-
II *Mach.* vi, 13. chabæorum habetur : Etenim multo tem-
pore non sinere peccatoribus ex sententia
agere, sed statim ultiones adhibere, magni
beneficii est indicium.

Et dicet, erudita flagellis : *Vadam,* decli-
nando a malo, *et revertar,* faciendo bonum
ac pœnitendo, *ad virum meum priorem,*
id est ad Sponsum cœlestem, unigeni- B
tum Filium Dei, cui in Baptismo fueram
desponsata ; *quia bene mihi erat tunc,*
dum ei ex fide, dilectione, et bonis adhæ-
si operibus, *magis quam nunc,* quum ab
eo aversa, tantis afficior malis. Hoc modo
Ps. xxxi, 4. videtur redisse ad Deum, qui ait : Die ac
nocte gravata est super me manus tua ;
conversus sum in ærumna mea dum con-
Jer. xxxi, 18, 19. figitur spina. Propterea Jeremias ait : Casti-
gasti me, et eruditus sum quasi juvencu-
lus indomitus : postquam enim convertisti
me, egi pœnitentiam ; et postquam osten- C
disti mihi, percussi femur meum. Deni-
que, ampliorem pacem, dulciorem quietem
et veræ hilaritatis copiam abundantiorem
habet anima Deo inhærens ac serviens,
quam quæ carnalibus ac mundanis intenta
Ps. xxxiii, 20. est rebus, quamvis sæpe multæ sint tribu-
II *Cor.* i, 4. lationes justorum : quoniam Deus consola-
bitur eos in omni tribulatione ipsorum, ut
Ps. xciii, 19. dicere queant, Secundum multitudinem
dolorum meorum in corde meo, consola-
tiones tuæ lætificaverunt animam meam.
Eccle. ii, 26. Unde Ecclesiastes dicit : Peccatori dedit D
Deus afflictionem et curam superfluam.
8 *Et hæc nescivit, quia ego dedi ei fru-
mentum et vinum et oleum.* Sic multi
nomine tenus Christiani, non pensant se
omnia a Deo adeptos, sed de suis se ja-
ctant divitiis, quasi non acceperint. Spiri-
tualiter vero contulit nobis Deus frumen-
tum et vinum, id est, corpus et sanguinem
Christi, de quibus in Zacharia habetur :
Zach. ix, 17. Quid bonum Domini, et quid pulchrum
ejus, nisi frumentum electorum, et vinum
germinans virgines ? In Psalmo quoque,
ubi nostra translatio habet, Erit firmamen-
tum in terra in summis montium, alia
habet, Erit frumentum, etc., quod certum *Ps.* lxxi, 16.
est dici de Christo, de quo in illius psalmi
fertur exordio : Deus, judicium tuum regi
da. Dedit etiam nobis oleum unctionis,
quo omnes Christiani unguntur, ut sint
genus regale ac sacerdotale. In veteri au-
tem Testamento non nisi reges et sacer-
dotes ungebantur, secundum Augustinum.
Interdum tamen ungebantur aliqui in pro-
phetas. Dedit et nobis oleum, id est dulce
memoriale nominis Jesu Christi, de quo
Sponsa in Canticis : Oleum, inquit, effu- *Cant.* i, 2.
sum nomen tuum. *Et argentum multipli-
cavi ei,* id est gratiam eloquentiæ in Scri-
pturis : alii enim datur sermo sapientiæ, I *Cor.* xii, 8.
alii sermo scientiæ ; *et aurum,* id est di-
vinorum notitiam ; *quæ fecerunt Baal,* id
est, donis istis abusi sunt, fabricantes sibi
proprii dogmatis sectam, quod tanquam
idolum coluerunt : quod certum est præ-
cipue convenire hæreticis, et ceteris pro-
prii sensus defensoribus. Quocontra clamat
Apostolus : Noli verbis contendere ; et II *Tim.* ii, 14.
iterum, Id ipsum dicatis omnes, et non I *Cor.* i, 10.
sint in vobis schismata. *Idcirco convertar,* 9
id est, ad istorum justam punitionem me
vertam, *et sumam frumentum meum,* id
est, bona prædicta tollam ab ea, ne illis
de cetero abutatur.

Et nunc revelabo stultitiam ejus in ocu- 10
lis amatorum ejus : id est, vanitatem, er-
rores et vitia præinductæ impiæ matris
seu congregationis rebellis, manifestabo
amatoribus ejus, quos ipsa dilexit, quam-
vis ipsi odiant eam, et visa ejus stultitia
ipsam irrideant : qui sunt homines penitus
sæculares, de confusione fidelium glorian-
tes. *Et cessare faciam omne gaudium ejus* 11
spirituale : quod ab Apostolo ponitur inter *Galat.* v, 22.
fructus Spiritus Sancti. De quo dicitur :
Non est gaudere impiis, dicit Dominus. *Is.* xlviii, 22 ; lvii, 21.
Facit quoque Deus cessare lætitiam impio-
rum, vel inducendo adversa, vel auferendo
eos celeriter de præsenti hac vita, vel pro-
jiciendo eos in tormenta tartarea. Hinc in

Job xx, 5. Job scriptum est : Laus impiorum brevis A
est, et gaudium hypocritæ ad instar pun-
Ps. LXXII, 19. cti. Et in Psalmo : Quomodo facti sunt in
desolationem? Subito defecerunt, perie-
runt propter iniquitatem suam. Ideo di-
Sap. v, 9, 11. cunt in libro Sapientiæ : Transierunt om-
nia illa tanquam umbra, et sicut nuntius
præcurrens et avis transvolans. Faciam
quoque cessare *solennitatem ejus, et om-
nia festa temporum ejus.* Videmus quo-
modo in diversis regnis destructa sit Re-
ligio, et omnis solennitas Christianorum a
Sarracenis et aliis propter peccata Eccle- B
siæ, quæ ob crimina sua privata est Terra
sancta ac Sepulcro Domini sui. Denique in
his qui diebus festis plus solito vacant
II *Cor.* VII, 1. inquinamentis carnis et spiritus, aufert
Deus veram solennitatem, ita ut dicat :
Is. I, 14. Solennitates vestras odivit anima mea.

12 *Et corrumpam vineam ejus et ficum
ejus.* Per vinum lætitia cordis, per ficum
dulcedo temporalis jucunditatis intelligi
datur, secundum Glossam. Est itaque sen-
sus, quod delectationi ac suavitati inobe-
dientis Ecclesiæ, omniumque transgresso- C
rum, variæ amaritudines commiscentur.
Nam animus inordinatus sibi ipsi est pœ-
Sap. XVII, 10. na, semperque præsumit sæva conscientia
perturbata, et conscientia mala affligit in-
Job XV, 21. justum. Propter quod in Job legitur : So-
nitus terroris semper in auribus impii; et
quum pax sit, ille semper insidias suspi-
Matth. XIII, 22. catur. Idcirco in Evangelio per spinas in-
telliguntur divitiæ. *De quibus dixit : Mer-
cedes hæ, meæ sunt, quas dederunt mihi
amatores mei.* Multi enim obtenebrati, bo-
na quæ habent, magis adscribunt parenti- D
bus vel amicis, quam Domino. *Et ponam
eam in saltum,* id est, multitudini infru-
ctuosarum arborum eam parificabo : sic-
Joann. XV, 6. ut Christus disseruit, Si quis in me non
manserit, mittetur foras sicut palmes, et
arescet. Peccator enim impœnitens, in-
fructuosa arbor vocatur, de qua dicitur :
Matth. III, 10; VII, 19. Omnis arbor quæ non fecerit fructum bo-
num, excidetur et in ignem mittetur. *Et
comedet eam bestia agri,* id est diabolus,
Ps. LXXIII, 14. de quo ait Psalmista : Tu confregisti capita
draconis. Qui tunc hominem comedit, dum
ei per peccata mortalia incorporatur, et
ejus dominationi seu pœnis inferni addi-
citur.

Et visitabo super eam dies Baalim, id 13
est peccata quæ fecit, serviendo creaturis
magis quam Creatori. *Et ornabatur inaure
sua et monili suo,* id est variis ornamentis
corporis in auro, argento, gemmis et vesti-
bus, quatenus pulchritudinem quam non
habuit per naturam, adipisceretur per ar-
tem, *et ibat post amatores suos,* ut place-
ret hominibus, non attendens illud Psal-
mographi, Quoniam Deus dissipavit ossa *Ps.* LII, 6.
eorum qui hominibus placent; et illud,
Quicumque voluerit amicus hujus mundi *Jacob.* IV, 4.
fieri, inimicus Dei constituetur. Porro spi-
ritualiter inauris est doctrina, quæ per
aurem percipitur; monile vero est præ-
dicatio, quæ per collum emittitur. Elati
itaque et inanes, tunc inaure atque monili
se ornant, dum docendo aut prædicando
cupiunt eloquentes et docti reputari, ab
audientibusque laudari.

Propter hoc, ecce ego lactabo eam : id 14
est, Ecclesiam vel animam diu afflictam,
scilicet pœnitentem, et ad me fideliter
suspirantem, consolabor et lætificabo, ita
ut per Christum abundet consolatio ejus, II *Cor.* I, 5.
et gustet quam suavis est Dominus, dicat- *Ps.* XXXIII, 9.
que illud Threnorum : Bonus est Dominus *Thren.* III, 25.
sperantibus in se, animæ quærenti eum.
Ad hujus lactationis desiderium admonet
Petrus in sua prima Canonica : Quasi mo- I *Petr.* II, 2.
do geniti infantes lac concupiscite. Qui
vero sic cupit lactari a Deo, renuat interim
consolari in rebus mundanis, vanis atque
carnalibus, omnem adulterinam delecta-
tionem contemnens.

Et ducam eam in solitudinem, id est, ad
locum quietum : quemadmodum Christus
ascendit in montem solus orare. Qui et *Matth.* XIV, 23.
dixit discipulis : Venite seorsum in deser- *Marc.* VI, 31.
tum locum, et quiescite pusillum. Solita-
rius etenim locus, et quies ab exteriori
tumultu hominumque occursu, maxime
confert ad stabilem ac sincerissimam Dei
contemplationem, ad sui ipsius idoneam

discussionem, ad cordis munditiam, ad A orationum fervorem, ad psalmodiæ dulcedinem, ad illius quoque unius quod solum *Luc.* x, 42. necessarium est, amorosum, frequentem stabilemque amplexum. Propter quod in Threnis scriptum est : Bonum est cum *Thren.* III, 26, 28. silentio præstolari salutare Dei; sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se. Et Isaias ait : In silentio et spe erit *Is.* xxx, 15. fortitudo vestra. Ideo pœnitens ait : Similis factus sum pelecano solitudinis. *Ps.* CI, 7. *Et loquar ad cor ejus,* mentem illuminando et consolando, juxta illud : Audiam quid B loquatur in me Dominus Deus. *Ps.* LXXXIV, 9. Qui enim ab humana consolatione et allocutione propter Deum se abstrahunt, merentur doceri et lætificari a Deo. Unde quum Psalmista dixisset, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! *Ps.* xxx, 20. consequenter ostendit quibus illa præstetur : Abscondes eos in *Ibid.* 21. abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum; proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum. Hinc et propheticæ revelationes communiter factæ sunt non in turbis, sed in locis seorsum. C

15 *Et dabo ei vinitores,* id est pastores, *ex eodem loco,* id est de numero Christianorum hujusmodi, qui pascant gregem dominicum verbo, vita, et precibus; *et vallem Achor ad aperiendam spem.* Hæc vallis Achor, seu vallis Conturbationis, est caro nostra mortalis, quæ luctatur et concupiscit adversus spiritum : *Galat.* v, 17. quæ tunc fidelibus datur, quando per gratiam Dei inordinati motus passionum rationis judicio subjiciuntur : propter quod aperitur eis spes salutis, quando videlicet corpore rationi D per omnia obtemperante, serviunt Deo. Ista subjectio mansuetis specialiter est promissa apud Matthæum : Beati mites, quoniam *Matth.* v, 4. ipsi possidebunt terram.

Et canet, id est, Deum laudabit, *ibi,* videlicet in solitudine, vel prædicta subjectione, *juxta dies juventutis suæ,* id est, sicut fecit Ecclesia primitiva, *et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti,* id est, quemadmodum egit in conversionis suæ exordio, quando de sæculari conversatione et mundi hujus caligine, ad spiritualem vitam accessit. Ut enim Apostolus asserit, Deus eripuit nos de præsenti sæculo nequam (quod per Ægyptum, quæ interpretatur tenebræ, figuratur), *Galat.* I, 4. et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. *Coloss.* I, 13. Solet autem in principio conversionis esse specialis fervor devotionis. Sed multi quum spiritu cœperint, carne consummantur : *Galat.* III, 3. qui tamen quum præinducto modo fuerint lactati, abstracti, atque affati a Deo, redeunt pristinum ad fervorem, et denuo divinis intenti sunt laudibus, sicut olim, ita ut impleant illud Apostoli ad Ephesios : Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes pro omnibus semper. *Ephes.* v, 18-20. Illud quoque in Psalmo : Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum. *Ps.* CIII, 33.

Et sponsabo te mihi in sempiternum. 19
Multiplex est desponsatio Dei cum rationali creatura, et secundum hoc assignantur multiplices nuptiæ. Est enim desponsatio personalis, videlicet hypostatica unio Verbi cum natura humana, cujus thalamus fuit uterus Virginis, juxta illud : Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. *Ps.* XVIII, 6. De quibus nuptiis habetur in Evangelio : Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. *Matth* XXII, 2. Secunda est desponsatio spiritualis et temporalis per fidem et gratiam, de qua agitur modo quum dicitur, Desponsabo te mihi in fide. Tertia est desponsatio spiritualis et æternalis in palatio majestatis per beatificam visionem, de qua in Matthæo habetur : Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. *Ibid.* xxv, 10. Sunt quoque nuptiæ carnales et sacramentales. Sacramentales autem in paradiso, a Deo cœptæ, institutæ sunt. Unde de eis quoque scriptum est : Erunt duo in carne una. *Gen.* II, 24. Dicitque Apostolus : Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. *Ephes.* v, 32. Denique, quam ineffabilis dignitas animæ est, ut sit sponsa dilecti ac unigeniti Filii Dei! Expurget se ergo ab omni

affectu carnali, et sola quærat cœlestia, quatenus Sponso suo pura, stabilita ac integra mente adhæreat.

21 *Et erit : In die illa, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram.* Istud secundum sensum in præcedenti articulo positum, quotidie adimpletur, dum Deus homines virtuosos, quorum conver- (Philipp. III, 20.)

A satio in cœlis est, exaudit pro se ipsis et aliis. Illi quoque exaudiunt terram, id est peccatores et pœnitentes, auxiliando eis pro posse in omnibus, utpote instruendo, orando, increpando, et gratiam sibi concessam, ipsis liberalissime impertiendo. — Postremo moralitas eorum quæ nunc omissa sunt, patet ex præcedenti articulo.

ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : ET DIXIT DOMINUS AD ME : ADHUC VADE.

CONSEQUENTER prænuntiatur verbis et facto Judæorum ultima ac longissima derelictio, atque eorumdem circa finem mundi finalis conversio. Ut enim in primi expositione capituli habitum est, Prophetæ quandoque verbis, interdum factis prophetant.

1 *Et dixit Dominus ad me : Adhuc vade et dilige mulierem dilectam amico.* Sicut jam semel, me imperante, ivisti et accepisti fornicariam, et filios fornicationum tibi fecisti, sic nunc denuo vade et dilige mulierem dilectam amico, id est, quæ viro suo ac sponso dilecta fuit et cognita antequam adulteraretur, *et adulteram,* quæ viro suo fidem conjugalem non conservavit, propter quod juste ab eo dimissa est. Hanc mulierem jubetur Propheta diligere, ut retrahat eam ab adulteriis, non ut ei copuletur sive condormiat : non enim cognovit eam, secundum Hieronymum. Porro dilectio ista, figurativa fuit dilectionis Dei ad filios Israel, spiritualiter cum idolis adulterantes. Ideo subditur : *sicut diligit Dominus filios Israel,* id est, sic dilige hanc indignam, a qua non diligeris, sed aspernaris, sicut diligit Dominus, vel sicut ego Dominus diligo Israeliticum populum, a quo non amor, sed spernor. Unde in hoc est similitudo, quod adultera et populus Israel diliguntur gratuite, et ob similem finem, videlicet ut cessent a culpa.

B *Et ipsi* filii Israel *respectant ad deos alienos,* id est, idola frequenter adspiciunt cum veneratione et cultu nefario, *et diligunt vinacia,* id est acina seu folliculos, *uvarum,* ex quibus vinaciis expressus est vini liquor. Sicque vinacia vacua permanserunt. Per hæc vinacia uvarum, intelliguntur vituli aurei, et cetera idolorum portenta, quæ filii Israel coluerunt ; vel dæmones, secundum Hieronymum, Bedam, et Glossam, quos coluerunt in idolis. Qui, secundum Hieronymum, a propria digni- C tate prolapsi sunt, et nihil antiquæ gratiæ possidentes, aridi sunt et veteri siccitate marcescentes : propter quod per vinacia designantur. Denique Beda dicit, et partim habetur in Glossa, quod dæmones quamdiu in sua dignitate steterunt, velut uvæ erant, id est pinguedine Spiritus Sancti refecti ; postquam vero superbientes, Deo assimilari voluerunt, evacuati gratia Spiritus Sancti, velut steriles de cœlo projecti sunt. Ex quibus sequi videtur, quod fuerunt in gratia gratum faciente creati, præ- D sertim quum asserat Glossa quod erant in magna pinguedine Spiritus Sancti creati : quod Thomas et alii multi defendunt.

Quæritur, quomodo Deus diligere dicitur filios Israel tam iniquos, quum in libro Sapientiæ scriptum sit, Odio sunt Deo impius et impietas ejus ; atque in Psalmo, Odisti omnes qui operantur iniquitatem. (Sap. XIV, 9. Ps. V, 7.)

Et respondendum, quod Deus diligit omne creatum, quantum ad id quod est per naturam. Quæ quum sit a bono Creatore producta, bona amabilisque consistit. Unde et Deus conservat eam in esse. Peccatores quoque diligere dicitur, quia quantum in se est, non vult mortem eorum, sed ut convertantur et vivant, et debitam eorum vindictam misericorditer differt, semperque paratus est eorum pœnitentiam acceptare ac indulgere. Sic quoque dilexit idololatras Israeliticos. Vel dicitur eos diligere propter temporalia bona quæ exhibet eis, et quia finaliter convertentur. Verumtamen Deus non dicitur reprobos absolute diligere, quoniam voluntate simpliciter dicta seu consequente non vult, nec impendit eis, bona gratiæ finalis in præsenti, bonaque gloriæ in futuro.

Ezech. XVIII, 23.

Pro eo quod nostra translatio habet, Dilectam amico, quidam dicunt in Hebræo haberi, Dilectam socio. Sed his obviat, quod Septuaginta interpretes pro Dilectam amico, transtulerunt, Diligentem mala. Unde probabilius puto, quod nomen Hebraicum, ad amicum, ad socium, et ad mala, æquivocum sit. Nam et Hieronymus dicit, quod significet amicum et mala. Sicque in Hebræo non magis habetur, Dilectam socio, quam, Dilectam amico, sed aliquid ad utrumque indifferens. Rursus pro eo quod nostra translatio habet, Vinacia, dicunt in Hebræo haberi, Scyphos, vel, Dolia, ita quod filii Israel arguuntur de ebrietate, eo quod ament vasa vinorum, propter vina in eis contenta. Quibus obviat, quod nec Septuaginta, nec Symmachus, nec Aquila sic transtulerunt. Unde aptius dici potest, quod sermo Hebraicus sit æquivocus, et sic nostra translatio non dissonat ab Hebræo, nec aliter habere dicenda est, quam Hebraica continet veritas.

Præterea ista adultera, secundum Hieronymum, præsens tempus significat Judæorum, qui sine notitia Scripturarum et gratia Spiritus Sancti diliguntur modo prætacto a Domino, qui omnium exspectat salutem, et pœnitentibus aperit januam.

A Unde per filios Israel supra significatæ sunt decem tribus. Sed hoc loco per filios Israel, intelliguntur duodecim tribus nunc derelictæ a Deo, ut dicit Hieronymus. Et ita adultera ista designat totum populum Judæorum incredulum, non decem tribus, vel Juda dumtaxat : quamvis quidam dicunt oppositum. Et hoc in sequentibus clarius innotescet.

Consequenter describitur obedientia Pro-
phetæ, seu divinæ exsecutio jussionis. *Et* 2
fodi eam mihi, id est, adulteram istam
B conduxi, non ut ei condormiam, sed ut ipsa pretio, quo eam conduco, contenta, cesset adulterare, nec aliis solito copuletur. Septuaginta transtulerunt, Conduxi eam mihi. Sed Hieronymus transtulit, Fodi, ad insinuandum quod ista adultera Synagogam designet, quæ in Scripturis dicitur vinea Dei. Vinea autem colitur fossione. *Quindecim argenteis,* id est tot nummis, *et coro,* id est triginta modiis, *hordei, et dimidio coro,* id est quindecim modiis, hoc est quadraginta quinque modiis hor-
C dei. Per quindecim argenteos designatur, quod filii Israel quinto decimo die mensis primi de Ægypto educti sunt, et in Dei servitutem conducti, primogenitis Ægyptiorum percussis. Per modios vero quadraginta quinque, significatur quod filii Israel quadragesimo quinto die postquam Ægyptum egressi sunt, venerunt ad montem Sinai : in quo divino obsequio vehementius deputati sunt, legem recipiendo. Quæ *Exod.* XII, XIX, etc.
omnia patent in Exodo. *Et dixi ad eam :* 3
Dies multos, id est longo tempore, *exspe-*
D *ctabis me,* propter pretium istud quo te conduxi ne forniceris. *Non fornicaberis* cum alienis, *et non eris viro,* id est, nulli jungeris, etiam nec mihi qui te conduxi, sed absque coitu materiali et adulterino manebis : ad insinuandum quod Judæi in hac captivitate nec idola colant, nec Deum habeant verum. Sicque nec spiritualiter per idololatriam fornicantur, nec Sponso cœlesti junguntur. *Sed et ego exspectabo te,* ut tuam fidelitatem et continentiam comprobem atque experiar. Nec interim

fornicabor, sed pari par referam, ne putes A tibi factam injuriam. Per hoc designatur, quod Dominus Judæorum finalem conversionem exspectat.

Deinde ponitur ratio hujus prophetici facti, et figura per rem figuratam exponi-
4 tur. *Quia,* id est, ideo dixi quod diu me exspectabis, nec eris viro, *dies multos,* videlicet usque ad adventum Eliæ, *sedebunt,* id est, erunt seu permanebunt, *filii Israel,* id est duodecim tribus, qui proprie sedent, non stant, quoniam terrenis immersi et vitiis pressi nequeunt contemplari B cœlestia, nec ad virtutes assurgere. Unde terrenam prosperitatem temporaleque regnum præstolantur in Messiæ adventu. *Sine rege, et sine principe,* id est pontifice : non enim habent jam regem aut principem de semine suo, sed aliorum ditioni subduntur. Potestque per regem et principem, idem intelligi Christus, de quo Jere-
Jer. XXIII, 5. mias ait : Regnabit Rex et sapiens erit.
Ezech. XXXIV, 24. Ezechiel quoque de ipso loquitur : Servus meus David princeps eorum. *Et sine sacrificio, et sine altari :* quia a tempore C Titi ac Romanorum, destructa Jerusalem et templo combusto, non potuerunt hostias immolare legales, nec habuerunt altare. Non enim possunt holocausta sua quocumque loco offerre, sed in eo dumtaxat licuit eis hæc immolare, quem Deus specialiter ad hoc elegit, videlicet in Jerusalem. Propter quod in Deuteronomio scriptum est :
Deut. XII, 13, 14. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris; sed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum.

Et sine ephod, id est veste sacerdotali, D quod proprie dicitur superhumerale. Quandoque etiam ephod vocatur vestis linea cujus usus erat in Dei obsequio, quemad-
I *Reg.* II, 18. modum primo Regum legitur Samuel in-
II *Reg.* VI, 14. dutus ephod lineo : quo et David erat indutus, ludens et saliens ante Dei arcam. Verumtamen hoc loco sumitur ephod pro quocumque indumento sacerdotali. Propterea pro Ephod, Septuaginta transtulerunt, Sacerdotium. *Et sine theraphim,* id est imaginibus Cherubim et Seraphim quæ erant in templo, quæ simul cum templo cessaverunt. Theraphim proprie appellantur simulacra seu figuræ; sed nunc pro Cherubim ac Seraphim aliisve quibuslibet templi ornamentis sumuntur, secundum Hieronymum. Quidam per theraphim intelligunt imagines in quibus solebant dæmones dare responsa : quibus obviat, quod omnia quibus filii Israel dicuntur hoc loco privari, pertinere videntur ad pœnam eorum atque miseriam propter eorum peccata. Esse vero sine hujusmodi theraphim, felicius est quam ea habere. Denique ephod et theraphim erant in habitaculo Levitæ *Judic.* XVII, 5.
qui erat sacerdos Michæ, ut legitur in fine Judicum.

Et post hæc, finita captivitate ista lon- 5
gissima, *revertentur filii Israel,* spirituali reversione, redeundo ab infidelitate et vitiis ad fidem Christi atque virtutes : quod fiet circa finem mundi, prædicantibus Enoch atque Elia; *et quærent* sanctis af- *Malach.* IV, 5, 6.
fectibus, fide atque operibus, *Dominum Deum suum,* quem nunc interim non habent, sed per incredulitatem perdiderunt, *et David regem suum,* id est Christum (ut omnes exponunt), de stirpe David progenitum : qui est verus David, id est desiderabilis adspectu et manu fortis; de quo cantatur, Speciosus forma præ filiis homi- *Ps.* XLIV, 3.
num; et, In quem desiderant angeli pro- I *Petr.* I, 12.
spicere; itemque, Dominus fortis et potens, *Ps.* XXIII, 8.
Dominus potens in prælio. Frequenter autem in Scripturis propheticis exprimitur Christus nomine David, ut quum dicit Jeremias : Servient Domino Deo suo, et Da- *Jer.* XXX, 9.
vid regi suo, quem suscitabo eis. Iste est igitur rex Judæorum, secundum quod ait : Ego autem constitutus sum rex ab eo su- *Ps.* II, 6.
per Sion montem sanctum ejus. Habet namque in vestimento et in femore suo *Apoc.* XIX, 16.
scriptum, Rex regum et Dominus dominantium. Hunc quærent Judæi, detecta Antichristi fallacia. Unde translatio Chaldaica authentica apud Hebræos, habet hoc loco : Post hoc revertentur filii Israel, et quærent cultum Dei sui, et obedient Messiæ filio David.

Et pavebunt, id est, reverentialem timorem concipient, *ad Dominum* Salvatorem, fide ejus recepta, *et ad bonum,* id est beneficia *ejus,* vel ad promissa cœlestia, ita quod formidabunt esse ingrati vel cœlesti felicitate privari. Unde in Isaia habe-
Is. VIII, 13. tur : Dominum exercituum sanctificate ; ipse pavor vester, et ipse terror vester. Sic et nos debemus pavere ad Dominum, et ad bonum ipsius, ut simus tanto amplius timorati, quanto pluribus atque majoribus beneficiis Christi præventi. Sic ergo *in novissimo dierum,* videlicet circa finem
I *Cor.* X, 11. mundi. Nam et nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt, secundum Apostolum. In prima quoque Joannis legitur Ca-
I *Joann.* II, 18. nonica : Novissima hora est.

Præterea, ut refert Hieronymus, quidam Judæorum referunt præsens capitulum ad Babylonicam captivitatem, quando septuaginta annis desolatum est templum et altare, victimæ quoque et sacerdotium, et postea sub Zorobabel in Judæam reversi sunt. Sed isti assignare non queunt hujus dirissimæ ac longissimæ captivitatis causam, in qua jam mille et quadringentis circiter annis fuerunt, præsertim quum idola detestentur, nisi fateantur se Christum occidisse. Prædictus etiam error de-

A struitur per hoc quod ait Propheta, In novissimo dierum : quasi dicat, In termino ultimæ ætatis mundi. Post Babylonicam quoque captivitatem non receperunt Christum eis missum, nec pavebant ad bonum ejus, nisi paucissimi aliorum respectu. Loquitur ergo de hac eorum captivitate finali, in qua sedent aversi a Deo. De qua Daniel inducit : Finis ejus vastitas, et usque *Dan.* IX, 26, 27.
in finem perseverabit desolatio; et Psalmista : Effunde super eos iram tuam, et *Ps.* LXVIII, 25.
furor iræ tuæ comprehendat eos.

B Postremo, secundum Bedam, præmemorata bona Judæis ablata, nobis spiritualiter sunt collata. Nos enim habemus regem et principem Christum, verumque sacrificium, scilicet corpus et sanguinem Salvatoris; altare quoque militantis Ecclesiæ toto orbe diffusum, de quo per Malachiam asserit Dominus, In omni loco sacrificatur, *Malach.* I, 11.
et offertur nomini meo oblatio munda ; ephod quoque, videlicet vestes sacerdotales, seu vestem innocentiæ ac simplicitatis; et theraphim, id est figuram dominicæ
C crucis, vel signum atque memoriam Dei cordibus nostris impressam, ita ut Paulus testetur : Christo confixus sum cruci ; et, *Galat.* II, 19.
Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo *Ibid.* VI, 17.
porto.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : AUDITE VERBUM DOMINI, FILII ISRAEL.

Nunc in hujus capituli principio ponit Propheta Israelis peccata, propter quæ
1 prædicta mala pœnalia meruerunt. *Audite verbum Domini, filii Israel,* id est decem tribus, quas Propheta, secundum Hieronymum, hoc loco alloquitur. Aliqui tamen referunt ad universum Judaicum populum. *Quia judicium est Domino cum habitatoribus terræ,* id est prædictis filiis Israel, ita quod Dominus vult cum eis

D judicium discussionis peragere, ut pateat quod juste procedat. Tale judicium efficit Deus, quando per servos suos ostendit hominum impietatem et suam justitiam. Unde et cum hominibus et ab hominibus dicitur judicari, qui judicant eum juste procedere in peccatorum punitione. Propter quod ait Psalmista : Tibi soli peccavi, *Ps.* L, 6.
ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris. Per Ezechielem quo-

Ezech. xx, 35. que ait ad impios Israelitas : Judicabor ibi vobiscum facie ad faciem. A

Non est enim veritas vitæ, id est vera vita secundum divinam legem rectamque rationem regulata, de qua ait Salvator : *Joann.* III, 21. Omnis qui facit veritatem, venit ad lucem; *I Tim.* VI, 17-19. et Paulus ad Timotheum : Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, etc., ut apprehendant veram vitam. Vel, Non est veritas doctrinæ et sermonis, consistens in vera significatione verborum, et in hoc ut doctrina æternæ sapientiæ con- *Joann.* VIII, 46. sonet, de qua dicit Christus : Si veritatem B dico, quare non creditis mihi? Vel, Non est veritas justitiæ, quæ est æquitas vera, divinæ mentis judicio conformata, de qua *Ps.* XXIV, 10. dicit Psalmista : Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Hæc est [illegible] triplex veritas, quæ defuit filiis [illegible] Israel, et multis jam deest. *Et non* [illegible] *est misericordia* ad proximos [illegible] *Et non est scientia Dei* formata ac *Jer.* XV. salutaris, id est caritate et operibus bonis *Sap.* x, 10. ornata, de qua Scriptura testatur : Dedit illi scientiam Sanctorum. Et Joannes ait : *I Joann.* II, 3, 4. In hoc scimus quoniam cognovimus Deum, C si mandata ejus servamus. Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non servat, mendax est. *In terra,* id est in terrenis hominibus, scilicet filiis Israel colentibus idola, qui unius veri Dei notitiam abjecerunt. Istud præcipue verum est de scientia *Is.* XI, 2. illa quæ est unum de septem donis Spiritus Sancti. Illa enim non habetur sine caritate et gratia gratum faciente. Sed quum dicat, Scientia Dei, potest per istam scientiam intelligi sapientia quæ est summi Dei vera ac saporosa notitia, de qua dicit Sapi- D *Sap.* I, 4. ens : In malevolam animam non introibit sapientia. Scientia vero Dei informis et nuda, potest esse in impiis, quum ad Roma- *Rom.* I, 21. nos dicat Apostolus : Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.

Dicit autem Hieronymus : Veritas absque misericordia sustineri non potest, et misericordia absque veritate efficit negligentes. Quod de veritate justitiæ maxime verum est. Hinc in Proverbiis scriptum est : *Prov.* III, 3, 4. Misericordia et veritas non te deserant, et invenies gratiam coram Deo et hominibus.

Isaias quoque ait : Repleta est terra sci- *Is.* XI, 9. entia Domini, sicut aquæ maris operientes. Quomodo ergo nunc dicitur, Non est scientia Domini in terra? Et respondendum, quod Isaias loquitur pro tempore Christi et evangelicæ legis, quando primo in Judæa, deinde in toto mundo, prædicata est evangelicæ veritatis doctrina. Isaias quoque per terram intelligit electos habitantes in terra. Aliter vero loquitur Osee, ut patuit.

Maledictum, id est blasphemia contra 2
Deum, vel convitium in proximum, seu sermo maledicus. Unde dicit Apostolus : Neque maledici regnum Dei possidebunt. *I Cor.* VI, 10. Et iterum scriptum est : Benedicite male- *Rom.* XII, 14. dicentibus vobis; benedicite et nolite maledicere. *Et mendacium :* de quo Sapiens ait, Os quod mentitur, occidit animam; *Sap.* I, 11. itemque Psalmista, Perdes omnes qui lo- *Ps.* v, 7. quuntur mendacium; *et homicidium; et furtum :* quod est contra justitiam, et ex genere mortale, quamvis interdum propter parvitatem nocumenti, sit veniale, præsertim dum probabiliter æstimatur quod possessori seu domino, si id sciret, non displiceret; *et adulterium, inundaverunt,* id est, copiose eruperunt, seu abundaverunt in filiis Israel, ita quod non solum misericordia, veritate, scientia caruerunt, sed et oppositis impleti sunt vitiis. *Et sanguis sanguinem tetigit,* dum unus ab alio læsus est, vel se invicem vulneraverunt. Vel, Sanguis sanguinem tetigit, id est, peccatum peccato continuatum est, et veteribus vitiis nova addiderunt impœnitentes. Quibus Isaias asserit : Væ qui trahitis iniquitatem *Is.* v, 18. in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. Quocontra habetur in Ecclesiastico : Non adjicias peccatum super *Eccli.* v, 5, 9. peccatum; subito enim veniet ira Dei, et in die vindictæ disperdet te. Vel, sanguis sanguinem tangit, dum calor concupiscentiæ tendit in actum, seu carnalis affectio suo copulatur objecto. Septuaginta transtulerunt sic, Et sanguinem sanguini miscuerunt.

Beda et Glossa referunt omnia hæc ad
tempus adventus Christi. Tunc enim in
Judæis abundabant hæc vitia. Nam Christo
maledixerunt, et ei diversa imposuerunt
Joann. IX, 24. mendacia : Nos, inquiunt, scimus quia hic
Matth. IX, 34. homo peccator est ; et, In principe dæmo-
niorum ejicit dæmones. Verumtamen ex
consequentibus elucescit, quod ista ad lit-
teram dicantur de Israelitis idololatris pro
tempore Osee vel circiter.
Deinceps ponitur debita pœna pro tantis
3 sceleribus. *Propter hoc,* id est propter pec-
cata jam dicta, *lugebit terra* decem tri-
buum, id est, desolata incultaque erit ad
tempus, habitatoribus ejus sublatis. Dicitur
enim metaphorice terra lugere, quemad-
modum et ridere dum floret atque fructi-
ficat. *Et infirmabitur omnis qui habitat
in ea,* vel simpliciter omnis homo, vel
aliqui de omni genere hominum hujus
terræ, vel tam multi, quod alii compara-
tione eorum quasi nulli videbuntur ; *in
bestia agri et in volucre cœli :* id est, ha-
bitatores terræ non solum infirmabuntur
per hoc quod ipsi dejicientur, sed etiam in
hoc quod bestiæ et aves quæ poterant eis
esse pro cibo aut solatio, auferentur, vel
peste morientur, in vindictam peccatorum.
Hujusmodi quoque animantia, secundum
Hieronymum, solent deserere terras ab ho-
minibus derelictas. *Sed et pisces maris*
currentis in terra populi Israel (Judæi enim
quamlibet magnam aquæ collectionem no-
Gen. I, 10. minant mare, juxta illud in Genesi : Con-
gregationes aquarum appellavit Deus ma-
ria), *congregabuntur* in mortem, id est
deficient. Unde, ut Lyra dicit, Hebræi di-
cunt, Finientur. Et Septuaginta transtu-
lerunt, Pisces maris deficient, scilicet ea
ratione qua bestiæ et volucres. — Vel sic :
*Infirmabitur omnis qui habitat in ea, in
bestia agri,* id est occisis crudelibus ac
potentibus populi Israel, *et in volucre cœ-
li,* id est per interfectionem seu captivita-
tem superborum, sive sublimium persona-
rum populi hujus ; *sed et pisces maris,* id
est in aquis carnalis voluptatis detenti,
gulosi, avari, qui sic immerguntur sensi-

A bilibus, ne videant cœlum, *congregabun-
tur* in captivitatem seu mortem. Ista im-
pleta sunt in captivitate decem tribuum
ab Assyriis.
Verumtamen unusquisque non judicet, 4
id est, justi in populo Israel non repre-
hendant proximos suos peccantes, *et non
arguatur vir* Israelita transgressor. Cujus
ratio subditur : *populus enim tuus,* o sy-
nagoga decem tribuum, *sicut hi qui con-
tradicunt sacerdoti,* id est, assimilatur po-
pulo impudenter peccanti, incorrigibili ac
B rebelli, qui sacerdotibus ac prælatis aperte
resistunt et contradicunt. Tales autem non
sunt increpandi, quia non prodest. Pro-
pterea in tali casu non tenetur homo ad
correctionem fraternam. Hinc Salomon in
Proverbiis loquitur : Qui erudit derisorem, Prov. IX, 7.
ipse sibi injuriam facit. Et in Ecclesiastico
scriptum est : Ubi non est auditus, non Eccli. XXXII, 6.
effundas sermonem. Et iterum ait Scriptu-
ra : In auribus insipientium ne loquaris, Prov. XXIII, 9.
ne forte despiciant doctrinam eloquii tui.
Denique de hujuscemodi populo tam re-
C belli ac duro scriptum est in Isaia : Scio Is. XLVIII, 4.
quia durus es tu, et nervus ferreus cervix
tua, et frons tua ænea. Quales fuerunt et
Judæi tempore Christi, quibus Stephanus
loquebatur : Dura cervice et incircumcisi Act. VII, 51.
corde et auribus, vos semper restitistis
Spiritui Sancto, sicut et patres vestri. Istud
est pessimum vitium. Ideo in Proverbiis
inducitur : Viro qui corripientem dura cer- Prov. XXIX, 1.
vice contemnit, repentinus ei superveniet
interitus.
Et corrues tu, popule decem tribuum, 5
D *hodie,* id est, in præsenti, vel cito capti-
vaberis. Prophetæ autem per diem com-
muniter intelligunt tempus, sicque Hodie,
exponitur pro hoc tempore, non pro die
instante. *Et corruet etiam propheta tecum,*
id est, simul capietur. Hoc pluraliter ac-
cipiendum est de falsis seducentibus pro-
phetis, qui populum Israel foverunt in
culpis. Tales enim in veteri Testamento
ubertim appellantur prophetæ : ut quum
dicit Isaias, Propheta docens mendacium, Is. IX, 15.
ipse cauda est ; et Ezechiel, Propheta quum Ezech. XIV, 9.

erraverit, ego Dominus decepi prophetam A illum. Vel sensus est, quod decem tribubus captis, non amplius habuerunt Prophetas ut ante.

Nocte tacere feci matrem vestram, id est, o decem tribus, tempore noctis vel in caligine angustiæ et tenebris tribulationis, tradidi Synagogam seu totam vestram congregationem hostibus suis, ita quod præ timore loqui ausa non fuit, sed gemens vultum dejecit in terram. Eadem autem est mater et filii, quia filiorum seu populi collectio, mater vocatur, sicut et Christus B
Matth. XXIII, 37. ait in Evangelio : Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos ? Quidam per matrem hanc intelligunt Jerusalem, quæ ab antiquo fuit totius Israeliticæ plebis metropolis. Unde et mulier sapiens, secundo Regum, dixit ad Joab de civitate
II *Reg.* XX, 19. Abela : Tu quæris subvertere matrem civitatum in Israel ? Jerusalem autem fecit Deus tacere nocte, quoniam noctis tempore capta est a Chaldæis. Loquebatur autem Propheta de futuro per modum præteriti.

6 *Conticuit populus meus* Israel : populus (inquam) meus vocatione, non prædestinatione, conditione naturæ, non gratiæ communione. Conticuit ergo coram hostibus, et silentio fugere cupiens, *eo quod non habuerit scientiam* divinorum, formatam et operatoriam. Unde infidelitatis tenebris obfuscatus, coluit idola : ideo me-
I *Cor.* XIV, 38. ruit opprimi. Qui enim ignorat, ignorabitur, juxta Apostolum. Et Sapiens ait :
Sap. XIII, 1. Vani sunt omnes homines quibus non subest scientia Dei. Hinc in Isaia Dominus
Is. V, 13. ait : Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.

Quia tu scientiam repulisti, id est doctrinam legis ac Prophetarum, contra quam idola coluisti ; vel ipsos sanctos Prophetas te instruentes, persecutus es et sprevisti ; *repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi,* id est, indignum te arbitrabor ad sacerdotalis officii usum, et hostibus tuis te tradam. In populo namque decem tribuum non erat verum atque legale sacerdotium, sed de extremis populi fecerant sibi sa- III *Reg.* XII, 31, 28.
cerdotes, et aureis vitulis, non Deo altissimo, sacrificabant. Denique sacerdotes de tribu Levi in regno Juda meruerunt sacerdotium perdere, et a Chaldæis vastari, quoniam doctrinam Prophetarum, scilicet Jeremiæ et aliorum, repulerunt. — Constat quoque ex his, quod notitia Scripturarum sit sacerdotibus opportuna, ut possint inter verum et falsum, inter bonum et malum discernere, et sibi commissis digne præesse docendo, consulendo, increpando, et aliis modis. Hinc enim in Levitico Dominus dixit ad Aaron : Vinum et *Lev.* X, 9-11.
omne quod inebriare potest, non bibes tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini ; et habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea. Quanto amplius sacerdotibus evangelicæ legis congruit scientia atque sobrietas ?

Et oblita es legis Dei tui, id est, divina C præcepta non observasti, neque memoriter tenuisti quæ docentur in lege. Quocontra de viro justo habetur : In lege *Ps.* I, 2.
Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte ; et in Proverbiis : Serva mandata, et legem quasi pupillam *Prov.* VII, 2, 3.
oculi tui ; liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam. *Obliviscar filiorum tuorum et ego,* id est, singulis ad te pertinentibus, et tua peccata sectantibus, non succurram in necessitate, sed capi permittam. Quomodo autem Deo competat oblivio, dictum est plenius primo D capitulo.

Secundum multitudinem eorum, sic 7
peccaverunt mihi : id est, quo ipsi amplius multiplicati sunt numero, eo plura et graviora commiserunt peccata, idola multiplicando, et filios suos in propriis malis fovendo. Unde et alibi legitur : Se- *Jer.* II, 28.
cundum numerum civitatum tuarum, Israel, erant dii tui. *Gloriam eorum,* id est idola in quibus gloriabantur, vel regiam dignitatem, vel gloriationem inanem,

in ignominiam commutabo, ita quod rex populi et idola simul destruentur : quemadmodum factum est in captivitate prædicta. A

8 *Peccata populi mei comedent :* id est, sacrificia quæ populus Israel obtulit idolis, manducaverunt sacerdotes. Vel, Peccata populi comederunt, quoniam inducendo populum ad idololatriam, consequebantur quæstum et necessaria victui. Vel, comederunt peccata populi, quoniam adulando et consentiendo peccantibus, incorporaverunt sibi peccata illorum. *Et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum :* id est, sacerdotes isti erexerunt et provocaverunt animos populi ad exercendum et continuandum solita vitia, et in errore eorum confirmaverunt eos verbo et opere, quoniam vitia subditorum non solum non redarguerunt, sed laudaverunt commodi temporalis intuitu. B

9 *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Idem hoc habetur in Isaia (*Is.* xxiv, 2.) : et est sensus, quod sicut populus et sacerdos assimilantur in vitiis, sic similes erunt in pœnis. Nam sacerdotes idololatræ decem tribuum, simul cum populo capti sunt et æternaliter perierunt. *Et visitabo super eum vias ejus,* id est, sacerdotum et populi opera mala juste ulciscar ; *et cogitationes ejus reddam ei,* id est, pœnas quas impie cogitando seu appetendo merentur, eis infligam : quia non solum facta, sed et cogitationes præmiantur a Deo. Denique opera hominis dicuntur viæ, quia sunt medium per quod venitur ad terminum, scilicet ad felicitatem æternam, vel ad perpetuam damnationem. Viæ autem impiorum sunt tenebrosæ et sordidæ, quum careant lumine rationis, et pulchritudini virtutum contrarientur. Propterea in Proverbiis (*Prov.* iv, 19.) habetur : Via impiorum tenebrosa ; nesciunt ubi corruunt. Hinc etiam per Isaiam loquitur Dominus (*Is.* lxvi, 18.) : Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem.

10 *Et comedent, et non saturabuntur.* Per hoc datur intelligi inopia victualium quam passi sunt tempore obsidionis. *Fornicati sunt* cum idolis, *et non cessaverunt* ab idololatria : quia a tempore Jeroboam qui fecit aureos vitulos, non declinaverunt a (III *Reg.* xii, 28.) cultura eorum usque ad captivitatem suam finalem ; *quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo* præceptum quod dedit per Moysen : Dominum Deum (*Deut.* vi, 13; *Matth.* iv, 10.) tuum adorabis, et illi soli servies. Itaque quum Deus sit ubique incommutabilis et immensus, omnia ambiens, implens ac penetrans, relinquitur et ab eo receditur, non corporali, sed spirituali elongatione, hoc est dissimilitudine culpæ, seu inobedientia. Propter quod Isaias inducit : Iniquitates (*Is.* lix, 2.) vestræ diviserunt inter Deum vestrum et vos, et peccata vestra absconderunt faciem ejus, ne exaudiret. In Proverbiis quoque : Longe est Dominus ab impiis : (*Prov.* xv, 29.) quum ipse nihilo minus sit in omnibus per essentiam, præsentiam atque potentiam, secundum quod ait per Jeremiam : Numquid non cœlum et terram ego impleo ? (*Jer.* xxiii, 24.)

Fornicatio corporalis et spiritualis, *et* 11
C *vinum et ebrietas auferunt cor,* id est, actum rationis impediunt, judiciumque pervertunt, et hominem brutis parificant. Tanta est enim, secundum Augustinum, voluptas venerea, quod ea durante, non potest homo aliquem rationis actum exercere. Et Salomon ait : Luxuriosa res vinum (*Prov.* xx, 1.), et tumultuosa ebrietas ; qui his delectatur, non erit sapiens. Ecclesiasticus quoque asserit : Quam sufficiens homini (*Eccli.* xxxi, 22.) erudito vinum exiguum ! et in dormiendo non laborabis ab illo, nec senties dolo-
D rem. Et quoniam vinum aufert cor, non expedit hominem vina potantem arguere, ne rixetur. Propter quod scriptum est : In (*Ibid.* 41.) convivio vini non arguas proximum. Hinc ait Salvator : Attendite ne graventur corda (*Luc.* xxi, 34.) vestra crapula et ebrietate.

Quoniam ergo his vitiis ablatum seu excæcatum fuit cor Israelis, inciderunt amentiam quæ subinfertur. *Populus meus* 12
in ligno suo, id est ab idolo ligneo, *interrogavit* quid esset agendum, sive futurum. Coluerunt enim non solum aureos

vitulos, sed et alia diversa simulacra Baal. Vel, in ligno suo interrogaverunt, quia (ut dicit Glossa) erat quoddam genus divinationis, quod fiebat in ligno et baculo, per quorum projectionem capiebantur futurorum auguria : quemadmodum ait *Ezech.* XXI, 20-22. Ezechiel, quod Nabuchodonosor miscuit sagittas suas seu virgas contra Ammon et Jerusalem, exivitque virga contra Jerusalem. Tale autem genus divinationis observavit plebs Israel. Unde subjungitur : *et baculus ejus annuntiavit ei :* id est, per quemdam modum motionis seu exitus baculi projecti, judicabant quid esset futurum seu operandum. *Spiritus enim fornicationis,* id est diabolus, qui se facit in idolis adorari, et ad idololatriam homines tentat atque inducit, *decepit eos* ad insistendum divinationi tam fatuæ, ceterisque peccatis. Initium quippe fornicationis, exquisitio idolorum, ut legitur in libro *Sap.* XIV, 12. Sapientiæ. *Et fornicati sunt a Deo suo,* id est, per idololatriam Deum patrum suorum offenderunt et dereliquerunt. Hæc est fornicatio spiritualis, de qua ait Psalmista : *Ps.* CV, 39. Fornicati sunt in adinventionibus suis. Et Jeremias : *Jer.* III, 9. Mœchati sunt, inquit, cum ligno et lapide. Nihilo minus possunt hæc accipi de fornicatione carnali, qua dæmon innumerabiles decipit atque obtenebrat, ita quod in irrationabilissima vitia illabuntur.

13 *Super capita montium,* id est in locis amœnis et altis, *sacrificabant* filii Israel idolis, *et super colles accendebant thymiama,* faciendo velut fumum odoremque thuris ad idolorum honorem, quasi aliquid divinitatis eis inesset. *Subtus quercum et populum et terebinthum,* id est, sub istis arboribus idola coluerunt : cujus ratio additur, *quia bona erat umbra ejus,* id est, umbra cujuslibet arborum prædictarum conveniens fuit ad vacandum voluptatibus, quibus serviebant in sacrificiis idolorum, gulæ atque luxuriæ servientes. In quo fecerunt contra legem, quæ jussit ut *Deut.* XII, 11; XVI, 21. in loco divinitus præelecto sacrificia fierent, et juxta templum lucus et arbores A non plantarentur, ne voluptuosa loca religionem emollirent.

Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, id est, quia vos tanta commisistis flagitia, permittam quod filiæ vestræ alienis illegitime miscebuntur, *et* quod *sponsæ vestræ adulteræ erunt.* Hoc fuit tempore captivitatis impletum, quando Assyrii violabant feminas filiorum Israel. Porro quod ait, Ideo, non est sic intelligendum, quod Deus propter peccatum personale unius, puniat alium in spiritualibus, gratiam subtrahen- B do, et in peccatum directe cadere permittendo ; sed peccata parentum ac maritorum exemplariter induxerunt filias et uxores ad aliqua mala, propter quæ meruerunt ultra relinqui et capi, atque aliorum exponi libidini : et hoc Deus ordinavit ad vindictam peccati parentum ac maritorum, ut qui aliter suas spirituales fornicationes pensare et emendare noluerant, ex proprio opprobrio atque dolore, id est filiarum et sponsarum suarum violatione, attenderent quam inique egerunt, receden- C do a cultu Sponsi cœlestis. Unde et Isaias Babylonis destructionem et pœnas describens : Uxores, inquit, eorum in oculis ipsorum violabuntur. *Is.* XIII, 16.

Non visitabo super filias vestras, id est, 14
peccata earum in præsenti non corrigam flagellatione paterna, *quum fuerint fornicatæ,* modo præfato ; *et super sponsas vestras* non visitabo, *quum adulteraverint,* id est, adulteria commiserint : id est, in tantum vobis et illis irascar, quod flagello filiorum nequaquam corripiam eas, sed D prorsus dimittam in iniquitatibus suis, ut ambulent in desideriis pravitatis suæ.

Magna miseria, dum ideo non adhibetur correctio, quoniam emendatio desperatur. Hoc ergo meretur homo vehementer et impudenter peccando, ut penitus deseratur et prosperetur in malis, atque in his quæ conferunt ad peccandum, bene sibi succedat. Talis fuit populus Israel. Unde et per Ezechielem Dominus protestatur : Zelus meus recessit a te, non irascar tibi *Ezech.* XVI, 42. amplius. Per Jeremiam quoque : *Jer.* XXX, 14. Plaga ini-

mici percussi te, castigatione crudeli : cu- A Jer. xxx, 15. jus ratio subditur, Insanabilis est dolor tuus. Denique sanctus Apostolus ad Hebræ- Hebr. xii, 7, 8. os : Quis (inquit) filius, quem non corripit pater ? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii estis. Propterea Jer. x, 24. Jeremias orat : Corripe me, Domine, verumtamen in judicio et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Itaque Apoc. iii, 19. quum Deus eos quos amat, arguat et castiget, signum odii reprobationisque divinæ consistit, non castigari a Deo in vita præsenti. Quod enim visitatio electorum per B pœnas in hoc sæculo adhibeatur eis, ut per eam quasi quodam cauterio atque amarissimis punctionibus sortiantur animæ sanitatem, constat ex eo quod Dominus ait Ps. lxxxviii, 33, 34. in Psalmo : Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum ; misericordiam autem meam non disper- Jer. xxx, 11. gam ab eo. Et apud Jeremiam : Castigo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius, non autem te faciam in consummationem.

Quoniam ipsi, id est patres et mariti præfati, *cum meretricibus conversabantur,* C commixtione carnali, *et cum effeminatis,* id est mollibus seu abscissis vel eunuchatis, *sacrificabant* Beelphegor : quem nos, secundum Hieronymum, Priapum vocamus, quem mulieres præsertim colebant, propter magnitudinem membri obsceni. III Reg. xv, 13. Unde tertio Regum legitur Asa rex Juda amovisse matrem suam, ne esset princeps in sacris Priapi. *Et populus non intelligens,* id est populus Israel sua peccata non recognoscens, nec scientiam Dei habens, idcirco nec pœnitens, *vapulabit,* id D est, percutietur captivitate et pœnis annexis.

15 *Si,* id est quamvis et quia, *fornicaris* cum idolis *tu, Israel,* id est decem tribus, *non delinquat saltem Juda :* id est, populus Juda, seu duæ tribus, quæ habent urbem Jerusalem a Deo electam ad sacrificia offerenda, quæ insuper habent sacerdotes de semine Aaron, non conformentur tibi in idololatria ceterisque peccatis. *Et nolite,* duæ tribus vel decem, *ingredi in* A *Galgala,* ut ibi idola honoretis. Galgala autem erat locus honorabilis, quoniam populus Israel desertum egrediens, ibi pri- Josue iv, 19; v, 3, 9. mo castrametatus est, et Josue filios Israel secundo circumcidit ; Saul quoque ibi in I Reg. xi, 15. regem est unctus. Sicque decem tribus propter loci solennitatem, posuerunt et coluerunt in eo idola sua. *Et ne ascenderitis in Bethaven,* id est in Bethel. Nam locus ille antequam Jeroboam posuit ibi aureum vitulum, dictus est Bethel, id est domus III Reg. xii, 29. Dei. Postea vero vocatus est Bethaven, id B est domus inutilis. *Neque juraveritis, Vivit Dominus,* id est, nolo ut ore vestro polluto, quo idola laudatis atque per ea juratis, assumatis vel explicetis nomen veri Dei. Jurare nempe debite circumstantionatum, est actus virtutis quæ dicitur latria. Unde idololatræ male sentientes de Deo, non debent per nomen ejus jurare. Vel sensus est, ut non jurent, Vivit Dominus, intelligendo per Dominum aliquod idolum, hoc est, ne applicent formam hanc jurandi diis suis.

C *Quoniam sicut vacca lasciviens,* id est 16 petulanter et valde erronee ex omni parte, *declinavit Israel,* id est decem tribus, a lege Mosaica, diversis peccatis ac idolis serviendo, et a rectitudine viæ Dei per omnium diverticula vitiorum enormiter evagando, ita ut illud Jeremiæ eis conveniat : A sæculo confregisti jugum, rupisti vin- Jer. ii, 20. cula mea, et dixisti, Non serviam. *Nunc pascet eos Dominus quasi agnum,* id est, in proximo est ut tradat eos Dominus in manus Assyriorum, sicque abducti pa- D scantur ut oves, *in latitudine,* id est spatiosa terra Medorum.

Particeps idolorum, id est cultor eo- 17 rum, factus est *Ephraim,* id est populus decem tribuum : quæ nomine Ephraim designantur, quoniam primus eorum rex Jeroboam filius Nabat, exstitit Ephratæus. III Reg. xi, 26. Idcirco, o Juda, cui superius dictum est, Non delinquat saltem Juda, *dimitte eum,* id est, a communione et conversatione decem tribuum te averte, ne cum perversis Ps. xvii, 27. pervertaris. *Separatum est convivium eo-* 18

rum, id est, cibus quo vescuntur decem tribus, tibi illicitus est, sicque eorum convivium a tuo distinctum est. *Fornicatione fornicati sunt* cum diis alienis seu idolis; *dilexerunt afferre ignominiam,* id est idololatriam introducere, augere, vel conservare, *protectores ejus,* id est reges, qui populum defendere habent : sicque protectores isti non defenderunt populum suum ab invisibilibus hostibus.

19 *Ligavit eum spiritus in alis suis.* Hoc dupliciter explanatur. Primo sic : Spiritus malignus in idolis habitans, populum Israel ligavit in alis suis, id est in agilitate et subtilitate sua ipsius, videlicet dæmonis, ita quod subtilitate et agilitate dæmoniaca portat hunc populum ad quæcumque voluerit vitia, sicut avis pullos suos in alis deportat. Unde in Deuteronomio de Deo et electo Israel scriptum est (*Deut.* XXXII, 11) : Expan- A dit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. Sic diabolus alligat sibi perversos : propter quod ad Timotheum dicit Apostolus, Resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem (II *Tim.* II, 26). Secundo sic : Spiritus ligavit eum in alis suis, id est, populum Israel vinxit in ipsius populi intellectu per infidelitatis errorem, et affectu per indurationem in vitiis, ita ut populus iste ad virtutes non volet, nec æterna adspiciat, sed in profundum vitiorum mergatur. Sic B omnes in vitiis habituati ac impœnitentes, a dæmone ligantur in alis tam dæmonis quam propriis : quibus illud Isaiæ dicendum est, Excutere de pulvere, et solve vincula colli tui (*Is.* LII, 2). *Et confundentur a sacrificiis suis,* id est demerito sacrificiorum idolis oblatorum, quum viderint idololatriam nil profuisse, sed maxime nocuisse.

ARTICULUS X

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM CAPITULI QUARTI.

1 AUDITE *verbum Domini, filii Israel,* id est, filii militantis Ecclesiæ, quæ dicitur Israel contemplando cœlestia, *quia judicium est Domino* Christo, cui Pater dedit omne judicium (*Joann.* V, 22). Executio enim judiciariæ potestatis seu prolatio sententiæ, spectat ad Christum secundum formam assumptam, prout ipse testatur : Dedit ei potestatem et judicium facere, quia Filius hominis est (*Ibid.* 27). *Cum habitatoribus terræ,* id est terrenis hominibus, quorum conversatio non est in cœlis (*Philipp.* III, 20), nec dicere possunt : Quoniam advena ego sum apud D te et peregrinus, sicut omnes patres mei (*Ps.* XXXVIII, 13); et iterum, Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 14). Tales namque faciunt sibi de via atque exsilio patriam. *Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in* C *terra,* id est in his carnalibus, quia etsi dicant se nosse Deum, tamen factis negant (*Tit.* I, 16). Nempe si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (I *Joann.* IV, 20; II, 4). Proinde qui sibi nequam est, cui bonus erit? (*Eccli.* XIV, 5) Ideo monet Scriptura : Miserere animæ tuæ placens Deo (*Ibid.* XXX, 24).

Quomodo insuper in malis Christianis
impleatur quotidie quod sequitur, non
oportet exponere, quum oculis pateat. Jam
enim, heu ! *Maledictum et mendacium,* 2
furtum et adulterium inundaverunt, et
sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc 3
lugebit terra, quia nisi pœnitentiam egerint, sine fine peribunt (*Luc.* XIII, 3). Unde et Jacobus dicit : Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis; risus vester convertatur in luctum (*Jacob.* V, 1; IV, 9).

Multi quoque nunc ita peccatis assue-

scunt, excæcantur et indurantur, ut se-
cundum sensum expositum dici possit :
4 *Unusquisque non judicet, et non arguatur*
vir. Hi sunt qui increpationem seu ad-
monitionem nequeunt sustinere, habentes
morbum vocatum, Noli me tangere. Incre-
pantem nempe redarguunt, judicant, et non
jam ex caritate, sed passione aut ranco-
re, loqui existimant. Non enim attendunt
quam salubre et purgativum sit increpari;
quam item meritorium, increpationem pie
et æquanimiter ferre. Et si forte excusabi-
les sumus de eo de quo increpamur, non
tamen debemus impatienter recipere, quia
in aliis multis, et forte gravioribus, offen-
dimus tam frequenter. Hinc scriptum est
Prov. xiii, 18. in Proverbiis : Egestas et ignominia ei qui
deserit disciplinam; qui autem acquiescit
arguenti, glorificabitur. Ecclesiasticus quo-
Eccli. xx, 4. que ait : Quam bonum est, correptum ma-
nifestare pœnitentiam ! sic enim effugiet
peccatum. Postremo, qui admonitionem,
increpationem, correctionem seu discipli-
nam non acceptat, sed spernit aut parvi
pendit, similis est vulnerato qui non pa-
titur sibi vulnus suum ostendi aut reme-
dium adhiberi. Et palam est, quod amor
privatus atque superbia causa sunt, quod
non dignamur redargui aut puniri, quia
vel increpantem contemnimus, vel coram
aliis magni esse optamus, vel simile ali-
quid est in causa. Qui autem veraciter pru-
dens est, cum gratiarum actione increpa-
tionem acceptat, tanquam veræ ac fraternæ
caritatis munusculum, imo munus exi-
mium. Propter quod in Proverbiis induci-
rov. ix, 8. tur : Argue sapientem, et diliget te.
Populus enim tuus sicut hi qui contra-
dicunt sacerdoti. Hoc ad Ecclesiam potest
referri, in qua sunt multi rebelles et mur-
muratores, non obtemperantes prælatis,
neque Ecclesiæ excommunicationem cu-
rantes. De quibus dicit Christus Aposto-
lis, et sub eorum persona cunctis aliorum
uc. x, 16. rectoribus Christi vicariis : Qui vos audit,
me audit; et qui vos spernit, me spernit.
om. xiii, 2. Unde ad Romanos scriptum est : Qui po-
testati resistit, Dei ordinationi resistit; qui

A autem resistunt, ipsi sibi damnationem ac-
quirunt.
Et corrues hodie. Toties enim spirituali- 5
ter cadimus, quoties peccamus : quia pec-
catum ruina est a Deo sublimi, et ab arce
virtutum. Ideo in Ecclesiastico legitur : In *Eccli.*
viam ruinæ non eas. Et Apostolus ad Ephe- xxxii, 25.
sios : State, inquit, succincti lumbos vestros *Ephes.* vi,
in veritate. Porro si justus septies cadit, 14.
quoties quotidie peccat impœnitens, cu- *Prov.* xxiv, 16.
jus semper præcedens culpa ad sequentem
disponit? *Et corruet etiam propheta,* id
B est fallax magister, injustus prælatus, *te-*
cum, ut simul pereatis, qui pares estis
in vitiis. De talibus contestatur Aposto-
lus : Coacervabunt sibi magistros prurien- II *Tim.* iv,
tes auribus; et a veritate quidem auditum 3, 4.
avertent, ad fabulas autem convertentur.
Nocte, id est per pœnæ seu adversitatis
inflictionem, *tacere feci,* o hæretici seu
rebelles, *matrem vestram,* id est congre-
gationem perversam, incredulam, aut in-
obedientem, cujus membra et filii estis.
Tales enim congregationes, frequenter per
C pœnas ultionis seu prælia exstirpantur.
Conticuit populus meus, id est christiana 6
plebs, a me Christo christiana vocata, *eo*
quod non habuerit scientiam salutarem, de
qua ad Philippenses dicit Apostolus : Exi- *Philipp.* iii,
stimo omnia detrimentum esse, propter 8.
eminentem scientiam Domini nostri Jesu
Christi. Qui autem hac caret scientia, ta-
cet a laude divina, a correptione fraterna,
ab instructione perutili, et a confessione
pœnitentiali, ita ut dicere habet : Væ mihi, *Is.* vi, 5.
quia tacui; et, Quoniam tacui, inveterave- *Ps.* xxxi, 3.
D runt ossa mea. Tacet loquenda, loquiturque
tacenda. Quum enim ratio voluntatem in
omnibus dirigat, qui veritatis non habet
notitiam, non operatur virtutem, nec scit
quando proferre debet sermonem. Hinc
Ecclesiasticus dicit : Est tacens, qui inveni- *Eccli.* xx,
tur sapiens; et tacens, non habens sensum 5, 6.
loquelæ. Oportet ergo in primis Dominum
invocare pro illuminatione intellectus, di-
cendo cum Psalmista : Da mihi intelle- *Ps.* cxviii,
ctum, ut sciam testimonia tua : quatenus 125.
voluntas, in qua est prima origo peccandi,

rectificetur in omnibus. Ideo namque ait A
Ps.xciii,12. Scriptura : Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.
Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Ex quo innotescit, quod usus sacerdotii horum qui notitiam Scripturarum non curant, inacceptus sit Deo. De hoc in præcedenti articulo satis dictum opinor.

7 *Secundum multitudinem eorum, sic peccaverunt mihi.* Impii enim, rebelles, hæretici, schismatici, quo amplius crescunt sive augentur, eo peccata eorum magnitu- B
dine et multitudine amplius invalescunt : quemadmodum equidem in congregatione devota unus provocat alium verbo et opere ad virtutes, sic in conventu malignantium unus alium incitat ad peccata,
Ps.xvii,27. quoniam cum perversis alii pervertuntur. *Gloriam eorum,* id est temporalem prosperitatem, delectationem carnalem, inania documenta, et cetera in quibus illicite gloriantur, *in ignominiam commutabo,* id est in confusionem et pœnam æternam,
Luc.vi,25, 24. secundum quod Judex affirmat : Væ vobis C
qui ridetis, quia lugebitis et flebitis; væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Unde in libro Machabæorum ha-
I Mach.ii, 62, 63. betur : Gloria impii, stercus et vermis; hodie extollitur, et cras non invenitur. De talibus loquitur Dominus per Jeremiam :
Jer.xxix, 18, 19. Dabo eos in vexationem et maledictionem, et in stuporem et sibilum, et in opprobrium, eo quod non audierint verba mea.

8 *Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem sublevabunt animas eorum.* D
Videmus nunc, quomodo multi qui præsunt, de subditorum vivant oblationibus atque redditibus : et tamen quos verbo, prece, exemplarique vita tenentur a peccatis avertere, et ad meliora inducere, variis modis corrumpunt, scandalizant, inficiunt, impie conversando, adulando, consentiendo, cooperando, et debita pastoralis curæ opera negligendo. Quibus competit illud
Eccli.x,2. Ecclesiastici : Secundum judicem populi,
Jer.x,21. sic et ministri ejus. Unde Jeremias : Quoniam stulte, inquit, egerunt pastores, ideo omnis grex eorum dissipatus est. O quam horrenda et maxima erit horum damnatio, qui pro singulis subditorum suorum, ex eorum negligentia pereuntium, torquebuntur!

Et erit sicut populus, sic sacerdos. Heu, 9
quam immoderatissime hoc indesinenter impletur, dum sacerdotes evangelicæ legis, qui ad spiritualis conversationis munditiam obligantur, aliisque in omnibus exemplares esse tenentur, carnalibus vitiis serviunt, vanitati, elationi, curiositati intendunt, propriique gradus dignitatem non ponderantes, vilem atque turpissimam peragunt vitam! Quibus convenit illud Jeremiæ : Sacerdotes non dixerunt, Ubi est Jer.ii,8.
Dominus? Illud quoque Isaiæ : Speculatores Is.lvi,10.
cæci ; canes muti, non valentes latrare. Contra quos Moyses ait in Levitico : Sacer- Lev.xxi,6.
dotes sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. Isti *comedent* corpus Dominicum sacra- 10
mentaliter, *et non saturabuntur* effectu et gratia tanti sacramenti, quia non sumunt et spiritualiter, fiuntque rei corporis et I Cor.xi, 27.
sanguinis Domini. *Fornicati sunt.* Jam enim luxuriæ vitia vigent in eis, et qui deberent angelicam ducere vitam, bestiales effecti sunt, et bestiis decies millies deteriores, qui Filium Virginis tractant ore et manibus quibus contrectant filias Veneris. Tantam quoque suæ conversationis impietatem ingratitudinemque non attendunt, quoniam *Fornicatio, vinum et ebrietas* 11
auferunt cor. Unde in Ecclesiastico legitur : Vinum et mulieres apostatare faciunt Eccli.xix, 2.
etiam sapientes. Hinc *Spiritus fornicationis decepit eos.* 12
Cui resistere oportet, non immorando cogitationibus venereorum, et incitamenta atque materiam hujus peccati a se elongando, dominicam quoque passionem cordialiter ac frequenter rememorando, et item æterna supplicia sagaciter intuendo.

Super capita montium sacrificabant. 13
Tales sunt hæretici, qui de doctrinæ pro-

Ps. cxxx, 1, 2. funditate se jactant, et in mirabilibus super A
se ambulant, non consentientes humilibus.
Horum filiæ et sponsæ, id est animæ ab
eis seductæ, adulteræ sunt, recedendo a
copula Sponsi cœlestis, et in humanis ad-
14 inventionibus gloriantes. *Populus non in-
telligens* beneficia Dei, propria mala, et ea
quæ Dei sunt, *vapulabit,* id est, æternæ
damnationis ictibus percutietur.
15 *Si fornicaris tu, Israel,* id est, congre-
gatio hæreticorum, quæ per decem tribus,
legem Dei deserentes, significatur, *non
delinquat saltem Juda,* id est Ecclesia ca- B
tholica confitens Domino, quæ per tribum
Juda, legem Dei servantem, exprimitur.
Nam et Judas interpretatur confessio. *Et
nolite ingredi in Galgala,* id est hæretico-
rum et perversorum conciliabula, in quibus
omnium revelantur peccata. Galgala quip-
pe revelatio seu volutabrum interpretatur.
Ps. cx, 1. Hinc ait Psalmista : Confitebor tibi, Domi-
ne, in toto corde meo : et hoc, ubi? Respon-
det, In consilio justorum et congregatione.
Sicut vacca lasciviens declinavit Israel. 16
Hoc competit universis filiis hujus sæculi,
qui absque ullo timore perpetrant mala, et Eccle. viii, 11.
concupiscentias sine reluctatione, imo cum
deliberatione, sequuntur. Non enim est ti- Ps. xiii, 3; xxxv, 2.
mor Domini ante oculos eorum. *Nunc
pascet eos Dominus quasi agnum in lati-
tudine.* Hoc impletur dum reprobis tempo-
ralium affluentiam tribuit, eosque permit-
tit incedere per viam spatiosam latamque Matth. vii, 13.
portam, quæ ducit ad perditionem æter-
nam. *Dilexerunt afferre ignominiam,* id 18
est pravas ordinationes, seu opera ignomi-
niosa, vel oppressiones violentas ac inho-
nestas super subjectos inducere, *protecto-
res ejus,* id est principes et prælati populi
christiani, qui deberent subditos a malis
defendere, atque in bonis munire : cujus
oppositum agunt indigni rectores, erran- II Tim. iii, 13.
tes et in errorem mittentes, cæci et duces Matth. xv, 14.
cæcorum.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : AUDITE HOC, SACERDOTES, ETC.

HOC loco ostendit Propheta cur popu- C
1 lus Israel captivari meruerit. *Audite*
auribus cordis et corporis, *hoc* quod di-
cam, *sacerdotes* decem tribuum : non quod
fuerint veri sacerdotes de tribu Levi, sed
sacerdotes aureorum vitulorum, et a po-
pulo sacerdotes vocabantur; *et attendite,
domus Israel,* id est, decem tribus ; *et do-
mus,* id est, familia, filii et cognati, *regis*
decem tribuum, *auscultate : quia vobis-
cum judicium est,* id est, Deus judicium
damnationis vobis inducet. De quo judicio
Joann. v, 24. ait Salvator : Qui audit verbum meum, et D
credit ei qui misit me, habet vitam æter-
nam, et in judicium non venit. Itemque
I Cor. xi, 31. Apostolus : Si nos ipsos dijudicaremus,
non utique judicaremur.

Quoniam laqueus, id est causa dece-
ptionis et captivitatis, seu illaqueatores ac
seductores, *facti estis* vos, sacerdotes et
principes, seu familia regis, qui aliorum
provisores esse deberetis, *speculationi,* id
est plebi, cujus speculatores estis effecti,
et quæ per speculationem vestram esset
ad cœlestia erigenda ; *et* facti estis *sicut
rete expansum super* montem *Thabor.*
Quemadmodum enim in monte hoc aves
capi solebant per rete, sic rex et majores
ac sacerdotes posuerunt in monte isto mi-
nistros, qui caperent transeuntes Jerusa-
lem ad immolandum ibi Deo vero in
templo. Quidam enim ex decem tribubus
idololatriam abhorrebant, et ex devotione
secundum legis præceptum ire volebant

ad offerendum in Jerusalem ; sed rex et sacerdotes non permiserunt. Porro secundum Hieronymum, Thabor est mons Galilææ, in campestribus situs, rotundus et altus, qui ex omni parte finitur æquali-
Ps. LXXXVIII, 13. ter : de quo habetur in Psalmo : Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt. In
Matth. XVII, 1, 2. hoc monte transfiguratus est Christus, et post resurrectionem apparuit Apostolis, secundum expositores. Quem Petrus in secunda sua epistola nominat sanctum :
II Petr. I, 18. Hanc, inquiens, vocem de cœlo allatam nos audivimus, quum essemus cum ipso
2 in monte sancto. *Et victimas* vestras ac populi *declinastis in profundum,* id est in barathrum damnationis, atque in lacum peccati : quia quæ Deo fuerant offerenda cum sublimitate virtutum, obtulistis et offerri jussistis in idolorum honorem cum profunditate vitiorum. *Et ego* Dominus *eruditor* sum *omnium eorum,* videlicet sacerdotum, domus regis ac populi : id est, non obstante tanta ipsorum malitia, ego per Prophetas meos doceo eos et moneo ad pœnitentiam.

3 *Ego scio Ephraim,* id est reges successores Jeroboam Ephratæi, qui eum secuti sunt genere vel peccato. Ejus namque idololatriæ et peccatis omnes posteriores reges Israel adhæserunt. Unde per Ephraim designantur, quia Jeroboam primus rex
III Reg. XI, 26; Gen. XLI, 52. decem tribuum, fuit de genere Ephraim filii Joseph. *Et Israel,* id est populus decem tribuum, *non est absconditus a me,*
Hebr. IV, 13. cujus oculis aperta et nuda sunt omnia. Hos autem perversos et reprobos dicitur Deus scire, non scientia approbationis, de
I Cor. VIII, 3. qua dicit Apostolus, Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo ; sed intelligentia visionis. Unde apud Jeremiam Dominus
Jer. XXIII, 24. ait : Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum ? Hæc ideo loquitur Deus, ut impii audientes se a Deo cognosci, metuant in ejus præsentia prævaricari. *Quia nunc fornicatus est Ephraim :* successores enim Jeroboam non recesserunt a vitulorum cultura ; *contaminatus est Israel,* id est, populus eisdem pollutus est

A vitiis quibus et reges, quorum consilio ad idololatriam devenerunt. Qualis enim est Eccli. X, 2
rector civitatis, tales et habitantes in ea, ut dicit Ecclesiasticus. In Proverbiis quoque habetur : Regnantibus impiis, ruinæ Prov. XXVIII, 12.
hominum. Et rex injustus ministros habet Ibid. XXIX, 12.
impios, teste Scriptura.

Non dabunt, id est, non disponent, *co-* 4
gitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quum sint obstinati. Unde non cogitant de remedio pœnitentiæ, sed de continuatione culpæ intentæ, seu exsecutione
B mali propositi. *Quia spiritus fornicationum,* id est dæmon ad idololatriam suggerens, qui secundum Apostolum operatur Ephes. II, 2.
in filiis diffidentiæ, est *in medio eorum,* tanquam possessor cordis ipsorum, vastis eos tenebris circumplectens : unde nec pœnitent. *Et Dominum non cognoverunt* cognitione sincera ac formata. Aliqualem tamen de Deo habuerunt notitiam, sicut et multi gentilium, præsertim ex generali fama et instructione prophetica.

Et respondebit arrogantia Israel in fa- 5
C *cie ejus :* id est, populus decem tribuum pro sua superbia qua Dei cultum contempsit, debitam luet pœnam, ita quod superbia dabit eis vicem ac reale responsum per ultionis experientiam. Juxta quem modum asserit Isaias : Peccata nostra respon- Is. LIX, 12.
derunt nobis. Jeremias quoque ait : Si Jer. XIV, 7.
peccata nostra responderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum. *Et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua,* id est, populus et rex pariter capientur propter facinora sua : sicut impletum est quando
D ab Assyriis capti sunt, ut legitur quarto IV Reg. XVII.
Regum. *Ruet etiam,* id est capietur, *Judas,* id est regnum Juda, videlicet duæ tribus atque Levitæ, *cum eis,* id est sicut et decem tribus. Non enim eodem tempore, nec ab eisdem capti sunt hostibus, ut patet ex dictis in expositione primi capituli.

In gregibus suis, id est cum capris et 6
ovibus, *et in armentis suis,* id est vaccis et bobus, *vadent* decem tribus, et etiam Juda et Benjamin, *ad quærendum Domi-*

num, id est ad offerendum Domino hostias A
de animalibus immolaticiis, quatenus mi-
sericordiam impetrent, videlicet liberatio-
nem ab hostibus; *et non invenient* eum,
quoniam sero pœnitent, non ex caritate,
sed servili timore propter captivitatem in-
Is. XXI, 12. stantem. Unde per Isaiam Dominus ait : Si
quæritis, quærite : id est, si quæritis me,
hoc facite sincere, atque ex caritate et
amore justitiæ. Apud Jeremiam quoque :
Jer. IV, 1. Si reverteris, Israel, ad me convertere :
hoc est, non tua principaliter commoda
quæras privato amore, sed meum hono- B
rem ex spirituali dilectione. *Ablatus est
ab eis,* id est, Deus suæ pietatis effectum
juste tulit ab eis, quemadmodum in Isaia
Is. I, 15. habetur : Quum multiplicaveritis orationes,
non exaudiam ; manus enim vestræ san-
guine plenæ sunt. Quamdiu enim perma-
net homo in voluntate peccandi, non vera-
citer pœnitens, non meretur a Domino
Jer. XI, 15. exaudiri. Hinc Jeremias dicit : Numquid
carnes sanctæ auferent a te malitias tuas ?
7 *In Domino,* id est contra Deum, *præva-
ricati sunt, quia filios alienos* a cultu veri C
Dei *genuerunt.* Nam filios suos docuerunt
idololatrare, ita quod erant filii dæmonum
magis quam Dei. Quidam etiam per ignem
consecraverunt idolis filios suos. *Nunc
devorabit eos,* scilicet decem tribus, *men-
sis :* id est, statim, vel infra mensem seu
tempus jam proximum, capientur ab ho-
stibus. Vel sensus est, quod quolibet men-
se adversarii ingrederentur terram eorum,
eosque vastarent. *Cum partibus suis,* id
est bonis et possessionibus quas unaquæ-
que tribus habebat in sorte atque funiculo D
Josue XIII-XXI. suo, secundum quod tempore Josue terra
partita fuit secundum numerum tribuum
Israel. Quidam exponunt sic : Nunc de-
vorabit eos mensis, scilicet Julii, quia in
mense Julii capta fertur Samaria, tuncque
Assyrii partem populi occiderunt, et bona
eorum diripuerunt. Dicitur autem mensis
seu tempus facere ea, quæ fiunt in eo.
8 *Clangite buccina in Gabaa,* et clangite
tuba in Rama : id est, vos de tribu Ben-
jamin, quum videritis aut perceperitis ca-
ptivitatem decem tribuum, vobis in vicino
habitantium, tunc clangite buccina in du-
abus urbibus firmioribus seu fortalitiis
vestræ sortis, scilicet in Gabaa, ubi natus I *Reg.* X, 26.
atque moratus est Saul, et in Rama. Hujus
buccinationis potest reddi duplex causa :
Una, ut populum Juda ac Benjamin exci-
tarent ad præparandum se contra Assyrios,
ne vastarentur ab eis quemadmodum de-
cem tribus, quarum una, scilicet Ephra-
im, erat proxima populo Benjamin, quoad *Josue* XVIII, 11.
habitationis vicinitatem. Secunda, ut de-
cem tribuum captivitatem deflerent. *Ulu-
late,* habitantes *in Bethaven,* id est Bethel
urbe ac fortalitio Ephraim, quæ urbs est
post tergum tuum, Benjamin, id est in
confinio tuo, seu juxta te : nam ibi finie-
batur sors Benjamin. Recte vero ait Pro-
pheta, Ululate in Bethaven, quia habi-
tatores Bethel jam dirissime capiendi fu-
erunt.

Ephraim, id est rex et populus decem 9
tribuum, *in desolatione erit,* quum fuerit
ab Assyriis captus. *In die correptionis,* id
est punitionis decem tribuum, *et in tri-
bubus Israel ostendi fidem,* id est, mani-
festavi vera atque fidelia esse Prophe-
tarum eloquia, quibus captivitatem Israel
prænuntiavi. Nempe ut Jeremias testatur :
Quum venerit quod Propheta prædixit, sci- *Jer.* XXVIII, 9.
etur Propheta, quem misit Dominus in
veritate. Per hoc ergo quod Dominus tra-
didit tribus Israel hostibus, sicut prædixit,
ostendit in eis, hoc est per eorum captivi-
tatem, fidelitatem verborum suorum, seu
Prophetarum qui captivitatem illam præ-
dixerunt.

Consequenter describitur iniquitas, et
ob eam inducta calamitas tribuum Juda ac
Benjamin. *Facti sunt principes Juda,* id 10
est principales et potentiores de regno
Juda, *quasi assumentes terminum,* id est
terram decem tribuum occupare et possi-
dere optantes. Unde Septuaginta transtule-
runt, Quasi transferentes terminum : quo-
niam sortem suam dilatare quærebant ultra
metam propriæ sortis divinitus constitu-
tam : sicque pro eo quod decem tribuum

captivitatem deflere debuerant, hinc po-
tius gloriabantur, quod ditiores jam fie-
rent. Hæc dictio, Quasi, dicit hoc loco
veritatem, non similitudinem tantum. *Su-
per eos,* videlicet principes Juda, *effundam
quasi aquam,* id est copiose, *iram meam,*
id est justitiæ meæ effectum, rigorose pu-
niendo eos per Chaldæos propter tantam
11 perversitatem. *Calumniam,* id est injuri-
am, *patiens est Ephraim,* id est populus
decem tribuum : non quod non meruerint
hanc captivitatem et pœnam, sed quia a
regibus Assyriorum injustis, impia volun-
tate ac mala intentione vastati sunt, et
adversariis traditi, a Deo magis alienis
quam ipsi, ac pessimis : et quoad hoc, est
quædam calumnia non ex parte Dei, sed
hostium pessimorum. Quod tamen non fu-
erit mera calumnia, declaratur quum sub-
ditur : *fractus judicio,* id est, justo Dei
judicio dejectus est Ephraim, *quoniam
cœpit abire* a Deo, *post sordes,* id est ido-
lolatriam a tempore Jeroboam primi re-
gis sui.

12 *Et ego* Deus ero *quasi tinea Ephraim,*
id est decem tribubus, consumendo eas
per Assyrios, quemadmodum a tinea con-
sumitur vestis. *Et* ero *quasi putredo* quæ
ligna et carnes consumit, *domui,* id est
populo, *Juda,* dejiciendo regnum Juda per
Chaldæos. Secundum Hieronymum, Deus
comparat se tineæ atque putredini, quia
utrumque eorum tarde consumit materi-
am : sic Deus diu dedit utrique regno pœ-
nitentiæ tempus, et paulatim ea afflixit,
donec omnino deleta sunt. Alii dicunt,
quod quum tinea soleat citius corrumpere
vestem, quam putredo lignum, ideo Domi-
nus perhibet se quasi tineam esse Ephra-
im, et ut putredinem populo Juda, quo-
niam regnum decem tribuum captivatum
fuit ante regnum Juda.

13 *Et vidit Ephraim languorem suum,* id
est impotentiam, qua non potuit reluctari
Assyriis, vel regi Damasci; *et Juda,* id est
populus duarum tribuum, vidit, id est con-
sideravit, *vinculum suum,* id est vasti-
tatem seu captivitatem sibi imminentem

A tempore Achaz et filiorum Josiæ. *Et abiit
Ephraim ad Assur,* id est, a rege Assyrio-
rum petierunt auxilium contra regem Sy-
riæ et Damasci. Tempore enim Manahem
regis Israel contigit hoc, ut dicitur quarto IV *Reg.* XV,
Regum : quia tunc rex Syriæ impugnavit 19.
decem tribus, quem rex Assyriorum supe-
ravit. Vel sensus est, quod Ephraim ivit
ad Assur, quia ad tempus fuit regnum de-
cem tribuum subditum regi Assyriorum,
solvens ei tributum per singulos annos.
Postmodum vero *et misit* Ephraim *ad re-*
B *gem ultorem,* id est regem Ægypti, qui
tunc potens exstitit et famosus, ulciscens
in adversarios suos, quatenus rex Ægypti
erueret eos de manu Assyriorum. Hoc fe-
cit Osee rex Israel. *Et ipse* rex Ægypti *non* *Ibid.* XVII, 4.
poterit salvare * *vos,* o decem tribus, de * alias *sa-*
potestate Assyriorum : imo rex Assyrio- *nare*
rum, audito quod misit Osee rex Israel ad *Ibid.* 4-6.
Pharaonem, venit, et cepit atque occidit
Osee, et populum transtulit. *Nec solvere
poterit a vobis,* o Juda, *vinculum* jam præ-
fatum. Non enim potuerunt Ægyptii libe-
C rare regnum Juda de manu Chaldæorum,
ut legitur secundo Paralipomenon. Tunc *Ibid.* XXIV,
quippe cœpit potestas Pharaonis vehemen- 7.
ter deficere, dum reges Assyriorum sic in-
valescebant; et rex Chaldæorum Nabucho-
donosor penitus dejecit regem Ægypti. De *Ibidem.*
hac materia in diversis capitulis multa va-
ticinatus est Isaias, ut quum ait : Væ qui *Is.* XXXI, 1.
descendunt in Ægyptum ad auxilium, etc.;
Jeremias quoque et Ezechiel. *Jer.* XLII-XLIV, XLVI; *Ezech.* XVII, XXIX-XXXII.

Quoniam ego Deus omnipotens, quo ad-
versante, nullus valet succurrere, ero *qua-*
D *si leæna Ephraim,* id est decem tribubus, 14
eas terribiliter atque velociter per Assyrios
puniendo. Septuaginta transtulerunt, Ego
quasi panther Ephraim. Panther autem,
secundum Hieronymum, est animal sævum
ac velocissimum, quo significatur velox
interitus Ephraim ab Assyriis. *Et quasi
catulus leonis* ero *domui Juda,* per Chal-
dæos destruendo regnum ipsius. *Ego ca-
piam,* id est, virtutem capiendi donabo As-
syriis et Chaldæis, *et vadam,* non locum
mutando, sed per vindictam impios visi-

tando; *tollam* totum Israel de terra propria, *et non est qui eruat* de manu mea, cui nullus potest obsistere. Unde ait Salvator : Nemo potest rapere de manu Patris mei. (Joann. x, 29.) Et in Job habetur : Deus, cujus iræ resistere nemo potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. (Job ix, 13.)

15 *Vadens,* id est ultione facta, a vobis recedens per gratiæ atque subsidii subtractionem, *revertar ad locum meum,* id est, in me ipso quiescam. Locus Dei, est majestas et magnificentia ejus, secundum Hieronymum : imo Divinitas est locus sui ipsius, quia nil extra eam est, quo contineatur. Hinc secundum antiquos philosophos, Infinitum fulcit se ipsum. Vel per locum Dei, intelliguntur electi gentiles, quos, abjectis Judæis, cœpit Deus per gratiam inhabitare. Loquitur autem Deus de se ipso metaphorice per modum judicis irati, qui accedit ad puniendum aliquos : quo facto, ad pristinum revertitur locum. *Donec deficiatis* victi ab hostibus, *et quæratis faciem meam,* id est pietatis meæ respectum, seu gratiosam præsentiam : quod fecerunt duæ tribus circa finem Babylonicæ captivitatis. Decem vero tribus circa finem mundi id facturæ creduntur.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO TROPOLOGICA SEU MORALIS EJUSDEM CAPITULI QUINTI.

1 MORALITER, per sacerdotes et domum regis, qui facti sunt laqueus speculationi, et sicut rete expansum ad capiendas subvertendasque animas, intelliguntur principes, doctores, et prælati Ecclesiæ negligentes atque indigni : quos Christus constituit super familiam suam, ut sint provisores et custodes pervigiles dominici gregis; sed ipsi propria lucra et voluptatem sectantes, negligunt subditorum salutem, quodque damnabilius est, homines innocentes, pios et simplices frequenter derident, persequuntur, atque a bonæ voluntatis executione impediunt, quia nec ipsi intrant, nec introeuntes sinunt intrare. (Luc. xi, 52.) Contra quod admonet Petrus in prima sua Canonica : Pascite qui in vobis est gregem, providentes secundum Deum, non turpis lucri gratia, neque ut dominantes in clero, sed forma gregis effecti, et ex animo. (I Petr. v, 2, 3.) Paulus quoque ad Timotheum : Esto exemplum fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate. (I Tim. iv, 12.) Denique, qui per verba ornata, per sapientiæ ostentationem, per apparentem sanctitatem, per temporalis prosperitatis virorem, seu gradus vel auctoritatis sublimitatem alios fallunt, hi sunt quasi rete expansum super Thabor montem. De tali etenim legitur monte : Quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? (Ps. x, 2.)

2 Præterea isti declinant, id est, mittunt seu deprimunt, victimas in profundum, dum spirituales seu corporales oblationes sui vel subditorum, referunt ad finem indebitum, ad gloriam vanam, ad transitorium emolumentum, non ad Dei præconium et peccati emundationem, cœlestisque beatitudinis adeptionem. Contra quos loquitur Christus : Quum facis eleemosynam, nesciat sinistra quid faciat dextra; (Matth. vi, 2, 3.) itemque : Quum oraveris, intra cubiculum, et ora Patrem in abscondito; (Ibid. 6.) et : Videte ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab illis; alioqui mercedem non habebitis a Patre vestro, qui in cœlis est. (Ibid. 1.) *Et ego eruditor omnium eorum.* Quotidie docet Christus nos omnes per prædicatores, per Scripturas, per signa, per angelicam inspirationem, per di-

vinum instinctum, per naturalis ingenii
Ps. IV, 7. perspicacitatem : quia signatum est super
nos lumen vultus Dei, ita quod ignorantia
nos nequaquam excuset. Unde apud Jere-
Jer. VI, 8. miam Dominus ait : Erudire, ne forte re-
cedat anima mea a te. Impii vero agnitæ
veritatis non sequuntur doctrinam, sed vi-
tiis passionibusque vincuntur, et more pe-
cudum, voluptate, non ratione, feruntur.
3 *Ego scio Ephraim, et Israel non est abs-
conditus a me, quia nunc fornicatus est
Ephraim, contaminatus est Israel.* Ephra-
im interpretatur augmentum seu incre-
mentum : per quod hoc loco intelliguntur
Ps. XXXVIII, 7. avari, qui thesaurizant sibi in terra, et
ignorant cui congregant ea. Hi fornican-
tur, ponendo spem suam in argento et au-
Eccli. X, 10. ro, et animam suam habendo venalem. Per
Israel quoque hoc loco intelliguntur inge-
niosi, atque informiter docti, nudi specu-
latores ac frigidi, vani, et ambitiosi, quibus
Is. XLVII, 10. in Isaia dicitur : Sapientia tua et scientia
tua deceperunt te. Hi contaminantur, dum
quærunt videri, reputari, et in admiratio-
ne haberi, pleni inanissima gloriatione in
semetipsis, et alios parvi pendentes, non
Eccli. XIX, 21. attendentes illud Ecclesiastici : Melior est
homo qui minoratur sapientia, et est in
timore Dei, quam qui abundat sensu, et
transgreditur legem Altissimi. Hunc Ephra-
im et Israelem scit Christus notitia repro-
Ibid. XXIII, 28. bationis, cujus oculi sunt multo lucidiores
super solem, circumspicientes omnes vias
4 hominum. *Non dabunt cogitationes suas
ut revertantur ad Deum suum :* quoni-
am tales interdum difficilius convertuntur
quam simplices et egeni; *quia spiritus
fornicationis** spiritualis, et sæpe etiam
corporalis, est *in medio eorum :* quia in
suo ingenio atque divitiis, magis quam in
Deo sempiterno, fonte universæ scientiæ
ac sufficientiæ, gloriantur.

* alias *fornicationum*.

5 *Et respondebit arrogantia Israel in fa-
cie ejus, et Israel et Ephraim ruent in
iniquitate sua.* Hoc impletur dupliciter :
Primo, dum præfatis vitiis implicati, sic
deseruntur in præsenti vita a gratia, quod
ignominiosa atque turpissima incidunt cri-
mina, sicut de talibus ait Apostolus ad Ro-
manos : Tradidit illos Deus in reprobum *Rom.* I, 28.
sensum, ut faciant ea quæ non conveni-
unt. Sicque quotidie ruunt in iniquitatibus
suis, dum uno peccato trahuntur ad aliud,
ita quod præcedens, est dispositio et cau-
sa meritoria subsequentis. Secundo, dum
pœnam damnationis incurrunt, quemad-
modum scriptum est : Exterminati sunt, *Baruch* III, 19.
et ad inferos descenderunt. *Ruet etiam
Judas,* id est vir ecclesiasticus, *cum eis :*
nam boni interdum a talibus subvertuntur
ac pereunt.

In gregibus suis, id est cum vanarum 6
et sæcularium cogitationum tumultibus, *et
in armentis suis,* id est cum carnalium
voluptatum passionibus, *vadent ad quæ-
rendum Dominum :* quia si interdum va-
dant ad locum cultus divini ut orent, tot
cogitationibus et affectionibus inordinatis
depingitur cor eorum, quod Deum devota
tranquillaque mente nequeunt exorare. Id-
eo sequitur : *et non invenient :* non enim
exaudiri merentur. *Filios alienos genue-* 7
runt : quia discipulos seu posteros suos
fovendo in suis peccatis, reddunt eos a
Deo aversos, ut non jam ad Creatorem
suum, sed ad dæmonem seductorem perti-
neant. *Nunc devorabit eos mensis,* id est,
de proximo peribunt, quemadmodum scri-
ptum est : Quoniam tanquam fœnum ve- *Ps.* XXXVI, 2.
lociter arescent.

Clangite buccina, id est, clare et alte 8
prædicate, *in Gabaa,* id est in colle virtu-
tum, ut prædicationi correspondeant mo-
res et vita. Clangite quoque et *tuba in Ra-
ma,* id est in excelso caritatis ac sapientiæ,
sicut ait Apostolus : Sapientiam loquimur I *Cor.* II, 6.
inter perfectos. Gabaa autem interpretatur
collis; Rama vero, excelsum. *Ululate in
Bethaven,* id est in domo idoli, deflendo
vehementer eorum peccata qui creaturis
potius quam Creatori inhærent atque de-
serviunt. Hi siquidem quasi idola honora-
re videntur, secundum quod avaritiam vo- *Ephes.* V, 5; *Coloss.* III, 5.
cat Apostolus idolorum servitutem. *In die
correptionis et in tribubus Israel ostendi* 9
fidem. Sicut hæc verba in præcedenti arti-

culo de decem tribubus explanata sunt, A
sic generaliter verum est quod Deus in die
castigationis et plagæ impiorum ostendit
fidem, id est fidelitatem et veritatem Scri-
pturæ atque sanctorum, dicentium quod
Deus habeat omnium providentiam rerum,
nilque impræmiatum relinquens, perver-
sos debitis afficit pœnis, etiam interdum
Job IV, 7-9. in isto sæculo. Unde in Job habetur : Re-
cordare, obsecro, quis unquam innocens
periit : quin potius vidi impios Domino
flante perisse.

10 *Facti sunt principes Juda,* id est præ- B
lati Ecclesiæ, *quasi assumentes terminum,*
id est, possessiones suas dilatantes in ter-
minis alienis quos emunt, nec contenti
competenti possessione, temporalia immo-
deranter accumulant, in gravamen et scan-
dalum aliorum. Contra quos scriptum est
Prov. XXII, 28. in Proverbiis : Ne transgrediaris terminos
antiquos, quos posuerunt patres tui ; in
Deut. XIX, 14. Deuteronomio quoque, Non transferes ter-
minos quos fixerunt priores in possessio-
ne tua. *Super eos effundam quasi aquam
iram meam.* Talium nempe cupiditas ve- C
hementer damnanda est, graviterque puni-
tur in præsenti per spiritualium divitiarum
(quibus anima spoliatur) subtractionem, in
futuro quoque per cruciamenta æterna,
Is. V, 8. quemadmodum in Isaia inducitur : Væ qui
conjungitis domum ad domum, et agrum
11 agro copulatis. *Calumniam patiens est
Ephraim.* Hoc juxta sensum præhabitum
dici potest de ecclesia Christianorum ma-
lorum, dum ab infidelibus seu pejoribus
prava intentione opprimitur : quod tamen
juste patitur ex parte Dei et sui. Unde D
subjungitur : *fractus judicio,* quia divinæ
æquitatis censura hostibus traditur, *quo-
niam cœpit abire post sordes* vitiorum,
de quibus in Apocalypsi legitur : Qui *Apoc.* XXII, 11.
in sordibus est, sordescat adhuc. *Et ego* 12
quasi tinea Ephraim, id est hæreticis
seu prædictis avaris, *et quasi putredo
domui Juda,* id est ecclesiæ peccantium,
qui labiis Deum honorant, sed corde lon- *Is.* XXIX, 13; *Matth.* XV, 8.
ge distant ab eo. Hos namque destruit
Deus, nunc spiritualiter omne esse gratiæ
gratum facientis eis negando aut sub-
trahendo ; tandem quoque justas inferet
afflictiones.

Et vidit Ephraim languorem suum, et 13
Juda vinculum suum. Et abiit ad Assur.
Sic multi spiritu diffidentiæ tabescentes,
dum propria mala et vincula culpæ atten-
dunt, pericula atque injurias imminentes
adspiciunt, non convertuntur spe firma
ad Deum, nec mente fideli clamant ad
eum, sed a filiis hujus sæculi, Deo reli-
cto, quærunt solatium. Contra quos Jere-
mias scribit : Maledictus qui confidit in *Jer.* XVII, 5.
homine, et ponit carnem brachium suum,
et a Domino recedit cor ejus : quum uti-
que Dominus juxta sit his qui tribulato *Ps.* XXXIII, 19.
sunt corde, et afflictos eripiat, prout in
Job asseritur : In sex tribulationibus libe- *Job* V, 19.
rabit te, et in septima non videbis ma-
lum. Unde ait in Psalmo : Invoca me in *Ps.* XLIX, 15.
die tribulationis ; eruam te, et honorifi-
cabis me. Istis igitur tam infideliter se
ad Deum habentibus, efficitur Deus quasi 14
leæna catulusque leonis, quos capit et tol-
lit ne videant gloriam Dei, atque in car-
cere infernali eos concludit, donec quæ-
rant faciem ejus : quod nunquam facient,
quoniam non est in morte qui memor *Ps.* VI, 6.
sit Dei ; in inferno autem quis confite-
bitur ei ?

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : IN TRIBULATIONE SUA MANE CONSURGENT AD ME.

PRÆSENTI capitulo describitur divinæ
bonitatis miseratio, Judæorum quoque
ad Christum conversio. Dixerat autem Deus
Osee v, 15. in fine præcedentis capituli, Revertar ad
locum meum, donec deficiatis et quæratis
faciem meam ; nunc autem protinus sub-
1 dit : *In tribulatione sua mane consurgent
ad me,* etc. Unde, secundum Glossam et
Bedam, verba hæc possunt aptari Judæis
qui in Babylonica captivitate oppressi, con-
vertebantur ad Deum. Eritque sensus : *In
tribulatione sua,* qua a Chaldæis in Baby-
lonia affligebantur, *mane,* id est lumine
pœnitentiæ eis infuso, *consurgent ad me,*
excutiendo se a somno peccati et torpore
ignaviæ ad vitam meliorem, dicentes ad
se invicem salubriter : *Venite, et reverta-*
2 *mur ad Dominum, quia ipse cepit,* id est,
manibus Chaldæorum tradidit, *et sanabit
nos* a languore peccati. Nihilo minus, se-
cundum Glossam et Bedam, imo secundum
doctores catholicos et Hebræos communi-
ter, capitulum præsens loquitur pro tem-
pore Christi.

Denique, ut refert Hieronymus, Judæi
increduli, qui Jesum Christum non reci-
piunt pro Messia eis promisso, exponunt
hoc modo : *In tribulatione sua* (hæc sunt
verba Dei), id est Judæi in hac captivitate
eis a Romanis inducta, *mane consurgent
ad me :* quia quotidie mane et vespere
orant Deum liberari a tribulatione capti-
vitatis præsentis per adventum Messiæ, di-
centes : *Venite, et revertamur ad Domi-
num,* a quo peccando recessimus, et ad
quem quotidie pœnitendo redimus ; *quia
ipse cepit,* id est, Romanis tradidit nos
propter peccata nostra, *et sanabit nos* ab
3 hac calamitate in adventu Messiæ. *Vivi-
ficabit nos* vita gratiæ *post duos dies :* id
A est, rex Messias statim quum venerit, vi-
vificabit nos ; *in die tertia,* id est in die
judicii, *suscitabit nos, et vivemus in con-
spectu ejus,* quia tunc perfecte salvabi-
mur. Judæi ergo per secundum diem, in-
telligunt Christi primum adventum, quem
præstolantur futurum ; per tertium vero
diem, intelligunt diem judicii. Quibus Hie-
ronymus objicit, quod respondere neque-
unt quis sit primus dies.

Porro, ut recitat Lyra, Judæi moderni
sequentes Rabbi Salomonem, per primum
B diem, accipiunt tempus primi templi a
Salomone constructi, cui successit nox de-
structionis illius templi per Chaldæos; per
diem vero secundum, accipiunt tempus
secundi templi, a Zorobabel ædificati, cui
successit nox destructionis templi illius per
Romanos. Per tertium autem diem, accipi-
unt tempus tertii templi, quod asserunt a
Messia ædificandum : de quo templo expo-
nunt, quod in fine Ezechielis scribitur de *Ezech.* XLI-
cujusdam templi structura mirabili. Ita- XLVII.
que post duos dies præfatos, videlicet fi-
C nita captivitate præsenti, et in die tertia,
quum Messias construxerit templum, di-
cunt se vivificandos ac suscitandos. Sed
hæc expositio sumit diem satis improprie,
fundaturque in errore perfidiæ, quod di-
cunt Christum nondum venisse.

Supponendo ergo quod verum est, ut-
pote quod Christus jam venit, sicut in
sequentibus palam probabitur, exponen-
da est littera vere atque catholice hoc
modo :

In tribulatione sua, id est in dolore 1
D pœnitentiali pro peccatis : quia veraciter
pœnitens, tribulationem animæ habet, jux- *Ps.* LXXVI,
ta illud, Renuit consolari anima mea ; et 3.
denuo, Afflictus sum et humiliatus sum *Ps.* XXXVII, 9.

nimis, rugiebam a gemitu cordis mei. Non A
enim leviter est deflendum, nec modice
reputandum, quod Deus sublimis offen-
ditur, quod Creator omnipotens inhono-
ratur, sed cordialissime oportet tristari,
humiliari et emendare. Propterea Jeremias
Jer. vi, 26. hortatur : Luctum unigeniti fac tibi, plan-
Deut. iv, 29. ctum amarum. Et Moyses : Quum quæsieris
Dominum Deum tuum, invenies eum, si
tamen toto corde quæsieris eum, et tota
tribulatione animæ tuæ. Vel, In tribulatio-
ne sua corporali, quia in Christi adventu
subjecti erant Judæi Romanis, qui præfe- B
cerunt eis crudelissimos dominos, Hero-
dem et Pilatum, qui Judæos frequenter
tribulaverunt, et quosdam eorum vicissim
occiderunt. *Mane,* id est in spiritualis diei
aurora, videlicet mox illustrante eos gra-
tia Spiritus Sancti, qui spiritualem diem
facit in anima, dum gratiæ suæ splendore
eam in omnibus ad salutem pertinentibus
clare irradiat atque accendit : de quo die
Prov. iv, 18. accipi potest illud Proverbiorum, Justo-
rum semita quasi lux splendens, procedit
et crescit usque ad perfectum diem. De C
Ps. v, 5. hoc Mane fertur in Psalmo : Mane adstabo
tibi, et videbo quoniam non Deus volens
iniquitatem tu es. Quidam per Mane, in-
telligunt tempus prædicationis Joannis Ba-
ptistæ, cujus doctrina, conversatione, atque
baptismo multi Judæorum ad Christum
conversi sunt. Dicitur quoque tempus hoc,
Mane, quum sit principium temporis gra-
tiæ, quod ad Romanos dies vocatur, dicen-
Rom. xiii, 12. te Apostolo : Nox præcessit, dies autem
II Cor. vi, 2. appropinquavit. Et alibi : Ecce, inquit,
nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies D
salutis. *Consurgent ad me,* erigendo se
ab imis ad summa, a terrenis ad super-
Luc. iii, 8. na, dignosque pœnitentiæ fructus agendo.
Job viii, 5, 6. Unde scriptum est in Job : Si diluculo
consurrexeris ad Deum, et Omnipoten-
tem fueris deprecatus, statim evigilabit
ad te.

Venite, a multis in quibus consistit
Luc. x, 41, 42. turbatio, ad unum quod necessarium est,
in quo quies vera consistit ; venite, non
gressibus corporis, sed sanctis affectioni-
bus cordis et actibus fidei, spei ac carita-
tis ; *et revertamur ad Dominum* Christum.

Quia ipse Dominus *cepit,* id est, præ- 2
teritis temporibus punivit, et captivitati
exposuit, *et sanabit nos* jam, quemadmo-
dum Zacharias dixit : Benedictus Dominus *Luc.* i, 68.
Deus Israel, quia visitavit et fecit redem-
ptionem plebis suæ. Anna quoque pro- *Ibid.* ii, 38.
phetissa loquebatur de Christo omnibus
qui exspectabant redemptionem Jerusa-
lem. Et Simeon : Nunc dimittis servum *Ibid.* 29.
tuum, Domine, etc. Curavit autem Chri-
stus electos Judæos spiritualiter a servi-
tute peccati atque vulneribus animæ, cor-
poraliter quoque curavit infirmos eorum,
sicut Evangelistæ testantur. Propter quod
apud Isaiam prædictum est : Deus vester *Is.* xxxv, 4-6.
ipse veniet, et salvos vos faciet : tunc
aperientur oculi cæcorum, et aures surdo-
rum patebunt ; tunc saliet sicut cervus
claudus, et aperta erit lingua mutorum.
Percutiet virga paternæ correctionis in
præsenti, ne æternaliter pereamus, *et cu-
rabit nos,* indulgendo et confortando. Unde
ait Apostolis : In mundo pressuram ha- *Joann.* xvi, 33.
bebitis. Denique per multas tribulationes *Act.* xiv, 21.
oportet nos intrare in regnum cœlorum.
Hinc in Proverbiis scriptum est : Disci- *Prov.* iii, 11, 12.
plinam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne
deficias quum ab eo corriperis : quem
enim diligit Deus, corripit, et quasi pater
in filio complacet sibi. Et in Job ait qui-
dam : Beatus homo qui corripitur a Domi- *Job* v, 17, 18.
no : increpationem ergo Domini ne re-
probes, quia ipse vulnerat, et medetur ;
percutit, et manus ejus sanabunt.

Vivificabit nos per gratiæ infusionem, 3
mortem culpæ delendo, corporis quoque
immortalitatem in spe exhibendo, *post du-
os dies,* id est expleto tempore quod fuit
ante legem, et tempore illo quod fuit
sub lege, videlicet nunc instante tempore
evangelicæ legis, quando plenitudine tem- *Galat.* iv, 4.
poris veniente, Verbum caro factum ha- *Joann.* i, 14.
bitavit in nobis, et dixit : Venit Filius *Luc.* xix, 10.
hominis quærere et salvum facere quod
perierat ; et iterum, Ego veni ut vitam ha- *Joann.* x, 10.
beant, et abundantius habeant. *In die ter-*

Rom. vi, 9. *tia,* quando resurgens a mortuis, jam non moritur, *suscitabit nos,* id est, futuræ resurrectionis spem dabit. Capitis enim præcessio, spes membrorum est. Præterea, resurrectio Christi est causa exemplaris nostræ resurrectionis. Hoc totum scribit ad Corinthios S. Paulus : I Cor. xv, 20-22. Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum ; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Vel quod ait, Post duos dies, et in die tertia, idem tempus significat, scilicet diem dominicæ resurrectionis : in quo etiam vivificavit nos, Rom. iv, 25. quia ut dicit Apostolus, resurrexit propter justificationem nostram ; tunc quoque apparens discipulis, mortem infidelitatis cœpit auferre, et vitam fidei reparare.

Hieronymus per primum diem intelligit primum Salvatoris adventum ; per diem secundum, diem judicii, in quo in majestate et gloria omnibus apparebit ; per tertium, diem æternitatis, quando in patria claritatem suam monstrabit electis. Sed difficile videtur assignare quomodo in hoc tertio die suscitabit nos, vel post prædictum secundum diem vivificabit nos. Glossa vero, per primum diem intelligit tempus a principio mundi usque ad Christi adventum ; per diem secundum, tempus adventus Christi, quo vivificamur per fidem ; per tertium autem, tempus generalis Philipp. iii, 21. resurrectionis, quando reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

Et vivemus in conspectu ejus : quia post Christi passionem et resurrectionem, fideles vere spiritualiterque vixerunt coram Christo, qui Spiritum Sanctum misit in corda eorum. *Sciemus* Scripturas et ea quæ fidei sunt, *sequemurque* opera Christi, conformando nos ejus humilitati, patientiæ, obedientiæ et passioni. Unde et ipse testatur : Luc. ix, 23. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me ; itemque, Joann. viii, 12. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Hinc ait Psalmista : Ps. lxvii, 25. Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei. Vel, Sequemur Christum, peracto judicio, ascendentes cum ipso in alta cœlorum. *Ut cognoscamus Dominum,* non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem cognoscentes, sicut et cogniti sumus. I Cor. xiii, 12. Unde in prima sua epistola ait Joannes : Quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. I Joann. iii, 2. Hæc cognitio est finis noster et tota merces, de qua ait Salvator ad Patrem : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Joann. xvii, 3.

Quasi diluculum præparatus est egressus ejus. Duplex est Christi egressus : unus æternalis, quo per generationem æternam egreditur de corde Patris : de quo in Michæa scriptum est, Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis ; Mich. v, 2. et ipse Christus apud Joannem, Exivi (inquit) a Patre. Joann. xvi, 28. Alius temporalis, quo per generationem maternam exivit de inviolato ac integerrimo utero superbenedictissimæ Virginis : de quo cantat Psalmista, Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Ps. xviii, 6. Et de isto egressu nunc agitur, ut sit sensus : Egressus ejus, id est processus Christi de Virgine Matre, et adventus ejus in hunc mundum per incarnationis mysterium, est præparatus, id est a Deo factus et nobis exhibitus, quasi diluculum, quod est principium diei. Quemadmodum enim hora diluculi oriente luce fugantur tenebræ noctis, et totus mundus solis splendore perfunditur ; sic Christo de Virginis utero prodeunte, atque in mundo se manifestante, caligo ignorantiæ vitiorumque tenebræ dissipari cœperunt, et veritatis emicuit claritas. Hinc scriptum est in Isaia : Is. lxii, 1. Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. Et Christus in Evangelio ait : Ego lux veni in mundum. Joann. xii, 46.

Et veniet Christus *quasi imber nobis temporaneus.* Quemadmodum enim imber iste in terra promissionis semina sata co-

alescere facit in terra, estque multum conveniens terræ, et eam fecundans; sic Christus veniendo in mundum et prædicando, corda hominum fide et gratia per suam fecundavit doctrinam. Unde et ipse ait :
Luc. VIII, 11. Semen est verbum Dei. Et in Joanne ait
Joann. XV, 3. discipulis : Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Venit quoque *et* quasi imber *serotinus terræ :* quoniam sicut imber serotinus perducit fructus ad maturitatem, sic Christus ope gratiæ suæ perficit fidem nostram, ut per
Galat. V, 6. dilectionem operetur, et fructus virtutum producamus, ne simus sterilis arbor. Hinc
Joann. XV, 5. etenim ait : Sine me nihil potestis facere;
Matth. XIII, 8, 23. et iterum, Semen fecit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Vel dicitur imber serotinus, secundum Hieronymum, in quantum æternæ beatitudinis præmia confert. Secundum Glossam quoque, in terra promissionis bis tantum in anno datur pluvia de cœlo : propter quod pluvia temporanea fertur, quæ semina jacta coalescere facit; serotina vero, quæ ea ad maturitatem deducit. Unde de hac terra Moyses ait in Deuteronomio :
Deut. XI, 10-12. Terra quam ingredieris, non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine aquæ ducuntur irriguæ; sed montuosa est et campestris, de cœlo exspectans pluvias : quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi ejus in ea sunt a principio anni usque ad finem. Utinam cor nostrum sit hujusmodi terra, quatenus verbum Dei in eo fructificet, et impleatur in nobis quod Dominus
Ibid. 14. alio loco promittit : Dabo vobis pluviam temporaneam et serotinam.

4 *Quid faciam tibi, Ephraim ?* id est populo decem tribuum ; *quid faciam tibi, Juda?* id est populo duarum tribuum, scilicet Juda ac Benjamin (per quos tribus Levitica datur intelligi). Quasi dicat ipse Dominus : Defectus vestræ salvationis non est ex parte mei, sed vestri, et jam tanta beneficia vobis exhibui, quod merito converteremini ad me, et non obstante malitia vestra, adhuc quodammodo misereor vestri. Itaque his verbis declarat, se habere

A pii patris affectum ad filios pereuntes. Simile huic est quod ait per Isaiam : Quid Is. V, 4.
ultra debui facere vineæ meæ, et non feci? Et per Michæam : Popule meus, quid Mich. VI, 3.
tibi feci? aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Hoc quoque affectu loquitur apud Isaiam, Utinam attendisses mandata Is. XLVIII, 18.
mea; et in Deuteronomio, Quis det talem Deut. V, 29.
eos habere mentem ut timeant me, et bene sit eis? Non ergo Deo imputemus, sed negligentiæ nostræ, quod perimus, vel minus habemus. *Misericordia vestra quasi nu-*
B *bes matutina :* id est, miseratio mea, quam vobis impendere sum paratus, non est fixa et fructuosa in vobis ; sed sicut nubes matutina sole ascendente cito pertransit, sic gratia mea in vobis effectum non habet, propter duritiam et ingratitudinem vestram. Est item *et quasi ros mane pertransiens,* qui solis calore mox exsiccatur. Nomine roris et nubis, gratia atque benignitas Dei significatur. Unde Isaias dicit :
Ros lucis, ros tuus; et rursus, Creabit Is. XXVI, 19.
Dominus super omnem locum montis Sion Ibid. IV, 5.
C nubem per diem. Deus autem populo Israel, etiam non credenti, multa beneficia et gratias gratis datas concessit : quæ omnia nubi et rori instabili comparantur, quia non perduxerunt eos ad gratiam gratum facientem, celeriterque auferebantur ab eis.

Quidam exponunt hoc modo : *Quid faciam tibi, Ephraim,* etc. ? quasi dicat : Indigni estis salvari, et misericordiam consequi. Cujus ratio subditur : *Misericordia vestra,* id est, quæ inest vobis formaliter,
D est *quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens,* id est sine effectu et vana, non virtus vera, sed simulata, quemadmodum nubes matutina est frequenter sine pluvia, et ros matutinus sine humectatione terræ. In quo Judæorum increpatur hypocrisis, quam Christus maxime redarguebat in Scribis, Pharisæis ac sacerdotibus, prout apud Matthæum legitur : Væ, Matth. XXIII, 27.
inquiens, vobis Scribis et Pharisæis, qui similes estis sepulcris dealbatis. — Quidam referunt ista ad Judæos et decem tribus

Israel, qui erant tempore Osee prophetæ,
tuncque in proximo capiendi fuerunt per
Assyrios et Chaldæos. Videtur tamen posse
referri ad Judæos pro tempore Christi, in
quem in primo adventu aliqui de singulis
vel pluribus tribubus crediderunt. Plures
vero non crediderunt, et eorum qui cre-
diderunt, quidam aversi fuerunt. Propter
quod, secundum Evangelistas, exprobravit
Matth. XI, 21. eis, dicendo : Væ tibi, Corozain; væ tibi,
Bethsaida, etc. De quibus et Isaias prædi-
Is. IX, 1. xit : Novissime gravata est via maris trans
Jordanem Galilææ gentium.

5 *Propter hoc,* scilicet quia vobis consu-
lere volui, *dolavi :* id est, more ædificantis
qui ligna dolat, asperitatem materiæ de-
ponendo, dolavi vos, id est, verbis acutis
comminatus sum vobis, *in Prophetis,* id
est per os Prophetarum, quatenus obliqui-
tatem vitiorum vestrorum delerem per
minas; *occidi eos,* videlicet negligentes,
qui Prophetis non obedierunt, *in verbis
oris mei :* id est, per verba mea eos occi-
dendos prædixi, vel verbis comminatoriis
multum eos afflixi ac terrui. Septuaginta
transtulerunt, Succidi prophetas vestros,
occidi eos verbo oris mei. Et ita sensus
est, quod pseudoprophetas Deus occidit,
eo quod populum seduxerunt; jussitque
eos interfici, vel imperando occidit, ut
populus videns illorum occisionem, resi-
pisceret, pœniteret, nec se excusaret di-
cendo, Seductus sum. Tempore Eliæ occisi
III *Reg.* XVIII, 40. sunt prophetæ Baal quadringenti quin-
quaginta. Denique circa adventum Christi
erant pseudoprophetæ in Judæa, de quibus
Act. V, 36, 37. scribitur in Actibus, videlicet Theodas et
Judas Galilæus, qui perierunt occisi. *Et
judicia tua,* id est sententia tuæ damnatio-
nis, seu æquitas judicii quo te judicabo,
quasi lux egredientur, id est, omnibus
evidenter innotescent, ita quod scient te
juste damnatum, captum, seu derelictum,
eo quod post tantam admonitionem con-
verti nolueris. Vel : Judicia tua passiva, id
est pœnæ quas tibi infligam, quasi lux
egredientur, quoniam manifeste patebunt,
ut pro manifestis peccatis inferatur mani-
A festa punitio, sicque pœna sit correspon-
dens peccato. Nunc enim videmus quomo-
do Judæi vastentur, eo quod in Christum
non credant. Ideo autem sic punientur :

Quia misericordiam volui, id est, opera 6
pietatis et compassionis affectum accepto,
et non sacrificium legale, tempore evange-
licæ legis, in qua cærimonialia cessaverunt
atque mortifera facta sunt, quia non erant
nisi figurativa mysteriorum Christi novæ-
que legis : propter quod, veritate impleta
ac patefacta, debebant cessare. *Et scien-*
B *tiam Dei* formatam ac salutarem, caritate
ornatam et bonæ operationi conjunctam,
volui *plus quam holocausta* legis : quæ ad
Dei honorem totaliter cremabantur, in si-
gnum quod homo debet se totum Deo
offerre, ejusque obsequio mancipare. Unde
Dominus ait in Psalmo : Non accipiam de *Ps.* XLIX, 9.
domo tua vitulos, neque de gregibus tuis
hircos. Et rursus : Sacrificium et oblatio- *Ps.* XXXIX, 7.
nem noluisti, holocaustum et pro peccato
non postulasti. Et apud Isaiam : Qui immo- *Is.* LXVI, 3.
lat bovem, quasi qui interficiat virum; qui
C mactat pecus, quasi qui excerebret canem.
Quæ omnia accipi possunt pro tempore
novæ legis propter causam prætactam, vel
pro tempore veteris Testamenti, quantum
ad hoc quod non erant per se accepta,
neque peccati purgativa, quemadmodum
ad Hebræos scribitur : Impossibile est, *Hebr.* X, 4.
sanguine hircorum et taurorum auferri
peccata. Hæc proprie dicuntur contra Ju-
dæos, qui propter occisionem Christi a
Romanis vallati, obtulerunt innumerabilia
sacrificia Deo pro sua ereptione; sed quia
D in Christi discipulos non exercuerunt cle-
mentiam, et Christi scientiam contempse-
runt, non meruerunt aliquam misericor-
diam consequi.

Ipsi autem, id est decem et duæ tribus, 7
sicut Adam in paradiso *transgressi sunt
pactum,* id est legem quam pepigi cum
eis, quemadmodum Adam contra divinum
præceptum comedit de fructu ligni scien-
tiæ boni et mali; *ibi,* id est in Adam, *præ-
varicati sunt in me :* quia in ipso omnes *Rom.* V, 12;
cecidimus, et nascimur filii iræ in origi- *Ephes.* II, 3.

nali peccato; vel, Ibi, id est in hoc quod A
misericordiam et scientiam Dei non præ-
8 tulerunt sacrificiis legis. *Galaad,* id est
urbs illa sita in tribu Gad, pertinens ad
sacerdotes, et civitas fugitivorum, est *civi-
tas operantium idolum,* quia in ea primo
consecratum est idolum, secundum Hie-
ronymum, *supplantata sanguine,* id est
dejecta propter sanguinem in ea impie
fusum. Vel hoc ideo dicitur, quoniam pri-
mo ab Assyriis capta est, et sanguis civium
9 ejus partim effusus est. *Et quasi fauces
virorum latronum:* id est, habitatores Ga- B
laad assimilati sunt faucibus latronum,
aliorum bona devorantium, quoniam alio-
rum bona diripuerunt et consumpserunt.
Particeps fuit Galaad in peccato *sacerdotum
in via interficientium,* id est sacerdotum
idolorum, qui per se vel suos ministros
spoliabant vel occidebant in via, *pergentes
de Sichem,* id est filios Israel, qui ibant
per hanc civitatem seu de ea versus Jeru-
salem statutis diebus secundum legem, ut
hostias offerrent in templo secundum le-
gem: quod prædicti sacerdotes et habi- C
tatores Galaad ægre ferentes, posuerunt
insidiatores in via, qui pergentes interfe-
cerunt aut spoliaverunt. Denique Sichem,
secundum Bedam, quæ modo Neapolis di-
citur, erat in confinio decem duarumque
tribuum, et sic de ea fuit Israelitis iter
versus Jerusalem. Galaad autem interdum
est nomen montis, ut patet in Genesi. *Quia* Gen. xxxi,
scelus operati sunt. 21.

In domo Israel, id est in terra atque 10
familia decem tribuum, *vidi horrendum,*
id est immanissima crimina, scilicet ado-
rationem vitulorum et occisionem pergen-
tium. Unde et Jeremias ait: Obstupuit Cf. *Jer.* II,
cœlum super hoc, et expavit terra vehe- 12.
menter. *Ibi fornicatus est* Ephraim,* id * *fornicationes*
est Jeroboam, qui vitulos aureos fecit, erat- III *Reg.* XII,
que de progenie Ephraim, et Ephratæi 28; XI, 26.
secuti sunt ejus facinora; *contaminatus est
Israel* vitio idololatriæ, sequens reges suos.
Sed et Juda, id est, populus duarum tri- 11
buum, *pone messem tibi,* id est, segetes
et messem in terra tua habebis, *quum con-
vertero captivitatem populi mei,* id est,
quum tempore Cyri regis reduxero duas I *Esdr.* I, II.
tribus de captivitate Babylonica ad pro-
priam terram sub duce Zorobabel. In qui-
bus verbis innuit Propheta, quod duæ tri-
bus essent capiendæ ac liberandæ; sed de
liberatione decem tribuum non loquitur
nisi pro tempore Christi et fine mundi.

ARTICULUS XIV

DE MORALITATE HUJUS CAPITULI SEXTI.

QUEMADMODUM itaque Dominus ait in D
1 præsentis capituli principio, *In tri-
bulatione sua mane consurgent ad me,* et
nos debemus in omni tribulatione corpo-
rali seu spirituali, in omni tentatione et
persecutione oculos ad Deum dirigere, ejus-
que clementiam implorare, ut vel libe-
remur, vel patienter feramus et præva-
Ps. CXIX, 1. leamus, quemadmodum ait Psalmista: Ad
Dominum, quum tribularer, clamavi. Unde
II *Par.* XX, 12. secundo Paralipomenon Josaphat ait: In
nobis non est tanta fortitudo, ut possimus
resistere; sed quum ignoremus quid agere
debeamus, hoc solum habemus residui, ut
oculos nostros dirigamus ad te. Magnam
nobis spem præstant verba Dei, dicentis:
Salus populi ego sum; de quacumque tri- Cf. *Is.* XLIII;
bulatione clamaverint ad me, exaudiam *Ps.* XXXVI,
eos. Multis quoque tribulatio est incitamen- 39.
tum consurgendi ad Deum, qui in prospe-
ris extollerentur: in quibus impletur illud
Isaiæ, Sola vexatio dabit intellectum. *Is.* XXVIII, 19.

Debemus insuper nos invicem cohortari,
dicentes, *Venite, et revertamur ad Dominum,* prout ad Hebræos dicit Apostolus :
Hebr. III, 13. Adhortamini vosmetipsos per singulos dies,
ut non obduretur quis ex vobis fallacia
peccati. Peccando autem mortaliter, a Deo
omnino recedimus. Venialiter vero peccando, ab ipso aliqualiter elongamur, et
nisi adsit custodia diligens, ad recessum
3 disponimur. *Vivificabit nos,* per gratiæ
suæ infusionem, *post duos dies,* id est post
attritionem et invocationem. Contritionem
quippe præcedit attritio, quam sequitur
divinæ pietatis imploratio; tuncque Deus
videns hominem fecisse quod in se est,
influit vitam gratiæ, quæ dirimit mortem
culpæ. *In die tertia,* id est in confessione,
quæ attritionem et invocationem consequitur, *suscitabit nos* perfecte, etiam a
reatu totaliter aut partim, secundum quantitatem pudoris, contritionis atque fervoris.

Quasi diluculum præparatus est egressus ejus. Præter duplicem Christi egressum, in præcedenti articulo positum, est
tertius ejus egressus, quo spiritualiter venit ad corda fidelium, de quo ait in Joanne : Si quis diligit me, sermonem meum
Joann. XIV, 23. servabit, et Pater meus diliget eum, et ad
eum veniemus, et mansionem apud eum
faciemus. Hic ergo egressus præparatus est
nobis quasi diluculum seu aurora, ut depellat a nobis obscuritatem peccati, et omne quod saluti animæ adversatur, dummodo mane surgamus ad eum, primo omnium
Matth. VI, 33. quærentes regnum Dei et justitiam ejus, et
Ps. LXII, 2. cum Psalmista dicentes : Deus, Deus meus,
Is. XXVI, 9. ad te de luce vigilo; itemque cum Isaia, De
Apoc. III, 20. mane vigilabo ad te. Stat enim ad ostium
pulsans. *Et veniet quasi imber nobis temporaneus,* rorem consolationis et fecundi-
Eccli. XV, 3. tatis, aquamque sapientiæ salutaris donando, *et serotinus terræ,* quando transfert
nos de fide ad speciem, de merito ad præmium, de imperfecto ad perfectionem, de
I Cor. XIII, 10. quibus ait Apostolus : Quum venerit quod
perfectum est, evacuabitur quod ex parte
Matth. XX, 8. est. Unde in Evangelio scriptum est : Quum
sero factum esset, dixit dominus vineæ

A procuratori : Voca operarios, et redde illis
mercedem.

Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? Hæc possunt esse verba 4
clementissimi Dei ad Christianos peccatores, temporalia congregantes, et labiis tan- Matth. XV, 8.
tum confitentes, vel aliis vitiis implicitos,
quos Deus ad pœnitentiam indesinenter
invitat, eorum damnationi velut compatiens. De quo dicit Apostolus, quod vult I Tim. II, 4.
omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Hinc et Petrus dicit :
B Patienter agit Dominus propter vos, nolens II Petr. III, 9.
aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam
reverti. Cui consonans Isaias : Propterea, Is. XXX, 18.
inquit, exspectat Dominus, ut misereatur
vestri. Non ergo divitias bonitatis et lon- Rom. II, 4.
ganimitatis ejus contemnamus. Mallet enim
Christus animarum amator denuo crucifigi, quam sineret quempiam (quantum in
se est) condemnari. *Misericordia vestra
quasi nubes matutina.* Multa enim beneficia tribuit istis Deus, videlicet sacramenta
Ecclesiæ. Sed ipsi negligunt semetipsos, et
C misericordia Dei eis oblata, tanquam nubes matutina, non firmatur nec perseverat
in eis. Sed utinam gratia et misericordia
nostra comparetur nubi de qua loquitur
Isaias : Ecce Dominus ascendet super nu- Is. XIX, 1.
bem levem, et ingredietur Ægyptum; et
rursus, Qui sunt isti, qui ut nubes volant? Ibid. LX, 8.

Quia misericordiam volui, et non sacrificium. Ex hoc docemur, quam benignos, 6
pios et compassivos, ad ignoscendumque
faciles, et ad tribuendum ac succurrendum
paratos esse oporteat, ut alter alterius one- Galat. VI, 2.
D ra portemus, et tales exhibeamus nos proximis nostris, qualem cupimus Deum esse
nobis. Propter quod ad Ephesios scribit
præcipitque Apostolus : Omnis amaritudo Ephes. IV, 31, 32.
et indignatio et ira et clamor tollatur a
vobis; estote vero invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus
in Christo donavit vobis. Salomon quoque : Qui pronus est ad misericordiam, Prov. XXII, 9.
benedicetur; et iterum ait, Facere miseri- Ibid. XXI, 3.
cordiam, plus placet Deo, quam victimæ.
Hæc verba Osee allegat Christus contra

Matth. IX, 13. Pharisæos apud Matthæum, dum ait : Euntes discite quid sit, Misericordiam volo et non sacrificium. *Et scientiam Dei plus quam holocausta.* Sanctum ergo et acceptissimum Deo est, studio sacræ Scripturæ insistere, sic tamen ut modus servetur, et utiliora non omittantur. Unde dicit Hieronymus : Semper in manibus tuis sacra sit lectio, tenenti tibi codicem somnus subrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat; ama scientiam sanctarum Scripturarum, et vitia carnis non amabis. Verumtamen hæc salutaris scientia Dei, interdum pura oratione et immaculatæ conversationis munditia melius atque felicius Jacob. I, 5. impetratur. Propter quod Jacobus ait : Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et dabitur ei.

8 *Galaad civitas operantium idolum.* Galaad interpretatur, transmigratio testimonii : sicque designat perversos prælatos, impiosque doctores seu prædicatores, qui testimonia Scripturarum transferunt in abusionem et voluptatem carnalem, in omnibus quæ operantur propria commoda exquirentes. Isti sunt civitas operantium idolum propriæ adinventionis, non voluntatem divinæ jussionis. Suntque præterea
9 velut fauces latronum, quoniam subditorum bona consumunt, eosque malis exemplis et negligentia ac tepore spiritualiter strangulant et occidunt. Et sunt participes sacerdotum iniquorum, qui pergentes in via virtutum de Sichem, id est opere bono, ad Jerusalem, id est internæ pacis contemplationem, interficiunt, retrahendo eos a bono, atque in vitia inducendo.

In domo Israel vidi horrendum. Hor- 10
rendum plane est, considerare aut dicere quam immanissima vitia inveniantur jam in Ecclesia Dei, præsertim in his qui spiritualibus deputati videntur, et de Ecclesiæ bonis sustentantur.

Postremo, quod in isto capitulo dictum est, Quia ipse cepit et sanabit nos, quidam ad litteram sic exponunt : Ipse Christus cepit, id est, apprehendit nos, eo modo quo ad Hebræos dicit Apostolus, Nusquam Hebr. II, 16. angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit : quia videlicet ex semine Abrahæ naturam assumpsit humanam. Hinc et David fatetur : Misit de summo, et accepit me. Ps. XVII, 17. Quamvis autem expositio ista sit vera, non tamen ad propositum esse censetur, quia pro eo quod nostra translatio continet, Ipse cepit, in Hebræo et in translatione Septuaginta interpretum habetur, Ipse rapuit : et secundum hoc, littera ista exposita est præcedenti articulo.

ARTICULUS XV

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : QUUM SANARE VELLEM ISRAEL, REVELATA EST INIQUITAS EPHRAIM.

CONSEQUENTER ostenditur causa derelictionis decem tribuum, scilicet intolerabilis multiplicitas iniquitatis ipso-
1 rum. Itaque Dominus ait : *Quum sanare vellem,* quantum in me erat, vel voluntate antecedente, non consequente, quæ semper impletur (juxta illud Isaiæ, Consilium Is. XLVI, 10. meum stabit, et omnis voluntas mea fiet), *Israel,* id est populum decem tribuum et unum, a vulneribus animæ, de quibus apud Isaiam habetur, Vulnus et ulcus et plaga tumens ; Is. I, 6. vel a captivitate et tribulatione hostili ; *revelata est,* id est, manifeste ac multipliciter facta est, *iniquitas Ephraim,* id est Jeroboam Ephratæi, qui aureos vitulos fecit, III Reg. XII, 28. ac regum ejus iniqui-

tatem sequentium, qui pro magna parte A erant de genere Ephraim, *et malitia Samariæ,* id est habitatorum Samariæ metropolis in regno decem tribuum, qui assecuti sunt peccata et idololatriam regum suorum.

Quia operati sunt mendacium, id est
I Cor. VIII, 4. idolum, quod teste Apostolo nihil est : sicque mendacium dicitur, quia opponitur veritati rei seu entis. Quemadmodum enim verum multipliciter dicitur, ita et falsum. Recte quoque idolum vel simulacrum appellatur mendacium, quoniam sicut verum B opponitur falso, ita simulacrum Deo, qui veritas est. Denique idolum dicitur nihil, vel non ens, non ex parte materiæ, aut formæ artificialis superinductæ, sed quantum ad id quod esse aut significare putatur. Quidam enim coluerunt idola tanquam animata, et aliquid numinis seu divinitatis habentia, alii tanquam imagines rerum aliquid divinitatis habentium : quorum utrumque est falsum. Propter quod Socrates dixit se malle adorare canem quam idolum, eo quod canis, quum sit opus na- C turæ, dignior est idolo, quod est opus artis. Vel, per mendacium generaliter intelligi potest dolus atque fallacia, quibus isti pleni fuerunt, sicut communiter fuerunt et sunt Judæi. Unde in Jeremia ha-
Jer. IX, 4. betur : Unusquisque a proximo suo se custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam.

Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris. Per furem et latrunculum quidam intelligunt Jeroboam regem, qui occulte et deceptorie aggressus est populum, in- D ducendo eum ad idololatriam, sicque spoliavit eum auxilio Dei et spiritualibus bonis, et velut pessimus latro eorum animas interfecit, quas a fonte vitæ Deo sancto et adorando avertit. Sed quia in præcedenti
Osee VI, 9. capitulo dictum est, quod in regno decem tribuum viguerunt latrocinia et rapinæ, potest per furem et latrunculum designari quod in populo isto fuerunt fures latenter ingredientes et spoliantes, latrunculi quoque in locis forinsecus interficientes : sæpe enim ponitur in Scripturis singulare pro plurali.

Et ne forte dicant in cordibus suis, id 2
est, ne cogitent cum assensu, *omnem malitiam eorum me recordatum,* id est, quod nunc antiqua et pristina eorum peccata in deserto seu postea perpetrata attendo, et pro illis eos jam punio : ita quod patres comederunt uvam acerbam, et ob id dentes filiorum obstupescant, impleaturque (Ezech. XVIII, 2.) in eis illud Jeremiæ in Threnis : Patres nostri peccaverunt, et non sunt ; et nos (Thren. V, 7.) iniquitates eorum portavimus ; *nunc circumdederunt eos adinventiones suæ :* id est, vitia idololatriæ usque in præsens, tam evidenter tamque multiformiter perseverant in eis, quod per modum vestimenti eos circumdant, et testantur quod propter propria crimina puniuntur, nec possunt vetera patrum suorum peccata contra Deum causari. Sic itaque propriis culpis et pœnis pro illis juste inflictis circumdantur atque ligantur, prout in Proverbiis asseritur : Iniquitates suæ capient impium, et (Prov. V, 22.) funibus peccatorum suorum constringetur. *Coram facie mea factæ sunt,* id est, me præsente ac intuente prædicta mala egerunt ; vel, Coram facie mea factæ sunt, id est, peccata illa mihi ipsi proposui, ut ea ulciscar.

In malitia sua lætificaverunt regem, id 3
est, populus Israel consentiendo et insistendo peccatis Jeroboam regis, lætum fecit eumdem ; (III Reg. XII, 30.) *et in mendaciis suis,* id est verbis mendacibus atque fraudulentis operibus, lætificaverunt *principes* prædicti Jeroboam : qui regi suo confœderati in malo, gaudebant de idololatria populi. Quidam exponunt hoc de falsis prophetis, quorum consilio dicunt Jeroboam constituisse cultum vitulorum aureorum. Quibus obviare videtur dictum Hieronymi, asserentis quod Jeroboam forte fecit caput vituli aurei, sicut didicit in Ægypto, in qua tale colebatur portentum. Et iterum tertio Regum habetur, quod Jeroboam excogitato con- (Ibid. 28, 33.) silio fecit hos vitulos, et dies festivos instituit, secundum quod finxit sibi proprio

corde. Unde non videtur dicta assertio vera. A Potuit tamen esse, quod in processu temporis pseudoprophetæ roboraverunt eum in suo errore, quemadmodum creditur [III *Reg.* XIII.] fecisse propheta Samariæ, qui Prophetam de terra Juda missum, et regem Jeroboam increpantem, seduxit.

4 *Omnes adulterantes,* id est, spirituale adulterium seu idololatriam committentes, *quasi clibanus succensus a coquente,* id est, similes furno a pistore accenso : quoniam sicut pistor fornacem calefacit, sic Jeroboam plebem Israel ad idololatriam B provocavit.

Quievit paululum civitas, id est, populus urbis in qua mansit Jeroboam, modico tempore cessavit, *a commixtione fermenti,* id est ab infectione et communione corruptionis idololatriæ, *donec fermentaretur totum,* id est, universus populus idololatriæ consentiret. Primo enim Jeroboam non compulit populum ad vitulorum culturam, sed inclinavit : tum ne ab aliquibus bonis et religiosis ei renitentibus impediretur propositum ejus (nam in C principio regni sui multi adhuc devoti fuerunt in decem tribubus) ; tum quia pensavit quod coacta et per necessitatem seu violentiam introducta, citius dissolvuntur, quod autem voluntarie agitur, diutius perseverat. Idcirco civitas parum quievit : nam primo reliquit populum propriæ voluntati, et tunc non exercebatur idololatria tam frequenter ; sed paulatim traxit populum ad suam voluntatem, donec omnes consenserunt, quamvis semper fuerunt quidam, aliorum comparatione pau- D cissimi, qui non consenserunt : propter quos positi erant custodes, ne permitterentur Jerosolymam ire et immolare. — Denique in fermento duo considerantur, videlicet prioris naturæ corruptio, sicque accipitur in malo, et significat corruptionem peccati, seu falsam doctrinam, ut quum ait Salvator : Cavete a fermento Pharisæorum, et a fermento Herodis ; [*Matth.* XVI, 6, 11; *Marc.* VIII, 15.] et Apostolus : Expurgate vetus fermentum, [I *Cor.* V, 7.] ut sitis nova conspersio. Sic modo accipitur. Secundo, consideratur in fermento quædam virtualis sapiditas, quæ massam efficit sapidam, et ita accipitur in bono, et designat statum Ecclesiæ, vel efficacem doctrinam, aut simile aliquid, ut dum ait in Evangelio Christus : Simile est regnum [*Matth.* XIII, 33.] cœlorum fermento, quod acceptum abscondit mulier in farinæ tribus satis, donec fermentaretur totum.

5 *Dies regis nostri :* id est, toto populo igne idololatriæ inflammato, cœperunt idololatrantes dicere coram Jeroboam : Iste est dies solennis, quem Jeroboam rex noster statuit nobis in honore idolorum celebrandum ; ideo nunc gaudemus, et ludimus, et idola adoramus. Jeroboam enim præfixit populo certos dies solenniter peragendos, et populus regi suo applausit. [III *Reg.* XII, 32, 33.] *Cœperunt principes furere a vino :* id est, principes Jeroboam prædictis verbis exhilarati, vitiis gulæ serviebant, et præ ebrietate vini, usum rationis amittentes, cultui idolorum irrationabiliter et impudenter vacabant ut furibundi. *Extendit manum suam* rex Jeroboam *cum illusoribus,* id est populo atque principibus, qui sibi vanis laudibus illudebant, imo et se ipsos seduxerunt. Rex enim videns subditos sibi sic acclamare, consensit, et eadem fecit quæ populus, in idolorum honorem.

6 *Quia applicuerunt* subditi, *quasi clibanum cor suum* ad consilia regis, id est, ferventi affectu consenserunt instigationi Jeroboam suggerentis vitulorum culturam, *quum insidiaretur eis,* id est, quum ipse Jeroboam fraudulenter averteret eos a veri Dei obsequio. *Tota nocte dormivit coquens eos :* id est, Jeroboam cernens populum toto affectu sibi acquiescentem, fuit securus, et noctibus intrepide conquievit : qui populum istum coxit, id est, igne idololatriæ induravit, quemadmodum ignis fornacis panes indurat. Nam ante iste Jeroboam formidavit, et inquiete dormivit, timens, si populus Israel iret adorare in [*Ibid.* 26-28.] templo Jerusalem, quod reverteretur ad successores David, sub quorum dominio fuit templum : sicque metuebat occidi a

populo, vel regno privari. Idcirco ex viti-
oso timore et ambitione, fecit vitulos au-
reos, ut illos Israel adorans, non amplius
proficisceretur Jerusalem. Quumque Jero-
boam vidisset se, quod optaverat, assecu-
tum, secure dormivit. *Mane ipse succen-
sus,* id est, diluculo consurgens Jeroboam,
statim ardore idololatriæ est ignitus, *quasi
ignis flammæ,* ita quod ante omnia cum
fervore accessit ad idolorum culturam.

7 Quid plura? *Omnes* principes et satel-
lites ac subditi ejus *calefacti sunt quasi
clibanus,* id est, exemplo impii regis fer-
vebant ad idololatriam. Ecce quantum no-
cet iniqua potestas : nam quum Dominus
vellet subditos curare, impedita est salus
eorum per regis facinora, in quantum imi-
tati sunt ea. Propter quod scriptum est in
Eccli. x, 2. Ecclesiastico : Qualis est rector civitatis,
tales et habitantes in ea. *Et devoraverunt
judices suos,* id est, bonos qui eos recte
arguebant de idololatria, tandem subver-
terunt, et suo ac regis consilio atque ex-
emplo ad idololatriam induxerunt; vel,
Devoraverunt eos, quia redarguentes, et
idola colere non volentes, occiderunt. *Om-
nes reges eorum,* videlicet decem tribuum,
ceciderunt, id est, peccato idololatriæ lapsi
sunt, quoniam nullus eorum recessit a
peccato Jeroboam, ut patet tertio et quarto
Regum ; *non est qui clamet in eis ad me,*
quoniam nullus eorum me veraciter in-
vocavit : quia etsi forte quidam eorum
Deum Israel aliquo modo cognovit et in-
vocavit, non tamen digne et virtuose, eo
quod idola non abjecit.

8 *Ephraim,* id est regnum decem tri-
buum, *in populis ipse commiscebatur,* id
est, gentilibus assimilatus est, veri Dei
cultum derelinquendo, et miscens se vitiis
gentilitatis : quia non solum aureos vitu-
los adoravit, sed insuper deos nationum.
Ephraim factus est subcinericius panis,
id est, sordibus idololatriæ undique con-
taminatus, et per pœnitentiam non con-
versus, quemadmodum panis subcinericius
maculatur pulveribus terræ, neque revol-
vitur. Ideo subdit, *qui non reversatur.* Sic

A ipsi non sunt ad Dominum reversi, ita
quod verbum Isaiæ completur in eis :
Populus non est reversus ad percutien- Is. ix, 13.
tem se, et Dominum non exquisierunt. De
talibus Dominus ait in Jeremia : Quare Jer. viii, 5.
aversus est populus iste aversione con-
tentiosa?

Comederunt alieni, id est extranei et 9
gentiles hostes Israel, *robur ejus,* id est
bona populi hujus, terræ nascentia devo-
rando, thesauros tollendo, et fortes populi
occidendo; *et ipse nescivit,* id est, plagam
B propriam non attendit, nec Dei justitiam
consideravit, nec suæ castigationis con-
templatus est causam, videlicet quod pro-
pter idololatriam talia pateretur. Simile est
quod de regno Juda prædixit Isaias : Deus Is. xlii, 25.
combussit eum in circuitu, et non cogno-
vit. De quibus scriptum est in Jeremia :
Percussisti eos, et non doluerunt. *Sed et* Jer. v, 3.
cani, id est senes, *effusi sunt in eo,* id
est, idololatriæ vitio dediti erant in popu-
lo isto. Vel sensus est, quod ipsi usque ad
ultimam senectutem et regni sui finem,
C permanserunt in tanto facinore, prout in
libro Job scribitur : Cunctis diebus suis Job xv, 20.
superbit impius. *Et ipse* populus Israel
ignoravit quod finis regni sibi instaret
merito hujus peccati.

Et humiliabitur superbia Israel, id est, 10
debite punietur et dejicietur, *in facie ejus,*
id est cito, adhuc populo isto, quem al-
loquor, vivente, et propriam calamitatem
spectante ac sentiente. Deus enim super- I Petr. v, 5.
bis resistit; et coram Deo atque homini- Eccli. x, 7.
bus odibilis est superbia. Unde et Isaias
D ait : Incurvabitur sublimitas hominum, et Is. ii, 17.
humiliabitur altitudo virorum. *Nec rever-
si sunt* filii Israel *ad Dominum Deum
suum, et non quæsierunt eum in omnibus
his* malis pœnæ et culpæ, quibus gravati
sunt : ita quod nec vexatio dedit eis intel- Ibid. xxviii,
lectum; nec impletum est in eis illud 19.
Isaiæ, In tribulatione murmuris doctrina Ibid. xxvi,
tua eis. De talibus scriptum est in libro 16.
Job : Quasi de industria recesserunt a Job xxxiv,
Deo; et iterum : Dixerunt Deo, Recede a 27. Ibid. xxi,
nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. 14.

Jer. v, 3. Itemque in Jeremia : Induraverunt faciem A
suam supra petram, et noluerunt reverti.
11 *Et factus est Ephraim quasi columba
seducta,* id est assimilatus columbæ reti-
bus aucupis comprehensæ, *non habens* ip-
se Ephraim *cor,* id est veram sapientiam
et rectæ rationis judicium : propter quod
dæmonum venantium captus est laqueo,
estque secutus errorem qui subditur. De
Ibid. 21. talibus loquitur Dominus in Jeremia : Au-
di, popule stulte, qui non habes cor. Hoc
loco dicit gloriosus Hieronymus : Præcipit
Matth. x, 16. Dominus in Evangelio, ut simus simplices B
quasi columbæ, et astuti quasi serpentes,
ut imitantes simplicitatem columbarum et
serpentis astutiam, nec aliis nocere possi-
mus, nec ab aliis insidias patiamur, sed
simplicitate et prudentia exhibeamus ho-
minem temperatum : quia prudentia abs-
que bonitate, malitia est ; et simplicitas
absque ratione, stultitia. Porro in columba
duo notantur, puta simplicitas et stolidi-
tas. Quoad primum, accipitur in bono,
Ibidem. quum ait Salvator : Estote simplices sicut
Ps. liv, 7. columbæ ; et Psalmista : Quis dabit mihi C
pennas sicut columbæ? Isaias quoque :
Is. lx, 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi
Cant. ii, 10, 14, etc. columbæ ad fenestras suas ? Sic et in Can-
ticis per columbam designatur Ecclesia.
Quoad secundum, accipitur in malo, sicut
hoc loco. Præterea, secundum Hierony-
mum, Propheta comparat Ephraim colum-
bæ magis quam ceteris avibus, quoniam
aliæ aves cum vitæ suæ periculo proprios
protegunt pullos a rapacibus avibus, sola
columba ablatos pullos non dolet, neque
requirit. Sic regnum Ephraim dissipatum D
per partes, populum deletum non sensit.
Deinde describitur insipientia Israel.
Ægyptum invocabant, id est, invocatione
et confidentia Dei relicta, Ægyptiorum sub-
sidium procurare conati sunt tempore tri-
IV Reg. xvii, 4. bulationis hostilis : quod fecerunt tempo-
re Osee regis ; *ad Assyrios abierunt* pro
Ibid. xv, 19. auxilio, tempore Manahem regis, ut legi-
12 tur quarto Regum. *Et quum profecti fue-
rint* ad Ægyptios sive Assyrios procuran-
dos, *expandam super eos rete meum,* id
est amplitudinem potentiæ meæ, ita quod
locum mutando, non effugient manum me-
am, in qua sunt omnes fines terræ. Male- Ps. xciv, 4.
dictus enim, qui ponit carnem brachium Jer. xvii, 5.
suum, et a Domino recedit cor ejus. *Quasi
volucrem cœli detraham eos,* id est, de-
jiciam et ab effectu optato impediam. Si-
mile est quod per Ezechielem loquitur
Deus : Expandam super vos rete meum, et Ezech. xvii, 20.
capiemini sagena mea. Unde et Isaias te-
status est : Ægyptus vane auxiliabitur. *Cæ-* Is. xxx, 7.
dam eos, id est puniam, *secundum audi-
tionem cœtus eorum,* id est universaliter,
secundum quod omnes regis sui consilium
audierunt, et idolis servierunt.
Væ eis, quoniam recesserunt a me per 13
idololatriam aliaque peccata, propter quæ
meruerunt temporaliter captivari, æterna-
literque damnari. Unde in Threnis habe-
tur : Væ nobis, quia peccavimus. Quum Thren. v, 16.
enim Deus æternus ac adorandus, sit uni-
versæ beatitudinis origo fontana, qui ab
ipso discedunt, nil nisi miseriam illabun-
tur ; et si temporaliter prosperari atque
florere videantur, tanto infeliciores sunt,
quo amplius prosperantur. *Vastabuntur,*
id est, ab Assyriis capientur, *quia præva-
ricati sunt in me,* legis præcepta penitus
deserendo, imo et contra naturalem ratio-
nem idola venerando.
Et ego redemi eos, quia patres eorum
eduxi de Ægyptiaca servitute : et has de- Exod. xiv.
cem tribus Deus frequenter liberavit mi-
raculose ab hostibus, ut patet tertio et III Reg. xx;
quarto Regum ; *et ipsi locuti sunt contra* IV Reg. iii, vii, xiii.
me mendacia, beneficia mea idolis adscri-
bendo, sicut et patres eorum dixerunt :
Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt Exod. xxxii, 8.
de terra Ægypti. *Et non clamaverunt ad* 14
me in corde suo, cordialiter atque attente
me deprecando, *sed ululabant,* id est, ido-
la laudabant et exorabant, *in cubilibus
suis,* in quibus lasciviebant, vel, in delu-
bris, ubi idololatriam exercebant. Et rite
canticum idolorum nominat sanctus Pro-
pheta ululatum, secundum Glossam, quia
amisso rationali sensu, lupis seu canibus
similes erant. *Super triticum et vinum,* id

est post immoderatam cibi ac potus sum- A
ptionem, *ruminabant,* id est, more besti-
arum ad fauces ea quæ sumpserant, redu-
cebant : in quo de gulæ vitiis arguuntur.
Recesserunt a me, qui omnia impleo, non
locali distantia, sed affectionis imparilita-
te, quoniam unionem caritatis et gratiæ
abjecerunt. De talibus ait Deus per Isaiam :
Is. LXV, 12. Ea quæ nolui, elegistis.
15 *Et ego erudivi eos,* mittendo eis Pro-
phetas, naturalique lumine rationis eos
Ps. IV, 7. decorando, de quo legitur : Signatum est
super nos lumen vultus tui, Domine ; *et* B
confortavi brachia eorum tempore præli-
orum, ita quod miraculose prævaluerunt.
Vel per brachia intelliguntur potentiæ ope-
rativæ, videlicet intellectus practicus et
voluntas, appetitusque sensitivus : quas
Deus confortat, dando promptitudinem
operandi. Unde per Ezechielem Dominus
Ezech. XXX, 24. ait : Confortavi brachia regis Babylonis, et
brachia Pharaonis regis Ægypti confregi.
Et in me cogitaverunt malitiam, male
sentiendo de me, vel ex proposito me in-
honorando, aut dolendo de hoc quod tam C
potens sum, quod eorum peccata ulcisci
possum, eosque punire.
16 *Reversi sunt,* id est a me aversi, et ad
cœpta mala reflexi, *ut essent absque jugo*
legis per Moysen datæ, et sine obedientia
ac timore nominis mei : sicut de populo
Jer. II, 20. Juda Dominus ait apud Jeremiam : A sæ-
culo fregisti jugum meum, rupisti vincula
mea, et dixisti, Non serviam. Quocontra
Thren. III, 27. scriptum est in Threnis : Bonum est viro
quum portaverit jugum ab adolescentia
Ps. LXXII, 23. sua. Qualis erat qui ait : Ut jumentum D
factus sum apud te, et ego semper tecum.
Facti sunt ut arcus dolosus. Arcus dolosus
vocatur, qui sagittam reflectit in sagittan-
tem. Sic isti sagittas, id est blasphemias,
miserunt contra Deum conservatorem ip-
sorum, qui tenuit eos sicut sagittans
arcum : quæ tamen sagittæ Deo non no-
cuerunt, sed in ipsos retortæ sunt, et eos
interfecerunt, quemadmodum scriptum est,
Ps. VII, 17. Convertetur dolor ejus in caput ejus, et
in verticem ipsius iniquitas ejus descen-
det. *Cadent in gladio* adversariorum, id
est, ab Assyriis occidentur, *principes eo-*
rum : de quibus jam dictum est, Cœpe- vers. 5.
runt principes furere a vino ; *a furore*
linguæ suæ, id est propter insensatos ser-
mones blasphemiæ contra Deum altissi-
mum, et propter ardentia verba ad idolo-
rum honorem prolata. *Ista subsannatio*
eorum, id est, præinducta eorum idolola-
tria atque irrisio Dei, similis est subsan-
nationi seu idololatriæ quam didicerunt
et exercuerunt *in terra Ægypti,* in qua,
secundum Hieronymum, Apim ceteraque
Ægyptiorum coluerunt portenta. Loquitur
autem de eisdem specie, non numero. Hi
namque quibus loquebatur Osee, non di-
dicerunt prædicta in Ægypto, sed patres
eorum.

Postremo, quæ dicta sunt in isto capitu-
lo ab illo loco, Cædam eos secundum au- 12
ditionem cœtus eorum, multum convenien-
ter aptantur Judæis pro tempore Christi. De
illis itaque qui Christo non crediderunt,
sed procuraverunt mortem ipsius, aut con-
senserunt, ait Salvator : *Cædam eos,* id
est, per Romanos puniam eos tempore Titi
ac Vespasiani, *secundum auditionem cœ-*
tus eorum, id est generaliter, secundum
quod pene omnes audierunt consilia prin-
cipum sacerdotum, ita ut postularent sibi *Matth.* XXVII, 21-23.
Barabbam dari, meque interfici. Unde in
Isaia Christus testatur : Dies ultionis in *Is.* LXIII, 4, 3.
corde meo; calcavi eos in furore meo.
Væ eis, quoniam recesserunt a me, no- 13
lentes doctrinam meam recipere, et dicen-
tes : Nos scimus quia hic homo peccator *Joann.* IX, 24.
est. *Vastabuntur* ab exercitu Romanorum :
juxta illud Danielis, Civitatem et sanctua- *Dan.* IX, 26.
rium dissipabit populus cum duce ventu-
ro ; *quia prævaricati sunt in me,* dicen-
tes, Hunc invenimus subvertentem gentem *Luc.* XXIII, 2.
nostram; et, Non habemus regem nisi Cæ- *Joann.* XIX, 15.
sarem. Unde per Jeremiam loquitur Chri-
stus : Prævaricatione prævaricata est in me *Jer.* V, 11, 12.
domus Israel, et domus Juda; negaverunt
Dominum, et dixerunt, Non est ipse. De
hac quoque vastatione dixit Salvator : Cir- *Luc.* XIX, 43, 44.

cumdabunt te inimici tui undique, et ad A
terram prosternent te, eo quod non cogno-
veris tempus visitationis tuæ.
Galat. III, 13. *Et ego redemi eos.* Christus enim omnes
redemit, quantum ad sufficientiam; solos
vero electos, quantum ad efficientiam; *et
ipsi locuti sunt contra me mendacia,* quan-
Luc. XI, 15. do dixerunt, In Beelzebub principe dæmo-
Joann. XIX, 7. niorum ejicit dæmones; et item, Nos legem
habemus, et secundum legem debet mori,
14 quia Filium Dei se fecit. *Super triticum
et vinum ruminabant.* Erant enim Scribæ
et Pharisæi vitiis gulæ subjecti, juxta il- B
Matth. XXIII, 6. lud, Amant primos recubitus in cœnis.
Recesserunt a me, quemadmodum in Mat-
Ibid. XXII, 15. thæo habetur: Abeuntes Pharisæi, fecerunt
consilium, ut caperent Jesum in sermone.
15 *Et ego erudivi eos,* evangelicam sapi-
entiam prædicando, *et confortavi brachia
eorum,* quantum in me fuit, quia proposui
eis spem regni cœlestis; *et in me cogita-
verunt malitiam:* prout Matthæus inducit:
Ibid. XXVI, 3, 4. Congregati sunt principes sacerdotum et
seniores populi in atrium principis sacer-
dotum, et consilium fecerunt, ut Jesum C
dolo tenerent et occiderent. Unde per Je-
Jer. XII, 8. remiam Christus fatetur: Facta est mihi
hereditas mea quasi leo in silva; dedit
contra me vocem suam. Hoc est quod ait
Psalmista ad regem Messiam in psalmo cu-
jus exordium, Domine, in virtute tua læta-
bitur rex: Quoniam declinaverunt in te *Ps.* XX, 12.
mala, cogitaverunt consilia quæ non po-
tuerunt stabilire.
Reversi sunt, ut essent absque jugo ob- 16
sequii Christi et præceptorum consiliorum-
que ejus. De quo ait: Tollite jugum meum *Matth.* XI, 29.
super vos. Videbant enim ambitiosi atque
avari Judæi, quod Christus in omnibus hu-
militatem et paupertatem edocuit: quod
non sapuit eis, sed dixerunt: Insanit, quid *Joann.* X, 20.
eum auditis? *Facti sunt ut arcus dolosus,*
jacula blasphemiæ projiciendo in Chri-
stum: nam et dolose conati sunt eum ca- *Matth.* XXII, 15; *Luc.* XI, 54; XX, 20.
pere in sermone. *Cadent in gladio* Roma-
norum *principes eorum,* id est sacerdotes
Judaicæ plebis, *a furore linguæ suæ,* id
est propter furiosa blasphemiæ verba ad-
versus Christum prolata. *Ista subsannatio
eorum in terra Ægypti.* Quemadmodum
enim subsannaverunt Filium Dei incarna-
tum in terra promissionis, sic in Ægypto
subsannaverunt Deum æternum patres eo-
rum per idololatriam.

ARTICULUS XVI

DECLARATIO MORALIS EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI.

De Israel et Ephraim ac Samaria possu- D
mus loqui dupliciter: primo, secundum nominum interpretationem; secundo, quoad conversationis illorum maneriem. Quoniam ergo vita decem tribuum, scilicet Ephraim et Israel, pessima fuit, postquam recesserunt de domo David, quia ex tunc idola coluerunt; ideo per eos significantur quandoque inobedientes Christiani, hæretici, ceterique perversi. Loquendo autem de Israel secundum nominis interpretationem, quæ est, Vir videns Deum, non designat proprie nisi fideles et bonos. Ephraim vero quod interpretatur incrementum, significare potest hoc modo et bonos et malos: secundum quod aliqui crescunt in verbis bonis ac spiritualibus, alii in rebus malis, inutilibus sive superfluis. Verumtamen in præsenti loco Israel et Ephraim accipiuntur in malo, secundum quod populus ille pravissimus erat.

Est itaque tropologicus intellectus:
Quum ego Christus post resurrectionem et 1
Spiritus Sancti missionem, *sanare vellem*

Israel, id est populum Ecclesiæ, christianum sola fide ac nomine, qui fide informi speculantur divina; *revelata est iniquitas Ephraim,* id est, peccata principum ac prælatorum plebis christianæ eruperunt et propalata sunt. Hi enim dicuntur Ephraim, quasi in temporalibus concrescentes, et quoniam præsident aliis, quemadmodum reges decem tribuum communiter de tribu Ephraim exstiterunt. *Et malitia Samariæ.* Per Samariam decem tribuum metropolim, figurantur principales in domibus prælatorum ac principum, qui communiter primo adhærent iniquitatibus præsidentium. Hi itaque prælati ac principes mali cum suis domesticis, sæpe impediunt subditorum salutem, dum eos blandimentis, comminationibus, vel exemplis trahunt ad culpam, per quam gratiæ Dei obicem ponunt, ne illustrentur atque curentur.
Jer. x, 21. Unde apud Jeremiam legitur : Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est. Summo ergo humillimoque affectu exorandus est Deus, ut præstet bonum prælatum, principemque condignum.

Dum ergo superiores subditorum salutem impediunt, impletur quod subditur : *Et fur ingressus est spolians.* Per quem intelligi potest diabolus, qui tunc corda ingreditur subditorum, et spiritualibus eos bonis destituit, secundum quod ait Salva-
Luc. VIII, 12. tor in Evangelio : Venit diabolus, et tollit verbum de corde ipsorum, ne credentes salvi fiant. Hic quoque diabolus est, *latrunculus foris,* animas strangulans, atque in caliginoso aere habitans, et in omni itinere nostro nobis insidians. Vel nomine furis datur intelligi omnis seductor occultus, simulator et callidus : qui mentem lupinam veste ovina abscondens, multos subvertit, spoliat et occidit, idcirco et latrunculus appellatur. De talibus ait Sal-
Matth. VII, 15. vator : Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et revera omnis superior sibi commissos negligens aut subvertens, fur dici potest et
A latro, de cujus manu sanguis pereuntium quæritur.

2 *Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum, nunc circumdederunt eos adinventiones suæ :* id est, ne perversi et impœnitentes dicant se puniri propter antiqua sua vel aliorum peccata, per pœnitentiam vel castigationem deleta; jam nunc quotidie tot nova peccata addunt veteribus, quod recentibus vitiis circumdantur et puniri merentur, nec possunt se excusare. De ta-
B libus dicit Apostolus : Impii proficient in pejus ; et Psalmista, Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. *Coram facie mea factæ sunt.* Hoc est quod fertur in Psalmo : Delicta mea a te non sunt abscondita. Apud Job quoque dicitur : Deus novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat? Maxima nobis est ratio abstinendi a culpa, quod Deo præsente, intuente ac judicante, agimus intus et foris quidquid egerimus. Ideo enim ait vir sanctus : Servavi manda-
C ta tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Præterea, quam vehementer id pertinet ad omnipotentis Dei irreverentiam, quod amplius humanum quam divinum veremur adspectum; quod Deo attendente audemus cogitare quod coram hominibus non audemus exprimere; quod soli facimus opus Dei negligentius, quam faceremus illud si honesti hominis adesset persona! Semper ergo pensemus ac honoremus præsentiam atque intuitum majestatis divinæ, dicentes ad
D Creatorem : Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

II Tim. III, 13. Ps. LXXII, 7. Ps. LXVIII, 6. Job XI, 11. Ps. CXVIII, 168. Ps. XVIII, 15.

3 *In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes.* Sic subditi dum majorum suorum impiæ voluntati assentiunt, eorumque actus perversos approbant et sequuntur, lætificant eos. Quemadmodum enim boni prælati ac principes de subditorum profectu præcipue gaudent, dicente Joanne in tertia sua Canonica, Majorem horum gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulantes;

III Joann. 4.

sic præsidentes indigni jucundantur in A
his qui ipsorum conformantur erroribus
seu peccatis.

4 *Omnes* isti inepti præsidentes, sunt *ad-*
ulterantes carnaliter aut spiritualiter. Quo-
II Cor. II, 17. contra dicit Apostolus : Non enim sumus
sicut plurimi, adulterantes verbum Dei,
sed ex sinceritate. *Quasi clibanus succen-*
sus a coquente, sic inflammati sunt igne
libidinis aliorumque vitiorum. Jam vide-
mus quomodo in clericis regnent carna-
lia vitia, et qui ad ampliorem obligantur
munditiam, turpius inquinantur. *Quievit* B
paululum civitas a commixtione, donec
fermentaretur totum : id est, populus istis
indignis prælatis subjectus, successive in-
fectus est, et primo quasi per blandimenta
attractus, donec tandem omnino subversus
est. Paulatim enim malum invalescit. Id-
circo principiis est obstandum, ne parva
scintilla universam silvam incendat. Si-
quidem quod inolitum fuerit, non faciliter
emendatur.

5 *Dies regis nostri.* Solent majores in sæ-
culo isto certos præfigere dies ad vacan- C
dum spectaculis, vanitatibus seu conviviis;
et in illis diebus plebs illis applaudens,
vanaque festa ac impia opera peragens,
dicit : Dies regis nostri, id est, iste est
dies superioris rectorisque nostri, in quo
statuit ista quæ agimus, esse agenda. *Cœ-*
perunt principes furere, id est igne con-
cupiscentiæ inflammari, usumque rationis
amittere, et bestialiter se habere, *a vi-*
Ephes. V, 18. *no,* in quo est luxuria. Nempe in his qui
carnem suam nutriunt delicate, vitia co-
piosius provocantur, et motus libidinosi D
exsurgunt, ita ut more furentium, impe-
tum passionum sectentur. *Extendit ma-*
num suam cum illusoribus : id est, impius
dominator et pastor subditis sibi vane ap-
plaudentibus cooperatur, consentit et com-
miscetur.

6 *Quia applicuerunt quasi clibanum cor*
suum, id est, prompto animo consenserunt
consilio præsidentis; *tota nocte,* id est du-
rante vitiorum caligine, *dormivit,* id est,
in voluptate et impia securitate quievit,
coquens eos, id est, præsidens subditos
igne pravitatis indurans, quia non præest Rom. XII, 8.
in sollicitudine, neque attendit quam di-
strictam ab eo Christus exiget rationem.
Si enim unusquisque nostrum, secundum
apostolicum documentum, debeat cum me- Philipp. II, 12.
tu, timore ac tremore sui ipsius operari
salutem : cum quanto metu et cura opor-
tet prælatum sibi aliisque providere, cui
tanto gravius instat periculum, quanto plu-
ribus præest? Sed, heu! hoc multi non
ponderant, de quibus Isaias inducit : Spe- Is. LVI, 10.
culatores cæci, videntes vana et dormien-
tes. *Omnes calefacti sunt* igne vitiorum, *et* 7
devoraverunt judices suos, id est, frequen-
ter persequuntur eos a quibus juste et ca-
ritative reprehenduntur. Non enim amat
pestilens corripientem. *Omnes reges eorum*
ceciderunt. Inefficaces namque aliorum re-
ctores toties cadunt, quoties peccant, quia
peccatum ruina est a rectitudine rationis,
a statu virtutis, ab erectione mentis in
Deum.

Ephraim, id est præsidentes indigne, *in* 8
populis ipse commiscebatur, id est, vulgo
assimilantur in vili conversatione (quem-
admodum dictum est : Erit sicut popu- Osee IV, 9.
lus, sic sacerdos), quum tamen in Isaia
dicatur : Princeps ea quæ digna sunt prin- Is. XXXII, 8.
cipe, cogitabit. *Ephraim factus est subci-*
nericius panis, qui non reversatur. Sic
omnis impœnitens, qui non excutit se a
pulveribus terrenæ affectionis, sed jugiter
jacet in uno latere, rebus caducis atque
carnalibus inhærendo, est velut subcine-
ricius panis, qui non vertitur in alteram
partem. Verum qui audit Apostolum, Quæ Coloss. III, 1.
sursum sunt quærite; et Joannem, Agite Luc. III, 8.
dignos fructus pœnitentiæ : non est hu-
juscemodi panis sic sordidatus, sed panis
mundus, de quo fatur Apostolus : Unus I Cor. X, 17.
panis, unum corpus multi sumus, omnes
qui de uno pane et de uno calice parti-
cipamus.

Comederunt alieni robur ejus. Hoc fit, 9
dum subversores et dæmones spiritualium
bonorum vigore nos privant, ita ut vitiis
tanquam effeminati vincamur, nec hosti-

bus animæ reluctemur. Quocontra monet A
Ephes. vi, 10. 11. Apostolus ad Ephesios : Confortamini in
Domino et in potentia virtutis ejus; indui-
te armaturam Dei, ut possitis stare adver-
Jacob. iv, 7. sus insidias diaboli. Jacobus quoque : Re-
sistite (inquit) diabolo, et fugiet a vobis. *Et*
ipse nescivit, id est, hanc suam calamita-
tem, dejectionem, depauperationem non
pensavit, nec doluit. Sic multi paulatim
evacuantur ac decidunt, nec attendunt :
quia et spiritualia dona faciliter, et inter-
dum imperceptibiliter, amittuntur. Sunt
insuper aliqui qui adeo infirmantur, quod B
ægre ferunt, si eis dicatur quod a pri-
stino fervore dilapsi sunt. Unde in Apo-
Apoc. iii, 17; ii, 5. calypsi Dominus loquitur : Quomodo dicis,
Quia dives sum, quum sis pauper, cæcus
et nudus, miser et miserabilis? Memento
itaque unde excideris, et pœnitentiam age.
Sed et cani effusi sunt in eo, id est, usque
in finem vitæ perstiterunt in malo.

Et factus est Ephraim, id est prælati 11
vel in temporalibus fecundati, *quasi co-*
lumba seducta : quia nec propriam, nec
gregis sibi commissi damnationem et ex-
cæcationem attendunt. Isti invocant huma-
na præsidia, quæ per Ægyptum et Assy-
rios designantur, sed Dominus apprehendit *Job* v, 13.
astutos in astutia eorum. *Væ eis, quoniam* 13
recesserunt a me. Æternaliter enim peri- *Luc.* xiii, 5.
bunt, nisi pœniteant. Vastantur quoque ab
invisibilibus hostibus hæretici, qui Scri-
pturam pervertunt, aut loquuntur contra
Christum mendacia. *Super triticum et vi-* 14
num ruminabant. Hoc competit his qui
post dominici corporis et sanguinis sum-
ptionem crapulose viventes, usque ad ru-
ctum implentur.

Postremo, quomodo sequentia beneficia
Dei sint Christianis impensa, et qualiter
ipsi vitia quæ subduntur, committant, ex
dictis facillime patet.

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : IN GUTTURE TUO SIT TUBA.

LOQUITUR insuper Dominus ad Osee : C
1 *In gutture tuo sit tuba,* id est, per
guttur tuum vocem tubalem forma clare
et alte, prænuntiando quæ dico. Unde in
Is. lviii, 1. Isaia habetur, Quasi tuba exalta vocem
Ps. cxlix, 6. tuam; et in Psalmo, Exsultationes (id est
jucundæ laudationes) Dei in gutture eo-
rum. Quid autem clamandum sit, subdi-
tur : *Quasi aquila,* id est quidam similis
aquilæ, scilicet Nabuchodonosor, qui pro-
pter suam atque suorum rapacitatem et ve-
locitatem, vel ob suæ elationis altitudinem,
aut regiam excellentiam, aquila nomina- D
Ezech. xvii, 3. tur. De quo Ezechiel scribit : Aquila una
grandis magnarum alarum venit ad Li-
banum. De quo subditur : *super domum*
Domini, id est, veniet super templum Je-
rusalem, ut destruat illud, *pro eo quod*
transgressi sunt Judæi *fœdus meum,* id est
testamentum quod pepigi cum patribus
eorum, quod et promiserunt se observa-
turos, dicendo ad Moysen : Omnia quæ *Exod.* xxiv, 7.
præcepit Dominus, faciemus et erimus obe-
dientes. Quidam per fœdus istud, intelli-
gunt pactum quod Sedecias juravit regi II *Par.* xxxvi, 13.
Nabuchodonosor, utpote quod ei serviret
sub tributo, quod postea rupit : de quo
in Ezechiele dicitur, Qui dissolvit pactum, *Ezech.* xvii, 15.
numquid effugiet? Unde et Nabuchodo-
nosor, capto Sedecia, dixit ad eum : Deus
tuus, qui odio habet iniquitatem tuam,
tradidit te in manus meas. Sed prima ex-
positio aptior est. Nam translatio Septua-
ginta interpretum sic habet : Pro eo quod
transgressi sunt testamentum meum. *Et*
legem meam prævaricati sunt : quia et

II *Par.* xxxiii, 9. duæ tribus tempore Manassæ idola coluerunt. Unde nec præcepta moralia, nec judicialia, nec cærimonialia servaverunt.

2 *Me invocabunt* pro liberatione a Chaldæis tempore necessitatis, non ex caritate, sed ex servili timore : *Cognovimus te,* o Domine Deus, *Israel,* id est nos populus tuus qui dicimur Israel, quoniam nati de
Gen. xxxii, 28. Jacob, qui dictus est Israel. Habuerunt enim isti notitiam quamdam de Deo, videlicet quod eduxit patres eorum de Ægypto.

3 Deinde Dominus ait : *Projecit Israel bonum.* Tanquam dicat : Quum non sequamini fidem et opera Jacob, sed cultum legemque Dei spreveritis, non estis digni Israel nuncupari. Unde apud Joannem
Joann. viii, 39. Christus ait Judæis : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. *Inimicus persequetur*
IV *Reg.* xxv. *eum,* id est Chaldæi : quod tempore Sedeciæ constat impletum.

4 *Ipsi regnaverunt, et non ex me.* Hoc aliqui exponunt de Saul. Unde Hieronymus dicit hic, quod Saul non ex Dei voluntate, sed populi errore factus est rex. Alii vero exponunt de Jeroboam primo decem tribuum rege, et successoribus ejus. Propter quod Beda dicit, quod populus contra Dei voluntatem elegit Jeroboam regem. — Verumtamen obviare videtur quod primo Regum legitur. Quum enim Samuel
I *Reg.* x, 1. fudisset oleum super caput Saul : Ecce, ait, unxit te Dominus super hereditatem suam in principem. Postea, stante Saule
Ibid. 24. in medio populi, locutus est Samuel : Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non est similis illi in omni populo. Iterum
Ibid. 9, 10. scriptum est, quod Saule uncto, immutavit ei Deus cor aliud, et prophetavit; item,
Ibid. ix, 2. quod erat vir electus et bonus, et non erat de filiis Israel melior illo. Denique tertio Regum scriptum est, quemadmodum Dominus per Ahiam prophetam dixit ad Je-
III *Reg.* xi, 31. roboam : Scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem partes; et
Ibid. 37. iterum, Te autem assumam, et regnabis super omnia quæcumque desiderat anima tua. Proinde quum Roboam filius Salomonis, collecto grandi exercitu, vellet pugna-
A re contra Jeroboam, ut reduceret decem tribus ad se, venit Semeias vir Dei, et Deo jubente locutus est Roboam ac populo : Non bellabitis contra filios Israel; a me III *Reg.* xii, 24.
enim factum est hoc. Dominus quoque promisit Jeroboam, quod ædificaret sibi *Ibid.* xi, 38.
domum fidelem, sicut fecit ipsi David, si custodiret mandata ipsius.

Quamvis ergo verba Hieronymi et Bedæ non reprobem, securius tamen puto, ut locus iste intelligatur de pessimis successoribus Jeroboam, qui intruserunt se ipsos,
B vel de Saule atque Jeroboam, pro eo tempore quo regia potestate abusi sunt. Præterea nec dicere audeo, quin Jehu, quem unxit adolescens missus ab Eliseo, Deo vo- IV *Reg.* ix, 1, 6.
lente ad regnum promotus sit; sed postea Deum offendit vitulos adorando. Deni- *Ibid.* x, 29.
que dici non potest, quin Salomon fuerit a Deo electus in regem ac principem, et tamen postea impiissime præfuit, reprobarique meruit : non tamen dico eum damnatum.

Principes exstiterunt isti jam dicti, *et*
C *non cognovi,* id est, non approbavi principatum eorum de tempore illo quo principabantur injuste. *Argentum suum et aurum suum,* id est de argento et auro, *fecerunt sibi idola,* in toto vel in parte aurea sive argentea, vel auro atque argento ornata, sicque divitiis a me concessis dire abusi sunt. Utriusque enim regni populus idola varia fabricavit, quia de duarum tribuum regno dixerat Isaias : Repleta est *Is.* ii, 8.
terra ejus idolis; opus manuum suarum adoraverunt. *Ut interirent,* id est, per As-
D syrios caperentur. Hæc dictio, *ut,* denotat hic concomitantiam, non causalitatem : neque enim idola fecerunt ut perirent, sed formationem idolorum consecutus est eorum interitus, sicut culpam sequitur pœna.

Projectus est, id est destructus ab Assy- 5
riis, *vitulus tuus,* id est duo aurei vituli. Ponit enim singulare pro plurali, quia Assyrii destruxerunt fana vitulorum cum vitulis. Simili modo dicitur in Psalmo : Dixit, et venit locusta, id est locustæ quam- *Ps.* civ, 34.
plurimæ. O *Samaria,* id est, regio seu po-

pulus decem tribuum. Unde Samaria hoc A
loco non est nomen specialis urbis, sed
regionis, quemadmodum et in Joanne ubi
Joann. IV, 7. legitur : Venit mulier de Samaria haurire
aquam. Illa enim mulier non erat de urbe
Ibid. 5. dicta Samaria, sed de civitate Sichar, quæ
alio nomine dicta est Sichem. Denique
nullus aureorum vitulorum positus fuit in
III *Reg.* XII, 29. civitate vocata Samaria, sed unus in Bethel, alter in Dan. *Iratus est furor meus in
eos,* id est contra decem tribus idololatras.
Usquequo non poterunt emundari per pœnitentiam ab idololatria ista? quasi dicat : B
Mirum est quod vitium istud tam indelebiliter eis adhæret.
6 *Quia ex Israel,* id est
a Jeroboam Israelita, et populo ejus, *et
ipse,* id est vitulus iste, *est,* ita quod ab
aliis gentibus non sumpserunt culturam
vitulorum aureorum, ut Baal et Astaroth
a Sidoniis, Chamos a Moabitis, et Moloch
ab Ammonitis. *Artifex fecit illum* vitulum aureum opere sculptorio sive fusorio;
et non est deus vitulus ab artifice factus :
non enim est animatus vel immortalis, sed
Sap. XIII, XIV. res artificialis. De hoc multa dicuntur in C
libro Sapientiæ. *Quoniam in aranearum
tela erit vitulus Samariæ,* id est, vituli
aurei terræ Samariæ dissolventur, quemadmodum tela araneæ dissolvitur vento.
Assyrii namque comminuerunt eos, et velut in pulverem redegerunt.

7 *Quia ventum seminabunt,* id est, vana
idololatriæ opera exercebunt. Unde de ver-
Job XVI, 3. bis inanibus scriptum est in Job : Numquid finem habebunt verba ventosa? *Et
turbinem metent,* id est, tribulationem et
tempestatem captivitatis pro mercede re- D
cipient. Opus autem meritorium seu demeritorium, est quasi semen, merces vero
est tanquam fructus seu messis. *Culmus
stans non est in eis.* Culmus est stipula
portans spicas, secundum quod in Genesi
Gen. XLI, 22. legitur Pharao vidisse septem spicas in
culmo uno. Porro, ut Beda testatur, dum
semina in terram projecta, vento corrumpuntur, et interiorem perdunt medullam,
non possunt producere stipulam, nec stipula portat spicam de cujus granis fiat
farina. In populo itaque decem tribuum
dicitur non esse culmus stans, quoniam
opera solida, fructuosa ac meritoria non
habebant, sed ventum seminabant dumtaxat. *Germen non faciet farinam,* id est,
operatio eorum nullam habebit prosperitatem, nec sortietur finem salubrem *Quod
si fecerit,* id est, si aliquid prosperitatis
eis evenerit, *alieni comedent eam,* id est,
in usum Assyriorum redigetur; vel ab eis
violabitur et destruetur.

Devoratus est Israel, id est ab adversa- 8
riis pro magna parte occisus. *Nunc factus
est in nationibus,* id est, in proximo est
ut translatus de propria terra, inter gentes
moretur, *quasi vas immundum,* ita ut contemptui habeatur, et viliter contrectetur.
Quia ipsi ascenderunt ad Assur. Hoc expla- 9
natur dupliciter : primo, quod quondam
miserunt legatos ad regem Assyriorum pro
auxilio, magis sperantes in humano subsidio quam divino, propter quod meruerunt
ab Assyriis postea captivari; secundo, quod
ascenderunt ad Assyrios capti atque inviti. *Onager solitarius sibi,* id est, similis
factus est onagro solitudinem diligenti,
Ephraim, id est decem tribus : quoniam
libertate sibi concessa abusus est. Nam
sicut onager in eremo hinc inde vagatur
sine jugo, sic decem tribus per diversarum
gentium idololatriam vagabantur sine jugo
legis divinæ. Onagri per deserta vagando *Jer.* XIV, 6.
pro refrigerio attrahunt ventum, quemadmodum apud Jeremiam legitur, Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi
dracones : sic isti ventum humanæ defensionis attrahere sunt conati. *Munera dederunt* decem tribus *amatoribus,* id est
Assyriis, cum quibus pacem amicitiamque
habebant tempore Manahem regis Israel. IV *Reg.* XV, 19, 20.

Sed et mercede conduxerunt nationes 10
Assyriorum ac Ægyptiorum, ut auxilium
sibi impenderent. Unde superius dictum
est : Abiit Ephraim ad Assur, et misit ad *Osee* V, 13.
regem ultorem. Cujus pœna subjungitur :
Nunc congregabo eos ad prælium contra
nationes ut cadant; vel, Congregabo eos,
id est, pariter obsideri faciam eos. *Et qui-*

escent paulisper ab onere regis et princi- A
pum, id est, interim non dabunt tributa
regi Assyriorum et principibus ejus, donec
capti ab eis, non jam tributa, sed se ipsos
exhibeant ad omnem injuriam tolerandam,
tanquam in extremam captivitatem per-
ducti.
11 *Quia multiplicavit Ephraim altaria ad*
peccandum. Non enim solummodo colue-
runt vitulos in Bethel et Dan, sed in mon-
tibus quoque ac locis deliciosis coluerunt
gentium deos. *Factæ sunt ei aræ in deli-*
ctum, id est, sacrificando in aris, gravis- B
12 sime deliquerunt. *Scribam ei multiplices*
leges meas. Hoc legi potest dupliciter :
Primo negative atque ironice, tanquam di-
cat Deus omnipotens : Quid prodesset, si
leges meas multiplices, id est diversa præ-
cepta legalia per Moysen data, videlicet
præcepta moralia, judicialia, ac cærimo-
nialia, iterum eis proponerem, vel alia ad-
derem ? Quod enim non obedirent, patet
ex hoc quod toties leges has contempse-
runt. Ideo subditur : *quæ velut alienæ*
computatæ sunt, id est, leges meas quasi C
ad ipsos non pertinentes atque extraneas
abjecerunt. Præcepi enim ut mihi soli
servirent, et in Jerusalem immolarent :
cujus omnino fecerunt oppositum. Secun-
do legitur affirmative, eritque sensus :
Scribam eis multiplices leges meas, id est,
per Prophetas sanctos eas in scriptis redi-
gam, et populo huic eas proponam. Hoc
enim fecit Deus per Osee, Amos, etc.
13 *Hostias offerent, et immolabunt carnes*
pecorum occisorum, *et comedent* hostias
istas, vel alia quæque edulia, *et Dominus* D
non suscipiet, id est, acceptas seu placitas
non habebit, *eas.* Pro quo sciendum, quod
aliqui in decem tribubus colebant non
solum falsos deos, sed etiam Deum, quem-
IV *Reg.* XVII, 33, 41. admodum quarto Regum scribitur de Sa-
maritanis. Aliqui autem eorum non cole-
bant nisi verum Deum, secundum quod
tertio Regum Dominus loquitur ad Eliam :
III *Reg.* XIX, 18; *Rom.* XI, 4. Reliqui mihi in Israel septem millia viro-
rum, quorum genua non sunt curvata ante
Baal. Aliqui vero eorum non nisi idola
coluerunt. De his autem qui Deum verum
et idola coluerunt, quibus et tertio Regum
ait Elias, Usquequo claudicatis in duas III *Reg.* XVIII, 21.
partes ? nunc agitur. Horum quippe sacri-
ficia, quamvis Deo oblata, Deo non pla-
cuerunt, propter idololatriæ admixtionem.
Nemo enim potest duobus dominis servi- *Matth.* VI, 24.
re ; et teste Apostolo, Nulla conventio Deo II *Cor.* VI, 15, 16.
cum idolis. *Nunc recordabitur,* id est, sci-
re et considerare se demonstrabit Deus,
iniquitatis, id est idololatriæ *eorum,* mox
tradendo eos in captivitatem, *et visitabit*
peccata eorum cetera per justa tormenta.
Ipsi in Ægyptum convertentur, vel per af-
fectum tempore obsidionis, vel ab Ægyptiis
postulando auxilium, vel in servitutem
tam vilem ac duram collabendo, sicut erat
servitus Ægyptiaca quam perpessi sunt in
Ægypto patres eorum. Quidam quoque eo-
rum corporaliter intraverunt Ægyptum, et
ibi habitaverunt, secundum Glossam.
Et oblitus est Israel factoris sui, id est, 14
decem tribus non habuerunt salutarem
atque formatam de Deo creatore suo no-
titiam, prout Moyses ait : Deum qui te *Deut.* XXXII, 18.
genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini
creatoris tui. *Et ædificavit delubra,* id est
fana idolis in locis excelsis. *Et multipli-*
cavit Judas, id est populus subditus regi-
bus ex semine David, videlicet tribus Ju-
da, Benjamin et Levi, *urbes munitas.* Captis
enim decem tribubus, studuerunt terram
suam contra hostes munire per fortalitia
et machinas varias, ne similia paterentur,
ut patet quarto Regum. *Et mittam ignem* Cf. IV *Reg.* XVIII, 13; II *Par.* XXVI, 15; XXXII, 5.
in civitates ejus, et devorabit ædes illius,
id est domos. Hoc Beda et Glossa dicunt
impletum tempore Ezechiæ, quando Sen-
nacherib rex Assyriorum venit, et occupa-
vit omnes urbes munitas in Juda, quem- *Is.* XXXVI, 1; IV *Reg.* XVIII, 13.
admodum in Isaia et quarto libro Regum
habetur. Crudelitas autem et persecutio
Sennacherib, nomine ignis designatur :
nam quælibet gravis pœna solet per ignem
significari. Plenius tamen videtur istud im-
pletum tempore Sedeciæ, quando Chaldæi IV *Reg.* XXV.
ipsam Jerusalem ceterasque urbes Juda in-
cenderunt et destruxerunt. Itaque in prin-

cipio et fine hujus capituli loquitur Pro- A
pheta de captivitate regni Juda, in medio
autem de decem tribuum captivitate. Ex
quo innotescit, verum esse quod dictum
est, scilicet quod nunc seorsum, nunc commixtim loquatur de utriusque regni statu et captivitate, quamvis pro majori parte loquatur de tribubus decem.

ARTICULUS XVIII

DE TROPOLOGICO INTELLECTU EJUSDEM CAPITULI OCTAVI.

MORALITER, Dominus ait prædicatori- B
1 bus atque doctoribus : *In gutture tuo*
sit tuba, id est, sonore, evidenter et fidu-
cialiter prædica verbum Dei ; ne timeas,
II *Tim.* IV, 2. sed secure et ordinate argue, obsecra, in-
crepa in omni patientia. Unde per Isaiam
Is. XL, 9. Dominus ait : Super montem excelsum
ascende, tu qui evangelizas Sion; exalta
in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas
Jerusalem. Hinc in Actibus oravit primiti-
Act. IV, 29. va Ecclesia : Da servis tuis, Domine, cum
omni fiducia loqui verbum tuum. Christus
Marc. III, 17. quoque in Evangelio Jacobum et Joannem C
nominavit filios tonitrui, propter altisonam
ac tubalem prædicationem eorum. Quid
autem prædicandum sit, subditur : Quia
aquila, id est diabolus, propter altitudi-
nem elationis et naturalis ingenii perspi-
cacitatem aquila appellatus, de quo testa-
Abdiæ 4. tur Abdias : Si exaltatus fueris ut aquila,
detraham te, dicit Dominus; venit *super*
domum Domini, id est, corda inobedien-
tium Christianorum intravit ac possidet.
Hi enim sunt domus Dei fide informi, et
nomine tantum : proprie tamen non sunt D
domus Dei. *Pro eo quod transgressi sunt*
fœdus meum, id est evangelicam legem.
Qui enim Christi mandata transgreditur, a
dæmone inhabitari meretur; et nisi pœ-
niteat, ejus tormentis æternaliter subji-
cietur.
2 *Me invocabunt,* tempore necessitatis et
angustiæ, id est ex servili timore potius
quam sincera dilectione : *Cognovimus te,*
Israel : id est, nos qui sumus christiana
fide atque Baptismo insigniti, propter quod
Israel dicimur, veram de te, o Deus, habe-
mus notitiam. Dicunt enim se nosse Deum, *Tit.* I, 16.
quamvis factis negent : sed isti non me-
rentur exaudiri. Qui enim declinat aurem *Prov.*
suam ne audiat legem, oratio ejus erit ex- XXVIII, 9.
secrabilis.
Projecit Israel bonum, id est, eccle- 3
sia malignantium sacramenta et beneficia
Christi contemnit, vel non digne honorat,
gratiam Dei amittit, christianæ sapientiæ
negligit dignitatem ; non attendit quod ni-
hil felicius Christiano, cui promissa sunt
regna cœlorum. Nempe homo quum in *Ps.* XLVIII,
honore esset, non intellexit. *Inimicus per-* 13, 21.
sequetur eum, id est, diabolus, mundus, et
caro tentabit superabitque eum. Qui enim
divinæ gratiæ spoliatus est ope, omni ven-
to passionum, omni impetu vitiorum, omni
tentatione dejicitur, fiuntque novissima *Luc.* XI, 26.
hominis illius pejora prioribus. Quocontra
ait vir sanctus : Persequar inimicos meos, *Ps.* XVII, 38.
et comprehendam illos, et non convertar
donec deficiant. De habitante quoque in
adjutorio Altissimi scriptum est : Cadent *Ps.* XC, 7.
a latere tuo mille, et decem millia a dex-
tris tuis. Denique propter peccata populi
christiani, Terra sancta hereditas nostra
data est hostibus, cultoribus immundissimi
canis.

Insuper de indignis et ambitiosis prin-
cipibus ac prælatis, qui se ipsos intru-
dunt, vel simoniace promoventur, non
secundum voluntatem Dei legitimumque
processum, loquitur Christus : *Ipsi regna-* 4

verunt, et non ex me. Nemo enim digne A
Hebr. v, 4. ac deifice præsidens, assumit sibi hono-
rem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aa-
Ibid. 5. ron, ut dicitur ad Hebræos. Nam et Christus
non semetipsum clarificavit, ut pontifex
Matth. xxiii, 11; xx, 26, 27. fieret, sed ait : Qui major est vestrum, sit
vester minister ; et qui voluerit major in-
ter vos fieri, erit minister vester. Isti non
pensant verbum Chrysostomi : Quis est
qui desiderat prælationem, nisi qui non
timet judicium Dei ? Quid namque pericu-
losius, nisi illis præesse, ac Deo pro illis
rationem exhibere, pro quorum salute pas- B
sus est verus Deus Unigenitus Patris ? Et
si unusquisque scire confiterique debet,
quod pro sui ipsius regimine insufficiens
sit, quomodo potest velle multis præesse ?
Principes exstiterunt, et non cognovi, id
est per approbationem. Non enim utiliter,
juste aut Deo placenter dominantur homi-
nibus, qui se ipsos non subdunt divinis
Eccle. x, 16. præceptis. De quibus scriptum est : Væ
terræ cujus rex puer est, et principes ma-
ne comedunt. Quales vero esse debeant
principes, Moyses tangit in Deuteronomio : C
Deut. i, 13. Date, inquit, ex vobis viros sapientes et
gnaros, quorum conversatio sit probata in
tribubus vestris, et ponam eos vobis prin-
cipes.
Argentum suum et aurum suum fece-
runt sibi idola. Hoc faciunt, qui de the-
sauris suis ædificant sibi habitacula, seu
alia quæque artificialia, pretiosa, curiosa,
vana, superflua, concupiscentias oculorum
suorum, quæ in pauperum sustentationem
piosque usus expendi debuerant. Sed quia
per aurum sapientia, per argentum elo- D
quentia designatur, illi de argento et auro
suo faciunt sibi idola, qui falsa et frivola
documenta inveniunt et proponunt, qui-
Is. xlvii, 10. bus dicitur : Sapientia et scientia tua de-
cepit te.
5 *Projectus est vitulus tuus,* id est caro la-
sciviens seu concupiscentia carnalis : quæ
tunc projicitur, dum divinitus reproba-
Ps. ciii, 29. tur, et in pulverem suum revertitur. *Us-*
quequo non poterunt emundari ? Hoc Do-
minus ait, quasi admirans impœnitentiam
et multiformem transgressionem Christia-
norum malorum. Impius namque quum *Prov.* xviii, 3.
in profundum peccatorum venerit, con-
temnit. De talibus scriptum est in Jere-
mia : Si mutare potest Æthiops pellem *Jer.* xiii, 23.
suam, et pardus varietates suas, et vos
poteritis benefacere, quum didiceritis ma-
lum. Unde rursus per Jeremiam loquitur
Spiritus Sanctus : Usquequo morabuntur *Ibid.* iv, 14.
in te cogitationes noxiæ ? Ideo autem mul-
ti non emundantur, *quia ex Israel et ipse* 6
est, id est, princeps seu prælatus subditos
non dirigens, sed subvertens, non instru-
ens, sed corrumpens, est ex populo chri-
stiano : propter quod alii eum amplius
imitantur, quam si esset penitus alienus
et ethnicus ; maxime vero nocet tanquam
hostis domesticus. *Quoniam in aranearum*
tela erit vitulus Samariæ : id est, omnis
carnalis voluptas, et caro spurcissima su-
bito tanquam tela araneæ resolvetur, pu-
trescet, atque deficiet, juxta illud Sapien-
tiæ : Transierunt omnia tanquam umbra *Sap.* v, 9.
præteriens. Et Isaias ait : Omnis caro fœ- *Is.* xl, 6, 7.
num, et omnis gloria ejus quasi flos agri ;
exsiccatum est fœnum, et cecidit flos.
Quia ventum seminabunt, id est, opera 7
vana et instabilia exercebunt, quæ Apo-
stolus nominat opera carnis. Unde ait Scri- *Galat.* v, 19-21.
ptura : Impius facit opus instabile. *Et* *Prov.* xi, 18.
turbinem metent, id est, pœnam et tri-
bulationem pro præmio sortientur. Quæ
enim seminaverit homo, hæc et metet, se- *Galat.* vi, 8.
cundum Apostolum ; et qui seminat in
carne, de carne et metet corruptionem.
Tales utique circumferuntur omni vento *Ephes.* iv, 14.
doctrinæ, et concupiscentiis serviunt, as-
similanturque viro stulto qui ædificavit *Matth.* vii, 26.
domum suam supra arenam. Seminemus
ergo opera virtuosa ac solida, de quibus
metamus quietem ac pacem æternam.
Devoratus est Israel. Hoc fit, dum Chri- 8
stianus propria iniquitate occiditur atque
consumitur, omne esse spirituale gratifi-
cans amittendo, in tantum ut quamvis se
putet aliquid esse, tamen nihil sit. *Nunc* *Galat.* vi, 3.
factus est in nationibus, id est conversa-
tioni infidelium parificatus per peccata

innumera, *quasi vas immundum,* quum A
9 sit plenus sordibus vitiorum. *Onager solitarius Ephraim :* id est, transgressor legis divinæ superbus, onagro similatur, dum concessa libertate abutens, per omnium vitiorum diverticula vagus progreditur,
Job xi, 12. prout Scriptura disseruit : Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri, se liberum natum putat. Sed utinam simus asinus talis de quo scriptum
Gen. xlix, 14, 15. est in Genesi : Issachar, asinus fortis ; vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum B ad portandum. *Munera dederunt amatoribus* suis. Sic multi dant dona adulatoribus laudatoribusque inanibus, et his a quibus cæco amore amantur, ut delectabilia sua vel beneficia adipiscantur.
10 *Nunc congregabo eos, et quiescent paulisper ab onere regis et principum.* Sic accidit nobis, quando Christus sub alis misericordiæ suæ nos colligit et defendit. Tunc enim divinæ dulcedinis gustu recreati, ab exterioribus molestiis repausamus,

et ab onere ejus de quo ait Salvator : Nunc Joann. xii, 31.
princeps hujus mundi ejicietur foras ; et
Apostolus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus Ephes. vi, 12.
principes et potestates. De hujusmodi rege dicitur in Job : Ipse est rex super universos filios superbiæ. Job xli, 25.
Sæpe enim concedit Deus servulis suis sabbatum mentis, ut respirent atque futuræ beatitudinis refectionem prælibent. Hinc enim Christus ait Apostolis : Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Marc. vi, 31.
Multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum. 11
Hoc agunt hæretici, sacrificantes extra Ecclesiam. *Scribam ei multiplices* 12
leges meas. Sic Christus quotidie ad memoriam Christianorum reducit evangelicæ legis præcepta per prædicationes et scripta doctorum, quæ ipsi quasi extranea respuunt. *Ipsi in Ægyptum convertentur,* 13
id est ad vitia et delectationes sæculi hujus : quibus contigit illud veri Proverbii : Canis reversus ad vomitum suum ; et, Sus lota in volutabro luti. II Petr. ii, 22 ; Prov. xxvi, 11.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI NONI : NOLI LÆTARI, ISRAEL.

DEINCEPS Propheta redarguit decem C
1 tribus. *Noli lætari* intus in corde, o *Israel,* id est, decem tribus idololatræ, et *noli exsultare,* signa interioris lætitiæ foris monstrando, *sicut populi,* id est ut ceteræ nationes. Quasi dicat : Non habes causam gaudendi, sed multipliciter dolendi atque lugendi, magis quam gentiles, qui Dei notitiam non habuerunt, quibus nec data est lex scripta Mosaica : sicque gravius illis deliquisti, quia ut ait Salvator,
Luc. xii, 48. Cui multum datum est, multum requiretur
Ibid. 47. ab eo ; et, Servus qui scit voluntatem do- D mini sui, et non facit, plagis vapulabit multis. Porro decem tribus gaudebant se esse similes nationibus aliis per hoc, quod proprios deos colebant. Unde putabant se in pace habitaturas in terra sua, quemadmodum aliæ gentes in suis provinciis pacifice habitabant ; sed nunc dicitur eis ne hoc putent, quia sicut gravius peccaverunt, sic durius punientur. *Quia fornicatus es a Deo tuo,* id est, per idololatriam recessisti ab eo, quod est gravissimum scelus, et vilior atque ingratior factus es gentibus, quæ Deum nullatenus habuerunt. *Dilexisti mercedem super omnes areas tritici,* id est, temporalia bona, quæ in horreis reconduntur, videlicet triticum, per quod cetera ad victum pertinentia in-

telliguntur, amasti tanquam præmium ido- A
lolatriæ tuæ. Nam pro cultu idolorum
putabant sibi a diis suis temporalia con-
Osee II, 12. donari, sicut superius fassi sunt : Hæ
mercedes meæ, quas dederunt mihi ama-
tores mei.

Deinde Propheta mutat personam, quasi
2 ad alios loquens : *Area et torcular,* id est
blada et vina, quæ in horreo et torculari
locantur, *non pascet eos,* scilicet decem
tribus : vel quia non creverunt, quando
III *Reg.* XVII, 1 *et seq.*; tempore Eliæ et Achab non pluit in terra
Jacob. V, 17. Israel annos tres et menses sex, unde et B
tunc magna exstitit fames ; postmodum
quoque sub Eliseo et filio Achab tanta
IV *Reg.* VI, fuit caristia, quod mulieres comederunt
25-30. fructum ventris sui, sicut in libro Regum
plenius recitatur : vel quia ablata sunt eis,
præcipue ab Assyriis. *Et vinum mentietur
eis* materialiter, id est, optatum atque spe-
ratum usum vini non consequentur, vino
non nato vel ablato. Sicque vinum fuit eis
deceptionis occasio atque materia, propter
quod dicitur eis mentiri.

3 *Non habitabunt in terra Domini,* id est C
in terra quam Deus dedit patribus eorum
tempore Josue, sed ab Assyriis capientur
ac transferentur. Sicque non fame dum-
taxat, sed captivitate quoque puniti sunt.
Reversus est Ephraim in Ægyptum cor-
de vel idololatriæ imitatione, ita quod in
Ægyptum fugere peroptabant, et idolola-
triam Ægyptiorum sectabantur ; illorum
quoque auxilium desideraverunt, pro quo
Ibid. XVII, miserunt in Ægyptum legatos, ut dicitur
4. quarto Regum. Sicut per Israel, ita per
Ephraim hoc loco accipiuntur decem tri- D
bus. *Et in Assyriis,* id est in terra Assy-
riorum translatus, *pollutum,* id est idolo-
thyta seu idolis immolata, alia quoque
cibaria in lege prohibita, *comedit.*

4 *Non libabunt Domino vinum* in terra
Assyriorum, in qua sine altari et templo
manebunt ; *et non placebunt ei sacrificia
eorum,* quoniam contra præcepta legis om-
nia fecerunt, et idolis servierunt, *quasi
panis lugentium :* id est, sacrificia eorum
Deo displicuerunt, quia immunda fuerunt,
sicut immundus est panis vel cibus lu-
gentium mortuum, qui cibus comeditur in
domo in qua jacet defunctus. Omnia enim *Num.* XIX,
cibaria quæ erant in domo in qua jacuit 14.
mortuus, reddebantur secundum legem
polluta. Unde subjungitur : *Omnis qui co-
mederit eum, contaminabitur :* quia tam
cibus quam comestor fiebat immundus.
Quod autem sacrificium decem tribuum
fuerit Deo inacceptum, subjungitur : *quia
panis eorum,* id est cibus quem offerent,
animæ et vitæ corporali *ipsorum* prodest,
quum eo vescuntur, sed Deo non placet
pro hostia ; *non intrabunt in domum Do-
mini,* id est, non ingredientur templum
Jerusalem, in quo secundum legem sacri-
ficia fuerunt offerenda.

Quid facietis in die solenni, et *in die* 5
festivitatis Domini? id est, quia nunc di-
ctum est quod vinum et triticum vobis
subtrahentur, et capiemini, nec sacrificia
vestra Deo placebunt, quomodo ergo im-
plebitis præceptum legis de observatione
diei solennis, in quo debetis coram Deo *Exod.* XXIII,
apparere non vacui, sed cum oblationibus 15 ; XXXIV, 20.
et gaudio cordis? tanquam dicat : Tantus
erit dolor, calamitas, atque penuria ve-
stra, imo et pressura, Assyriis terram ve-
stram intrantibus, quod non poteritis diem
solennem Deo debite agere, atque implere
implenda.

Præterea quid facturi sint, subditur :
Ecce enim profecti sunt, id est profici- 6
scentur : ponit namque præteritum pro
præsenti more prophetico, propter certi-
tudinem prophetiæ ; *a vastitate,* id est,
præ tribulatione imminente fugerunt, qui
poterant. *Ægyptus congregabit eos,* id est,
in Ægyptum confugerunt, et ibi colligen-
tur : sicque Ægyptus congregavit eos sicut
locus congregat locata. *Memphis sepeliet
eos,* id est, in urbe Ægypti dicta Memphis,
quæ olim erat Ægypti metropolis, morien-
tur ac sepelientur. Quidam exponunt hæc
de reliquiis duarum tribuum, quæ Godolia
occiso, cum Johanan filio Caree, dissua-
dente Jeremia, sed comitante, intraverunt *Jer.* XLI, 18,
Ægyptum, et ibi postea a Chaldæis occi- 17; XLIII, 5-7.

debantur pro magna parte. *Desiderabile* A *argentum eorum,* id est thesauros quos ipsi amaverunt, vel bona quæ argento comparaverunt, scilicet villas et ornamenta villarum, *urtica hereditabit,* id est, operiet, ita quod villis destructis, infructuosæ ibi herbæ nascentur, et loca in quibus forsitan pretiosa quæque absconderunt, diu erunt inculta, ita quod spinæ et vepres ibi nascentur ; *lappa* quoque erit *in tabernaculis eorum* residuis vel destructis, id est in locis ubi domus aliquando stabant. Per quod designatur ca- B ptivitatis ac desolationis terræ longa protractio : quod totum referri potest ad terram decem tribuum ac duarum, quia post decem tribuum captivitatem ab Assyriis, itemque post duarum tribuum captivitatem a Chaldæis, manserunt regiones earum diu sine habitatoribus notabiliter multis.

7 *Venerunt dies visitationis, venerunt dies tribulationis*,* id est, tempus afflictionis decem tribuum (in quo quod meruerunt recipient) jam est impletum. *Scitote Israel* C *stultum, prophetam insanum, virum spiritualem.* Hoc quod ait, Scitote, quidam dicunt esse unam dictionem, et quod in Hebræo sit una dictio. Eritque sensus : *Scitote,* id est, omnes agnoscite *Israel,* id est Israelitam, esse *stultum,* id est sine divinorum notitia, *prophetam insanum,* id est arrepticium seu diabolico spiritu prophetantem, *virum spiritualem,* id est maligno spiritu adimpletum. Sic ergo Osee loquitur contra falsos arrepticiosque decem tribuum vates, qui populo prospera D promittebant, atque sanctorum Prophetarum verbis contradixerunt : quorum stultitia et insania patuit in captivitate decem tribuum. — Hieronymus vero exponit, ut *Scito te,* sint duæ dictiones, innuitque in Hebræo sic esse. Et est sensus : O Israel, id est, Israelita vel plebs Israelitica, quæ me aliosque Prophetas Spiritu Sancto impletos, te increpantes, tibique vera prænuntiantes, dixisti insipientes, insanos, et spiritu malo inflatos, jam nunc scito quod tu ipse sis stultus, id est sine intellectu, propheta insanus, promittendo tibi prospera in futurum, et de proprio corde inaniter vaticinando, et item vir spiritualis, id est spiritualibus revelationibus mendaciter occupatus. Frequenter autem loquitur Scriptura de populo quasi de una persona, quemadmodum Dominus ait in Exodo de filiis Israel : Dimitte filium meum, ut sacrificet mihi in deserto. — Vel sic : Scito te, Israel, stultum, id est, te ipsum cognosce insipientem, mihi non acquiescendo ; agnosce etiam prophetam insanum, id est me quem reputabas insanum (eo modo quo principes dixerunt ad Jehu de adolescente quem miserat Eliseus, Quid venit insanus iste ad te?), et virum spiritualem, id est verum vatem, Spiritu Sancto inspiratum.

* *retributionis*

Exod. IV 23; V, 1.

IV *Reg.* IX, 11.

Propter multitudinem iniquitatis tuæ, id est magna et multa, enormia et quasi innumera tua peccata, *et multitudo amentiæ* tuæ, id est, multiplicata est cordis tui excæcatio atque insania, ita quod incorrigibilis exstitisti, et nec signis, neque sermonibus, nec tormentis potuisti ab idololatria revocari, futura supplicia intueri, sanctisque Prophetis fidem adhibere. Peccata enim cor ipsum obtenebrant ; et quanto anima in vitiis amplius habituatur, tanto difficilius edocetur, et irrationabilior in se ipsa efficitur.

8 *Speculator Ephraim cum Deo meo propheta.* Verba ista exponuntur dupliciter. Hieronymus enim, Beda et Glossa, exponunt hoc modo : *Ephraim,* id est Jeroboam Ephratæus, primus rex decem tribuum, *speculator cum Deo meo,* id est, a Deo vero et secundum ejus voluntatem constitutus est speculator populi Israel, *propheta,* id est, quantum ad hoc habuit Prophetæ officium. Nempe ad hoc Deus dedit principes et Prophetas, ut populum delinquentem erigerent, stantes firmarent, et universorum saluti intenderent. Unde Ezechieli Dominus loquitur : Speculatorem te dedi domui Israel. Sic ergo et Jeroboam a Deo factus est rex, ut speculator condignus es-

Ezech. III, 17.

III *Reg.* XII, 28 *et seq.* set populi sibi commissi; ipse vero plebem decepit, eam ad idololatriam inducendo. Ideo sequitur : *laqueus ruinæ,* id est, Jeroboam *factus est* populo illaqueator, ad ruinam peccati perducens, *in omnibus viis* *, id est universis operibus, *ejus,* id est populi vel propriis. Ipsius namque opera pessima, erant aliis exempla peccandi, et consiliis suis ac factis erat causa quod populi opera erant perversa.

* alias *super omnes vias*

Osee V, 1. Unde superius dictum est : Laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super Thabor. *Insania,* id est idolum, cujus cultus est summa insania : et ipsum ex humani cordis insania factum est. Sicque vocatur insania, sicut effectus exprimitur nomine suæ causæ. Itaque, Insania ista posita est *in domo Dei ejus,* id est in Bethel, quæ interpretatur domus Dei. III *Reg.* XII, 29. Unum enim aureorum vitulorum posuit in Bethel, alium in Dan. Vel, In domo Dei ejus, id est in populo decem tribuum, qui adhuc erat domus synagogaque Dei, quando Jeroboam fecit ac posuit vitulos in finibus populi hujus.

Alii satis probabiliter exponunt sic : *Speculator Ephraim,* id est custos et annuntiator populi Ephratæi seu decem tribuum, *cum Deo meo,* id est secundum revelationem et voluntatem divinam, vel loquens cum Deo, est *propheta* verus ac spiritualis. Tanquam dicat : Veros Prophetas dedit Deus populo huic, qui sunt veri speculatores ejus, annuntiando quæ vera sunt, et saluti ejus sollicite intendendo. *Is.* XXI, 8. Unde Isaias loquitur de se ipso : Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem. *Habac.* II, 1. Et Habacuc ait : Super custodiam meam stabo. *Laqueus ruinæ factus est* Propheta talis populo Israel, non directe, sed occasionaliter, *super omnes vias ejus,* id est in omni actione populi. Decem enim tribus prædicationem sanctorum Prophetarum non solum spreverunt, sed insuper insidiabantur eis usque ad mortem, ita quod bona facta et sancta verba Prophetarum, erant eis occasio magnæ culpæ, laqueusque ruinæ : ex sua enim malitia inde scandalizabantur, unde debuerant emendari. Hinc et Apostolus ait : Christi bonus odor sumus in omni loco : aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. (II *Cor.* II, 15, 16.) *Insania in domo Dei ejus.* Per domum Dei, intelligunt templum Dei in Jerusalem : in quo fuit insania, quia et duæ tribus insanissima opera ibi fecerunt, Zachariam filium Joiadæ lapidando, et idola venerando tempore Joas et Achaz. (II *Par.* XXIV, 21, 18; XXVIII; IV *Reg.* XVI.)

9 *Profunde,* id est ex deliberatione, enormiter et animo obstinato, *peccaverunt* decem tribus, *sicut in diebus Gabaa :* id est, quemadmodum peccaverunt filii Benjamin tempore judicum, vexantes concubinam Levitæ incredibili libidine usque ad necem (*Judic.* XIX, 25) : de quo facto nec pœnituerunt veraciter, sicut nec decem tribus de idololatria sua. *Recordabitur iniquitates* * *eorum.* Et quid sit hoc, exponit subdendo : *et visitabit,* id est ulciscetur, *peccata eorum :* hoc est, Deus qui diu patientissime distulit pœnam, ita quod quasi oblitus videbatur eorum facinora, ostendet se intueri ac detestari crimina ista, tradendo decem tribus in manus Assyriorum.

* *iniquitatis*

10 *Quasi uvas in deserto inveni Israel :* id est, universo pene mundo ad idololatriam declinante, inveni, non utique a casu, sed clementer electum, et gratiose quæsitum, atque ex Ægypto deductum : reperi duodecim tribus Israel in deserto solitudinis quo ambulabant, quasi uvas, id est ceteris gentibus pretiosiores, uberiores, et Deo familiariores : quemadmodum in Deuteronomio inducitur : Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis. (*Deut.* XXXII, 10.) *Quasi prima poma,* id est primitivos fructus, *ficulneæ,* seu ficus primi temporis : ita quod sicut hujusmodi poma sunt delectabiliora, meliora, et avidius colliguntur, sic populus Israel fuit dilectus et præelectus populus Dei et germen ipsius, quemadmodum asserit Isaias : Vir Juda germen delectabile ejus. (*Is.* V, 7.) Hinc in Deuteronomio Moyses dixerat populo isti : Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus (*Deut.* VII, 6.)

peculiaris de cunctis populis qui sunt su- A
per terram. *In cacumine ejus,* id est in
principio, vel altiori gratiæ statu, seu ori-
ginali propagine populi hujus, qui per
ficulneam designatur, *vidi,* id est, mise-
ricorditer cognovi, *patres eorum,* Abra-
ham, Isaac et Jacob, qui fuerunt principi-
um propagationis plebis istius, et posteris
suis per gratiam altiores. Si enim totus
populus Judæorum per modum arboris
consideretur et velut una progenies, præ-
fati Patriarchæ stabunt in vertice, quorum
meritis et posteris misertus est Deus. Pro- B
Deut. x, 14, 15. pter quod in Deuteronomio legitur : En
Domini Dei tui cœlum est et cœli cœlo-
rum, terra et omnia quæ in eis sunt ; et
tamen patribus tuis conglutinatus est Do-
minus et amavit eos, elegitque semen eo-
rum post eos.

Ipsi autem intraverunt ad Beelphegor,
id est ad cultum idoli sic vocati, quod erat
Deus Moabitarum : quando videlicet ad
Num. xxv, 1-3; xxxi, 16. consilium Balaam missæ sunt mulieres
Madianitæ, quæ facerent filios Israel se-
cum peccare, et deum suum, videlicet Be- C
elphegor, adorare, quemadmodum in Nu-
meris habetur. *Et abalienati sunt,* id est
a Deo per idololatriam alieni effecti, qui-
dam eorum, non omnes, *in confusione,* id
est in confusibili ac inordinatissima vene-
ratione Beelphegor : tuncque corporaliter
fornicabantur cum prædictis mulieribus,
edebantque de sacrificiis idoli Phogor, jux-
Ps. cv, 28. ta illud Psalmi, Et initiati sunt Beelphe-
gor, et comederunt sacrificia mortuorum.
Et abominabiles facti sunt, sicut ea quæ
dilexerunt, id est idola quæ coluerunt. D
Nam sicut idola naturali vita corporalique
Ps. cxiii, 5, sec. Hebr. sensu carent, dicente Psalmista, Oculos
habent, et non videbunt, etc. ; sic ipsi vita
gratiæ et spirituali sensu privati sunt. Un-
Ibid. 8. de ait Scriptura : Similes illis fiant qui
faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

11 *Ephraim,* id est populus decem tri-
buum, *quasi avis avolavit,* id est, a pro-
pria terra velociter ductus est per captivi-
tatem in terram Assyriorum. Ponit autem
præteritum pro futuro. *Gloria eorum a*
partu, et ab utero, et a conceptu. Hoc du-
pliciter legitur. Primo sic : Gloria eorum,
id est gloriatio decem tribuum, fuit a par-
tu, id est de hoc quod multos procreave-
rint filios, quorum procreatio, per partum,
uterum et conceptum significatur : sicque
jactabant se quod populum regni Juda
multitudine vincerent, feminasque fecun-
das haberent. Secundo sic : Gloria eorum,
id est, gloriatio eorum etiam avolavit a
partu, etc., id est a filiis ipsorum, ita quod
filii quoque destituti sunt divinæ prote-
ctionis auxilio, et ab hostibus capti. *Quod* 12
et si enutrierint filios suos, id est, quam-
vis eos ad incrementum perduxerint, *abs-*
que liberis eos faciam in hominibus, id
est, filios eorum ab Assyriis permittam
interfici. Quidam autem referunt ista ad
pressuram et calamitatem Israel quam ab
Hazaele rege Syriæ passi sunt, qui eos
dirissime devastavit, ut dicitur quarto IV *Reg.* x, 32, 33.
Regum.

Sed et væ eis quum recessero ab eis.
Huic loco paululum immorari oportet. Di-
cunt enim frater Raimundus, in lingua
Hebræa multum peritus, et Lyra, quod
locus iste sit unus de punctis veteris Te-
stamenti, a Judæis incredulis post Christi
adventum corruptis. Unde secundum eos,
vera littera hæc est : Quia etiam væ eis,
incarnatio mea de eis. Probationem hu-
jus prosequitur Lyra. Exponunt ergo hanc
partem de populo Juda a Romanis vasta-
to, ita quod Osee ex occasione captivitatis
decem tribuum, occasionaliter loquitur de
destructione Judæorum a Romanis, eo quod
Filium Dei ex ipsis incarnatum abjece-
runt. Ait ergo Unigenitus Dei per Prophe-
tam : Væ eis, id est, temporalis captivi-
tatis afflictio, atque æternæ damnationis
illatio, instat Judæis ; incarnatio mea de
eis, id est, ex Virgine de eorum stirpe pro-
genita, humanam carnem assumpsi. Huic
autem assertioni concordat, quod transla-
tio Septuaginta interpretum ac Theodotio-
nis, sic continet : Sed et væ eis est, caro
mea ex eis. Ex quibus arguitur, quod
Christus sit Deus et homo in unitate Per-

sonæ. Verum, ut recitat Lyra, Rabbi Salomon adinvenit quamdam solutionem ad hæc, dicens quod in Hebræo scriptum sit: Væ eis quum recessero ab eis. Hieronymus quoque hoc dicit. Sed ad hoc respondet Lyra, quod littera ista corrupta fuit antequam Hieronymus transtulit. — Porro Hieronymus et alii communiter exponunt hæc de decem tribubus, ut sit sensus : Væ eis quum recessero ab eis, id est, quum auxilium meum eis subtraxero, et adversariis suis ipsos tradidero : imo æternum væ eis, dum Deus gratiam in præsenti, et gloriam in futuro eis abstraxit.

13 *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat :* id est,
olim populus decem tribuum fuit tantæ
multitudinis, abundantiæ et excellentiæ,
quando videlicet Jeroboam primo elegerunt in regem, et nondum idololatriam inciderunt, quod Tyro similes erant ; *fundata in pulchritudine,* id est, quæ Tyrus posita fuit in maxima excellentia in introitu maris. Quanta enim fuerit gloria Tyri,
Ezech. xxvi-xxviii. Ezechiel diffuse prosequitur. *Et Ephraim*
* *interfectorem* *educet ad interfectores**, id est Assyrios vel Hazaelem Syriæ regem, *filios suos.* Non sponte, sed necessitate compulsi, patres cum filiis tradiderunt se hostibus.

Consequenter Propheta precatur vel prænuntiat, auferri decem tribubus occasionem superbiæ : jam enim prædictum
est, quod de multitudine prolis inaniter
14 gloriabantur. *Da eis, Domine,* id est, rogo
ut des, vel dabis. Propheta enim hæc orat zelo justitiæ et caritatis affectu, ne superbiendo gravius peccent ; vel prænuntiat ea more prophetico. *Quid dabis eis?* Cur quærit, nisi ut audientes reddat attentos ? Et respondet : *Da eis vulvam sine liberis,* id est conjuges infecundas, *et ubera arentia,* ut nec concipiant, nec lactent infantes. Quod in multis feminis illorum erat im-
IV *Reg.* viii, 12. pletum : nam et Hazael scidit prægnantes.
15 *Omnes nequitiæ eorum in Galgal :* id
est, decem tribus peccata sua multipliciter commiserunt in loco qui dicitur Gal-
Josue v, 3, 9, 10. gala, ubi Josue populum circumcidit, quievit, et arcam ad tempus reposuit, ut patet in libro Josue. Propter quod filii Israel, propter loci hujus solennitatem coluerunt in eo idola sua, et alia innumerabilia commiserunt facinora. *Quia ibi exosos habui eos,* non quoad naturam secundum se consideratam, sed ut tot peccatis contaminatam. Odio quippe sunt Deo impius et im- *Sap.* xiv, 9.
pietas ejus ; sed impietas secundum se oditur a Deo, impius vero ratione impietatis, qua Deo dissimilis redditur. Similitudo enim causa amoris, et dissimilitudo odii causa est. Non quod in Deo sit rancoris affectus, quum ipse sit essentialiter amor seu caritas; sed odire asseritur eos quos detestatur et reprobat. Denique constat ex his, quod dum beneficiis Dei abutimur, expediens est ut tollantur a nobis, ne abutendo damnabilius pereamus. Unde de lingua, quæ data est ad laudandum Deum, et ad proferendum utilia, orat Psalmista : Muta fiant labia dolosa. Itaque, *Ps.* xxx, 19.
Exosos habui eos *propter multitudinem* * * alias *malitiam*
adinventionum ipsorum, id est innumera vitia, quæ ex propria cogitatione conceperunt et effectui manciparunt. *De domo mea ejiciam eos,* id est de terra Israel quam eis concessi, vel domibus et urbibus suis sibi a me collatis.

Non addam ut diligam eos, id est, de captivitate ista non redimam eos, sed usque in finem sæculi derelinquam. Dicitur autem Deus diligere eos quibus benefacit. Simpliciter vero loquendo, diligit eos quos ad bona gloriæ præordinavit, quibus in præsenti dat bona gratiæ gratum facientis. Propterea, si nunc aliquem temporaliter puniat usque ad mortem, hanc tamen punitionem ordinat ad bonum animæ ejus, videlicet ne æternaliter pereat, sed purgatus et castigatus gratiam sortiatur, dicitur eum diligere. Sic autem non afflixit decem tribus ; sed temporaliter ac æternaliter eas reliquit pro majori utique parte, quia nec in captivitate pœnituerunt, nisi pro modica parte, ut dictum est, et ex libro Tobiæ aliqualiter elici potest : id- *Tob.* i, 12; xiii, 8.
eo non addit diligere eos. *Omnes principes eorum recedentes.*

16 *Percussus est Ephraim* ab hostibus, et A
partim occisus, partim translatus, vulne-
ratus aut venditus; *radix eorum exsiccata*
est, id est, virtus generativa ipsis pro par-
te ablata est. Vel per radicem intelligitur
omnipotens virtus Dei, in qua primo erant
quasi in radice fundati : quæ dicitur ex-
siccata, non in se, sed quantum ad eos,
quibus cessavit rorem gratiæ, vim proli-
ficandi, ac cetera beneficia consueta influ-
ere. Vel radix sunt sancti Patriarchæ, qui
malis filiis non subvenerunt. *Fructum ne-*
quaquam facient, meritorie operando, aut B
filios generando : quod non est de om-
nibus universaliter intelligendum, alioqui
tota gens illa jam defecisset. *Quod et si*
genuerint, interficiam amantissima uteri
eorum, id est eorum carissimos filios. Un-
vers. 12. de jam dixit : Absque liberis eos faciam.
17 *Abjiciet eos Dominus Deus meus* de pro-
pria terra in Assyrios, *quia non audierunt*
eum, id est, præceptis divinæ legis et ver-
bis Prophetarum non obedierunt; *et erunt*
vagi in nationibus, habitando inter gen-
tiles in locis non propriis, et per diversos
errores atque peccata vagando.

Postremo multa eorum quæ circa finem
hujus capituli dicta sunt, Judæis qui Chri-
stum crucifixerunt, posterisque eorum con-
venienter aptantur. Illi enim a Romanis
gravissime arctabantur ; et Deus habuit
eos exosos propter multitudinem adinven-
tionum suarum contra Christum. Ejecit
quoque eos de domo sua, id est de Jeru-
salem et Judæa ; nec addidit eos dilige-
re, sed usque in finem eorum desolatio
permanet. Omnes etiam principes eorum,
puta pontifices, fuerunt recedentes a Chri-
sto. Sed et radix eorum quodammodo ex-
siccata est ; nec faciunt fructum virtutum,
sed sunt arbores steriles. Abjecit insuper
eos Dominus Deus, quia non audierunt
vocem ejus, nec Christi prædicationem re-
ceperunt, dicentes : Non est hic homo a *Joann.* IX, 16.
Deo. Unde usque in præsens sunt vagi in
nationibus.

ARTICULUS XX

EXPLANATIO MORALIS EJUSDEM CAPITULI NONI.

PER Israel legem Dei abjicientem, signi- C
ficantur mali Christiani, falsi religiosi,
1 atque hæretici. Quibus nunc dicitur : *Noli*
lætari, Israel, noli exsultare, id est, nec
intus nec foris gaudete, *sicut populi,* id
est, quemadmodum lætari possunt qui hu-
mane ac rationabiliter conversantur; *quia*
fornicatus es a Deo tuo, id est, præceptis
Christi non obtemperasti. Mali itaque non
habent in se causam justæ lætitiæ, sed
incumbit eis dolere ac plangere ; nec glo-
riari vel jactare se habent de hoc quod
sunt christiani, sed humiliari et contrista- D
ri, quod fidem Christi non adornaverunt
operibus, et solo nomine seu fide informi
christiani consistunt. Et idem exstat judi-
cium de falsis religiosis, sub habitu spiri-
tuali cor sæculare atque carnale gerenti-
bus : quibus dicit Jeremias : Scito et vide *Jer.* II, 19.
quia malum et amarum est te reliquisse
Dominum Deum tuum, et non esse timo-
rem ejus apud te. Jacobus quoque : Risus *Jacob.* IV, 9.
vester in luctum convertatur, et gaudium
in mœrorem. Verumtamen isti exsultare
possunt et debent in spe miserationis di-
vinæ et in operibus pœnitentiæ, gratias
Domino referentes quod non statim quum
peccaverunt tam graviter, vindicavit in eis.
Dilexisti mercedem super omnes areas tri-
tici. Hoc secundum sensum in præcedenti
articulo positum faciunt, qui actum præ-
dicationis, vel cetera opera spiritualia ex

suo genere bona, exhibent fine præpostero, scilicet propter commodum temporale
Act. xx, 33-35; I *Cor.* iv, 12; I *Thess.* ii, 9; II *Thess.* iii, 8. et corporales divitias : cujus oppositum dicit se fecisse Apostolus ; quoniam temporalia et corporalia, ad bona divina ac spiritualia quasi ad finem sunt referenda : cujus oppositum agunt avari atque hypocritæ, imitantes Pharisæos, qui ut ait Sal-
Marc. xii, 40; *Luc.* xx, 47. vator, devorant domos viduarum sub prolixæ orationis obtentu.

2 *Area,* id est, Ecclesia Dei, in qua velut in horreo continentur fideles et sacramenta ac alimonia animarum. Unde Joannes
Matth. iii, 12. Baptista dicit de Christo : Triticum congregabit in horreum suum. Et Isaias loqui-
Is. xxi, 10. tur Synagogæ : Tritura mea et filia areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum, annuntiavi vobis. *Et torcular,* id est passio Salvatoris vel persecutio adversitatis. Unde
Ibid. lxiii, 3. habetur in Isaia : Torcular calcavi solus. *Non pascet eos :* quia instructionem bonorum non advertunt ; nec participes sunt meritorum Ecclesiæ, quum sint extra caritatem ; nec dicere possunt cum Psalmi-
Ps. cxviii, 63. sta, Particeps ego sum omnium timentium te ; nec sortiuntur effectum, fructum seu meritum dominicæ passionis, quoniam sacramenta Christi non venerantur, neque suscipiunt ea reverenter. Insuper per adversa non purgantur, quia non sustinent ea patienter. *Et vinum mentietur eis.* Per vinum intelligi potest sanguis Christi, sub vini speciebus contentus : qui dicitur eis mentiri, dum ejus potatione damnationem
I *Cor.* xi, 27, 29. potius quam salutem merentur. Qui enim biberit calicem Domini indigne, judicium sibi bibit, et reus erit sanguinis Christi.

3 *Non habitabunt in terra Domini,* id est in Ecclesia triumphanti seu patria, de qua
Ps. xxvi, 13. cantatur : Credo videre bona Domini in terra viventium. Propter quod scriptum
Ps. v, 6. est : Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Nunc quoque non habitant per caritatem et sanctam conversationem in Ecclesia militanti, nec actualiter perfecteque pertinent ad mysticum corpus Christi, quemadmodum de talibus fert Joannes in

A prima sua Canonica : In nobis erant, sed non erant ex nobis. I *Joann.* ii, 19.

Reversus est Ephraim, id est, mundana sibi adaugens est quilibet Christianus, *in Ægyptum,* redeundo ad sæcularem vitam et priores ignorantiæ tenebras. Quocontra admonet in prima sua epistola Petrus : Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, per- I *Petr.* i, 13-15.
fecti, sperate in eam quæ vobis offertur gratiam, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ tenebris, sed secundum eum qui vos vocavit, Sanctum : et ipsi sancti
B in omni conversatione sitis. Et Paulus : Nolite, inquit, conformari huic sæculo. Ta- *Rom.* xii, 2.
les sunt carnales ac tepidi religiosi, qui exterioribus consolatiunculis gaudent. *Et in Assyriis pollutum comedit.* Assyrii interpretantur dirigentes : per quos intelliguntur prudentes hujus sæculi, de quibus ait Salvator, Filii hujus sæculi prudentio- *Luc.* xvi, 8.
res filiis lucis in generatione sua sunt ; et Jeremias, Sapientes sunt ut faciant mala, *Jer.* iv, 22.
bene autem facere nescierunt. Inter hos comedit pollutum, qui illorum peccatis
C communicat opere aut consensu, vel non corrigit quum potest et debet. Unde hortatur Apostolus : Exite de medio eorum, et II *Cor.* vi, 17.
immundum ne tetigeritis.

Non libabunt Domino vinum. Per vi- 4
num frequenter designatur sapientia, quæ est notitia sapida. Qui ergo per sapientiam sibi concessam Deum non veneratur, neque fructuose ea perutitur, non libat Domino vinum, sed dicitur ei illud Isaiæ : Vinum *Is.* i, 22.
tuum mixtum est aqua. *Et non placebunt ei sacrificia eorum* ex parte offerentium.
D Qui enim non est in caritate, nihil facit Deo acceptum seu meritorium. Et quamvis sacrificium novæ legis, videlicet Sacramentum altaris (quod pluraliter sacramenta et sacrificia dicitur propter pluralitatem specierum sub quibus consistit), sit semper placitum Deo ex propria dignitate, tamen ex parte indigne offerentium dicitur non placere, quamvis in se placeat, quoniam peccat qui offert imparatus. *Quasi panis lugentium* luctu inordinato pro temporalium amissione vel de profectu alte-

rius. Talium enim panis, id est lacrimæ, A
seu operatio, Deo non placent. — Denique
in præcedenti articulo verba ista ad litte-
ram exposita sunt, ita quod per panem
lugentium, designatur cibus deflentium
mortuum. Sed nunc addam quod ibi omi-
si. Hieronymus enim, per panem lugen-
tium, litteraliter intelligit sacrificium le-
gis quod offerebatur pro mortuis. Unde
Glossa ait : Apud Judæos sacrificium pro
mortuo offerebatur, quæ oblatio panis lu-
gentium dicitur, quia a lugentibus offe-
rebatur. Quum autem quis de illo come- B
debat, ipse immundus et sacrificium im-
mundum dicebatur.
5 *Quid facietis in die solenni,* in quo
deberetis cum speciali devotione Deo va-
care, et negligentias dierum ferialium re-
cuperare? quasi dicat : Dies solennes non
6 expenditis fructuose. *Ecce enim profecti
sunt,* id est, ab ecclesiastica unitate et cari-
tate recesserunt, *a vastitate,* id est propter
adversitatem tentationis seu persecutionis.
Luc. VIII, 13. De quibus in Evangelio scribitur : Quia ad
tempus credunt, et tempore tentationis re- C
cedunt. *Ægyptus congregabit eos.* Ægyptus
I *Joann.* V, 19. figura est mundi hujus, qui totus in ma-
ligno positus est : eos autem qui a Deo
recedunt, recipit mundus. *Desiderabile ar-
gentum eorum,* id est sæcularem pruden-
tiam quam dilexerunt, *urtica hereditabit,*
id est pœnalis punctura damnationis : quia
Rom. VIII, 6. ut dicit Apostolus ad Romanos, Prudentia
carnis, mors est; *lappa,* id est spina seu
remorsus conscientiæ, *in tabernaculis,* id
est cordibus *eorum.* Synderesis enim re-
murmurat malo; et dum impii intra se D
redeunt, non veram mentis quietem seu
tranquillitatem, sed conscientiæ remorsum
inveniunt.
7 *Venerunt dies visitationis.* Dies enim
mortis et particularis judicii, singulis no-
bis indesinenter propinquat. Propter quod
Jacob. V, 9. Jacobus dicit : Ecce judex ante januam
adsistit. *Scito te,* o Israel, *stultum :* id est,
tu, Christiane, qui fide, non caritate et
opere, christianus es, nosce te esse stul-
tum, quia non habes sapientiam veram,
illam quæ est unum de septem donis Spi- *Is.* XI, 2.
ritus Sancti, de qua Sapientiæ primo indu-
citur : In malevolam animam non introibit *Sap.* I, 4.
sapientia. Scito quoque te esse *prophetam
insanum,* dum tibi longam vitam promit-
tis, dicens illud Lucæ : Anima, habes mul- *Luc.* XII, 19.
ta bona reposita in annos plurimos ; re-
quiesce, comede, bibe, epulare. Tali enim
dicitur : Stulte, hac nocte animam tuam *Ibid.* 20.
repetent a te : quæ autem parasti, cujus
erunt?
Speculator Ephraim, id est prælatus Ec- 8
clesiæ, *cum Deo meo propheta,* id est, a
Deo quasi propheta effectus est, dum po-
pulo futura prædicit, videlicet universale
judicium, gaudia Beatorum, et pœnas re-
proborum. Vel est propheta, exponendo
Scripturas et interpretando. Sic enim, se-
cundum Ambrosium, Apostolus loquitur
de Prophetis, dicendo : Prophetæ duo vel I *Cor.* XIV, 29.
tres dicant, et ceteri taceant; itemque, Po- *Ibid.* 31.
testis per singulos prophetare. *Laqueus
ruinæ factus est super omnes vias ejus.*
Hoc intelligi potest de prælato malo et bo-
no. Malus enim prælatus, est aliis directe
laqueus ruinæ, quos male agendo, vel de-
bita omittendo, subvertit. Bonus quoque
prælatus est aliis laqueus ruinæ occasio-
naliter et indirecte, quoniam multi sunt
qui ejus justitiam ferre non possunt, in
quibus veritas parit odium, et suo supe-
riori rebelles sunt. *Insania,* id est gravis
error, irrationabilis vita, et bestialis con-
cupiscentia, sunt *in domo Dei ejus,* id est
in congregatione talis prælati, quæ merito
esset Ecclesia Dei per caritatem, sed sola
fide Ecclesia est. Qui enim bono carent
prælato vel ei resistunt, multis modis in-
saniunt.
Profunde peccaverunt, sicut in diebus 9
Gabaa. Hoc competit omnibus qui ex pro-
posito, deliberatione, habitu vitioso, ani-
mo indurato, Deum offendunt, qui diffi-
culter sanantur; qui autem peccat ex sola
ignorantia, infirmitate vel passione, sana-
tur faciliter.
Quasi uvas in deserto inveni Israel, id 10
est electos gentiles mihi pretiosos et ca-

ros, quos post passionem per Apostolos ad A fidem converti. *In cacumine ejus,* id est in præcipuo statu seu principio militantis Ecclesiæ, *vidi patres eorum,* id est Apostolos, qui eos spiritualiter genuerunt in Christo, sicut ad Galatas scribit Apostolus :
Galat. IV, 19. Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. *Ipsi autem,* non iidem numero, sed quidam de fide ipsorum, *intraverunt ad Beelphegor.* Tales sunt avari, gulosi et lubrici, quorum deus
Philipp. III, 19. est vel aurum, vel venter, aut venus : qui *abalienati sunt* a Deo et *abominabiles,* B sicut ea quæ colunt ac diligunt.

11 *Ephraim quasi avis avolavit :* id est, talium quilibet celeriter a Deo recessit, tanquam levis et vagus : quorum *gloria* est *a partu et ab utero,* id est in actibus venereis seu multitudine filiorum carnalium, qui plerumque filiis suis privantur.

13 *Ephraim ut Tyrus erat,* id est, ecclesia malignorum olim in Baptismo vel postea, erat tanta gratia totque virtutibus adornata, quot terrenis divitiis Tyrus quondam abundavit; *Ephraim educet ad interfectores filios suos,* C id est, dæmonibus animarum occisoribus exponit posteros suos seu imitatores, quos in propriis fovet pecca-
Ps. XVI, 14. tis, quemadmodum scriptum est : Dimiserunt reliquias suas parvulis suis. Hoc faciunt et mali prælati, pestiferique docto-
Matth. XV, 14. res, de quibus dicitur : Cæci sunt et duces cæcorum. Hi pariter cadunt in lacum gehennæ, traduntque se ipsos adversariis suis dæmonibus, quibus dant locum.

15 *Omnes nequitiæ eorum in Galgal,* id est in volutabro vel cœno carnalis seu turpis D affectionis, ex qua prodeunt vitia. Galgal autem interpretatur revelatio, vel volutabrum. *Ibi exosos habui eos :* quoniam propter interiorem immunditiam displicent Deo homines operaque eorum. *De domo mea ejiciam eos,* id est de societate electorum militantis ac triumphantis Ecclesiæ. De militanti quippe Ecclesia scribit Timotheo Apostolus : Scias quomodo te oporteat *I Tim.* III, 15.
conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. *Non addam ut diligam eos,* quoniam æternaliter damnabuntur. *Omnes principes eorum,* id est negligentes prælati ac impii dominatores, sunt *recedentes* a Deo per culpam, quærentes semetipsos potius quam aliorum salutem.

Percussus est Ephraim, id est, mali 16
Christiani per peccatum læsi sunt a diabolo, et in naturalibus vulnerati, atque ad opera bona ineptiores effecti. *Radix eorum,* id est gratia, in qua fuerant radicati, *exsiccata est,* id est destructa, quia non habuit humorem bonæ operationis se con- *Luc.* VIII, 6.
servantis, nec divinæ pietatis influentia est compluta : quod contigit ex eorum negligentia. Unde et pœnitens ait in Psalmo : Percussus sum ut fœnum, et aruit cor *Ps.* CI, 5.
meum, quia oblitus sum comedere panem meum. *Fructum nequaquam facient :* quoniam nemo potest sine gratia promereri, vel fructus spirituales producere, de quibus ad Galatas dicit Apostolus : Fructus *Galat.* V, 22.
Spiritus est : caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, etc. *Quod et si genuerint* spiritualiter vel carnaliter sibi similes in peccatis, ita quod patrem sequatur sua proles, *interficiam amantissima uteri eorum,* id est, eos quos maxime dilexerunt, et ex utero suo, id est corde per instructionem pestiferam, vel ventre per carnalem propagationem, genuerunt in esse naturæ aut culpæ seu utroque, occidam, omne spirituale ac beatificum esse subtrahendo, eosque damnando, ita quod spiritualiter nihil erunt, imo et nihil respectu ultimi finis et electorum, qui esse gratiæ vel gloriæ sunt sortiti.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI DECIMI : VITIS FRONDOSA ISRAEL.

HOC loco ostendit Propheta qualiter de-
cem tribus beneficiis Dei abusæ sint.
Et ut earum ingratitudo clarius innote-
scat, primo inducit quales olim erant dono
1 piissimi Dei. *Vitis frondosa Israel,* id est
Synagoga seu domus aut familia decem
tribuum : de quibus Propheta nunc speci-
aliter tractat, quamvis quod dicit, toti duo-
decim tribuum Synagogæ olim convenerit,
quæ fuit similis vineæ pulchræ, frondibus
ac uvis fecundæ. Habuit enim multas per-
sonas tanquam frondes vel uvas, erantque
personæ illæ fructibus virtutum ornatæ,
antequam idololatria tempore Jeroboam
subintravit. Propter quod subditur : *Fructus
adæquatus est ei,* id est, secundum multi-
tudinem ac pulchritudinem suam, fructum
protulit operum bonorum, ita quod nu-
mero hominum et merito vitæ proportio-
nabiliter crevit, maxime tempore David
et Salomonis. Vel, Fructus adæquatus est
ei, quoniam terra eis concessa, fertilis-
sima fuit, et populo sufficientiam terræ
nascentium protulit. Sed prima expositio
melior est, quoniam Septuaginta inter-
pretum translatio talis est : Fructus mul-
tus in ea.

Denique, pro eo quod nostra translatio
continet, Vitis frondosa Israel, Aquila trans-
tulit, Vitis aquosa Israel : quod secundum
Hieronymum, in malam partem accipitur,
pro his qui cultu Dei relicto, venerati sunt
idola. Vitis enim aquosa nisi fuerit a vi-
nitore putata, tota in frondes excrescit, et
humorem quem debuit in vina mutare,
superflua foliorum ac frondium extensio-
ne dispergit. Totæ erant decem tribus cre-
scentes in multitudinem hominum, sed
fructum bonæ conversationis Deo agricolæ
non exhibentes : quia pro eo quod debu-

A erunt facere uvas, fecerunt labruscas. — *Is.* v, 2.
Solet autem populus Israel nomine vineæ
designari : sicut in Psalmo, Vineam de *Ps.* LXXIX, 9.
Ægypto transtulisti ; et in Jeremia, Pastores *Jer.* XII, 10.
multi demoliti sunt vineam meam ; et in
Isaia, Vinea Domini Sabaoth, domus Israel. *Is.* v, 7.
De qua in Evangelio ait Salvator : Homo *Matth.* XXI,
quidam plantavit vineam, et locavit eam 33; *Luc.* XX,
agricolis. Quæ quondam in tantum fuit 9.
frondosa, ut dicat Psalmista : Extendit *Ps.* LXXIX,
palmites suos usque ad mare, et usque ad 12.
flumen propagines ejus.

B Deinde scribitur ingratitudo atque abu-
sio vineæ hujus. *Secundum multitudinem
fructus sui multiplicavit altaria,* id est,
quo copiosior fuit in divitiis et multitu-
dine populi, eo plura construxit altaria ad
idola honoranda ; *juxta ubertatem terræ
suæ,* id est secundum quod terram fertilis-
simam possidebat, *exuberavit simulacris,*
id est, plurimis idolis abundavit, diversa- *Osee* VIII,
rum gentium deos colendo, ut dictum est. 11, 14.

Divisum est cor eorum. Hoc dupliciter 2
elucidatur. Primo, secundum Hebræos, qui
C (ut refert Hieronymus) dicunt quod quam-
diu reges decem tribuum et ipsæ tribus
pari consensu idola honorabant, non venit
captivitas : quia tunc culpa populi aliquo
modo excusabatur propter imperium atque
tyrannidem regum, inducentium subditos
ad idololatriam, imo et prohibentium ne III *Reg.* XII,
irent ad sacrificandum in Jerusalem Domi- 28.
no. Ultimus vero rex Israel dictus Osee,
qui licet fecerit malum coram Domino,
non tamen sicut patres ejus, ut legitur IV *Reg.* XVII,
quarto Regum, præcepit ne vituli aurei 2.
D tanto studio colerentur ; sed dedit licen-
tiam populo eundi et sacrificandi in Je-
rusalem : cui populus contradixit. Sicque
divisum fuit cor populi a corde regis, et

nullam idololatriæ excusationem habebant. A
Propter quod mox venit extrema captivi-
tas, sicut subjungitur : *nunc interibunt,* id
est, protinus ab Assyriis vastabuntur. Qui-
dam enim eorum erant occisi ; alii autem
translati, quos fecit Salmanasar rex Assy-
riorum habitare juxta flumen Gozan in
IV *Reg.* XVII, 6. civitatibus Medorum, ut scribitur quarto
Regum. — Secundo exponitur sic : Divi-
sum est cor eorum, id est, partim Deo,
partim idolis ministrando, atque in duas
III *Reg.* XVIII, 21. partes claudicando, habent mentem divi-
sam, non totaliter Deo se unientem. B

Ipse Deus omnipotens per manum As-
syriorum *confringet simulacra eorum,* id
est idola et vitulos aureos Israelitarum, au-
rum et alia pretiosa sibi inde tollentium,
et depopulabitur aras eorum, id est alta-
ria idololatriæ deputata.

3 *Quia nunc dicent* filii Israel : *Non est
rex nobis.* Hoc dicere poterant, capto jam
ultimo eorum rege Osee. Vel dixerunt hoc
jam ante, ut ideo dicant, Regem non habe-
mus, quoniam nunc quem habemus, non
potest regiæ dignitatis officium exercere C
in nobis, adversariis nostris reluctando. Ad
utrumque istorum quod sequitur, pertinet.
Non enim timemus Dominum : idcirco
meruimus nostrum perdere regem, nec
ipse potuit nos tueri, quibus restitit Deus.
Et rex quid faciet nobis? id est, quid po-
terit nos juvare rex homo, quum Deus rex
omnipotens nobis resistat ? Istud præcipue
dicebant boni in decem tribubus, qui pro-
pter peccata in Deum commissa, fateban-
tur populum Israel opprimi.

Deinde Propheta ex parte Dei redarguit D
populum istum, verbis pseudoprophetarum
4 acquiescentem. *Loquimini verba visionis
inutilis,* id est, verba falsorum propheta-
rum, vobis pacem et prospera pollicen-
tium, repetite cum credulitate et allega-
tione, quasi oppositum vobis evenire non
poterit. Vel istud est verbum populi ad
pseudoprophetas, a quibus desiderabant
prospera sibi sponderi. Sed quoniam spon-
sio talis fuit conficta et fallax, sanctus
Osee rem ipsam respiciens, vocat verba
illa prophetica, verba visionis inutilis :
quia re vera sic fuit, licet populus Israel
non ita putaverit. Et simili modo dicitur
in Isaia : Loquimini nobis placentia, vi- *Is.* XXX, 10.
dete nobis errores. *Et ferietis fœdus cum
mendacio,* id est, cum sermonibus falsis
seu deceptoribus vatibus consensum seu
confœderationem habebitis, dicendo : Pax *Ezech.* XIII, 10.
erit nobis. *Et germinabit quasi amaritu-
do,* id est, confœderatio ista tanquam se-
men amarum, producet *judicium* damna-
tionis *super sulcos agri,* id est habitatores
terræ vestræ, per modum sulcorum ab
Assyriis opprimendos, eo quod tali pacto
consenserint.

Vaccas Bethaven, etc. Hunc locum Hie- 5
ronymus et ejus sequaces ita exponunt :
Vaccas, id est vitulum aureum, qui deri-
sorie dicitur vaccæ, ponendo plurale pro
singulari, quemadmodum in Exodo dixe-
runt filii Israel de vitulo aureo : Isti sunt *Exod.* XXXII, 8.
dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra
Ægypti ; *Bethaven,* id est vitulum istum
positum in Bethel, quæ alio nomine dicitur
Bethaven, id est domus idoli ; *coluerunt
habitatores Samariæ,* id est decem tribus.
Potest enim nomine Samariæ, urbs me-
tropolitana vel tota regio decem tribuum
designari. Signum autem quod coluerunt
vitulum istum ex corde, est *quia luxit
super eum,* id est de vitulo isto, *populus
ejus :* id est, decem tribus planxerunt ac
doluerunt, dum vitulus iste missus fuit
regi Assyriorum, ut statim dicetur. Inge-
muerunt ergo quod deus quem colebant,
esset eis ablatus. *Et æditui ejus,* id est
sacerdotes custodes vituli : æditui namque,
quasi ædem idoli tuentes, dicuntur ; *super
eum,* id est de vitulo isto, *exsultaverunt :*
quia pro vitulis aureis quos furtim sustu-
lerunt, reposuerunt vitulos æneos deaura-
tos. Unde quum vituli deaurati exportati
fuerunt, gaudebant quod furtum eorum
mansit occultum. Istud, ut refert Hierony-
mus, dicunt Hebræi. Exsultaverunt ergo
æditui *in gloria ejus,* id est in auro quo
vitulus tam pretiose et gloriose erat forma-
tus ; vel, In gloria ejus, id est in aureo

vitulo, quod fuit gloria populi; *quia migravit ab eo,* id est, quia vitulus recessit a populo, secundum populi æstimationem. Putabant enim aureum vitulum sublatum,
6 et ad Assyrios missum. *Siquidem et ipse* vitulus deauratus, *in Assur delatus est, munus regi ultori,* id est, regi Assyriorum transmissus est a rege Israel pro munere : qui rex Assyriorum dicitur ultor, quia fecit vindictam in regem Syriæ, impugnantem regem Israel. Legitur autem quarto
IV *Reg.* xv, 19. Regum, quod Manahem rex Israel misit Phul regi Assyriorum mille argenti talenta, ut sibi præberet auxilium, inter quæ aliqui dicunt vitulos prædictos fuisse directos. *Confusio Ephraim,* id est regem Israel, qui dicitur Ephraim, quoniam primus rex decem tribuum fuerat Ephratæus, *capiet,* id est, operiet et implebit; *et confundetur Israel in voluntate sua,* id est in eo quod fecit secundum proprium placitum, non secundum Deum, procurando videlicet sibi auxilium impii regis per missionem sacrilegorum donorum. Quum enim rex Assyriorum cognovisset quod vituli non essent aurei, sed deaurati forinsecus, iratus est vehementer, putans fraudem a rege, non a sacerdotibus, factam; scripsitque regi Israel quod factum fuit : quo audito confusus est, et inde magis displicuit, unde placere speravit.

Porro contra hanc expositionem quidam multipliciter arguit. Primo, quia videtur satis extorta. Secundo, nam conjunctio, Quia, exprimit causam dicti præcedentis; sed quod dictum est, Quia luxit populus ejus, non est causa quod habitatores Samariæ colebant vitulos. Tertio, quoniam dictum illud de furto et deauratione vitulorum, videtur confictum, eo quod Rabbi Salomon inde nil referat. Dicit ergo in Hebræo sic haberi : Ad vaccas Bethaven timuerunt habitatores Samariæ, id est, propter asportationem vituli aurei ad regem Assyriorum, timuerunt habitatores Samariæ, ne propter inhonorationem hanc vituli aliquid mali eis accideret. Noster autem translator videtur credidisse quod timor iste fuerit reverentiæ : ideo pro Timuerunt, transtulit, Coluerunt.

Sed dicendum, quod expositio S. Hieronymi atque translatio ejus sint veræ; nec ad improbationem expositionis ejus sufficit simpliciter dicere quod videatur extorta. Ex prædictis etiam constat, quod non sit extorta, sed textui consona : propter quod Glossa et Beda et alii communiter eam sequuntur. Ad secundum argumentum dicendum, quod conjunctio, Quia, non semper in Scripturis dicit causam a priori, quæ est causa rei, sed sæpe denotat a posteriori, quæ est causa signi, sicut in Psalmo : Confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est; quoniam ex omni tribulatione eripuisti me. *Ps.* LIII, 8, 9. Non etiam dicit semper causam dicti præcedentis, sed subinde exprimit causam dicti sequentis, ut in illo Jeremiæ : Quia stulte egerunt pastores, propterea omnis grex eorum dissipatus est. *Jer.* x, 21. Itemque in Psalmo : Quia melior est dies una in atriis tuis super millia, elegi abjectus esse in domo Dei mei. *Ps.* LXXXIII, 11. Itaque, Quia, hoc loco notat causam a posteriori, ut lucet ex elucidatione inducta. Ad tertium dico, quod nequaquam putare debemus B. Hieronymum dictum illud de furto et deauratione vitulorum finxisse, nec diceret hoc asseri ab Hebræis, nisi de hoc certus fuisset, quia sæpissime contulit cum Hebræis. Nec sequitur : Rabbi Salomon non dicit hoc, ergo non est. Præterea translatio Hieronymi hoc loco bona est, et Hebraicæ consona veritati : imo translatio Septuaginta interpretum magis consonat translationi Hieronymi, quam litteræ quam prædictus adstruit in Hebræo haberi. Sic enim transtulerunt Septuaginta : Apud vitulum domus On morabantur, qui habitabant in Samaria. Per hoc namque, quod dicunt eos esse moratos apud vitulum domus On, id est Bethaven, datur intelligi quod cultui idoli insistebant. Verum esse potest, quod dictio Hebraica sit æquivoca ad Timuerunt, et Coluerunt.

Transire fecit Samaria regem suum : 7
id est, decem tribus per idololatriam me-

ruerunt regnum sibi auferri, et regem suum transire, id est deficere, ita quod nullum de cetero regem habent. Potest quoque specialiter accipi de ultimo rege eorum Osee, quem fecerunt secum transire in manus hostiles, per hoc quod consilium ejus abjecerunt non eundo in Jerusalem ad sacrificandum Domino, præsertim quia et ipse Osee aliunde peccavit, quamvis minus quam prædecessores ejus. *Quasi spumam super faciem aquæ,* id est viliter atque celeriter, sicut spuma est res vilis, et cito discurrit ac dissolvitur, currendo in superficie aquæ.

8 *Et disperdentur,* id est, ab Assyriis destruentur, *excelsa idoli,* id est loca sublimia in quibus idola coluerunt : quod idolum fuit *peccatum Israel,* id est materia maximi peccati Israelitarum, qui in vitulorum aliorumque adoratione deorum gravissime peccaverunt. *Lappa et tribulus,* id est herbæ infructuosæ sponte nascentes, videlicet spinæ, vepres, urticæ, etc., *ascendent super aras eorum,* id est super loca altarium sacrilegorum ab Assyriis destructorum : per quod insinuatur longa desolatio terræ. *Et dicent,* captivitate jam instante, præ vehementi pavore, *montibus, Operite nos; et collibus, Cadite super nos.* Per quod innuitur, quod magis optabant mori subita morte, quam videre ea quæ inferunt mortem, et crudelissimis hostibus tradi. Siquidem gravior mors exspectata, quam illata. Hoc quoque dixerunt Judæi tempore captivitatis suæ ab exercitu Romanorum, quemadmodum Christus bajulans sibi crucem, prædixit : Tunc incipient montibus dicere, Cadite super nos, etc. (*Luc.* XXIII, 30.)

9 *Ex diebus Gabaa,* id est a tempore quo filii Benjamin in Gabaa civitate sua sceleratissime oppresserunt uxorem Levitæ (*Judic.* XIX, 25.), *peccavit Israel,* id est duodecim tribus : non quia peccatum illud in filios Benjamin ulti sunt (in hoc enim bene fecerunt : quamvis, secundum Hieronymum, moti fuerint ad pugnam illam magis ex naturali dolore, quam amore justitiæ), sed propter illud quod subditur : *ibi steterunt,* id est, ulto illo peccato, non processerunt ad vindicandum injuriam Dei in filios Dan, qui idolum Michæ coluerunt. Potius quippe et primo debebant ulcisci injuriam Dei (*Judic.* XVIII, 31.), videlicet idololatriam, et destruere idolum Michæ, quam humanam injuriam. Quia ergo non correxerunt scelus quod corrigere debebant atque valebant, participes erant in malo. Denique factum illud de idolo Michæ, contigit circa tempus quo oppressa fuit uxor Levitæ.

Non comprehendet eos in Gabaa prælium. Hoc Beda ita exponit : Non comprehendet, id est, populus Israel non periit in bello contra filios Benjamin, *super filios iniquitatis,* id est ob id quod contra filios Benjamin prædicti sceleris auctores aut defensores congressi sunt (in hoc enim, ut dictum est, bene fecerunt); sed quoniam non vindicavit hæc plebs in primis injuriam Dei, destruendo Micham et domum ac idolum ejus, propter quod bis victi fuerunt a filiis Benjamin (*Ibid.* XX, 21, 25.) : et redit hoc in idem cum præinductis, quia et Micham et tribum Dan tenebantur occidere. Secundum hanc autem expositionem Propheta ponit futurum pro præterito, scilicet Comprehendet, pro Comprehendit. — Hieronymus vero videtur ita exponere : *Non comprehendet,* id est, non invadet ac superabit, *eos,* scilicet decem tribus, *in Gabaa,* id est ratione pugnæ quam populus Israel intulit Gabaonitis propter oppressionem uxoris præfatæ, *prælium* captivitatis quo jam dejiciendi sunt, sicut subjungitur.

Juxta desiderium meum, id est, secun- 10
dum propriam voluntatem et zelum justitiæ meæ, quo impiorum justam punitionem amo, *corripiam eos,* tradendo manibus Assyriorum. Juxta hunc modum loquendi ait Dominus in Isaia : Heu ! ego consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis (*Is.* I, 24.); et apud Ezechielem : Complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam, et consolabor (*Ezech.* V, 13.). Itaque Deus sanctus et justus lætatur in punitione pravorum. Sed obviare videtur illud Sapientiæ : Deus mortem non fecit, (*Sap.* I, 13.)

nec lætatur in perditione vivorum; et il- A lud in Tobia, *Tob.* III, 22. Non delectaris in perditionibus nostris. Et respondendum, quod Deus non gaudet in damnatione seu punitione hominum, in quantum sunt homines, sed in quantum impœnitentes, vel in quantum temporalis afflictio expedit eis, tanquam medicinale emplastrum. Sic quoque non delectatur in ipsa perditione vel punitione, in quantum sunt quædam mala ac privativa, sed ut sunt effectus justitiæ. Propter quod ait in Proverbiis : *Prov.* I, 26. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, B quum vobis quod timebatis, evenerit. In his autem atque similibus verbis loquitur Deus affectu ac more humano, quia et desiderium proprie sumptum, videlicet pro appetitu boni absentis, non competit Deo, in quo præsentialiter æternaliterque consistit omnium bonorum atque pulchrorum ac desiderabilium perfecta possessio.

Congregabuntur super eos populi, id est, collectim in eos irruet exercitus cum rege Assyriorum adveniens, *quum corripientur propter duas iniquitates suas,* id C est omissionis divini cultus, et commissionis idololatriæ. Unde apud Jeremiam loquitur Dominus de regno Juda : *Jer.* II, 13. Duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas. Quidam per duas iniquitates, intelligunt duos vitulos aureos; alii, quod injuriam Dei non vindicaverunt in cultoribus idoli Michæ, et vitulos aureos adoraverunt. Sed non apparet quod isti ab Assyriis capti, puniti sunt propter peccatum quod contigit tempore Michæ et Judi- D cum. Possumus quoque, per duas iniquitates intelligere persecutionem Prophetarum et idololatriam, vel idololatriam et contemptum præcepti seu exhortationis Osee regis Israel, ut irent et sacrificia Deo offerrent in templo Jerusalem.

11 *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Secundum Hieronymum, locus iste usque ad finem capituli, magnis est obscuritatibus involutus. Denique consuetudo sanctarum est Scripturarum, maxime prophetalium, ut per tropologiam atque metaphoram historiæ exprimat veritatem. Ait ergo : Ephraim vitula, etc., id est, decem tribus pares sunt vaccæ seu vitulæ terenti seu trituranti in horreo, hoc est excutienti grana a paleis, ferreos orbes ad hoc deputatos super segetum acervos trahendo, secundum quod moris est grana excutere in Palæstina : quæ vitula amat trituram, id est locum trituræ, vel fruges seu messem excutiendam. Quemadmodum itaque vitula talis amat trituram, quia alitur ibi, juxta illud, Non alligabis os bovi trituranti : *Deut.* XXV, 4; I *Cor.* IX, 9. unde non vult inde cito exire; et si percussa ac fatigata parumper egreditur, tamen statim revertitur ut pascatur : sic populus Israel dilexit idololatriam. Et licet ob hoc IV *Reg.* XVII, 7 *et seq.* frequenter castigaretur et hostibus traderetur, noluit tamen reverti ad Dominum ; et si interdum rediit, non diu adhæsit, sed mox ad idololatriæ rediit vitia : quod etiam constat in libro Judicum. *Judic.* II, 10 *et seq.* Cujus debita pœna subjungitur.

Et ego transivi, id est, transire feci hostes eorum, puta Assyrios, *super pulchritudinem colli ejus,* id est super pulchra, delicate nutrita, superba atque rebellia colla decem tribuum, subjugando eas totaliter hostium potestati conculcantium eas. Juxta quem modum loquendi ait Isaias : Posuisti dorsum tuum transeuntibus. *Cf. Is.* LI, 23. Deus enim resistit superbis, et dejicit eos. I *Petr.* V, 5. *Ascendam super Ephraim,* id est, per adventum Assyriorum opprimam eos. *Arabit Judas :* id est, duæ tribus, videlicet Juda et Benjamin cum filiis Levi, visa decem tribuum extrema punitione et captivitate, cœperunt corda sua excolere, et vomere pœnitentiæ a pristina duritia frangere, atque ad virtutes disponere : quod factum est tempore Ezechiæ, qui eos hortabatur II *Par.* XXIX, XXX. ad hoc. *Confringet sibi sulcos,* id est, obicem gratiæ tollet a se, et virtutum dura ac terrena obstacula conteret, *Jacob,* id est, tam illi qui ex decem tribubus manus hostium evaserunt, et ad consilium Ezechiæ Deum verum coluerunt, venientes in Jerusalem ad faciendum Pascha, sicut per lit-

teras eis intimaverat Ezechias (de qua re A
Is. XVII, 7; *II Par.* XXX, 1 *et seq.* Isaias prophetice prænuntiavit, et secundo Paralipomenon clarius recitatur), quam illi qui ex regno Juda ad meliora inducti sunt ex consideratione captivitatis decem tribuum.

12 *Seminate vobis in justitia,* id est, opera bona secundum præcepta legis juste peragite, et velut semina quædam præmittite, ut felicem mercedem in futuro obtineatis : *Galat.* VI, 8. quæ enim seminaverit homo, hæc et metet ; *et metite,* id est, opera bona per modum seminis sata colligite, *in ore misericordiæ,* id est in communicatione pietatis sinceræ, quatenus de bonis operibus non intumescatis, sed mutuo gratiam divinitus datam communicetis, secundum quod scriptum est in prima Petri epistola : *I Petr.* IV, 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Sit ergo justitia per misericordiam temperata, ne sit crudelis, sed peccatoribus condolens, omnibusque benigna, quemadmodum ad *Rom.* XV, 1. Romanos admonet Paulus : Debemus nos firmiores aliorum imbecillitatem portare, et non nobis placere. *Innovate vobis,* id est, ad salutem vestram intus recens facite, *novale,* id est cor seu agrum cordis vomere pœnitentiæ nunc proscissum. Novale enim, ad litteram, dicitur ager nunc primum proscissus. Hoc est quod admonet Apostolus : *Ephes.* IV, 23; *Coloss.* III, 9. Renovamini spiritu mentis vestræ, et exuite veterem hominem cum actibus suis. *Ps.* L, 12. Propter quod orat Psalmista : Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Oportet itaque vetera vitia abjectare, spinas passionum et tribulos inordinationum eradicare, *Luc.* VIII, 15. et semen verbi cœlestis corde puro recipere. Propterea in Jeremia habetur *Jer.* IV, 3. Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. Qui autem passiones et vitia de agro cordis sui non abjicit, habet timere ne Christus eum visitans, dicat illud *Prov.* XXIV, 30, 31. Proverbiorum : Per agrum hominis pigri transivi, et ecce totum repleverunt urticæ.

Pro eo quod nostra translatio continet, Innovate vobis novale, Septuaginta transtulerunt : Illuminate vobis lumen scientiæ, id est, bene agendo adipisci satagite veram prudentiam et sanctæ discretionis splendorem, per quem valeatis discernere qualiter justitia per misericordiam sit temperanda, et econtra. Sicque Propheta docet nos tria habere, dicendo : Seminate in justitia, etc. Pro quibus orat vir sanctus : Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. *Ps.* CXVIII, 66. Quod autem lumen scientiæ obtineatur recte conversando seu præcepta implendo, constat ex eo quod scriptum est B in Ecclesiastico : Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi. *Eccli.* I, 33. Et iterum scriptum est : Pie agentibus dedit sapientiam. *Ibid.* XLIII, 37.

Præterea, quia Osee novit ista doctrinæ suæ monita non esse perfecte implenda a populo, nisi pro tempore Christi ac evangelicæ legis, adjecit : *Tempus autem requirendi Dominum* per caritatem et reformationem perfectam ac opera bona, erit *quum venerit qui docebit vos justitiam,* id est Christus, quando videlicet per se C ipsum, et deinde per Apostolos, evangelicæ legis perfectionem cœperit prædicare. Unde in Isaia de Christo ait Pater cœlestis : In scientia sua justificabit ipse servus meus plurimos. *Is.* LIII, 11. Tunc enim electi Judæi toto ad Deum conversi sunt corde. Hinc habetur in Psalmo : Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis. *Ps.* LXXI, 7. — Quidam exponunt istud quod ait, Quum venerit qui docebit, etc., de Ezechia rege, qui docuit populum colere Deum. *II Par.* XXIX-XXXI. Quod non videtur convenienter dictum, quia Osee hæc dixit immi- D nente decem tribuum captivitate, quæ facta est undecimo anno imperii Achaz : et tunc Ezechias habuit viginti circiter annos. Achaz namque regnavit sedecim annis, et Ezechias cœpit regnare quum esset viginti quinque annorum. *IV Reg.* XVI, 2; *Ibid.* XVIII, 2. Pauci quoque ex decem tribubus acquieverunt consilio Ezechiæ. Aptius ergo de Christo accipitur, qui in Isaia protestatur, Ego qui loquor justitiam; *Is.* LXIII, 1. qui præceptis legis adjecit evangelicorum consiliorum justitiam : Nisi, inquiens, abundaverit justitia vestra plus *Matth.* V, 20.

quam Scribarum et Pharisæorum, non in- A
trabitis in regnum cœlorum.
Consequenter ait Propheta ad decem tri-
bus, sibi inobedientes in prædictis doctri-
13 nis : *Arastis impietatem,* id est, peccata in
animo concepistis per cogitationem et con-
sensum ; *iniquitatem messuistis,* id est,
ad effectum impie cogitata deduxistis, vel
captivitatem pro mala aratione recepistis ;
comedistis frugem mendacii, id est, fru-
ctum erroris consecuti estis, et vobis in-
corporastis, delectando in vitiis, vel expe-
riendo pro peccatis debitas pœnas, sicque B
fecistis directe contraria documentis præ-
habitis. *Quia confisus es,* o popule decem
tribuum, *in viis tuis,* id est peccatis et
actibus idololatriæ, æstimans te liberan-
dum ab hostibus idola invocando; confi-
sus es quoque *et in multitudine fortium
tuorum,* id est principum, potentium at-
que nobilium, vel in robore tui exercitus
et multitudine pugnatorum, non in Deo.
14 *Consurget tumultus in populo tuo,* id
est, exercitus Assyriorum cum tumultu,
sonitu seu clangore invadet te; vel, Con- C
surget tumultus, id est sonus confusus et
ululatus, in populo tuo fugiente Assyrios ;
et omnes munitiones tuæ, id est fortalitia
atque præsidia, *vastabuntur* ab hostibus
jam præfatis ; *sicut vastatus,* id est captus
ac interfectus, *est Salmana,* princeps Ma-
dianitarum, *a domo,* id est populo seu fa-
milia, *ejus,* videlicet Gedeonis, *qui judi-
cavit,* id est, reprobavit atque damnavit,
Baal, idolum quod coluit Israel : cujus
Judic. VI, 25-27. fanum quoque Gedeon destruxit, et lucum
aramque demolitus est. Aliqui textus ha- D
bent, Qui vindicavit Baal, id est, Gedeon
in Baal vindictam exercuit. De hac re ple-
nius legitur in libro Judicum, ubi habetur
quod Gedeon cum suo exercitu persecu- *Judic.* VIII, 12, 21.
tus est Zebee et Salmana, comprehendit-
que eos, et propria manu occidit. Nunc
tamen dicuntur vastati a domo Gedeonis,
quia cooperabatur Gedeoni in persequen-
do et capiendo. Consensit insuper ei in hoc,
quod illos occidit. Istud itaque contigit *in
die prœlii,* quando Gedeon cum viris tre- *Ibid.* VII, 16 *et seq.*
centis pugnavit contra maximum exerci-
tum Madianitarum, *matre super filios,* id
est de filiorum interfectione, *allisa,* id est
nimio mœrore confracta, vel simul cum
illis occisa. Præfati namque principes cum
Madianitis interfecerunt multos filiorum
Israel, matribus eorum præsentibus, quæ
multo mœrore confectæ, vel simul occisæ
defecerunt. Legitur quoque in Judicum li-
bro, quod Gedeon dixit Zebee et Salmana :
Quales fuerunt viri quos occidistis in Tha- *Ibid.* VIII, 18, 19.
bor ? Qui responderunt : Similes tui, et
unus ex eis quasi filius regis. Quibus Ge-
deon dixit : Fratres mei fuerunt, filii ma-
tris meæ. Vivit Dominus, si servassetis eos,
non vos occiderem. Unde quod ait Pro-
pheta, Matre super filios allisa, specialiter
accipi potest de matre hac, tam speciosis
filiis destituta.
Sic fecit vobis, o decem tribus, *Bethel,* 15
id est idololatria quam exercuistis in ur-
be Bethel, in qua unus positus erat de au- III *Reg.* XII, 29.
reis vitulis, quem colendo meruistis peri-
re, quemadmodum periit Salmana : et hoc,
a facie malitiæ nequitiarum vestrarum, id
est propter perversitatem vitiorum vestro-
rum, quæ adspexi, et oculis meis præsen-
tia erant. Vel per Bethel intelligitur vitu-
lus aureus, qui fuit eis materia occasioque
peccandi ; vel certe sacerdotes vituli habi-
tantes in Bethel, qui populum in idolola-
tria confortabant.

ARTICULUS XXII

ELUCIDATIO TROPOLOGICA EJUSDEM CAPITULI DECIMI.

1 De militanti denique Ecclesia Christi A veraciter dicitur : *Vitis frondosa Israel :* Ecclesia enim Israel nuncupatur, quoniam oculis fidei conspicit Deum. Habet ergo hæc vitis frondes magnas atque pulcherrimas, puta Apostolos et apostolicæ perfectionis imitatores, virore virtutum splendentes, ipsamque Ecclesiam mirabiliter adornantes, qui primitias Spiritus receperunt (*Rom.* VIII, 23.); qui etiam botri vocantur, vinum sapientiæ continentes, et internæ refectionis nobis propinantes saporem. De qua vinea in Canticis scriptum est (*Cant.* VIII, 11.) : Vinea fuit B pacifico in ea quæ habet populos. De qua in Evangelio ait Salvator (*Matth.* XX, 4, 7.) : Ite et vos in vineam meam. Sed et Christus qui est verissimus Israelita, tanquam vir videns Deum per speciem a maternæ suæ conceptionis exordio, vocat se vineam (*Joann.* XV, 1.) : Ego, inquiens, sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Ipse enim spiritualiter protulit botros Ecclesiæ. *Fructus adæquatus est ei :* id est, vinea ista secundum gratiam sibi concessam, copiosum attulit fructum, optime conversando, alios convertendo, instruen- C do, perficiendo, et in omni dono Spiritus Sancti quotidie proficiendo. Nec enim unquam tanta gratia alicui congregationi collata est, ut Ecclesiæ Christianorum. Propter quod tempus novæ legis vocatur tempus gratiæ (*Ephes.* II, 7. *Ibid.* IV, 1.). Porro qui satagit digne conversari vocatione qua vocatus est, et dicere potest cum Apostolo (*I Cor.* XV, 10.), Gratia Dei in me vacua non fuit, iste adæquat fructum gratiæ sibi exhibitæ, et dignus est nomine christiano.

Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria. Hoc accipi potest in D bono, quod Ecclesia multiplicavit materialia templa atque altaria, secundum multitudinem fructus sui, id est secundum eminentiam devotionis sibi infusæ; vel secundum quod in exterioribus divitiis abundavit, cupiens cultum Dei et oblationem sacrificii evangelicæ legis multiplicari, et toto orbe diffundi. *Juxta ubertatem terræ suæ,* id est fecunditatem sui cordis, in quo, tanquam in bona terra, verbum Dei (*Luc.* VIII, 15.) receptum est atque fructificavit, *exuberavit simulacris,* id est imaginibus Crucifixi et Sanctorum, qui sunt quasi scripturæ simplicium, et memoriam provocant, devotionemque inflammant ; vel, Exuberavit simulacris, id est formis seu speciebus intelligibilibus divinorum, quæ jugiter contemplatur, ex visibilibus invisibilia contuendo, et in cœlestium memoria se indesinenter (quantum vitæ præsentis permittit fragilitas) occupando. Utinam animæ nostræ bonis simulacris dominicæ passionis, horrendæ mortis, futuri judicii, cœlestium gaudiorum, infernaliumque pœnarum depingantur.

Præterea accipi possunt ista in malo, de ingratis et reprobis, qui multitudine beneficiorum Christi abutentes, vanitates sibi quasi altaria quædam multiplicant, in quibus offerunt diabolo sua obsequia, non Dei, sed proprium desiderantes honorem. Exuberant quoque simulacris, id est mundanis cogitationibus, inutilibus phantasiis, cogitantes de feminis et pecuniis, de fama gloriaque terrena. Quibus dicit Joannes : Custodite vos a simulacris (*I Joann.* V, 21.) ; et Dominus per Isaiam (*Is.* I, 16.) : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Horum Deus 2
confringet simulacra, et depopulabitur aras, quando ipsi cum vanitatibus et phantasmatibus suis condemnabuntur : quia nec opus nec ratio erunt apud inferos (*Eccle.* IX, 10.). Et in Job habetur (*Job* IV, 8, 9.) : Vidi impios Domino flan-

te periisse. De quibus cantatur in Psalmo :
Ps. I, 6. Iter impiorum peribit; et iterum, Quoniam
Ps. XXXVI, 2. tanquam fœnum velociter arescent. Hi fre-
quenter merentur bonis privari rectori-
bus, et tanquam oves errantes dimitti ;
3 tuncque dicere possunt : *Non est rex nobis.*
Sed quoniam inter perversos communiter
inveniuntur aliqui boni, qui propter pec-
cata sua vel cohabitantium sibi pensant id
factum, idcirco in horum persona subjun-
gitur : *Non enim timemus Dominum.* Ju-
sti quippe solent se impiis, cum quibus
sunt, et quorum peccata deplorant, con-
I *Esdr.* IX, 6 *et seq.*; numerari, quemadmodum Esdras et Da-
Dan. IX, 4 *et seq.* niel. Unde Esdras : Peccata, inquit, nostra
creverunt usque ad cœlos. *Et rex quid*
I *Esdr.* IX, 6. *faciet nobis?* id est, princeps seu pastor
nil proficit subditis, nisi Deus adsit per
Ps. CXXVI, 1. gratiam. Nisi enim Dominus ædificaverit
domum et custodierit civitatem, inaniter
laboratur.

4 *Loquimini verba visionis inutilis.* Hoc
derisorie dicitur contra somniatores et
somniorum observatores, qui suas imagi-
nationes vel diabolicas illusiones adver-
tunt, reputant et enarrant, quasi visiones
propheticas : quod in Levitico prohibetur,
Lev. XIX, 26. Non observabitis somnia ; et in Ecclesia-
Eccli. XXXIV, 2, 3. stico inducitur, Quasi qui apprehendit um-
bram et sequitur ventum, secundum hoc
visio somniorum. Rursusque ait Scriptu-
Ibid. 1. ra : Somnia extollunt imprudentes. *Ferie-*
tis fœdus cum mendacio. Hoc agunt frau-
dulenti, mendosi, simulatores, et callidi,
qui in sua vulpina calliditate atque palliata
confidunt astutia ; qui dicunt illud Isaiæ :
Is. XXVIII, 15. Posuimus mendacium spem nostram, et
mendacio protecti sumus. Istis *germinabit,*
seu orietur, *quasi amaritudo* amarissima
Job V, 13. damnationis *judicium,* quum Deus ap-
prehenderit astutos in astutia eorum, et
Ps. V, 7. perdere cœperit omnes qui loquuntur
mendacium. Feriamus igitur fœdus cum
veritate, immobiliter inhærentes testimo-
Joann. VIII, 32. niis Scripturarum, et veritas certissime li-
berabit nos.

5 *Vaccas Bethaven,* id est lascivias car-
nis, *coluerunt habitatores Samariæ,* id

A est hi qui se dicunt et simulant permane-
re in custodia præceptorum Christi : qua-
les sunt hypocritæ, clerici lubrici, et car-
nales religiosi. Samaria autem custoditio
interpretatur. *Quia luxit super eum po-*
pulus ejus. Hoc fit, dum boni subditi,
et vulgus indoctum, sed timoratum, su-
periorum suorum et clericorum ac reli-
giosorum turpiter conversantium peccata
deplangit. *Et æditui ejus super eum exsul-*
taverunt. Hoc plane contingit, dum summi
prælati ac sacerdotes, qui esse tenentur
B diligentissimi custodes Ecclesiæ, de præ-
dictorum lubrica conversatione lætantur,
gaudentes de hoc quod sibi parificantur
in vitiis carnis. *Siquidem et ipse* vitulus, 6
id est motus lascivus, *in Assur delatus*
est, id est ad diabolum dirigentem ad ma-
la : Assur enim interpretatur dirigens ;
munus regi ultori, id est principi tenebra-
rum, per quem divina justitia ulciscitur
hominum crimina, cui et impii dant se
ipsos et opera sua. Quocontra monet Apo-
stolus : Nolite locum dare diabolo. *Ephes.* IV, 27.

C *Confusio* operiet *Ephraim,* id est eos
qui temporalia thesaurizant. Dives enim *Job* XXVII,
quum obierit, nihil secum auferet; appre- 19, 20.
hendet eum quasi aqua inopia, ut dicitur
in Job. Ephraim autem interpretatur au-
gmentum. *Et confundetur Israel,* id est
quicumque fidelis, *in voluntate sua,* id
est, propriæ voluntatis affectiones, non
divina præcepta, sequendo, nec ejus inhæ-
rendo vestigiis qui ait : Descendi de cœlo, *Joann.* VI,
non ut faciam voluntatem meam, sed vo- 38.
luntatem ejus qui misit me. In quo in-
D obedientes, præsertim religiosi rebelles et
murmuratores notantur. Propter quod ad
Hebræos jubet Apostolus : Obedite præ- *Hebr.* XIII,
positis vestris, et subjacete illis. Porro, si 17.
nostra voluntas divina caritate formetur,
et præceptis dominicis subjiciatur ; tunc
opus bonum erit tanto amplius Deo gra-
tum ac meritorium, quanto vehementius
ex voluntate agentis procedit, quoniam
Deus magis pensat muneratque affectum
quam opus. Sed tunc voluntas hominis est
magis divina quam humana dicenda. Gran-

dis ergo perfectio est, voluntate tota ac A
prompta facere quod jubetur, suadetur,
aut postulatur.
7 *Transire fecit Samaria regem suum.*
Sic multi perversi merentur sibi auferri
prælatum seu principem bonum. Præterea
in die judicii dicturi sunt reprobi quod
8 subditur : *Dicent montibus, Operite nos ;*
et collibus, Cadite super nos. Tantus enim
erit horror illius judicii, ut sanctus Job
Job xiv, 13. dicat : Quis mihi tribuat ut in inferno
protegas me et abscondas me, donec per-
transeat furor tuus ? Hinc scriptum est in B
Apoc. vi, 15, 16. Apocalypsi : Reges terræ, principes et tri-
buni, divites et fortes, absconderunt se in
speluncis et petris montium, dicentes mon-
tibus et petris : Cadite super nos, et abs-
condite nos a facie sedentis super thro-
num, et ab ira Agni.
9 *Ex diebus Gabaa,* id est a tempore
elationis, *peccavit Israel,* id est fidelis in-
fideliter agens : nam ex superbia oriuntur
diversa peccata. Gabaa autem interpreta-
tur collis, quo nomine designatur elatio.
Tob. iv, 14. Hinc scriptum est in Tobia : Superbiam C
in animo tuo nunquam dominari permit-
10 tas. *Congregabuntur super eos populi,* id
est, contra impios Christianos convenient
alii ad debellandum eos, *quum corripien-*
tur propter duas iniquitates suas, id est
propter peccatum in Deum et in proxi-
mum. Interdum enim dat Deus impios
hostibus suis propter hæc duo peccata.
Peccatum vero in Deum est, quod fit con-
tra tria præcepta primæ tabulæ ; quod
autem fit contra præcepta secundæ tabu-
læ, est peccatum in proximum. D
11 *Ephraim vitula docta diligere trituram.*
Hoc competit his qui non emendantur fla-
Sap. v, 7. gellis, vel qui lassantur in via perditio-
nis et ambulant vias difficiles, jugumque
Matth. xi, 30. Christi suave ac leve abjiciunt, qui in con-
trectatione terrenarum rerum infatigabi-
liter occupantur : quod est, hujusmodi
homines vitulæ trituranti sunt similes, ut
patet ex proprietatibus vitulæ talis, in
præcedenti articulo positis. *Et ego trans-*
ivi super pulchritudinem colli ejus, id est,
talium colla humiliavi, et per pœnas mihi
subjeci. Propter quod in Isaia legitur : Pro Is. iii, 16, 17.
eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et am-
bulabant collo extento, nudabit Dominus
verticem filiarum Sion. Et in Ecclesiastico
Sapientia ait : Omnium excellentium et Eccli. xxiv, 11.
sublimium colla propria virtute calcavi.
Solet enim in colli erectione cordis super-
bia demonstrari atque rebellio, juxta illud
in Job : Cucurrit impius adversus Deum Job xv, 26.
erecto collo. *Ascendam super Ephraim,* id
est, debitas castigationes super prædictos
perversos inducam. *Arabit Judas :* id est,
verus confessor fidei et actu ecclesiasti-
cus, visa impiorum punitione, cor suum
ad meliora disponet, et ferro pœnitentiæ
ad gratiæ susceptionem pleniorem aperiet
atque aptabit : tunc enim lavat in sangui- Ps. lvii, 11.
ne peccatoris manus suas. Et in Prover-
biis habetur : Pestilente flagellato, stultus Prov. xix, 25.
sapientior erit. *Confringet sibi sulcos Ja-*
cob : id est, contra vitia luctans, eadem-
que supplantans, cordis sui a se remove-
bit duritiam, et franget se ipsum, petens
sibi dari cor carneum, sciens scriptum : Ezech. xi, 19.
Qui cordis est duri, incidet in mala. Hoc Prov. xxviii, 14.
nempe est quod docet Salvator : Qui vult
venire post me, abneget semetipsum. Sul- Luc. ix, 23.
ci autem animæ, sunt duri inordinatique
motus, et universa gratiæ impedimenta.
Hac quoque confractione præcipue egent,
qui ex naturali dispositione iracundi, su-
perbi, pertinaces, vel ad alia mala procli-
ves sunt.
Arastis impietatem, iniquitatem messu- 13
istis, comedistis frugem mendacii. Arat
impietatem, qui malum propositum con-
cipit, et ad peccandum animam suam dis-
ponit, quemadmodum in Proverbiis dici-
tur : Cor cogitans cogitationes pessimas. Prov. vi, 18.
Metit autem iniquitatem, qui procedit in
opus. Comedit vero frugem mendacii, qui
lætatur quum male fecerit, et in malitia Ibid. ii, 14.
gloriatur. Unde de impiis scriptum est in Ps. li, 3.
Proverbiis : Comedent igitur fructus suos, Prov. i, 31.
suisque consiliis saturabuntur. Comedunt
quoque frugem mendacii, qui debitis affi-
ciuntur et adimplentur tormentis, prout

Jer. XXIII, 15. apud Jeremiam Dominus protestatur : Ecce A
ego cibabo populum istum absinthio, et
potabo eos felle. Qui autem opus Dei reve-
renter delectabiliterque persolvit, comedit
frugem justitiæ, et cum Christo dicere po-
Joann. IV, 34. test illud Joannis : Meus cibus est, ut faci-
am voluntatem Patris mei qui in cœlis est.
Quia confisus es in viis tuis. Quidam
confidunt in viis propriæ pravitatis, de
Is. LIX, 4. quibus scriptum est in Isaia : Confidunt
in nihili, et loquuntur vanitates. Alii vero
Galat. VI, 3. confidunt in viis suæ justitiæ, putantes se
Apoc. III, 17. aliquid esse, et dicentes se divites, non B
attendentes imperfectiones ac negligentias
suas. *Et in multitudine fortium tuorum.*
Isti enim confidunt in fortibus actibus
suis, non sequentes vestigia ejus qui pro-
Ps. LXX, 16. fitetur : Domine, memorabor justitiæ tuæ
Is. LXIV, 6. solius ; et alterius, Omnes justitiæ nostræ
quasi pannus menstruatæ. Unde Job lo-
Job IX, 21. quitur : Etiam si justus fuero, hoc ipsum
14 ignorabit anima mea. *Consurget tumultus,*
id est inordinatio vitiorum, multiplexque
tentatio et afflictio, *in populo tuo ; et om-
nes munitiones tuæ vastabuntur,* id est, C
universa in quibus inaniter confidebant,
peribunt. Humiliemur ergo sub potenti *I Petr.* V, 6.
manu Dei ; nec arbitremur nos apprehen- *Philipp.* III, 13.
disse, sed quæ priora sunt obliviscen-
tes, in anteriora extendamur, proficiendo
quotidie in timore atque sollicita cordis *Mich.* VI, 8.
custodia. Quum enim consummaverit ho- *Eccli.* XVIII, 6.
mo, tunc incipiet. Et in solo Deo tota
mente sperantes, dicamus carmen illud
deificum, prorsusque dulcissimum : In Deo *Ps.* LXI, 8.
salutare meum et gloria mea ; Deus au-
xilii mei, et spes mea in Deo est.
Sic fecit vobis, o Christiani Christo in- 15
grati, *Bethel,* id est hi qui videntur aliis
in spiritualibus præsidere, sed pessimæ
conversationis exemplo inficiunt quos sal-
varent. Bethel autem interpretatur domus
Dei. Præsidentes vero in spiritualibus, ma-
xime esse videntur domus Dei. Et ne sub-
diti pereuntes, totam suam damnationem
et culpam in prælatos et clericos retor-
querent, adjectum est : *a facie malitiæ
nequitiarum vestrarum.* Interdum enim
merentur tales superiores habere, vel eo-
rum perversitati nimis faciliter se confor-
mant, paratiores sequi malos quam bonos.
Cetera patent ex præcedenti articulo.

ARTICULUS XXIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI UNDECIMI : SICUT MANE TRANSIT.

PRÆCEDENTI capitulo dixit Propheta,
Osee X, 7. Transire fecit Samaria regem suum D
quasi spumam super faciem aquæ. Hoc
idem nunc repetit sub alia similitudine,
nec est nugatio, quum non sit inutilis re-
1 petitio. *Sicut mane transit,* id est, quem-
admodum diluculum seu aurora cito fi-
nitur, sole in altum surgente, diemque
perfectum causante, *pertransit rex Israel :*
quod accipi potest de Osee ultimo rege
IV *Reg.* XVII, 4-6. Israel, qui nono imperii sui anno ab Assy-
riis captus atque occisus est ; vel indeter-
minate, ut sit sensus : Pertransit rex Israel,
id est, regnum decem tribuum destruetur,
ita quod ultra regem non habebit : quod
post hujus prophetiæ pronuntiationem sta-
tim impletum est.
*Quia puer Israel, et dilexi eum, et ex
Ægypto vocavi filium meum.* Loquitur
hic Propheta de toto duodecim tribuum
populo, quasi de uno supposito : nam et
plura sæpe singulariter designantur, ut
homines nomine plebis. Itaque ait : *Quia
puer Israel,* id est, populus Hebræorum
quasi puer fuit in Ægypto. Quod triplici-
ter accipi potest : primo, quoniam in Ægy-

pto natus, crevit, et multiplicatus est; secundo, quoniam quidam de populo isto habuerunt se in Ægypto stulte et pueriliter, idololatriæ aliisque vitiis insistendo; tertio, nam quidam eorum velut pueri ab innocentia et puritate vocati, Deo vero servierunt in Ægypto corde devoto, quemadmodum habetur in Malachia propheta de
Malach. II, 6. Levi patriarcha, quod multos avertit ab impietate, haud dubium quin in Ægypto. Alii quoque Patriarchæ filios suos in Dei obsequio instruxerunt. Unde de talibus
Exod. III, 9. Dominus loquitur Moysi in Exodo: Clamor filiorum Israel venit ad me. *Et dilexi eum,* id est, præ ceteris gentibus populum istum elegi, variisque beneficiis decoravi, et ad unius veri Dei cultum vo-
Deut. VII, 6. cavi. Propter quod Moyses ait: Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Et
Malach. I, 2. in Malachia habetur: Dilexi vos, dicit Dominus. Hinc quoque in Numeris Balaam
Num. XXIII, 21. fassus est: Dominus Deus cum illo est, et clangor victoriæ regis in illo est.

Et ex Ægypto vocavi, id est, per manum Moysis eduxi, *filium meum,* id est populum istum mihi filialiter prædilectum. Porro dilectio Dei ad creaturas, potius dicitur effectualis seu operosa, quam affectualis seu affectuosa. Propterea, quamvis amor Dei sit in se simplex et uniformis, magis tamen dicitur unum amare quam alium, secundum quod majus bonum vult, seu majora præstat beneficia uni quam alteri, secundum voluntatis suæ liberrimæ propositum æternale. De hoc filio Dei seu
Exod. IV, 22. populo Israel, Dominus ait in Exodo: Filius meus primogenitus Israel. Atque ad
Ibid. 23; V, 1. Pharaonem: Dixi (inquit) tibi, Dimitte filium meum, ut sacrificet mihi in deserto.
Jer. XXXI, 9. Et apud Jeremiam: Ephraim primogenitus meus.

Porro hæc verba, Ex Ægypto vocavi
Matth. II, 15. filium meum, allegat Matthæus prædicta atque impleta in Christo. Ex quo sequitur, quod verba hæc ad litteram sint de Christo prænuntiata: quia, ut asserit Augustinus, probatio per auctoritatem Scripturæ,

A non tenet nisi ex sensu litterali. Nunc autem dictum est, verba ista litteraliter intelligenda esse de populo Israel. Quomodo ergo concordanda sunt ista? Advertendum ergo, quia (ut refert hoc loco Hieronymus) Julianus Augustus et apostata, septimo libro contra Christianos, objecit Christianis hunc passum, dicens: Quod Propheta de Israele dixit, Matthæus evangelista ad Christum transtulit, ut simplicitati eorum qui ex gentibus crediderunt, illuderet. Huic venenosæ objectioni S. Hieronymus ele-
B ganter respondet his verbis: Matthæus evangelista primo scripsit Evangelium in Hebræo, quod non poterant legere, nisi qui fuerant ex Hebræis. Non ergo propterea ista allegavit, ut illuderet ethnicis. Si autem Hebræis illudere voluit, aut stultus fuit, aut imperitus: stultus, si apertum fecit mendacium; imperitus, si non intellexit de quo ista dicerentur. Stultitiam ipsum volumen evangelicum S. Matthæi excusat, quod prudenter ordinateque dispositum est. Imperitum quoque non pos-
C sumus dicere, quem ex aliis testimoniis Scripturarum ab ipso allegatarum, scientiam legis habuisse cognoscimus.

Est ergo dicendum, quod ea quæ de personis vel populo veteris Testamenti dicta sunt typice, hoc est figuraliter, in quantum erant figura Christi, in Christo vere litteraliterque impleta sunt. Et de illis scripta sunt, secundum quod erant figuræ Christi. Ideoque de Christo principaliter, imo et litteraliter intelliguntur, quum non sit inconveniens, secundum
D Augustinum, eamdem scripturam intellectum litteralem habere multiplicem. Unde secundum hunc modum, quod in libro Paralipomenon de Salomone conscriptum est, Ipse erit mihi in filium et ego ero illi I Par. XVII, 13.
in patrem, Apostolus ad Hebræos allegat Hebr. I, 5.
de Christo: quia hoc dixit Deus de Salomone, secundum quod erat typus Salvatoris, qui non solum per certas personas, sed et per ipsum populum veteris Testamenti sæpe significatur. Sic ergo Matthæus præinducta verba allegat pro testimonio

Christi, quia de populo Israel dicuntur, ut A
Exod. XII, 37 *et seq.* erat Christi figura, ita quod per eductio-
nem filiorum adoptivorum ex Ægypto,
præfigurabatur eductio filii naturalis ex
loco illo.
2 *Vocaverunt eos :* id est, Moyses et Aa-
Ibid. IV, 29, 30. ron collegerunt filios Israel in Ægypto,
prænuntiantes quod Deus educturus esset
eos de solo illo ; *sic abierunt a facie eo-
rum,* id est, eos non audierunt, sed terga
Ibid. V, 21. verterunt, dicentes : Judicet Dominus in-
ter nos et vos, quia fœtere fecistis odorem
nostrum coram Pharaone : ut patet in Exo- B
do. Vel sensus est, quod Prophetæ vocave-
runt filios Israel, hortando eos ad cultum
Dei, quibus non obedierunt, sicut subjun-
gitur. *Baalim immolabant, et simulacris,*
id est idolis vel sculptilibus, *sacrificabant,*
videlicet Astaroth, Moloch, sicut in libris
Regum ac Judicum plenius continetur.
3 *Et ego quasi nutricius Ephraim :* id
est, illis peccantibus ego clementissimus
Deus sicut pius fotor ac pater eram popu-
Ibid. XIII, 21; *Deut.* I, 33. lo Israel, præcedendo eos in eremo per
diem in columna nubis, ne solis urerentur C
fervore, et per noctem in columna ignis,
ne tenebris terrerentur, vel aberrarent ;
portavi eos in brachiis meis : id est, per
modum nutricis piissimæ dulciter eos tra-
ctavi, et per desertum deduxi, ita quod
brachia mea, id est misericordia et pote-
stas, aderant eis. Unde in Deuteronomio
Deut. I, 31. Moyses fatur : Portavit te Dominus Deus
tuus, sicut portare solet homo parvulum
Ibid. XXXII, 11. filium suum. Rursusque in Cantico : Ex-
pandit alas suas, et assumpsit eum, atque
portavit in humeris suis. *Et nescierunt,* id D
est, non adverterunt, *quod curarem eos,*
id est, a peccatis idololatriæ ceterisque
piaculis eos vellem sanare, quantum in
me erat, præstolando emendationem eo-
rum in solitudine et in terra Judææ. Unde
Is. XXX, 18. apud Isaiam scriptum est : Propterea ex-
spectat Dominus, ut misereatur vestri. Et
II *Petr.* III, 9. Petrus in secunda sua epistola : Patienter
agit Dominus, nolens aliquem perire, sed
omnes ad pœnitentiam reverti.
4 *In funiculis Adam traham eos,* id est,

per beneficia similia beneficiis Adæ col- *Gen.* I, 26 *et seq.*
latis alliciam, et dudum attraxi eos ad no-
minis mei notitiam, dilectionem, et cul-
tum. Vel eo amore, quo sanctum feci
Adam in paradiso, volui eos sanctificare.
Propter quod subditur : *in vinculis cari-
tatis,* id est effectibus dilectionis. Benefi-
cia nempe vocantur vincula atque funiculi
caritatis, quoniam colligant beneficiatum
benefacienti, seu rationalem creaturam Cre-
atori. Hinc per Jeremiam Dominus ait : In *Jer.* XXXI, 3.
caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te
miserans. Christus quoque apud Joannem :
Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus *Joann.* VI, 44.
traxerit eum. — Pro eo quod nostra trans-
latio habet, In funiculis Adam : Aqui-
la, Symmachus, Theodotion et Septuaginta
transtulerunt, Hominum, pro Adam, ita
quod alia translatio continet, In funiculis
hominum traham eos. Cujus diversitatis
ratio potest esse, quod Adam in Hebræo
est nomen commune et proprium. In quan-
tum vero est nomen commune, significat
hominem. Sed ut est nomen proprium, si-
gnificat protoplastum parentem. Ex quo
patet, quomodo intelligendum sit quod su-
per Matthæum dicit Hieronymus : Ubicum-
que (inquit) habemus, Fili hominis, in
Hebræo habetur, Fili Adam. — Est itaque
sensus hujus translationis, imo et primæ,
secundum Hieronymum : In funiculis ho-
minum, etc., id est, propter vincula cari-
tatis quibus adstrinxi mihi Abraham, Isaac
et Jacob, etiam istos mihi colligavi vel
colligabo, puta electos ex Israel ; vel se-
cundum Glossam, ea caritate qua mihi
Patriarchas præfatos adstrinxi, conjungam
mihi et istos. Unde in Deuteronomio Moy-
ses : Patribus, ait, tuis conglutinatus est *Deut.* X, 15.
Dominus, et dilexit semen eorum post eos.
In Jeremia quoque asserit Dominus : Sicut *Jer.* XIII, 11.
adhæret lumbare ad lumbos viri, sic ag-
glutinavi mihi domum Israel, ut esset mi-
hi in populum, et nomen, et laudem, et
gloriam.

*Et ero eis quasi exaltans jugum super
maxillas eorum.* Hoc, ut breviter tangit
Hieronymus, exponitur dupliciter : Primo

sic : Ego Deus ero quasi exaltans, id est A extollens seu sublevans, jugum super maxillas eorum, id est jugum ceterarum nationum eis superinductum, ut ab onere nationum liberati, mihi libere famulentur. Hoc fecit Deus frequenter tempore Judicum; et item post tempus hujus prophetiæ tribui Juda ac Benjamin, ut scribitur in libris Esther, Judith et Machabæorum. Secundo exponitur sic : Ero quasi exaltans, etc., id est, jugum legis gravissimum duræ cervici eorum imposui, ne idolorum insisterent laudibus. Hinc per Isaiam ait
Is. XLVIII, 9. Dominus : Infrenabo os tuum laude mea. *Et declinavi ad eum ut vesceretur,* id est, populo huic condescendi, et manna eis
Exod. XVI, 15, 35. transmisi, ut manducaret in eremo annis quadraginta.

5 *Non revertetur in terram Ægypti.* Septuaginta transtulerunt : Habitabit Ephraim in Ægypto. Sed redit in idem, quoniam sensus est, quod decem tribus, instante Assyriorum adventu, optabant in Ægyptum fugere ac reverti, sed non potuerunt. *Et Assur ipse rex ejus,* id est, Salmanasar rex
IV *Reg.* XVII, 3-6. Assyriorum, suæ ditioni subjiciet eos invitos, et servient ei violentia pressi : quod ideo meruerunt, *quoniam noluerunt converti* ad Deum, pœnitentiam peragendo de idololatriis ac reliquis culpis.

6 *Cœpit gladius in civitatibus ejus,* id est, gladius Assyriorum cœpit occidere in urbibus decem tribuum, *et consumet electos ejus,* id est, pulchras ac elegantes populi hujus personas necabit, *et comedet capita eorum,* id est, principales in decem tribubus, scilicet sacerdotes, divites ac nobiles, devorabit, esse vitale tollendo. Propheta in isto capitulo frequenter ponit differentiam unius temporis pro alio, more prophetico, sicut in Psalmo quo decanta-
Ps. XXI, 32. mus : Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Verumtamen quando Osee hæc di-
IV *Reg.* XV, 20, 29; XVII, 3-6. xit, cœpit gladius hostium debacchari in urbibus Israel, ut patet ex quarto Regum. Sed post introducta est finalis atque tota-
lis captivitas. *Et populus meus* Israel du- 7
ctus in captivitatem, scilicet decem tribus : quæ solo nomine erant populus Dei, vel jure conditionis, aut propter patres, vel quia specialiter a Deo vocati; *pendebit ad reditum meum,* id est, consolationem seu liberationem exspectabit a me, sero infructuoseque pœnitens. Vel, Pendebit ad reditum meum, id est, suspensus erit, confusus ac miser, quousque ad eum revertar per exhibitionem beneficiorum meorum. *Jugum autem imponetur eis simul,* id est, B populo decem tribuum non occiso, sed translato, imponet rex Assyriorum onus duræ servitutis, *quod non auferetur* a populo decem tribuum. Nam ista eorum captivitas usque ad finem mundi protrahitur.

Deinde loquitur Dominus, vel quasi compatiendo perituris, sicut pius pater, vel quasi comminando iniquis, sicut justus
judex. *Quomodo dabo te, Ephraim?* id est, 8
quasi condoleo tibi, popule decem tribuum, quia traditurus sum te hostibus, vel C dure ac terribiliter tradam te illis; *protegam te, Israel?* id est, qua justitia potero te ab hostibus defensare? tanquam dicat : Non hoc meruisti. *Quomodo dabo te?* Quærit Deus ut terreat, et terrendo ad pœnitentiam excitet interrogatos. Et respondet : *Sicut Adama ponam te,* et item *ut Seboim :* id est, subverti meruistis, o filii Israel, funditusque subverti, et in favillam ac cinerem redigi, sicut subversæ sunt igne et sulfure Adama et Seboim : quæ *Gen.* XIX, 24.25; *Deut.* XXIX, 23. erant duæ urbes Pentapolis, seu quinque D civitatum subversarum propter peccatum contra naturam. Quinque autem civitatum istarum hæc nomina sunt, Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, Segor. Porro hæc verba, Sicut Adama ponam te, Dominus profert non asserendo, sed quid isti meruerint insinuando, vel per respectum ad causas particulares, puta ad merita hominum. Subditur enim :

Conversum est in me cor meum, id est, a rigore justitiæ ad suavitatem clementiæ me converti, non per aliquam mutationem

in me factam, sed per comparationem ad
opus sive effectum. Pro qua conversione
Ps. vi, 5. orat Psalmista : Convertere, Domine, et
eripe animam meam. Hoc enim modo di-
citur immutabilis Deus mutari a severita-
te justitiæ ad lenitatem misericordiæ, et
Job xxx, 21. econtra. Unde Job ait : Conversus es mi-
hi in crudelem. Et in Zacharia Dominus
Zach. viii, 14, 15. protestatur : Sicut cogitavi ut affligerem
vos, quum ad iracundiam me provocassent
patres vestri, sic conversus diebus istis
cogitavi ut benefacerem domui Juda. *Con-
turbata est pœnitudo mea,* id est, viscera
misericordiæ meæ, quibus sæpe dico me
pœnitere de hominum damnatione, super
te clementer commota sunt, ita quod tibi
misereri decrevi. Loquitur autem Deus
affectu humano : non quod in ipso sit ve-
raciter pœnitudo, secundum quod scriptum
I *Reg.* xv, 29. est in libro Regum, Porro Triumphator in
Israel non parcet et pœnitudine non fle-
ctetur; sed per modum pœnitentis se ha-
bet, dum a cœpto opere vel facta commi-
natione desistit. Unde præinducto Regum
Ibid. 11. capitulo dicit : Pœnitet me quod consti-
tuerim Saul regem; in Genesi quoque,
Gen. vi, 7. Pœnitet me fecisse hominem.

9 *Non faciam furorem iræ meæ,* id est,
magnitudinem rigoris ac zeli justitiæ meæ
non ad effectum perducam in populo isto;
non convertar, id est, a proposito mise-
rendi non variabor, *ut disperdam Ephra-
im,* id est, decem tribus totaliter ac irre-
parabiliter destruam, sicut destruxi urbes
præfatas. Scit itaque Dominus revocare ac
moderari sententiam, si tu noveris corri-
gere vitam : imo interdum ex sola sua
benignitate hoc facit. Propter quod apud
Jer. xviii, 7, 8. Jeremiam profitetur : Repente loquar ad-
versus gentem et regnum, ut eradicem et
destruam illud. Si pœnitentiam egerit gens
illa, agam et ego pœnitentiam super malo
quod cogitavi ut facerem illis.

Denique pandit causam cur tam pie
acturus sit : *quoniam Deus ego,* propter
quod proprium est mihi, misereri et par-
cere, seu citra condignum punire, *et non
homo,* ideo punio ad emendationem, quan-
A tum in me est, non ad interitum. Homo
autem punit ut perdat. Vel ideo dicit hoc,
quoniam judex seu ultor frequenter exce-
dit in ulciscendo propter impetum passio-
num, sicque iram ac furorem suum adim-
plet. Deus vero quum sit simplicissima
quædam essentia, passiones ignorat, sed
cum tranquillitate omnia agit, juxta illud
Sapientiæ : Tu autem, dominator Domine, *Sap.* xii, 18.
cum tranquillitate judicas, et cum magna
reverentia disponis nos. *In medio tui san-
ctus,* id est, tibi cohabitare et auxiliari,
B teque sanctificare paratus, quantum in me
est. Proprie tamen et actualiter non dici-
tur Deus esse, nisi inter bonos, in quorum
cordibus per gratiam habitat, quales uti-
que quidam ex decem tribubus erant. *Et
non ingrediar civitatem.* Verba hæc multi-
pliciter exponuntur. Primo sic : Non ingre-
diar civitatem eo modo quo judex com-
motus, id est, non veniam ad te ut te
judicialiter penitus destruam. Vel : Non
ingrediar civitatem reproborum eo modo
quo in medio tui sum. Vel : Non ingrediar
C in civitatem unam dumtaxat, id est, non
in una tantum urbe ponam cultum meum,
sed ubique terrarum hunc dilatabo, et of- *Malach.* i, 11.
feretur mihi in omni natione oblatio mun-
da. Judæi pro suo errore exponunt hoc
modo : Non ingrediar, etc., id est, populum
istum Israel non sic deseram, ut ad natio-
nes me transferam.

Post Dominum ambulabunt : id est, qui 10
ex populo Israel fuerint salvati, Deo fide
et caritate cohærebunt, juxta illud in Psal-
mo : Adhæsit anima mea post te, hoc est, *Ps.* lxii, 9.
D opera talia exercebunt, per quæ Deo feli-
citer uniantur. *Quasi leo rugiet :* id est,
ipse Deus omnipotens efficaciter terribili-
terque loquetur, et omnes suos adversarios
perterrebit, quemadmodum leo suo rugitu
animalia stupida facit et fixa. Hoc idem
habetur apud Joelem et Amos. Præterea, *Joel* iii, 16; *Amos* i, 2; iii, 8.
secundum Hieronymum, Judæi hæc refe-
runt ad tempus Messiæ, quem præstolantur
venturum. Sed quæ exspectant implenda,
sunt dudum impleta. Christus enim, quem
scimus venisse, rugiit sicut leo, de quo in

Apoc. v, 5. Apocalypsi dicitur : Vicit leo de tribu Juda. A
Rugiit autem clamore terribilis commina-
Luc. xiii, 3, 5. tionis, dicendo : Nisi pœnitentiam egeri-
tis, omnes similiter peribitis ; et iterum,
Matth. xxv, 46. Ibunt hi in supplicium æternum ; et, Arcta
Ibid. vii, 14. est via quæ ducit ad vitam ; et, Multi vo-
Ibid. xx, 16. cati, pauci vero electi. Et alia multa terri-
Ibid. vii, 29. bilia loquitur in Evangelio. Eratque do-
cens, sicut potestatem habens, non sicut
Ibid. viii, 16. Scribæ et Pharisæi. Ejecit insuper spiritus
verbo. *Et formidabunt filii maris :* id est,
habitantes in insulis, audita ab Apostolis
prædicatione Evangelii Christi, timebunt B
casto timore, et convertentur ad fidem.
Is. xlii, 12. Unde ab Isaia prædictum est : Ponent Do-
mino gloriam, et laudem ejus in insulis
nuntiabunt. Vel, filii maris dicuntur ho-
mines hujus sæculi, qui mare procellosum
vocantur, et sagena prædicationis capti
adunatique sunt : quorum multi ab ipso
sunt Christo docti atque conversi.

11 *Et avolabunt quasi avis ex Ægypto,* id
est, cito convertentur ad Christum Ægy-
ptii, vel in Ægypto morantes. Quod per
prædicationem Simonis ac Judæ constat C
impletum, quemadmodum Isaias prædixit :
Ibid. xix, 21. Cognoscetur Dominus ab Ægypto, et co-
gnoscent Ægyptii Dominum, et colent eum
in hostiis et muneribus. *Et quasi columba
de terra Assyriorum,* id est, in regione
Assyriorum manentes, festinanter ad Chri-
stum confugient. In his siquidem terris
olim præcipue viguit christiana religio. *Et
collocabo eos in domibus suis,* id est, nunc
in Ecclesiis, deinde in cœlestibus mansio-
nibus. Hoc est quod in Evangelio dicit
Matth. viii, 11. Salvator : Multi ab oriente et occidente D
venient, et recumbent cum Abraham, Isaac
et Jacob in regno cœlorum. Et denuo :
Ibid. xxiv, 14. Prædicabitur, inquit, Evangelium hoc in
universo mundo. De hoc sæpissime loqui-
Is. xlix, 12. tur Isaias, sicut quum ait : Ecce isti de
longe venient, et ecce illi ab aquilone et
mari, et isti de terra australi.

Consequenter Dominus ingratitudinem
et peccata regni decem tribuum repetit.
12 *Circumdedit me,* id est, undique inhono-
ravit atque offendit, *in negotiatione,* meum
honorem et nomen idolis adscribendo,
Ephraim, id est Jeroboam primus rex de- III Reg. xi, 26 ; xii, 20.
cem tribuum Ephratæus. Nam vitulis au-
reis factis, dixit : Isti sunt dii tui, Israel, Ibid. xii, 28.
qui te eduxerunt de terra Ægypti. Circum-
dedit quoque me *et in dolo domus Israel,* id
est in fraude qua decem tribus decepit,
eas ad idololatriam inducendo. Dicitur au-
tem Deus infinitus circumdari, non quod
circumscribatur vel limitetur, sed quo-
niam ex omni parte ad eum acceditur, vel
contra eum proceditur. Unde habetur in
Psalmo : Synagoga populorum circumda- Ps. vii, 8.
bit te.

Judas autem, id est populus tribus Juda
et Benjamin, *testis* fidelis, id est, bene vi-
vendo, mihi et legi testimonium veritatis
perhibuit verbo et opere, testificans me
esse Deum verum, et vera esse quæ in
lege scribuntur, *descendit cum Deo,* id est,
Domino Deo adhærendo, humiliavit se,
subjiciens se legis imperio, *et cum sanctis
fidelibus,* id est Prophetis ac Patriarchis :
cum quibus descendit, per hoc quod eo-
rum vestigia imitans, in valle humilitatis
processit. Quum enim decem tribus a do-
mo David se segregassent, et idola colere
ordirentur, duæ tribus cum tribu Levitica
in cultu Dei permanserunt etiam diu,
quamvis interdum ad tempus idolis deser-
virent.

Postremo, quidam Hebræorum, refe-
rente Hieronymo, exponunt hæc sic, quod
quum Moyses cum duodecim tribubus ad
Rubrum mare venisset, et filii Israel Ægy- Exod. xiv, 9 et seq.
ptios supra se venire vidissent, aliis inter
eos desperantibus, aliis in Ægyptum redi-
re optantibus, et omnibus istis contra Deum
infideliter mendaciterque agentibus, tribus
Juda fideliter stetit, et Moysen primo se-
cuta est, ingrediendo post eum mare Ru-
brum. Propter quod meruit principatum
et regiam dignitatem : sicque *descendit
cum Deo* in mare Rubrum, *et cum sanctis
fidelibus,* id est Moyse et Aaron ducibus
populi. Hoc dictum vocat Hieronymus fa-
bulam : multi tamen doctores catholici
opinantur hoc verum.

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI UNDECIMI TROPOLOGICA.

1 SICUT *mane transit, pertransit rex Israel.* Rex Israel, id est princeps populi christiani seu militantis Ecclesiæ, est Christus, cui sacrilegi acclamabant Judæi : Si (Matth. xxvii, 42.) rex Israel est, descendat nunc de cruce. Cui et boni Judæi in die Palmarum cantabant : Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. (Ibid. xxi, 9.) Rex iste cito pertransiit in hoc mundo, quia Judæi, quibus missus fuerat, statim abjecerunt eum extra vineam, (Ibid. 39.) et in juventute ejus occiderunt eum, dicentes : Hic est heres, venite, occidamus eum, et nostra erit hereditas. (Ibid. 38.) Hic fuit puer Dei Patris, de quo dixit primitiva Ecclesia, Convenerunt adversus sanctum puerum tuum Jesum in civitate hac : (Act. iv, 27.) ipse enim est naturalis et unicus puer seu Filius Patris æterni. De quo scriptum est : Ecce puer meus, quem elegi ; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. (Is. xlii, 1; Matth. xii, 18.) *Et dilexi eum.* Hunc enim puerum, secundum quod Deus est, diligit Pater amore prorsus immenso, et tantum sicut se ipsum. Porro secundum naturam ejus assumptam diligit eum plus quam totum universum. Unde in baptismo et transfiguratione pueri hujus locutus est : Hic est Filius meus dilectus. (Matth. iii, 17; xvii, 5.) *Et ex Ægypto vocavi filium meum,* Herode defuncto; (Ibid. ii, 15.) spiritualiter vero, post passionem, quando ex mundo isto per Ægyptum significato, transtulit eum et ad dexteram suæ majestatis constituit. (Marc. xvi, 19.) Præterea Regem istum, qui per fidem et gratiam corda nostra inhabitat, (Ephes. iii, 17.) quidam negligentes, carnales seu impii cito a se transire, id est recedere faciunt, dando locum diabolo. (Ibid. iv, 27.) De talibus enim ait in libro Geneseos : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. (Gen. vi, 3.) In libro Job quoque : Dixerunt Deo, Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. (Job xxi, 14.) Qui enim in caritate et gratia est, nisi omni custodia cor suum custodierit, (Prov. iv, 23.) atque instanter in Dei timore se conservaverit, facile perdit quod habuit, domusque ejus subvertitur. (Eccli. xxvii, 4.) Oportet ergo sollicite ambulare coram Deo sancto ac metuendo. (Mich. vi, 8.) Præterea rex noster dici potest intellectus seu ratio, quæ in regno animæ ceteris viribus dominatur: quem a se transire faciunt, qui passionibus et peccatis non efficaciter reluctantur, quorum omnis sapientia devoratur. (Ps. cvi, 27.) Quocontra hortatur Psalmista : Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. (Ps. xxxi, 9.)

Quia puer Israel. Hoc de Ecclesia seu quolibet vero Christiano accipi potest, qui per puritatem et innocentiam puer, per contemplationem vero divinorum, Israel appellatur. Talibus enim ait Salvator : Pueri, numquid pulmentarium habetis? (Joann. xxi, 5.) De quibus ait per Isaiam : Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus. (Is. viii, 18.) Hos diligit Deus, quemadmodum apud Joannem legitur : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. (Joann. iii, 16.) Et Paulus : Propter nimiam, ait, caritatem qua dilexit nos Pater, Filium suum misit, etc. (Ephes. ii, 4; Galat. iv, 4.) *Et ex Ægypto,* id est sæculari et tenebrosa conversatione, *vocavi* per inspirationem internam, vel prædicationem quoque exteriorem, *filium meum,* id est quemcumque fidelem et Christianum. Unde dicit Apostolus : Eripuit nos de præsenti sæculo nequam, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. (Coloss. i, 13; Galat. i, 4.)

2 *Vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum.* Hoc de incorrigibilibus et superbis accipiendum est : quos per prælatos atque

vicarios suos Christus vocat ad pœnitenti- A
am, sed contemnunt. *Baalim immolabant,*
et simulacris sacrificabant. Hoc spiritua-
Philipp. III, 19. liter agunt, quorum deus venter est, ve-
nus, vel aurum, aut propriæ adinventionis
perfidum dogma; qui amplius amant, co-
Rom. I, 25. lunt, et cogitant creaturas quam Creato-
rem, qui est super omnia Deus sublimis
et benedictus.
3 *Et ego quasi nutricius Ephraim,* id est
populi crescentis in bono. Christus nem-
Joann. VI, 56. pe est noster nutricius, qui ait : Caro mea
vere est cibus, et sanguis meus vere est B
potus. Nutrit enim nos pane sacramenta-
Ps. LXXIX, 6. li, pane lacrimarum, pane consolationis
Eccli. XV, 3. internæ, pane vitæ et intellectus, gratiæ
bonæque actionis. Unde in Evangelio lo-
Matth. XI, 28. quitur : Venite ad me, omnes qui labora-
tis, et onerati estis, et ego reficiam vos.
Portavi eos in brachiis meis. In brachiis
suis portavit nos Filius Dei ad Patrem,
Joann. XIX, 17. quando bajulans sibi crucem exivit, atque
in crucis ligno brachia sua sancta pro no-
stra redemptione extendit. Eos quoque
portat Christus quotidie in brachiis suis, C
quos jugiter tam dulciter tractat, consola-
tur, præservat, ita ut cum multa alacritate
et sine gravi impugnatione omne opus Dei
Ps. CXVIII, 32. perficiant, viam mandatorum dilatato cor-
de potius currant quam ambulent : quibus
utique magna necessaria est cautela, ut
vera circumspectione ac humilitate ornen-
tur, Deoque grati consistant, nec alios
aspernentur. Aliter diceret Christus de eis
quod subditur : *et nescierunt quod cura-*
rem eos.
4 *In funiculis Adam traham eos, in vin-* D
culis caritatis. Sic plane trahit nos Chri-
stus, dans nobis ineffabilia beneficia suæ
caritatis indicia. Dat enim nobis se ipsum
Joann. VI, 55. in cibum et potum, tribuit sacramenta, et
ad originalis justitiæ conformitatem redu-
cit nos in Baptismo et Pœnitentiæ sacra-
Ibid. XII, 32. mento. Hinc apud Joannem loquitur : Ego
si exaltatus fuero, omnia traham ad me
Galat. II, 20. ipsum. Et Paulus : In fide, inquit, vivo
Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semet-
ipsum pro me. Hoc tractu piissimo indiget

pigritia atque infirmitas nostra, qui sine
gratia semper inhæremus terrenis ac vili-
bus rebus. Propter quod Sponsa precatur
in Canticis : Trahe me post te. *Et ero eis* *Cant.* I, 3.
quasi exaltans jugum, etc. Hoc est quod
asserit Paulus : Fidelis Deus, qui non pa- I *Cor.* X, 13.
tietur vos tentari supra id quod potestis.
Declinavi ad eum, id est, de cœlo ad ter-
ram descendi ad populum istum per in-
carnationis mysterium, *ut vesceretur* pane *Matth.* VI, 11.
supersubstantiali ac sacramentali, ut di-
ctum est. A summo enim cœlo egressio *Ps.* XVIII, 7.
ejus. Et ipse ait in Joanne : Ego sum panis *Joann.* VI, 41, 51, 59, 55.
vivus, qui de cœlo descendi ; qui manducat
hunc panem, habet vitam æternam. En
quanta dilectio, liberalitas atque dignatio!
Non revertetur in terram Ægypti, id 5
est, plebs vere christiana ad conversatio-
nem non revertetur mundanam. Quod si
fecerit, tunc *Assur,* id est diabolus, erit
rex ejus, qui est rex filiorum superbiæ. *Job* XLI, 25.
Cœpit gladius ejus, id est tentatio diaboli, 6
prævalere, *in civitatibus ejus,* id est con-
gregationibus Christianorum rebellium, qui
a propriis concupiscentiis superantur ; *et*
consumet electos ejus, et comedet capita
eorum : id est, eminentes ac superiores
populi hujus ad nihilum redigit dæmon,
pertrahens omnes simul in damnationem
æternam. *Et populus meus pendebit ad re-* 7
ditum meum : quia dum Christi gratiosam
præsentiam piumque juvamen amittimus,
nil boni valemus, quousque nos visitet et
confortet. Idcirco ferventi semper dicamus
affectu : Convertere, Domine, usquequo, et *Ps.* LXXXIX, 13.
deprecabilis esto super servos tuos. Et
interim renuat consolari anima nostra, su- *Ps.* LXXVI, 3.
spirans ad reditum Sponsi. *Jugum autem*
imponetur eis simul, quod non auferetur :
quia perversi nunc subduntur jugo laque-
isque diaboli, cum quo postea in inferno
æternaliter cruciabuntur.
Quomodo dabo te, Ephraim? Hoc dicit 8
Dominus comminando impiis Christianis,
quibus melius esset viam justitiæ ignoras- II *Petr.* II, 21.
se, quam agnitam abjecisse. Unde meren-
tur subverti, sicut Pentapolis. Sed Deus *Ibid.* 6 ; *Gen.* XIX, 25.
frequenter miseretur eorum, sicut subjun-

gitur. *Conversum est in me cor meum.*
Tempore enim evangelicæ legis, gratia et
misericordia Dei præcipue abundavit. Pro-
Tit. III, 4. pter quod dicit Apostolus ad Titum : Ap-
paruit benignitas et humanitas Salvatoris
9 nostri Dei. *In medio tui sanctus.* Christus
enim in medio est suorum, quemadmodum
Matth. XVIII, 20. ait apud Matthæum : Ubi sunt duo vel tres
congregati in nomine meo, ibi sum in me-
dio eorum. *Et non ingrediar civitatem,* id
est ecclesiam impiorum, juxta illud in
Ps. XXV, 5. Psalmo : Odivi ecclesiam malignantium, et
cum impiis non sedebo.
10 *Post Dominum ambulabunt,* id est, Chri-
sti vestigia assequentur veraciter christi-
Joann. XIII, 16. ani, scientes quod non sit servus major
Ibid. XIV, 6. domino suo. Nemo enim venit ad Patrem,
nisi per Christum. Ideo dicit in prima sua
I Joann. II, 6. epistola Joannes : Qui dicit se in Christo
manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse
I Petr. II, 21. ambulare. Petrus quoque : Christus, in-
quit, passus est pro nobis, vobis relin-
quens exemplum, ut sequamini vestigia
ejus. *Quasi leo rugiet* Christus, præsertim
Matth. XXV, 41. in die judicii, dicens : Ite, maledicti, in
ignem æternum. Tunc enim juxta Isaiæ
Is. LXVI, 15, juxta LXX. sermonem, Dominus ut ignis veniet, et ut
tempestas currus ejus. Nunc etiam rugit
per ora efficacium prædicatorum atque do-
Luc. XXI, 15. ctorum, quibus ipse dat os et sapientiam.
Et formidabunt filii maris : id est, homi-
nes sæculares audita prædicatione hujus-
modi, metuent divinam justitiam, futurum
11 judicium, pœnas æternas. *Et avolabunt,* id
est, a pristina conversatione cito recedent,
quasi avis, avium agilitatem sequendo per
contemplationem cœlestium et supergres-
Ps. IV, 3. sionem terrenorum, ne eis dicatur, Filii
hominum, usquequo gravi corde? sed et
Is. XL, 31. illud Isaiæ eis conveniat : Qui sperant in
Domino, mutabunt fortitudinem, assument
pennas ut aquilæ, volabunt et non defi-
cient ; *ex Ægypto,* id est tenebrosis operi-
I Joann. V, 19. bus mundi hujus positi in maligno, ubi
est civitas illa magna, quæ spiritualiter
Apoc. XI, 8. dicitur Sodoma et Ægyptus, ut dicitur in
Apocalypsi. De qua civitate accipitur quod
vers. 9. jam dixit, Non ingrediar civitatem. *Et*

A *quasi columba,* imitando simplicitatem et
innocentiam columbinam, avolabunt *de*
terra Assyriorum, id est de proprio cor-
pore, per recessum videlicet ab operibus
carnis, ut vivant in spiritu. Nempe qui in Rom. VIII, 8.
carne sunt, Deo placere non possunt, ut
dicitur ad Romanos. Et si secundum car- Ibid. 13.
nem vixerimus, moriemur ; si autem spi-
ritu facta carnis mortificaverimus, vi-
vemus. *Et collocabo eos,* per fidem et
caritatem observantiamque præceptorum,
in domibus suis, id est Ecclesiis, vel in
B devotis congregationibus atque cœnobiis.
Ista enim præsertim conveniunt his qui
mundanam conversationem penitus dete-
stantes, ad claustra confugiunt.
*Circumdedit me in negotiatione** *Ephra-* 12
im, id est prælati temporalia cupide con- * alias *negatione*
gregantes, qui dicunt se nosse Deum, factis Tit. I, 16.
autem negant, et negatione boni ac men-
daciis Dominum undique inhonorant. Cir-
cumdant etiam isti Christum *et in dolo*
domus Israel, id est fraude qua fallunt,
subvertunt, scandalizant Ecclesiam, erran- II Tim. III, 13.
C tes et in errorem mittentes. Unde monet
Apostolus : Videte ne quis vos decipiat Coloss. II, 8.
per inanem fallaciam ; et iterum, Ne quis II Thess. II, 3.
vos seducat ullo modo.
Judas autem, id est populus fide et ac-
tu ecclesiasticus, corde vero et opere con-
fitens Domino, *testis* veritatis. De talibus
enim ait Deus per Isaiam : Vere vos testes Is. XLIV, 8.
mei. Et Christus in Actibus : Eritis mihi Act. I, 8.
testes in omni Judæa et Samaria. *Descen-*
dit, humiliando se ipsum, ponensque in Thren. III, 29.
pulvere os suum, si forte sit spes, ut scri-
D ptum est. Descendit ergo a tumore super-
biæ *cum Deo,* id est secundum voluntatem
atque imperium Dei, qui per Petrum lo-
cutus est : Humiliamini sub potenti manu I Petr. V, 6.
Dei. Descendit ergo cum Christo, discens
ab eo quia mitis est et humilis corde : qui Matth. XI, 29.
non venit ministrari, sed ministrare, et Ibid. XX, 28.
Patri obedire usque ad mortem. *Et cum* Philipp. II, 8.
sanctis fidelibus, id est Apostolis ac apo-
stolicis viris, illorum humilitatem sectan-
do, dum alii fraude ac negatione Deum
circumdant. Tales sunt, qui aliorum ma-

lis exemplis aut suggestionibus dolosis A
non corrumpuntur, quemadmodum docet
Ephes. v, 7. Apostolus : Nolite fieri participes eorum;
rursusque : Observetis eos qui offendi- Rom. xvi,
cula et scandala concitant, et declinate 17.
ab eis.

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : EPHRAIM PASCIT VENTUM.

FREQUENTER sanctus Osee eumdem B
repetit sensum, sub alia forma verbo-
I Tim. v, 20. rum, et aliqua adjiciendo. Peccantes enim
multipliciter arguendi instruendique sunt.
Quod ergo superius dixit, regnum decem
Osee II, 5. tribuum vanitatibus suis insistere, et ab
hominibus magis quam a Deo postulare
1 auxilium, nunc resumit. *Ephraim,* id est
rex et populus decem tribuum, *pascit ven-
tum,* id est, vanam spem suam fovet, in
Assyriis confidendo, et se ipsum fallit spe
ventosa, in hominibus frustra sperando.
Vel, Pascit ventum, id est, superbos et C
vanos similes vento Assyrios alit, solvendo
IV Reg. xv, eis annuatim magnum tributum, ut patet
19, 20; xvii, 3. quarto Regum de Manahem et Osee re-
gibus Israel. *Et sequitur æstum,* id est,
Ægyptiorum auxilio innititur : a quibus
Ibid. xvii, 4. tempore Osee regis postulavit auxilium
contra regem Assyriorum. Ægyptus autem
per æstum significatur, quoniam regio illa
est in parte magis calida quam Judæa aut
Samaria. Est enim respectu Terræ sanctæ
in parte australi, ut fertur. Glossa vero
exponit sic : Sequitur æstum, id est, it ad D
plagam meridianam : fluctuabat enim in-
ter duos populos.

Tota die, id est jugiter, omni tempore
de quo nunc sermo, singulis diebus ac
noctibus, *mendacium et vastitatem multi-
plicat,* id est, verbo et actu mentitur, idola
venerando, et opprimi vastarique mere-
tur, Deum magis ac magis offendendo.
Multiplicat igitur vastitatem, id est, causam
suæ captivitatis adauget incessanter, pec-
cando, vel a Pharaone subsidium implo-
rando. Quo cognito, rex Assyriorum venit IV Reg. xvii,
atque destruxit regnum decem tribuum. 4-6.
Et fœdus cum Assyriis iniit, id est pacis
et amicitiæ pactum, tempore Manahem, qui
dedit regi Assyriorum multa munera, ut Ibid. xv, 19.
regnum suum firmaret; *et oleum in Ægy-
ptum ferebat,* id est, Pharaoni inter alia
dona oleum (cujus Samaria fertilissima est,
secundum Hieronymum, et quale in Ægy-
pto non invenitur, secundum Glossam) de-
stinavit et ferri fecit. Hoc fuit tempore
Osee regis, qui cupiens a rege Assyriorum Ibid. xvii, 4.
et tributo quod ei solvebat, liberari, misit
munera regi Ægypti, ut eum a jugo Assy-
riorum erueret.

Judicium ergo Domini cum Juda, et 2
visitatio super Jacob. Hoc dupliciter ex-
planatur. Primo sic : *Judicium ergo Do-
mini,* id est, quoniam decem tribus tot
operatæ sunt mala, idcirco judicium re-
probationis et pœnæ seu justa punitio Dei
est *cum Juda,* id est pro populo regni
Juda contra decem tribus : quoniam una
causa captivitatis decem tribuum fertur
fuisse, quod toties persecutæ sunt regnum
Juda, ut patet in libris Regum tertio et III Reg.
quarto. Sicque Deus vindicavit persecuti- xv, 6, 16; IV Reg. xiv, 11-
onem Juda illatam in regno Ephraim. *Et* 14; xvi, 5
visitatio ultionis venit *super Jacob,* id est
regnum Israel seu decem tribuum. Secun-
do sic : Judicium ergo Domini cum Juda,
id est, quoniam regnum Juda non pœni-
tuit decem tribubus captis, idcirco post
illarum vastitatem judicium Domini est
cum populo duarum tribuum, ut judicet
ac puniat eas per Chaldæos; et visitatio,

id est flagellatio, irruit super Jacob, id est
prædictum populum Juda ac Benjamin ex
semine Jacob progenitum. *Juxta vias ejus
et juxta adinventiones ejus,* id est secun-
dum exigentiam operum et cogitationum,
vel eorum quæ ex propriis adinventioni-
bus gessit, *reddet ei,* id est regno Israel,
secundum primam expositionem, vel re-
gno Juda, juxta expositionem secundam.
Utrumque enim regnum juste punivit Deus
omnipotens, qui singulis tribuit quod me-
rentur, quemadmodum in Job inducitur :
Job XXXIV, 10, 11. Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente
iniquitas ; opus enim hominis reddet ei,
et juxta vias singulorum restituet. Unde
Apoc. XXII, 12. in Apocalypsi : Ecce venio (inquit) cito, et
merces mea mecum est, dare unicuique
secundum opera sua.

Consequenter recolit beneficia patriar-
chæ Jacob collata, quibus posteri fuerunt
3 ingrati. *In utero* Rebeccæ genitricis suæ
supplantavit Jacob *fratrem suum* Esau,
non propria, sed Dei virtute. Ipse nempe
quod egit, non sensit ; sed Deus qui præ-
vidit eum sibi futurum fidelem patriar-
cham, qui et prædestinatos amat, dedit ei
hoc facere in signum futuri. De hac sup-
Gen. XXV, 22. plantatione habetur in Genesi, quod colli-
debantur in utero. Propter quod Rebecca
Ibidem. pericula metuens, dixit : Si sic futurum
mihi erat, quid necesse erat concipere ?
Quumque ivisset ad consulendum Domi-
Ibid. 23. num, locutus est ei Deus : Duæ gentes in
utero tuo sunt, et populus populum su-
perabit, et major serviet minori. Hic ita-
que fuit supernaturalis mysticusque con-
flictus.

Et in fortitudine sua sibi a Deo concessa
per naturam vel gratiam, *directus,* id est
recte aptatus, *est* Jacob ad præliandum
cum angelo sancto, quando sicut in Genesi
scriptum est, vir, scilicet angelus in spe-
Ibid. XXXII, 24. cie viri, luctabatur cum eo usque mane.
4 *Et invaluit ad angelum :* sicut illic sub-
Ibid. 25, 26. jungitur : Qui quum videret quod eum
superare non posset, dixit, Dimitte me, jam
enim aurora est. Dicitur autem Jacob an-
gelo prævaluisse dupliciter : Primo, quo-
A niam precibus et devotione quasi extorsit
ab angelo quod quærebat. Nec mirum si
dicatur invaluisse ad angelum, quum Do-
minus dicat ad Moysen : Dimitte me, ut *Exod.*
irascatur furor meus contra eos. Moyses XXXII, 10.
ergo caritate et precibus quasi ligaverat
Deum. Secundo, quod invaluit secundum
apparentiam, ita quod angelus finxit se
sanctum Jacob superare non posse. Quæ
tamen fictio non fuit fallax aut mendosa,
sicut nec illa qua Christus finxit se lon- *Luc.* XXIV,
gius ire ; sed dispensatoria, et veritatis 28.
B præfigurativa. Præfiguravit enim quod Ja-
cob hostibus prævaleret, et populus na-
sciturus de eo, filios Esau superaret. Quod
tempore David constat impletum, servien-
te Idumæa regi David sub tributo, quando II *Reg.* VIII,
et Joab interfecit omne masculinum in 14; III *Reg.* XI, 15.
Idumæa. *Et confortatus est* Jacob benedi-
ctione suscepta ab angelo, quando et di-
ctus est Israel, atque audivit ab angelo :
Si fortis fuisti contra Deum, id est me *Gen.* XXXII,
Dei nuntium, quanto magis contra homi- 28.
nes prævalebis ? Quum enim Jacob nimis
C timeret adventum Esau, misit Deus hunc *Ibid.* 7.
angelum, ut consolaretur confortaretque
Jacob. Tamen, secundum Augustinum sex-
todecimo de Civitate Dei, fuit angelus qui
cum Jacob venit de Mesopotamia. *Flevit,
et rogavit eum,* id est, Jacob lacrimose
precatus est angelum, ut se benediceret, *Ibid.* 26, 29.
atque in via custodiret : sicut et factum est.

In Bethel invenit eum, id est angelum.
Non servatur hoc loco ordo historiæ. Ista
namque inventio diu præcessit conforta-
tionem et luctam præfatam, quando vide-
D licet Jacob ex consilio Rebeccæ fugit a
facie Esau pergens ad Syriam, ad Laban
fratrem Rebeccæ. Quumque venisset ad *Ibid.* XXVIII,
quemdam locum, et dormiret in eo, vidit 11-19.
in somnis scalam usque cœlos erectam, et
angelos Dei ascendentes ac descendentes
per eam, Dominum quoque innixum sca-
læ, et sibi dicentem : Ne timeas, Jacob,
terram hanc dabo semini tuo, et ero custos
tuus quocumque perrexeris. Quum ergo
Jacob evigilasset, pavens : Quam terribi-
lis, inquit, est locus iste ! Non est hic

aliud, nisi domus Dei. Propter quod vocavit nomen urbis illius Bethel, quod interpretatur domus Dei : quæ ante Luza vocabatur. Quæ omnia in Genesi plenius describuntur. *Et ibi locutus est nobiscum* angelus. Per hoc enim quod in Bethel loquebatur in persona Dei ad Jacob, loquebatur et filiis ejus in lumbis patris, ad quos promissio Jacob facta pertinuit.

Hoc loco, ut recitat Lyra, multa fabulantur Judæi, dicentes quod Jacob fortitudine sibi ad horam concessa, vere prævaluit angelo ; item, quod angelus victus flevit, rogavitque ipsum Jacob dilationem de obtinenda primogenitura et invalescentia super Esau, ita quod angelus iste fuit custos Esau, volens impedire Jacob ne ingrederetur terram promissionis ad acquirendum benedictiones ac primogenita Isaac in præjudicium Esau. Hæc autem stulta et frivola sunt. Quod enim angelus erat fortior Jacob, patet ex hoc quod
Gen. xxxii, 25, 31. quum tetigisset nervum femoris ejus, statim emarcuit, et claudicavit. Rursus, angelus ille quum fuerit bonus, et sciverit quod Deus promisisset ipsi Jacob terram promissionis, nequaquam conatus est impedire divinum promissum. Item, quia beatifica Dei visione fruebatur, dolor in ipso non habuit locum. Unde nec flevit, neque tristatus est de promissi impletione divini, sed erat divinæ voluntati in omnibus conformatus.

5 *Et Dominus Deus,* qui est *exercituum,* id est angelorum, *Dominus, memoriale* est *ejus,* utpote patriarchæ Jacob. Hoc ideo
Ibid. xxxii, 28. dicitur, quia in nomine Israel, quod angelus imposuit Jacob, includitur nomen Dei, quoniam Israel interpretatur, vir videns Deum ; vel ideo, quoniam Jacob habuit Deum jugiter in memoria ; et item, quoniam Deus universorum voluit se spe-
Exod. iii, 16. cialiter dici Deum Jacob. Sicque Deus est memoriale Jacob, quia per Jacob commemoratur. Vel iste est sensus : Et Dominus Deus exercituum, Dominus est memoriale, id est nomen ejus, scilicet Domini Dei, quia communiter in veteri Testamento Dominus exercituum appellatur. Unde scriptum est in Amos : Formans montes, et creans ventum ; Dominus exercituum nomen ejus. Amos iv, 13.

Deinde Propheta affatur et admonet posteros Jacob. *Et tu,* populé Juda seu Israel : ad utriusque etenim regni populum possunt hæc verba aptari ; *ad Dominum Deum tuum converteris,* sequendo vestigia Jacob patris tui. Quod partim impletum est in primo adventu Christi, et post dominicam passionem, quando per Apostolorum prædicationem multa millia Judæorum ad fidem conversa sunt, ut patet in Actibus. *Misericordiam et judicium custodi :* primo, miserendo tibi ipsi, quemadmodum scriptum est, Miserere animæ tuæ, placens Deo ; et, Qui sibi nequam est, cui bonus erit ? et, Benefacit animæ suæ vir misericors ; Judicium autem sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Est insuper judicium propriæ discussionis, et reprobationis, seu veræ discretionis, quod spectat ad omnes, ut scilicet unusquisque vitia sua dijudicet, inter bona et mala discernat, se ipsum discutiat, nec se impunitum relinquat. Unde ait Apostolus : Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Et in libro Job habetur : Numquid qui non amat judicium, potest sanari ? Qui autem prælatus est, aliis judicium justum exerceat tanquam judex illorum. Misericordia autem sine judicio, pusillanimitas dicitur ; judicium vero sine misericordia, crudelitas fertur. Commiscenda ergo sunt hæc moderatione sagaci. 6 Act. ii, 41; iv, 4. Eccli. xxx, 24. Ibid. xiv, 5. Prov. xi, 17. Jacob. ii, 13. I Cor. xi, 31. Job xxxiv, 17.

Et spera in Deo tuo semper in prosperis et adversis, ut cum sancto Job dicas : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Quis enim speravit in eo, et confusus est ? Propter quod Isaias disseruit : Deus judicii Dominus ; beati omnes qui exspectant eum. Et Psalmista : Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. Cum omni ergo fiducia invoca Deum, et longanimiter exspecta eum. Spera in eo, quasi in patre Ibid. xiii, 15. Eccli. ii, 11. Is. xxx, 18. Ps. ix, 11.

clementissimo, sicut in amatore præcipuo,
tanquam in Domino omnipotente, et cre-
de te ei ; certus esto quod paratus sit in-
dulgere, auxiliari, et quidquid veram con-
cernit salutem, conferre. De sic sperante
Ps. LXXXIII, 13. dicit Psalmista : Domine virtutum, beatus
Jer. XVII, 7. homo qui sperat in te ; et Jeremias, Bene-
dictus vir qui confidit in Domino, et erit
Dominus fiducia ejus. Et alibi scriptum
I *Mach.* II, 61. est : Omnes qui sperant in eo, non infir-
mantur. Pro eo quod Hieronymus transtu-
lit, Et spera in Deo tuo semper, Septua-
ginta transtulerunt, Et appropinqua Deo
tuo semper : hoc est, de virtute in virtu-
tem procede, omnem immunditiam culpæ
absterge, et Deo per caritatem semper vi-
scerosius atque intimius uniri, imo im-
mergi, enitere.

Insuper redit Propheta ad decem tri-
7 buum increpationem. *Chanaan*, id est plebs
decem tribuum : quæ Chanaan appellatur,
non origine generis, sed parilitate et imi-
tatione iniquitatis, quoniam Chananæorum
vitia idololatriamque secuta est. Unde et
Daniel ait presbytero judici, qui utique
erat de semine Juda, secundum Hierony-
Dan. XIII, 56. mum : Semen Chanaan, et non Juda, spe-
cies decepit te. Judæ quoque atque Je-
Is. I, 10. rusalem dicitur in Isaia : Audite verbum
Domini, principes Sodomorum ; auribus
percipite legem Dei vestri, populus Go-
Ezech. XVI, 3. morrhæ. Itemque in Ezechiele : Pater tuus
Amorrhæus, mater tua Cethæa. *In manu
ejus statera dolosa.* Per hoc decem tribus
reprehenduntur de fraude in proximum
et avaritia, de legis etiam prævaricatione,
Lev. XIX, 35. quæ jussit : Nolite iniquum aliquid facere
in judicio, in regula, in pondere, in men-
Ibid. 36 ; *Deut.* XXV, 15. sura. Et denuo ait : Sit tibi æquus modius,
æquusque sextarius. De hoc habetur in
Ps. LXI, 10. Psalmo : Verumtamen vani filii hominum,
mendaces filii hominum in stateris, ut
decipiant de vanitate in id ipsum. Denique
quidam affirmant, quod Chanaan sit hoc
loco nomen commune, significans merca-
torem, quemadmodum in Proverbiis, ubi
Prov. XXXI, 24. legitur : Sindonem fecit et vendidit, et
cingulum tradidit Chananæo. Sicque mer-

A catores Israel de statera notantur dolosa.
Calumniam, id est pauperum oppressio-
nem, et aliorum injuriationem, *dilexit :*
quod est contra caritatem, contra legem
naturalem et scriptam, et contra illud
Levitici : Non facies calumniam proximo *Lev.* XIX, 13.
tuo, nec vi opprimes eum.

Et dixit Ephraim, scilicet decem tri- 8
bus : *Verumtamen dives effectus sum :* id
est, non obstante quod dilexi calumniam
et stateram dolosam, in temporalibus nunc
abundo, et sufficit mihi quod ea possideo,
B nec curo quomodo adeptus sim ea ; *inveni
idolum mihi*, id est deum conflatilem, cui
serviendo effectus sum dives ; vel, Ido-
lum, id est aurum sive pecuniam, quod
est deus idolumque avari, sicut venter di- *Philipp.* III, 19.
citur deus gulosi. Propter quod dicit Apo-
stolus : Deponite avaritiam, quod est si- *Coloss.* III, 5.
mulacrorum servitus. *Omnes labores mei
non invenerunt mihi iniquitatem quam
peccavi :* id est, divitiæ, quas laborando
collegi, non mihi ostenderunt iniquitatem
meam ; vel causa non fuerunt peccati
C quod feci.

Et ego Dominus Deus tuus de terra 9
Ægypti : id est, quamvis tam graviter me
offendisti, ego tamen ab eo tempore quo
te seu patres tuos de Ægypto eduxi, sem-
per misericors fui tibi, et quando converti
volebas, pœnitentem clementer recepi. Imo
adhuc veniam gratiamque promitto, et lo-
cum pœnitendi concedo. Unde subjungi-
tur : *adhuc sedere te faciam in tabernacu-
lis*, id est synagogis, vel propriis domibus,
vel in congregationibus sanctis, *sicut in
D diebus festivitatis*, id est cum ingenti so-
lennitate, cum securitate, devotione cordis
atque lætitia : quemadmodum in veteri
Testamento consuetudo fuit veris Israeli-
tis, sedere in legalibus festis. Hoc autem
tripliciter accipi potest : Primo, conditio-
naliter, dummodo vitam corrigerent, ita
quod ab imminente captivitate liberaren-
tur. Secundo, pro tempore Christi, quando
per ejus et Apostolorum sermocinationem,
aliqui ex decem tribubus conversi, se-
derunt in tabernaculis illis præclarissimis

primitivæ Ecclesiæ, secundum quod Do- A
Is. XXXII, 18. minus apud Isaiam prædixit : Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. Tertio, pro tempore finalis conversio-
Rom. XI, 25, 26. nis Judæorum, quando plenitudine gentium introgressa, omnis Israel salvus fiet.

10 *Et locutus sum super Prophetas,* id est, revelationes inspiravi Prophetis, et per illos locutus sum, ita quod sermo meus cecidit super corda eorum, et locutio mea super eos descendit; *et ego visionem,* id est propheticas revelationes, *multiplicavi,* B
Hebr. I, 1. multifarie multisque modis loquens patribus in Prophetis. Unde apud Lucam habe-
Luc. I, 70. tur : Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Eisdem etiam Prophetis valde multiplices visiones ostendit anagogice aut symbolice, scilicet David, Salomoni, Isaiæ, Jeremiæ, Ezechieli, Danieli. Multi demum fuerunt Prophetæ, quorum visiones non sunt conscriptæ. Et omnes Prophetæ principaliter locuti sunt pro tempore et de mysteriis Christi, quemadmodum in Actibus Petrus C
Act. III, 24. testatus est : Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps annuntiaverunt dies istos. *Et in manibus Prophetarum,* id est per verba et actus eorum, *assimilatus sum,* id est, hominibus assimilatus, prænuntiatus, præfiguratus, et similitudinarie præsignatus sum. Sic enim unio Christi et Ecclesiæ præfigurata est per conjunctionem Adæ et
Gen. II, 21, 22; *Joann.* XIX, 34. Evæ; per formationem quoque Evæ de costa Adæ, præfigurata est formatio Ecclesiæ de latere Christi dormientis in cruce. Sic arca Noe, typus fuit Ecclesiæ; et D
Gen. XXII, 6; *Joann.* XIX, 17. Isaac ligna bajulans, Christum significavit, crucem propriam ad locum immolationis suæ portantem. David quoque et Jeremias per tribulationes suas et opera, Christi passionem et opera apertissime fi-
Jonæ II, 1; *Matth.* XII, 40. guraverunt. Et Jonæ deglutitio triduo durans, Christi triduanam sepulturam monstravit.

Loquitur autem Osee commixtim de beneficiis Dei, et maleficiis populi. Unde nunc rursus, recitatis beneficiis Creatoris, commemorat vitia et ingratitudinem
populi. *Si in Galaad idolum,* id est, quia 11
in urbe trans Jordanem nomine Galaad, idololatria exercetur, et idolum reperitur : sicut superius dictum est, Galaad civitas *Osee* VI, 8.
operantium idolum; *tamen frustra errant in Galgal,* id est, duæ tribus graviter peccant, et gravius aliis, dum idola colunt in Galgala civitate duarum tribuum, de qua dictum est : Omnis nequitia eorum in *Ibid.* IX, 15.
Galgal. Tanquam dicat : Quum duæ tribus habeant sacerdotes et templum, in quo et per quos secundum legem offerre possunt, et nihilo minus idola colant in loco Galgal ; inexcusabiliores sunt, quoad hoc, decem tribubus, quæ nihil horum habuerunt. *Bobus,* id est vitulis aureis, *immolantes.* Quod enim hoc frustra fecerunt, hinc liquet : *Nam et altaria* sacrilega *eorum* erunt *quasi acervi,* id est tumulus seu congeries lapidum, jacentes *super sulcos agri :* id est, altaria decem duarumque tribuum, in quibus idolis servierunt, penitus destruentur ab Assyriis et Chaldæis.

Fugit Jacob a facie Esau *in regionem* 12
Syriæ ad Laban avunculum suum fratrem *Gen.* XXVIII, 5.
Rebeccæ, ut dicitur in Genesi, *et servivit Israel in uxorem :* id est, Jacob, alio nomine Israel, septem annis servivit avunculo suo Laban pro Rachele filia ejus in con- *Ibid.* XXIX, 20.
jugem recipienda; videbanturque sibi anni breves propter amoris magnitudinem, ut in Genesi describitur; *et in uxorem servavit,* vel, servivit, ut aliqui continent textus : id est, quum Jacob vidisset sibi pro *Ibid.* 24-30.
Rachele suppositam Liam, servivit avunculo aliis septem annis, ut Rachelem reciperet : quam tamen statim post Liam recepit, octo (ut dicitur) evolutis diebus. Et per ista septennia servavit, id est, oves et pecora Laban custodivit; vel, servavit pactum, quod fecit cum Laban de tempore ministrandi sibi pro filiabus.

In Propheta autem, id est per manum 13
Moysis excellentis prophetæ, de quo in Deuteronomio scriptum est : Non surrexit *Deut.* XXXIV, 10.
ultra Propheta in Israel sicut Moyses, qui nosceret Dominum facie ad faciem; *eduxit*

Dominus Israel de Ægypto in manu potenti et brachio extento; *et in Propheta,* id est per caritatem, precem et meritum hujus Prophetæ, *servatus,* id est a morte præservatus, *est* populus Israel frequenter, quando Deum gravissime offenderunt, sicut in adoratione vituli conflatilis, et tentationibus ac murmurationibus contra Deum, quemadmodum in libris Moysis copiosissime recitatur. Dixerat equidem Moyses (*Exod.* xxxii, 31, 32.): Aut dimitte populo hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti. Cui Dominus (*Num.* xiv, 20.): Dimisi, inquit, juxta verbum tuum. Hinc fertur in Psalmo (*Ps.* cv, 23.): Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.

Deinde ponitur decem tribuum ingra-
14 titudo. *Ad iracundiam,* id est ultionem terribilem et effectum similem ei qui ex ira procedit, *me provocavit Ephraim,* id est decem tribus, *in amaritudinibus suis,* id est peccatis ac idololatriis, veræ ac sanctæ suavitati contrariis, atque ad æternam amaritudinem pertrahentibus. Unde in Jeremia habetur (*Jer.* ii, 19.): Amarum est, te reliquisse Dominum Deum tuum. Nihilo minus vitia peccantem delectant, sed delectationem amarissima amaritudo consequitur, juxta illud Apocalypsis (*Apoc.* xviii, 7.): Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Præterea, pius ac dulcis invariabilisque Creator dicitur ad iracundiam provocari, non quod in ipso sit passio sive mutatio, sed quia exigente sua justitia, et promerente hominum culpa, per modum provocati et irati se habet in vindicando. Propter quod ait apud Jeremiam (*Jer.* vii, 19.): Numquid me ad iracundiam provocant? nonne semetipsos in confusione vultus sui?

Et sanguis ejus super eum veniet, id est, causa mortis suæ redundabit in eum, ita quod suis peccatis erit causa propriæ punitionis, quemadmodum in Ezechiele Dominus ait frequenter de eo qui propria negligentia, non pastoris ignavia, perit (*Ezech.* xviii, 13; xxxiii, 4.): Sanguis ejus erit super caput ejus. Et puero Amalecitæ occiso, dixit David (II *Reg.* i, 16.): Sanguis tuus super caput tuum; os enim tuum locutum est, dicens, Ego occidi christum Domini. Vel: *sanguis ejus,* id est sanguis innocentium atque infantium suorum, quem fudit, juxta illud in Psalmo (*Ps.* cv, 38.): Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan; *super eum veniet,* ita quod debitam pœnam persolvet. *Et opprobrium ejus restituet ei Dominus suus,* id est, pro contemptu et blasphemia Dei, recipiet a Deo opprobrium pœnæ, et in magno erit contemptu ac vilitate: quatenus sicut fecit, fiat ei (*Judic.* i, 7.), et per quæ peccavit, puniatur (*Sap.* xi, 17.); et fiat quod ait Salvator (*Matth.* vii, 2.), Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Unde et David, qui uxorem tulit Uriæ, Dominus ait (II *Reg.* xii, 11.): Ego tollam uxores tuas, et dabo eas proximo tuo.

ARTICULUS XXVI

MORALIS EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI DUODECIMI.

NUNC dictum est sæpe, quod per Ephraim (qui interpretatur augmentum, et Dei cultum abjecit) signentur Christiani injusti, mali prælati, religiosi ignavi, qui sibi temporalia augent, vitia colligunt, et opus Dei negligenter exsolvunt. Unde de
1 quolibet horum nunc dicitur: *Ephraim pascit ventum,* id est, propriam vanitatem et animi levitatem fovet ac roborat, et est tanquam pulvis quem projicit ventus a (*Ps.* i, 4.)

facie terræ, et sicut arundo vento agitata, A
non habens radicem cordis in virtutibus
fixam. Quocontra de electis ait Psalmista :
Ps. xxxiv, 18. In populo gravi laudabo te. *Et sequitur*
æstum, id est concupiscentiæ ignem, iræ,
furoris, cupiditatis ardorem, impetum pas-
sionum. Quocontra in Ecclesiastico dici-
Eccli. xviii, 30. tur : Post concupiscentias tuas non eas, et
a voluntate tua avertere. Et in Proverbiis
Prov xxvii, 4. dicitur : Impetum concitati spiritus quis
poterit sustinere? Hoc ad sapientem non
Job xv, 2. pertinet, prout in Job dicitur : Numquid
sapiens respondebit, quasi in ventum lo- B
quens, et implebit ardore stomachum
suum?
Tota die, id est jugiter, *mendacium et*
vastitatem multiplicat, agens contra veri-
tatem vitæ, doctrinæ, atque justitiæ, dæ-
monumque captivitati ac laqueis se inne-
ctens, et æterni carceris inclusionem sibi
accumulans. *Et fœdus cum Assyriis,* id
est dæmonibus, *iniit,* quorum voluntati se
Is. xxviii, 15. æquat, sicut in Isaia habetur : Percussimus
fœdus cum morte, et cum inferno feci-
mus pactum. Assyrii autem interpretantur C
dirigentes, et dæmones dirigunt in viam
damnationis æternæ. *Et oleum,* id est verba
adulationis, vel apparentiam sanctitatis,
vel sapientiæ nitorem, *in Ægyptum fere-*
bat, id est, ad homines sæculares adduxit,
illis adulando, vel ab eis laudem optando,
vel scientiam suam jactando : quod multi
faciunt religiosi, prædicatores et clerici, ut
temporalia commoda consequantur et ho-
Ps. cxl, 5. norentur. De quo oleo scriptum est : Oleum
peccatoris non impinguet caput meum.
2 *Judicium ergo Domini cum Juda :* id D
est, hujusmodi Christianos, qui dicunt se
Tit. i, 16. nosse confiterique Deum, sed operibus ne-
Jacob. iv, 17. gant, Christus districte judicabit. Scienti
enim bonum, et non facienti, peccatum
I Petr. iv, 17. est illi, ut Jacobus docet. Et Petrus : Tem-
pus est, inquit, ut incipiat judicium a do-
mo Dei. *Et visitatio* divinæ ultionis irruit
super Jacob, id est eum qui cœpit vitiis
reluctari et pœnitere, sed recidivans sup-
plantatur a vitiis : quales sunt multi reli-
Galat. iii, 3. giosi, qui quum cœperint spiritu, carne
consummantur. Qui enim in claustro non
studet quotidie cum vera diligentia affe-
ctiones animæ rectificare, vitia exstirpare,
cogitationes vanas ac malas reprimere, pe-
jor et incorrigibilior fit sæcularibus.
In utero supplantavit fratrem suum. 3
Hoc salubriter competit his qui in medio
Ecclesiæ alios superant in profectu virtu-
tum, vel errorem eorum convincunt et de-
struunt sapientiali rationis discursu, quem-
admodum Christus promisit discipulis :
Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non Luc. xxi, 15.
poterunt resistere et contradicere omnes
adversarii vestri. Et Paulus ad Titum :
Verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui Tit. ii, 8.
ex adverso est, nil habeat mali loqui de
nobis. Petrus quoque in prima sua Canoni-
ca : Sic est voluntas Dei, ut benefacientes, I Petr. ii, 15.
obmutescere faciatis imprudentium homi-
num ignorantiam.
Et in fortitudine sua directus, id est ad
Deum recte erectus, *est cum angelo.* Tales
sunt, qui angelicam conversationem du-
cunt in carne mortali, sursum habentes
corda, et toto affectu cœlestis patriæ bea-
titudinem concupientes. *Et invaluit ad* 4
angelum, id est, instantissimis precibus
obtinuit gratiam desideratam, per coopera-
tionem et administrationem angeli vitæ suæ
custodis. Hoc quilibet nostrum facere de-
bet, frequenter deprecando angelum sibi in
custodiam delegatum, ut taliter sibi in om-
nibus adsit, dæmones repellendo, bona in-
spirando, imperfectum nostrum excusando,
preces et merita nostra Domino offerendo,
gratiam Dei reportando, ut tandem beatifi-
cemur cum ipso. Sicque conveniet singulis
nobis, quod subditur de sancto Jacob : *et*
confortatus est ; flevit, et rogavit eum, vi-
delicet angelum. *In Bethel,* id est in Ec-
clesia seu domo Dei, *invenit eum.* Ibi enim
Christianus invenit angelos sanctos, quos
certum est personaliter ibi adesse, præci-
pue in officio Missæ. Ibi quoque præve- Ps. lxvii, 26.
niunt principes illi angelici conjuncti psal-
lentibus, qui corde sincero fatentur : In Ps. cxxxvii, 1.
conspectu angelorum psallam tibi. Opor-
tet enim ut angelici vultus cogitemus ac

veneremur præsentiam, quod nobis soli- A
tariis præsertim incumbit, ne audeamus
agere angelo sancto præsente ac conspici-
ente, quod fratre adstante non faceremus.
Et ibi locutus est nobiscum, per inspira-
tionem internam, quemadmodum Zacha-
Zach. I, 9; II, 3. rias testatur : Dixit angelus qui loquebatur
in me.
7 *Chanaan in manu ejus statera dolosa.*
Chanaan interpretatur, quasi moventes :
quales sunt seductores, qui alios a rectitu-
dine quærunt virtutum avertere, a stabili-
tate mentis dejicere, spoliare seu defrau- B
dare : in quorum manu est statera dolosa,
injusta mensura, compositio fraudulenta.
Isti calumniam diligunt, gaudentes dum
aliis injuriantur, et simplices ac egenos
fallunt aut opprimunt. Quod etiam avaris
mercatoribus certum est convenire, qui
non curant qualitercumque procurent di-
vitias, dummodo eas acquirant. Propter
8 quod verba sequentia competunt eis : *Ve-
rumtamen dives effectus sum, inveni ido-
Matth. VI, 21. *lum mihi,* id est thesaurum in quo confi-
do, in quo est cor meum, amor et cogitatio. C
Isti non pensant Scripturam dicentem :
Eccli. X, 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam;
Matth. XIX, 24. et, Possibilius est camelum transire per
foramen acus, quam divitem intrare in
regnum cœlorum. — Quamdiu plebs chri-
stiana permanet talis, non est Deus proprie
Deus ejus, quia nec ipse diligit eam secun-
dum præsentem justitiam, nec ipsa recolit
ac diligit eum ut Deum. Quod enim Deus
universorum, non sit proprie Deus impio-
Ps. XXXII, 12. rum, innuit Psalmista, dicendo : Beata
gens, cujus est Dominus Deus ejus. Verum D
isti fiunt populus Dei, et ipse fit Deus eo-
rum, dum a sæculari conversatione, ab
impuritate carnali convertit eos ad se. Ideo
subdit :
9 *Et ego Dominus Deus tuus de terra
Ægypti,* id est a tempore spiritualis egres-
sionis tuæ de mundo atque Ægyptiaca pec-
catorum servitute, *adhuc sedere te faciam,*
Ps. XXXIII, 9. id est per contemplationem quiescere, gu-
stare et videre quam dulcis est Dominus, *in
tabernaculis,* id est in conventu seu domo
justorum. De quibus fertur in Psalmo : Vox *Ps.* CXVII, 15.
exsultationis et salutis in tabernaculis ju-
storum. Cum talibus enim habitat Deus,
secundum illud Apocalypsis : Ecce taber- *Apoc.* XXI, 3.
naculum Dei cum hominibus, et habitabit
cum eis. Postea vero sedebunt in taberna- *Is.* XXXII, 18.
culis triumphantis Ecclesiæ, de quibus in
Evangelio legitur : Facite vobis amicos de *Luc.* XVI, 9.
mammona iniquitatis, ut recipiant vos in
æterna tabernacula. Sic ergo sedebunt nunc
in tabernaculis, *sicut in diebus festivita-
tis,* ut quales fuerunt per Baptismum, tales
fiant per pœnitentiam. De quibus canta-
tur : Plantati in domo Domini, in atriis *Ps.* XCI, 14.
domus Dei nostri florebunt.
Fugit Jacob in regionem Syriæ, et ser- 12
vivit Israel in uxorem. Per Jacob a facie
Esau fugientem et pro uxore servientem,
præfiguratus est Christus, vitiorum victor
omnipotens, et Deum clare contemplans,
qui nonnunquam fugit a facie Judæorum,
et habitavit in desertis locis, juxta civita-
tem quæ dicitur Ephrem, ut evangelista *Joann.* XI, 54.
Joannes testatur. Servivit quoque Deo Pa-
tri, ejus præcepta servando, et usque ad
mortem obediendo, ut sibi perfecte despon- *Philipp.* II, 8.
saret per unionem gratiæ et gloriæ Syna-
gogam, quæ per Rachelem pulchram facie *Gen.* XXIX, 17.
designatur. Sed Deus Pater supposuit ei
Ecclesiam ex gentibus congregatam : quæ
designatur per Liam, oculis lippam atque *Ibidem.*
deformem, quia gentilitas cæca fuit, et vi-
tiis deformata. Porro in fine sæculi de-
sponsabitur Christo Synagoga.
In Propheta autem, id est per Christum 13
prophetam et Dominum Prophetarum : de
quo Moyses dixit, Prophetam suscitabit *Deut.* XVIII, 15.
vobis Dominus; *eduxit Dominus,* Trinitas
benedicta, *Israel,* id est omnes electos, *de
Ægypto,* id est vitiis sæculi, ad regnum
Ecclesiæ; *et in Propheta servatus est,* id
est, virtute et merito Christi salvatur po-
pulus christianus.
Ad iracundiam me provocavit Ephra- 14
im, id est peccans populus christianus, *in
amaritudinibus suis,* id est habendo ama-
ritudines contra se invicem, quum debe-
rent mutuo esse benigni, dulces, et ca-

ritativi. Habendo autem amaras inter se A affectiones, merentur ut et ego talis sim eis, qualis unus eorum est alteri. Hinc ad Galatas dicit Apostolus : Si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini ; et alibi, Omnis amaritudo et clamor tollatur a vobis. Et Jacobus ait : Si zelum amarum habetis, et contentiones sunt inter vos, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Denique Moyses ille mitissimus, idem jussit in libro Deuteronomii : Non sit, inquiens, inter vos radix germinans fel et amaritudinem. Quod Pau- B lus quoque ad Hebræos curavit commemorare, dicendo : Pacem sequimini cum omnibus, contemplantes ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. Si igitur volumus ut Christus sit nobis pius dulcisque judex, simus et nos pii ac dulces ad proximos et confratres, supportantes invicem in caritate, et imperfectioribus condolendo sincere.

Galat. v, 15. — *Ephes.* IV, 31. — *Jacob.* III, 14. — *Num.* XII, 3. — *Deut.* XXIX, 18. — *Hebr.* XII, 14, 15. — *Ephes.* IV, 2.

Et sanguis ejus super eum veniet, id est, iniquitas impii in ipsum retorquebi- C tur, eique nocebit, et punitionis suæ causa consistet. Uniuscujusque enim peccatum in ipsum redundat, et ei prius ac magis quam alteri nocet, quemadmodum in Proverbiis legitur : In impietate sua corruet impius, et in insidiis suis capientur iniqui. Alibi quoque Salomon loquitur : Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber ; et Psalmista, Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam. *Et opprobrium ejus restituet ei Dominus,* id est, pro culpa opprobrii quo Deum inhonoravit, aut proximum sprevit, faciet eum Deus contemptibilem, vilem ac miserum. Propter quod primo Regum affirmat : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Et Baruch inducit : Facti sumus subtus, et non supra, quia non obedivimus Domino. Postremo magnum est, et peccati vehementer consumptivum, ac singularis gratiæ meritorium, habere fortem ac fervidum zelum honorandi Deum excelsum et benedictum, atque optare ut opus Dei reverenter, itemque solenniter impleatur.

Prov. XI, 5, 6. — *Eccle.* X, 8. — *Ps.* LVI, 7. — I *Reg.* II, 30. — *Baruch* II, 5.

ARTICULUS XXVII

DECLARATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : LOQUENTE EPHRAIM, HORROR INVASIT ISRAEL.

RURSUS Propheta describit maleficia
1 populi Israel. *Loquente Ephraim,* id
est, Jeroboam Ephratæo, primo decem tri- D buum rege, præcipiente aureos vitulos adorari, *horror* admirationis vel timoris *invasit Israel,* id est decem tribus. Primo enim non omnes consenserunt ei, et tamen verebantur ei resistere. Unde et multi ex timore regis cœperunt idololatrare. Quidam vero multum mirabantur, quando Jeroboam dixit de vitulis : Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. *Et deliquit in Baal,* id est in cultu idoli sic vocati. Unum enim peccatum trahit ad aliud. Unde quum decem tribus ad idololatriam vitulorum devolutæ fuissent, in alias idololatrias varias sunt prolapsæ. *Et mortuus est* morte peccati, quæ vitam gratiæ aufert, quum separet a Deo, omnis vitæ fontali principio. De qua morte scriptum est in libro Sapientiæ : Os quod mentitur, occidit animam. Et Christus apud Matthæum : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Paulus quoque ad Timotheum : Vidua quæ in deliciis vivit, vivens mortua est.

III *Reg.* XI, 26. — *Ibid.* XII, 28. — *Ibidem.* — *Sap.* I, 11. — *Matth.* VIII, 22. — I *Tim.* V, 6.

Et nunc addiderunt ad peccandum, 2
multiplicando idololatriam, aliaque peccata annexa, quia non dolent de perpetra-

tis; *feceruntque sibi conflatile de argento* A
suo, id est vitulos argenteos conflatione
formatos : quia ut asserit Glossa, quum Je-
III *Reg.* XII, 28. roboam fecisset vitulos aureos, populus
fecit argenteos, ut secundum suam possi-
bilitatem haberet deos argenteos ad simi-
litudinem aureorum. Unde subjungitur :
quasi similitudinem idolorum, id est par-
tim similes vitulis aureis, scilicet in forma
artificiali, quamvis non in materia. *Factu-
ra,* id est opus, *artificum totum est,* id
est, omnia idola ista humano artificio sunt
formata, nec sunt aliquid divinitatis aut B
potestatis sortita. Propter quod stultissi-
mum est talia colere. *His,* id est de idolis
istis, *ipsi* idololatræ, præcipue sacerdotes
idolorum et principes regum Israel, *di-
cunt : Immolate, homines vitulos adorantes.*
Hoc dupliciter legitur. Primo sic : O homi-
nes, id est populi decem tribuum, immola-
te hostias vitulis aureis, sic ut sitis, vel qui
estis adorantes vitulos istos. Hortabantur
enim subditos ad sacrificia sacrilega, etiam
Ibid. 27, 28. propter quæstum et gulam, et ne pergerent
adorare Dominum in Jerusalem. Secundo C
sic : Immolate, o cultores idolorum, ipsos
homines adorantes vitulos vitulis, id est,
filios vestros ac filias, vobiscum idola ve-
nerantes, immolate idolis ipsis. Hoc enim
quidam eorum fecerunt, quemadmodum
Ps. CV, 37. fertur in Psalmo : Immolaverunt filios
suos et filias suas dæmoniis.

3 *Idcirco,* propter hæc mala, *erunt quasi
nubes matutina, et sicut ros matutinus
præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex
area, et sicut fumus de fumario.* Quemad-
modum omnia ista ad horam apparent, et D
subito dissolvuntur, sive disparent et au-
feruntur; sic decem tribus protinus ca-
pientur, et transferentur vel occidentur.
Nubes quippe matutina et ros matutinus,
incidente in se solis splendore sive calore,
statim fugantur. Pulvis quoque turbine
raptus ex area, id est vento ejectus ex hor-
reo, et fumus per caminum ascendens, in
tenuissimas auras dissolvuntur, quemad-
Ps. LXVII, 3. modum scriptum est : Sicut deficit fumus,
deficiant.

Ego autem sum *Dominus Deus tuus ex* 4
terra Ægypti, id est ex die qua te inde
eduxi. Nam et impiorum est ipse Deus per
creationem et generalem providentiam. Et
populo Israel, quamvis idololatræ et ingra-
to, multa largitus est beneficia, et trium-
phos in præliis, ut patet tertio et quarto III *Reg.* XX;
Regum. *Et Deum absque me nescies,* id IV *Reg.* III, VII, XIII.
est, hoc tibi præcepi et jubeo, ut nullum
præter me reputes Deum. Et merito nul-
lum præter me coleres Deum, quum ego
tanta tibi bona præstiterim. *Et salvator
non est præter me,* qui propria possit vir-
tute salvare, vel a culpa eripere aut beati-
tudinem condonare : quamvis aliqui sint
quasi instrumentales salvatores, vel a tem-
poralibus periculis liberatores, qualis fuit
Paulus : Salvos, inquiens, faciam quosdam *Rom.* XI, 14.
ex illis. Hinc in Isaia habetur : Deus justus *Is.* XLV, 21.
et salvans præter me non est.

Ego autem cognovi te in deserto, id est, 5
de necessariis tibi providi in eremo, quan-
do existi de Ægypto. Loquitur autem Deus
de toto populo, quasi de eisdem nume-
ro, sed ad eosdem specie referri oportet.
Nam patres istorum cognovit in deserto,
et quosdam eorum, videlicet prædestina-
tos, cognovit ibi per approbationem et
dilectionem, quos spiritualiter et corpora-
liter aluit. Omnes vero communiter reco-
gnovit per providentiam generalem, expan-
dens nubem in protectionem eorum in die *Exod.* XIII,
a caumate solis, et ignem, ut luceret eis in 21; *Ps.* CIV, 39.
noctibus. *In terra solitudinis,* id est in
eremo jam præfata, in qua usque tunc ne-
mo habitavit. Quam Jeremias vocat imagi- *Jer.* II, 6.
nem mortis, quoniam omni humano care-
bat solatio, et vitæ totius sustentaculo.
Juxta pascua sua, id est circa loca ubi eos 6
nutrivi, vel, secundum alimenta eis a me
collata, *adimpleti sunt et saturati sunt* de
manna et aqua quam produxi eis de pe- *Exod.* XVI,
tra, de coturnicibus quoque, juxta illud in 12 *et seq.*; XVII, 6; *Num.*
Psalmo : Pluit super eos sicut pulverem XX, 11.
carnes, et sicut arenam maris volatilia pen- *Ps.* LXXVII,
nata; et manducaverunt et saturati sunt 27, 29.
nimis. Item in terra promissionis divitiis
sunt impleti, et esu ciborum propriorum

saturati. *Et elevaverunt cor suum,* per ela- A
tionem superbiæ, non attendentes quod
omnia recepissent a me, *et obliti sunt mei :*
quia in deserto et in terra promissionis
per idololatriam, ingratitudinem, aliaque
peccata Deum gravissime offenderunt.
7 *Et ego ero eis quasi leæna,* id est, tam
dire puniam eos per Assyrios, sicut leæna
mactat bestiam quam manducat. Ero quo-
que eis *sicut pardus,* qui est animal ve-
lox, *in via Assyriorum,* id est in itinere
quo capti pergent ad terram Assyriorum,
8 ita quod evadere non valebunt. *Occurram* B
eis, inferendo vindictam, *quasi ursa raptis*
catulis, id est crudelissime nimis, dando
eos in manus hostium crudelissimorum.
Porro secundum naturales, nihil sævius
est ursa, dum esurit vel catulos suos ami-
sit. *Et dirumpam interiora jecoris eorum,*
id est, vitalia auferam, ita quod fame, gla-
dio, mœrore, ac labore vitam amittent. *Et*
consumam eos ibi quasi leo. Bestia agri,
id est rex Assyriorum crudelis ut fera,
scindet eos, id est, dilaniari præcipiet. Vel
sensus est, quod bestiæ agri comederunt C
morticina occisorum insepultorum, eorum
præcipue qui obierunt in via.
9 *Perditio tua,* o *Israel,* est *ex te,* id est,
ista tua afflictio exigentibus tuis peccatis
tibi illata est, et ex te ipso est unde per-
isti ; *tantummodo in me* est *auxilium*
tuum, id est, in me dumtaxat consistit
Deut. XXXII, 39. salvatio tua, ita quod ego solus valeo te
temporaliter æternaliterque salvare. Pro-
II *Cor.* III, 5. pter quod dicit Apostolus : Sufficientia
nostra ex Deo est. Et apud Jeremiam le-
Jer. X, 23. gitur : Scio, Domine, quia non est hominis D
via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat
gressus suos.
Consequenter Dominus loquitur populo
10 huic ironice zelo justitiæ. *Ubi est rex tuus*
Osee filius Ela? *Maxime nunc salvet te*
in tanta necessitate et tribulatione, quum
maxime indiges, *in omnibus urbibus tuis*
IV *Reg.* XVII, 4-6. per Assyrios devastatis. Quasi dicat : Jam
te salvare non valet, quoniam captus est
tecum. *Et judices tui?* id est, ubi sunt
jam majores tui ac principes? quasi di-
cat : Jam te juvare non queunt, sed simul
dejecti sunt. *De quibus dixisti : Da mihi*
regem et principes. Petierunt enim duo-
decim tribus regem tempore Samuelis : et I *Reg.* VIII, 5.
per consequens, postulaverunt principes
tales quales esse solent cum regibus. Un-
de Propheta loquitur de diversis quasi de
eisdem. Illi enim qui tempore Samuelis
petierunt regem contra Dei voluntatem,
non fuerunt tempore Osee prophetæ, qui
nunc decem loquitur tribubus.
Deinde ait Dominus : *Dabo tibi regem* 11
in furore meo, id est, quosdam reges dedi
tibi potius in vindictam tuæ perversitatis,
quam ad salutem, videlicet Jeroboam suc-
cessoresque ejus : quoniam subditi mali
merentur sibi præfici prælatum inutilem,
principemque nocentem, juxta illud in
libro Job : Qui regnare facit hominem hy- *Job* XXXIV, 30.
pocritam propter peccata populi. Et in
Isaia Dominus ait : Dabo pueros principes *Is.* III, 4.
eorum, et effeminati dominabuntur eis.
Unde per Ezechielem prædixit : Regnabo *Ezech.* XX, 33, 34.
super vos in furore effuso. *Et auferam*
tibi regem *in indignatione mea,* id est in
zelo justitiæ meæ contra peccata, privando
regem indignum vita et regno : quemad-
modum patet impletum in Saule, Sedecia,
et aliis multis regibus Israel. Unde in
Ecclesiastico scribitur : Sedes ducum su- *Eccli.* X, 17.
perborum destruxit Deus, et sedere fecit
mites pro eis. Apud Danielem quoque :
Ipse mutat tempora et ætates, et transfert *Dan.* II, 21.
regna atque constituit.
Colligata est, id est apud me reposita, 12
iniquitas Ephraim, id est decem tribuum,
ita quod reservo eam : non indulgeo, sed
mox eam ulciscar. Hoc modo ait et sanctus
Job : Signasti quasi in sacculo peccata *Job* XIV, 17.
mea. *Absconditum peccatum ejus,* id est,
quasi in marsupio apud me collocatum, et
integre reservatum, ut statim retorqueatur
in eum per captivitatem Assyriorum. Tunc-
que per vindictam manifestabitur. *Dolores* 13
parturientis venient ei, id est calamitas
maxima, quæ dolori mulieris parientis as-
similetur, quando Assyrii ceperint eum,
scilicet populum decem tribuum. *Ipse* po-

pulus jam præfatus, est *filius non sapiens,* id est filii stulti, quoniam veri Dei cultum spreverunt. Unde superius dictum est :
Osee VII, 11. Ephraim columba seducta, non habens cor. Loquitur autem de toto populo, quasi de una persona, ponitque singulare pro plurali, sicut frequenter fit in Scriptura. *Nunc enim,* id est veniente et prævalente exercitu Assyriorum, populus iste *non stabit in contritione filiorum,* id est filiorum suorum, qui patribus præsentibus occisionem ferre non poterit. Vel, Non stabit, quia cum filiis suis dejicietur et capietur, nec eos contra regem ultorem poterit defensare.

14 *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne.* Hunc locum doctores catholici sequentes Hieronymum, exponunt de Christo et redemptione facta per ipsum, de resurrectione quoque hominum in Christi resurrectione manifestata, atque in die novissimo consummanda. Ad hunc etenim sensum allegat
I *Cor.* XV, 54, 55. Apostolus scripturam præsentem, sicut jam dicam.

Christus itaque Deus et homo postquam per Prophetam gravissimas comminationes intulit decem tribubus, jam convertit se ad prænuntiandum universalem redemptionem hominum fiendam per ipsum, quatenus bonos consolaretur de promissione salutis æternæ, sicque patientius sustinerent temporalem pressuram. *De manu,* id est potestate seu imperio, *mortis ;* vel, De manu mortis, id est opere malo perducente ad mortem; *liberabo eos* pretio sanguinis mei, et merito passionis meæ in die Parasceves : ita quod mors non regnabit in genere humano, ut ante; sed per gratiam meam opera vitiosa corrigentur, et de morte temporali pergent purgati ad vitam æternam. *De morte* gehennæ, id est de infernali miseria et de carentia beatificæ visionis *redimam eos,* perducendo purgatos et sanctos ad patriam. Unde subjungitur : *Ero mors tua, o mors :* id est, mortem culpæ auferam ab electis; mortem quoque

A infernalis miseriæ auferam ab eisdem ; et in futura resurrectione dabo eis corporis et animæ immortalitatem perfectam. Denique Christus in sua resurrectione liberavit quosdam a morte naturæ, quando videlicet multi sanctorum qui dormierant, resurrexerunt cum eo. Christus etiam in die passionis suæ universos redemit sufficienter, electos vero redemit efficienter, quoniam ipsi dumtaxat fructum dominicæ passionis consequuntur. Propter quod dicit Apostolus : Christus resurrexit a mor- I *Cor.* XV, 20.
B tuis primitiæ dormientium; et, Sicut in *Ibid.* 22.
Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. *Morsus tuus ero, inferne,* id est, aliquos educam ex te, et quosdam relinquam in te : quemadmodum factum est in die dominicæ resurrectionis, quando sanctos in limbo detentos eripuit Christus, secundum quod apud Zachariam prædictum fuit : Tu quoque in sanguine *Zach.* IX, 11.
testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.

Pro eo quod nostra translatio continet,
C Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne, Septuaginta transtulerunt : Ubi est causa tua, mors? ubi est aculeus tuus, inferne? Quod allegans Apostolus ad Corinthios, non tamen quantum ad formam verborum, sic ait : Quum autem mortale I *Cor.* XV, 54, 55.
hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Quæ verba Augustinus ita allegat : Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus? Hoc quippe electi, peracto judicio,
D læti cantabunt. Causa autem, contentio, et victoria mortis, idem significant, utpote molestiam per quam mors humano generi prævalebat. — Denique de prædicta liberatione a morte, facta per Christum, scriptum est in Isaia : Præcipitabit Domi- *Is.* XXV, 8.
nus mortem in sempiternum, et auferet lacrimam ab omni facie; et alibi, Vivent *Ibid.* XXVI, 19.
mortui tui. Hinc in prima Petri epistola scriptum est : Christus semel mortuus est I *Petr.* III, 18, 22.
pro peccatis nostris, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, deglutiens mortem, ut

vitæ æternæ efficeremur heredes. Unde et *Apoc.* I, 18. Christus in Apocalypsi : Habeo, inquit, claves mortis et inferni.

Deinde sanctus Osee perpendens fragilitatem mortalis naturæ, sibi cum aliis communem, et humanæ carnis conditionem, videlicet quod communi necessitate moriturus esset atque ad inferos descenderet, ait : *Consolatio abscondita est ab oculis meis,* id est, consolari non valeo, et quidquid mente concepero, dolorem meum non tollit, dum penso inevitabilem mortis necessitatem, quæ amantissima inter se separat. *Quia ipse* infernus *inter fratres,* id est quoslibet caros et proximos, scilicet inter patrem et filium, matrem et filiam, etc., *dividit**, dum unum recipit, aliumque superstitem derelinquit. Infernus autem hoc loco non sumitur pro loco æternaliter damnatorum dumtaxat, quoniam Christus inde nullum abstraxit, sed pro receptaculo animarum post hanc vitam, secundum Hieronymum. — Alii exponunt hæc verba aliter : *Consolatio abscondita est ab oculis meis,* id est, consolatio illa quæ fiet in futuro judicio vel post mortem electis, mihi ignota est, an scilicet *Eccle.* IX, 1, 2. mihi impertietur, quoniam nescit homo an sit dignus amore vel odio, sed omnia in futurum reservantur incerta; *quia ipse* Christus, de quo jam sermo, *inter fratres,* id est homines, qui omnes sunt fratres origine et natura, *dividit,* quosdam salvando et quosdam damnando, secundum quod *Matth.* XXV, 32. ait in Matthæo : Separabit eos ab invicem, sicut segregat pastor agnos ab hœdis.

* alias *dividet*

Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, et siccabit omnes *venas ejus,* etc. Locus iste difficilis est. Quidam autem per ventum urentem, intellexerunt ventum consuetum, qui et domum *Job* I, 19. primogeniti Job dejecit, qui venit a regione deserti. Hoc autem Hieronymus improbat, quoniam illum ventum non dicitur Dominus adduxisse. Per quod insinuatur, quod ventus ille in malam partem et pro contraria potestate accipitur. Ventus autem hoc loco, in bono accipitur.

Hieronymus autem per ventum urentem intelligit Christum peccata mundi tollentem, qui venit ignem mittere in terram. *Luc.* XII, 49. De quo Habacuc loquitur : Deus ab austro *Habac.* III, 3. veniet, et Sanctus de monte Pharan. Quem Pater adduxit in mundum : qui ventus ascendit ab imis ad summa. *De deserto ascendentem,* id est genere humano, de quo natus est Christus secundum carnem : *Rom.* IX, 5. quod ante ejus adventum erat pro maxima parte desertum ac derelictum a Deo et gratia. Vel, De deserto, id est Virginis utero, nulli viro commixto. *Et siccabit venas ejus,* id est, peccata, per quæ quasi per venas mors intrat, obstruet et depellet, juxta illud : Ecce Agnus Dei, qui tollit *Joann.* I, 29. peccata mundi. *Et desolabit fontem ejus,* id est, diabolum fontem peccati, cujus in- *Sap.* II, 24. vidia mors introivit in orbem terrarum, Christus vincet et contristabit, quemadmodum ait apud Joannem : Nunc princeps *Joann.* XII, 31. hujus mundi ejicietur foras. *Et ipse diripiet,* id est, dæmoni auferet, tanquam prædator omnipotens, *thesaurum omnis vasis desiderabilis;* id est, sanctos in limbo detentos, qui erant et sunt thesaurus Dei, collectus seu constans sicut ex partibus, ex omni vase desiderabili, id est ex singulis electorum, qui ad limbum descenderunt. Et dicta sunt vasa desiderabilia, id est Deo pretiosa et cara, gratiæ contentiva. Unde de Paulo Dominus ait : Vas electionis est *Act.* IX, 15. mihi iste. Dicuntur quoque thesaurus omnis vasis desiderabilis, quia diabolus maxime desideravit vasa illa in inferno tenere. Vel iste est sensus, quod Christus in hoc mundo diripuit thesaurum omnis vasis desiderabilis, id est peccatores ; sed prædestinatos, quos ad tempus possedit diabolus, convertit ad se, quemadmodum ait in Evangelio : Quum fortis armatus cu- *Luc.* XI, 21, 22. stodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet; si autem fortior illo supervenerit, universa vasa ejus diripiet.

Præterea quidam litteralius procedentes, per ventum urentem intelligunt ignem conflagrationis, per modum venti discurrentem, vel tempestatem seu turbinem fa-

ciem ejus præcessuram. Qui ignis ascendet de deserto, id est, in altum ascendet in tantum ut aqua diluvii ; siccabitque venas ejus, id est, humida deserti loca faciet arida. Comburetque insuper cuncta illic viventia, et diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis, id est, omnia mundi hujus concupiscibilia demolietur.

[Hoc loco pleraque Biblia cap. XIV ordiuntur.] POSTREMO Propheta ad decem tribuum vastitatem conscribendam revertitur. *Pereat,* id est, jam peribit et destruetur, *Samaria,*
1 id est, decem tribus, vel earum regio, sive metropolis. Samaria enim quandoque significat urbem in regno decem tribuum principalem, quandoque totam provinciam, aliquando populum habitatorem urbis sive provinciæ. *Quoniam ad iracundiam* [* alias *amaritudinem*] *concitavit Deum suum* per idololatriam. Quomodo autem Deus ad iracundiam concitetur, paulo ante ostensum [Osee XII, 14.] est. Juxta quem modum scriptum est in Baruch [Baruch IV, 7.] : Exacerbastis eum qui fecit vos, Deum æternum. *In gladio* Assyriorum *pereat* [* alias *pereant*], id est, occidatur pro parte : non enim omnes occisi fuerunt. *Parvuli eorum elidantur,* id est, conterantur, vel ad saxa percutiantur usque ad mortem : quemadmodum Persæ ac Medi alliserunt parvulos Babylonis, prout David et Isaias prædixerunt [Ps. CXXXVI, 9; Is. XIII, 16.]. *Et fetæ ejus,* id est uxores populi decem tribuum prægnantes, *discindantur,* id est, dirumpantur. Assyrii enim ex nimia crudelitate nec lactentibus neque prægnantibus pepercerunt, propter rebellionem Osee regis. Porro, quod ait Propheta quasi optando, Pereat, Elidantur, et, Discindantur, intelligi potest tripliciter : primo, per modum propheticæ prænuntiationis, ut sit sensus, peribunt, elidentur, discindentur ; secundo, per modum imprecationis, conformando se divinæ justitiæ, quia frequenter expedit incorrigibilibus in hoc mundo vastari ; tertio, ad insinuandum quid illi meruerint, ut quasi comminando perterreat pravos.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI TERTIIDECIMI TROPOLOGICA.

1 LOQUENTE *Ephraim,* id est, impiis principibus aut prælatis, qui magis tyranni quam rectores vocandi sunt, perversa jubentibus sive docentibus, *horror invasit Israel,* id est subjectos, præcipue bonos, qui illicita detestantur, nec tamen contradicere audent. Unde in Proverbiis habetur [Prov. XXIX, 2.] : Quum impii sumpserint principatum, gemet populus. *Et deliquit* populus, superiorum suorum pravitate subversus, *in Baal,* id est in vitiis idololatriæ similibus. Sic enim peccant, quorum deus venter est [Philipp. III, 19.], aurum, venus, aut proprius sensus. Maxime etenim nocet injustus prælatus aut princeps, qui subditis quasi exemplar objicitur. Ideo Salomon ait [Prov. XXVIII, 12.] : Regnantibus impiis ruinæ hominum. Porro qui hoc modo concutiuntur horrore, et propter jussa sive consilia aut violentiam præsidentium inducuntur ad culpam, imperfecti sunt, nec excusantur in toto, quum dicat Salvator [Matth. X, 28.] : Nolite timere eos qui occidunt corpus. Et in Ecclesiastico scriptum est [Eccli. IV, 33.] : Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te. Talis fuit sanctus Job [Job XXVII, 5, 6.] : Donec, inquit, deficiam, non recedam ab innocentia mea ; justificationem quam cœpi tenere, non deseram. Qui ergo Deum veraciter metuit, nec sic formidabit aliquem ut relinquat justitiam.

Feceruntque sibi conflatile de argento 2

suo. Per argentum designatur scientia ; A
per conflatile autem, confictum dogma,
vel sermo apparens et fallax. Conflatile
itaque sibi faciunt de suo argento, qui
apparentes ac fallaces doctrinas inducunt ;
vel verba ornata jactantiæ plena propo-
nunt, quales sunt hæretici et sophistæ, om-
Is. v, 21. nesque qui in propriis oculis sapientes
sunt, et suam scientiam aliis per verba
inania cupiunt ostentare; vel per blandos
dulcesque sermones satagunt fratres suos
Job xxxvi, 13. decipere, quales sunt simulatores et cal-
lidi, qui provocant iram Dei. Hæc omnia B
sunt similitudines idolorum, quia in his
velut in idolis delectantur. *Factura arti-
ficum totum est,* id est, nil utilitatis con-
tinetur in his ; sed aliud non sunt nisi
verba ventosa, artificioso eloquio colorata.
3 *Idcirco erunt quasi nubes matutina,* id
est, qui ista agunt, cito deficient, atque
in suis vanitatibus disperibunt, quemad-
Ps. LXVII, 3. modum scriptum est : Sicut deficit fu-
mus, deficiant ; sicut fluit cera a facie
ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.
Prov. x, 25. Unde in Proverbiis scriptum est : Quasi C
tempestas transiens non erit impius; ju-
stus autem quasi fundamentum æternum.
Qui etsi corporaliter vixerint atque floru-
erint, tamen spiritualiter moriuntur, imo
et annihilantur, quia peccatum nihil est,
et peccando fiunt homines nihil, secundum
Augustinum. Virtus enim facit hominem
gravem ac stabilem; vitium autem, levem
Is. LVII, 20. ac mobilem. Propterea Isaias ait : Impii
quasi mare fervens, quod quiescere non
Job XI, 14, 15. potest. In Job quoque dicitur : Si iniqui-
tatem abstuleris, eris stabilis. Denique D
præinducti recte dicti sunt nubes sine
Eccli. XV, 3. aqua, quoniam aquam sapientiæ salutaris
non habent, nec aquam Spiritus Sancti, de
Joann. IV, 14. qua adstruit Christus : Aqua quam ego
dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vi-
tam æternam. Hinc Judas in sua affirmat
Judæ 12, 13. Canonica : Hi sunt nubes sine aqua, quæ
a ventis circumferuntur, arbores autum-
nales, infructuosæ, bis mortuæ, eradica-
tæ, fluctus feri maris, despumantes suas
confusiones, sidera errantia, quibus pro-
cella tenebrarum conservata est usque in
æternum.
Ego autem cognovi te in deserto, in 5
terra solitudinis. Per desertum et terram
solitudinis, intelligi potest præsens sæcu-
lum nequam, in quo per gratiam Deus
non habitat; vel caro concupiscentiis ser-
viens, quæ est terra solitudinis, in qua
secundum Apostolum non habitat bonum, *Rom.* VII, 18.
nec habet cum spiritualibus gratiæ donis
communionem. In hoc deserto et terra hac
esse dicuntur, qui sæculariter aut carna-
liter vivunt, de quibus ad Romanos dicit
Apostolus : Qui in carne sunt, Deo placere *Ibid.* VIII, 8.
non possunt. Tales vero sunt aliqui ab
æterno electi, qui quum sint prædestinati,
quamvis ad tempus errant, finaliter perire
non possunt. Idcirco cognoscit eos, etiam
quando adhuc iniqui sunt, quia secundum
æternæ prædestinationis intuitum, inva-
riabiliter diligit eos, et de necessariis ad
salutem providet ipsis. Hinc ad Romanos
inducitur : Commendat autem caritatem *Ibid.* V, 8, 9.
suam in nobis Deus, quoniam quum ad-
huc peccatores essemus, Christus pro no-
bis mortuus est. Præterea plures sunt in
sæculo non sæculariter viventes, qui cum
sancto David dicere possunt : In terra de- *Ps.* LXII, 3.
serta et invia et inaquosa, sic in sancto
apparui tibi. Hos ergo in deserto cognoscit
Deus per approbationem.
Juxta pascua adimpleti sunt et saturati 6
*sunt; et elevaverunt cor suum, et obliti
sunt mei.* Hoc maxime competit atque at-
tribuitur divitibus et ingratis et similibus
his, quos Deus spiritualibus vel tempora-
libus bonis implevit. Sed ipsi quum in
honore essent, non intelligentes abusi sunt *Ps.* XLVIII, 13, 21.
donis Dei, et susceptis beneficiis facti in-
digni. Elevaverunt tumore superbiæ cor
suum, alios aspernando, et quasi non ac- I *Cor.* IV, 7.
ceperint gloriando, nec divinis jussionibus
obediendo. De qualibus Dominus ait apud
Isaiam : Filios enutrivi et exaltavi ; ipsi *Is.* I, 2.
autem spreverunt me. *Et ego ero eis quasi* 7
leæna. Istis utique Dominus horribilius
quam excogitari potest vel dici, occurrit
in hora mortis, et in die particularis eo-

rum ac universalis judicii. Ideo dicit Apo- A
Hebr. x, 31. stolus : Horrendum est incidere in manus
Is. LIX, 17. Dei viventis. De quo Isaias testatur : Quia
indutus est vestimentis ultionis. Et qui-
Sap. v, 18, 21. dam sapiens de ipso asserit : Armabit
creaturam ad ultionem inimicorum ; et
pugnabit pro illo orbis terrarum contra
insensatos. Ideo ait nunc, quod occurret
perversis quasi leæna, et *sicut pardus in*
via Assyriorum, id est dæmonum, quando
a dæmonibus vel angelis fuerint suo tri-
8 bunali oblati. Tunc exhibebit se eis seve-
rum, ut ursa catulis destituta, dirumpet- B
que interiora jecoris eorum, id est, vitam
gratiæ et gloriæ ipsis negabit; et consumet
eos in pœnis inferni, non ipsum esse, sed
omne bene esse tollendo ab eis, in tantum
quod appetibilius erit eis prorsus non es-
se, quam tam infeliciter esse.
9 *Perditio tua, Israel, ex te; tantummo-*
do in me auxilium tuum. Hoc unicuique
nostrum Dominus ait. Unde et Christus ait
Joann. xv, 5. discipulis : Sine me nihil potestis facere.
Job VI, 13. Et Job : Ecce, inquit, non est auxilium
II *Cor.* III, 5. mihi in me. Non enim sumus sufficientes C
cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.
Tota ergo spes nostra semper in Deo sit
fixa, omnisque præsumptio tollatur a no-
10 bis. *Ubi est rex tuus? Nunc salvet te.* Hoc
Jer. XVII, 5. dicitur his qui in hominibus sunt confisi,
et posuerunt carnem brachium suum : quos
in hora mortis nemo illorum potest de
Job x, 7. manu Dei eruere, juxta illud in Psalmo :
Ps. XLVIII, 8. Frater non redimit, redimet homo? *Dabo*
11 *tibi regem in furore meo, et auferam in*
indignatione mea : quia ut dictum est,
multi, exigentibus suis demeritis, merentur
infructuosum atque nocivum vel insuffi-
cientem sortiri prælatum seu principem.
Quibus etiam bonus prælatus quandoque
aufertur per mortem, vel alio modo, pro-
pter eorum ingratitudinem et peccata.
Colligata est iniquitas Ephraim, id est 12
impœnitentium, quia eorum peccata Deus
apud se retinet, qui non confitentur nec
pœnitent; *absconditum peccatum ejus,* id
est, talium culpas Deus quasi in scrinio
servat, ut præfixo tempore debitam inferat
pœnam. Quandoque autem peccatum dici-
tur bono modo absconditum, id est a Deo
indultum, quasi nunquam fuisset, et quasi
Deus id ignoraret; sicque fertur in Psal-
mo : Beati quorum remissæ sunt iniquita- *Ps.* XXXI, 1.
tes, et quorum tecta sunt peccata. *Dolores* 13
parturientis venient ei, id est omni re-
probo in hora mortis atque judicii, dicente
Apostolo : Quum dixerint, Pax et securi- I *Thess.* v, 3.
tas, tunc repentinus eis superveniet inte-
ritus, sicut dolor in utero habentis, et non
effugient. Tales quoque non stant in con-
tritione filiorum, quia cum imitatoribus
suis pariter pereunt.
Pereat Samaria, id est Ecclesia simu- 1
lans se custodire divina mandata, sed non (cap. XIV.)
vere efficiens ea. Samaria autem custodi-
tio interpretatur. *Parvuli eorum,* id est
discipuli malis magistris conformes, *eli-*
dantur; et fetæ ejus, id est personæ fecun-
dæ in malo, quæ alios quoque fovent in
vitio, *discindantur* in pœnis æternis.

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI ET ULTIMI : CONVERTERE, ISRAEL, AD DOMINUM DEUM TUUM.

POST increpationem Samariæ, totus D
nunc Israel ad pœnitentiam invitatur.
2 *Convertere, Israel, ad Dominum Deum*
tuum, avertendo cor tuum a bonis caducis
et vanis, ab inordinato affectu, a cogita-
tionibus malis, ab omni immunditia cul-
pæ, et serviendo Domino in sanctitate et *Luc.* I, 74, 75.
justitia coram ipso omnibus diebus tuis.

Deus enim est finis noster summus ac ul- A
timatus : idcirco ad eum debet esse tota
mentis conversio, atque ad ipsum quasi ad
finem ordinanda sunt omnia, ut nihil ame-
tur aut fiat, nisi in ipso et propter ipsum.
Jer. IV, 1. Unde per Jeremiam locutus est : Si rever-
teris, Israel, ad me convertere. *Quoniam
corruisti in iniquitate tua,* id est, propter
peccata tua hostibus traditus es et occisus.
Si sic exponatur, non erit referendum ad
eosdem numero, sed specie, eo modo quo
Ps. LXXVII, 34. legitur in Psalmo : Quum occideret eos,
quærebant eum, et revertebantur, et dilu- B
culo veniebant ad eum. Vel sic : Corruisti
in iniquitate tua formaliter, ita quod ipsa
ruina est iniquitas tua. Peccatum enim est
lapsus animæ a statu virtutis, ab elevatione
in Deum, a rectitudine æquitatis. Corruisti
ergo per idololatriam ac cetera vitia.

Quid autem agere debeant se converten-
3 do ad Deum, subjungitur. *Tollite vobis-
cum verba,* id est, verba in cordibus ve-
Ps. CXVIII, 11. stris infigite, ne peccetis : juxta illud, In
corde meo abscondi eloquia tua, ut non
peccem tibi. Tollite quoque vobiscum ver- C
ba, divinis præceptis parendo, et verba
confessionis, divinæ laudis ac propriæ ini-
quitatis assumite. *Et convertimini ad Do-
minum,* per contemplationem amorosam,
operationem virtuosam, profectum quoti-
dianum ac incessantem, ut sitis toto corde
erecti, fixi ac simplificati in eo. Ad illud
enim debet esse conversio, a quo est pro-
cessio ; et unumquodque perficitur, quum
suo principio copulatur. Quoniam ergo ra-
tionalis anima a Deo per creationem pro-
cedit, non potest perfici nisi per conversi- D
onem suam ad ipsum.

Et dicite ei devote orando : *Omnem
aufer iniquitatem,* id est, omnia nostra
dimitte peccata venialia atque mortalia.
Non autem aufertur peccatum, nisi per
gratiæ infusionem, quæ justificat et grati-
ficat impium. Oportet autem auferri mor-
tale peccatum, antequam meritorium sit
nostrum obsequium. Propter quod scri-
Ps. XXXVI, 27. ptum est : Declina a malo, et fac bonum. *Et
accipe bonum,* id est, opus nostræ ser-
vitutis habe acceptum, parcendo nostræ
imperfectioni, nostramque fragilitatem cle-
menter pensando. Quum enim nostræ ju-
stitiæ sint quasi pannus menstruatæ, indi- *Is.* LXIV, 6.
gemus semper Deum humiliter deprecari,
ne propter imperfectiones, evagationes, ne-
gligentiasque admixtas despiciat nostrum
obsequium : quod utique imperfectum est
valde, præsertim si divinæ naturæ consi-
deretur majestas, cui cum infinita reve-
rentia serviendum esset, si foret possibile.
Hinc orat Psalmista : Oculi tui videant *Ps.* XVI, 2.
æquitatem. Hoc etiam orat omnis qui bene
advertit Deum dixisse : Quum accepero *Ps.* LXXIV, 3.
tempus, ego justitias judicabo. Dicamus
ergo humiliter : Imperfectum meum vide- *Ps.* CXXXVIII, 16.
runt oculi tui. *Et reddemus vitulos,* id
est sacrificia, quæ per vitulos designan-
tur : quia in veteri Testamento fiebant de
vitulis sacrificia. Itaque, Reddemus vitu-
los *labiorum nostrorum,* id est sacrificium
laudis, gratiarum actionem, orationem. Et
quidquid ore ad Dei laudem profertur, tibi,
o Domine, offerimus, qui dixisti : Sacrifi- *Ps.* XLIX, 23.
cium laudis honorificabit me. Propter quod
ibidem rursus hortatur Psalmista : Immo- *Ibid.* 14.
la Deo sacrificium laudis, et redde Altissi-
mo vota tua.

Insuper dicite : *Assur non salvabit nos,* 4
id est, in adversitate non confugiemus ad
regem Assyriorum, aut aliquem principem
mundi, nec in homine ponemus spem no-
stram ; *super equos non ascendemus,* nec
in velocitate equorum sperabimus : quo-
niam fallax equus ad salutem. Et Salomon *Ps.* XXXII, 17.
dicit : Equus paratur ad diem belli, Domi- *Prov.* XXI, 31.
nus autem salutem tribuet. Et Isaias : Di-
xistis : Ad equos fugiemus; ideo fugietis : *Is.* XXX, 16.
et super veloces ascendemus; ideo veloces
erunt qui persequentur vos. *Nec dicemus
ultra : Dii nostri* sunt *opera manuum no-
strarum :* id est, idola manufacta non
amplius vocabimus deos nostros ; sed te
solum verum Deum colemus, quemadmo-
dum Moyses jussit : Dominum Deum tuum *Deut.* VI, 13.
timebis, et illi soli servies. Hæc autem fi-
ducialiter oramus, o Domine, *quia ejus qui
in te est, misereberis pupilli,* id est populi

Israel ad te elamantis, et in te per gratiam
exsistentis, qui dudum male agendo amisit
Patrem cœlestem, et nunc pœnitendo re-
Ps. x, 14, sec. Hebr. linquit patrem diabolum. Tibi enim dere-
lictus est pauper; orphano tu eris adjutor.
Eis nempe Deus facillime miseretur, qui
humano destituti sunt solatio, nec aliud
quam Deum habent refugium. Propterea
Deut. x, 17, 18. in Deuteronomio Moyses loquitur : Domi-
nus Deus vester, Deus deorum est, et Domi-
nus dominantium, Deus magnus, et potens
atque terribilis, qui personam non accipit,
nec munera, facit judicium pupillo et vi-
duæ, amatque peregrinum. Hoc quoque
Ps. CXLV, 9. cantat Psalmista : Dominus custodit adve-
nas, pupillum et viduam suscipiet.

Post admonitionem Prophetæ Dominus
5 promittit spem veniæ. *Sanabo contritio-
nes eorum,* id est, peccata quæ sunt vul-
nera animæ, tollam, et vires per peccatum
læsas ac deformatas, reformabo ac con-
fortabo. Unde apud Jeremiam Dominus
Jer. III, 22. spondet : Convertimini ad me, et sanabo
aversiones vestras. Sic sanatus fuit qui
Ps. CII, 1, 3. cecinit : Benedic, anima mea, Domino, qui
propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui
sanat omnes infirmitates tuas. *Diligam eos
ego* : de quo scriptum est in Proverbiis,
Prov. VIII, 17. Ego diligentes me diligo; et in Sapientiæ
Sap. XI, 27. libro, Parcis omnibus, Domine, quoniam
tua sunt qui amas animas. Itaque, Diligam
eos, volendo ac tribuendo eis bona gratiæ
in præsenti, bona gloriæ in futuro, *spon-
tanee,* id est gratis, sola misericordia et
voluntate libera atque piissima. Propter
I *Joann.* IV, 19. quod ait Joannes : Diligamus Deum, quo-
niam ipse prior dilexit nos. Amor enim
Dei prævenit nos, et causat omne bonum
in nobis. Denique, licet alia a se de neces-
sitate cognoscat, non tamen de necessitate,
sed libere vult et diligit ea, sicut Thomas
ostendit in prima parte. *Quia aversus est
furor meus ab eis,* id est, effectus justitiæ
in effectum clementiæ est conversus. Unde
Is. LX, 10. per Isaiam loquitur Dominus : In indigna-
tione mea percussi te, et in reconciliatione
Ps. CII, 9. *Habac.* III, 2. mea misertus sum tui. Non enim in per-
petuum irascetur; et quum iratus fuerit,
misericordiæ recordabitur. Juxta hunc mo-
dum scriptum est secundo Machabæorum :
Ira Domini in misericordiam conversa est. II *Mach.* VIII, 5.

Ero quasi ros, id est, corda eorum rore 6
gratiæ adimplebo, et in bonis operibus fe-
cundabo. Sicque *Israel germinabit sicut
lilium,* id est, electi filii Israel virore vir-
tutum et vitæ munditia pullulabunt atque
splendebunt, nec erunt arbores steriles.
Hoc de quocumque fideli, gratia Dei per-
fuso, accipi potest, qui Christi sectatur ve-
stigia, dicentis in Canticis : Ego flos campi *Cant.* II, 1.
et lilium convallium. Hinc Dominus ait in
Isaia : Noli timere, serve meus Jacob, ef- *Is.* XLIV, 2, 3.
fundam spiritum meum super semen tu-
um, et benedictionem meam super stirpem
tuam. *Et erumpet radix ejus,* id est vo-
luntas ejus, in qua est origo merendi ac de-
merendi, vel radix est omnis potentia boni
operis productiva : quæ erumpet, id est, in
actum virtutis extendetur, *ut Libani,* id
est copiose ac firmiter, sicut radices arbo-
rum quæ nascuntur in monte qui dicitur
Libanus, quanto altius crescunt, tanto pro-
fundius radices transmittunt, secundum
Glossam.

Ibunt rami ejus, id est, virtutes et dona 7
Spiritus Sancti ei concessa, vel fructus et
opera, tendent in melius, et perfectionem
suscipient, ita ut dilatentur ad alios in
exemplum ac subventionem, qui sub ra-
mis illis quiescant ac protegantur, adjuti
meritis talium. *Et erit quasi oliva gloria
ejus.* Per olivam quæ semper permanet in
virore, de qua oleum oritur, significatur
immarcescibilitas gratiæ, exhibitio operum
misericordiæ, et illuminatio aliorum per
conversionem exemplarem idoneamque do-
ctrinam. Est igitur sensus : Gloria ejus, id
est excellentia gratiæ populi Israel, vel
beatitudo ejus futura, similis erit olivæ,
perseverando jugiter in vigore, aliis quo-
que misericorditer succurrendo, et verbo
ac opere proximis lucendo, juxta illud Mat-
thæi : Luceat lux vestra coram hominibus. *Matth.* V, 16.
Verum hæc duo ultima, scilicet miseri-
corditer subvenire, proximisque lucere ut
proficiant merito, non habent locum in

patria : nihilo minus comprehensores via- A
toribus succurrunt ac lucent. *Et odor ejus,*
id est fama virtutum, erit *ut Libani,* id
II *Cor.* II, 15. est thuris, ut sit bonus odor Dei in omni
loco : quoniam fama justi dulcis est audi-
tui cordis, quemadmodum odor thuris na-
ribus corporis. Libanus autem, secundum
Hieronymum, pro monte et pro thure ac-
cipitur, hicque pro thure suscipitur. Potest
tamen sumi pro monte prædicto, qui quum
sit fertilissimus et arborum ramis opertus,
potest esse boni odoris.
8 *Convertentur* veri Israelitæ, proficiendo B
in caritate et gratia, *sedentes in umbra*
ejus, id est, sub divinæ pietatis protectione
Ps. XVI, 8. quiescentes. Pro quo orat Psalmista : Sub
Ps. LX, 5. umbra alarum tuarum protege me; et, Pro-
tegar in velamento alarum tuarum. *Vivent*
tritico, id est, omnium rerum abundantia
Matth. VI, 33. perfruentur, sicut ait Salvator : Quærite
primum regnum Dei et justitiam ejus, et
hæc omnia adjicientur vobis. Et in Isaia :
Is. I, 19. Si volueritis, inquit, et audieritis me, bo-
na terræ comedetis. Potest quoque per
Eccli. XV, 3. triticum intelligi panis vitæ et intellectus. C
De hac sessione et refectione ait in Canti-
Cant. II, 3. cis Sponsa : Sub umbra illius quem de-
siderabam, sedi; et fructus illius dulcis
gutturi meo. Prophetæ namque per corpo-
ralia, spiritualia explicant bona. *Et ger-*
minabunt, id est, in bonis operibus, in
actibus contemplationis et caritatis, in alio-
rum instructione, conversione seu spiri-
tuali generatione, fecundi erunt, *quasi vi-*
Is. V, 7. *nea :* nam, Vinea Domini Sabaoth, domus
Israel est. Vinea quoque profert optimum,
odoriferum, lætificativum ac fortissimum D
fructum : ita et viri perfecti. *Memoriale*
ejus, id est nomen, fama seu commemo-
ratio populi hujus, erit *sicut vinum Liba-*
ni, id est, pretiosa, dulcis atque continua
erit propter excellentem gratiam sibi col-
Prov. X, 7. latam. Memoria enim justi cum laudibus,
Ps. CXI, 7. ut Salomon ait. Et, In memoria æterna erit
justus. Unde in Ecclesiastico scriptum est :
Eccli. XLIV, 14. Vivent nomina eorum in generationem et
generationem. Porro vinum Libani est, vel
quod in templo Domino offerebatur secun-
dum legem (de quo Libano loquitur Za-
charias : Aperi, Libane, portas tuas), vel, *Zach.* XI, 1.
quod diversis pigmentis conditum est, seu
thymiamate mixtum, ut suavissimum fun-
dat odorem.
Ephraim, quid mihi ultra idola? id 9
est, o decem tribus seu filii Israel, quum
tantam vobis promiserim gratiam, quid
de cetero idola mihi opponitis, et contra
me colitis? Vel sic : Ephraim dicet, Quid
mihi ultra idola? id est, quid ad me spe-
ctant? Quasi dicat : Toto corde ea detestor.
Ego exaudiam et dirigam eum per semitas
æquitatis in finem felicitatis æternæ. Unde
in Isaia scribitur : Ad vocem clamoris tui, *Is.* XXX, 19.
statim ut audierit, respondebit tibi. Deni-
que alio loco per eumdem Isaiam aliquid
plus Dominus spondet : Antequam cla- *Ibid.* LXV, 24.
ment, exaudiam eos. Hoc est quod ait
Psalmista : Desiderium pauperum exaudi- *Ps.* X, 17, sec. Hebr.
vit Dominus; præparationem cordis eorum
audivit auris tua. *Ego ut abietem viren-*
tem faciam eum, dando ei virorem in fide
et caritate, quatenus renovatus in anima,
contempletur cœlestia. Abies autem no-
men est arboris. Deinde Dominus mutans
in loquendo personam, alloquitur popu-
lum istum. *Ex me,* id est dono gratiæ
meæ, *fructus tuus inventus est,* id est,
conversatio tua fructuosa processit, quia
in me tantum auxilium tuum. Unde et *Osee* XIII, 9.
Isaias, Omnia (inquit) opera nostra opera- *Is.* XXVI, 12.
tus es in nobis; et Apostolus, Deus est qui *Philipp.* II, 13.
operatur in nobis et velle et perficere pro
bona voluntate.
Quis sapiens, et intelliget ista, quæ in 10
libro prophetico obscurissime ac profun-
dissime dicta sunt sub diversis figuris at-
que metaphoris? et quis *intelligens, et*
sciet hæc? Tanquam dicat : Rarus est talis,
et nemini possibile est hoc, nisi per Spiri-
tum Sanctum clementissimum illustretur.
Denique, ante Christi adventum scripturæ
Prophetarum obscuræ erant valde, et in-
sufficienter expositæ; sed per Christum, et
ejus Apostolos atque discipulos, sanctos
quoque doctores, declarata sunt nobis ab-
dita Scripturarum, et patefacta mysteria :

in cujus signum Christo moriente scissum A
Matth. xxvii, 51. est velum templi a sursum usque deor-
sum. Hoc loco dicit Hieronymus : His ver-
bis Osee obscuritatem voluminis sui et
difficultatem explanationis ostendit. Si au-
tem ipse qui scripsit, vel difficile vel im-
possibile confitetur : quid nos facere pos-
sumus, qui lippientibus oculis et peccato-
rum sordibus obscurati, clarissimum solis
jubar non possumus intueri, nisi dicamus :
Rom. xi, 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ
Dei, etc. ? Insuper verbis his simile est illud
Ps. cvi, 43. in Psalmo : Quis sapiens, et custodiet hæc? B
Quia rectæ, id est justæ et sanctæ, sunt
viæ Domini, id est divina præcepta et do-
Prov. iii, 17. cumenta : de quibus Salomon loquitur, Viæ
ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus
Ps. xviii, 8. pacificæ ; et Psalmista, Lex Domini imma-
culata, etc. *Et justi ambulabunt in eis,* id
est, fide et opere adimplebunt, atque in
cunctis obedient et vere cognoscent; *præ-
varicatores vero corruent,* id est peccabunt,
in eis, id est in transgressione earum : vel
in cœptis non perseverando, ut inconstan-
Luc. viii, 13. tes qui ad tempus credunt et bene agunt, C
sed in tempore tentationis deficiunt; vel
penitus recedendo ab eis, ut illi qui nec
bonum incipiunt.

Hæc expositio procedit secundum dicta
Hieronymi, qui dicit capitulum istud re-
ferri ad tempus Christi, secundum anago-
gen. Unde, secundum eum, refertur littera-
liter ad aliud tempus, non tamen explicite
docet ad quod. Beda vero affirmat, quod
Propheta in isto capitulo litteraliter decem
tribus, quæ vitulos aureos adoraverunt,
alloquitur. Verumtamen intuenti litteram D
hujus capituli constat, quod in isto popu-
lo non sint impleta quæ in hoc sunt ca-
pitulo dicta. Unde alii referunt ad tempus
II *Par.* xxx. Ezechiæ, ad cujus admonitionem populus
Juda et quidam ex reliquiis decem tri-
buum pœnituerunt et profecerunt in bo-
no, videntes populi Israel captivitatem.
Alii referunt ad tempus reversionis a Baby-
lonica captivitate, in quo Judæi in magna
fuerunt prosperitate certis temporibus,
Judith xv. scilicet post occisionem Holofernis (ut di-

citur in libro Judith), et sub Simone fratre I *Mach.* xiv, 4 *et seq.*
Judæ Machabæi. De quo Jeremias evidenter *Jer.* xxxii, 37.
prædixit.

Porro nonnulli referunt totum istud ca-
pitulum ad litteram pro tempore Christi,
quando incarnatus inter homines conver- *Baruch* iii, 38.
sari dignatus est. Quod probant, quia in
isto capitulo, ubi nos habemus, Conver- vers. 8.
tentur sedentes in umbra ejus, translatio
Chaldaica apud Hebræos authentica, atque
Hebraicæ veritatis in locis obscuris decla-
rativa, sic continet : Congregabuntur de
filiis captivitatum suarum, habitabunt in
umbra Messiæ sui. Hæc autem expositio
quum sit catholica, breviter est tangenda.

Convertere, Israel, ad Dominum Deum Expositio anagogica.
tuum. Sic prædicavit Judæis Joannes Bapti- 2
sta, dicendo : Pœnitentiam agite. *Tollite* *Matth.* iii, 2.
vobiscum verba. Non dicit, Bruta animalia, 3
aut similia sacrificia legalia : quia in novo
Testamento hæc cessaverunt, sed sacrifi-
cium laudis jugiter manet. *Et dicite ei,*
videlicet Christo : *Omnem aufer iniquita-
tem.* Christus namque peccatum originale
et actuale sua abstulit passione, quemad-
modum in Isaia dicitur : Vulneratus est *Is.* liii, 5.
propter iniquitates nostras, attritus est
propter scelera nostra. Propter quod in
Actibus Paulus dixit Judæis : Per hunc *Act.* xiii, 38.
vobis annuntiatur remissio peccatorum,
ab omnibus a quibus non potuistis in lege
Moysis justificari. *Et reddemus vitulos la-
biorum nostrorum.* Non dicit, Vitulos sta-
bulorum, sed labiorum, quia carnales jam
cessaverunt hostiæ. Unde primitiva Eccle-
sia sacrificium laudis Deo devotissime ob- *Ibid.* ii, 42-47.
tulit, ut patet in Actibus. *Assur non sal-* 4
vabit nos. Primitiva nempe Ecclesia non
armis neque humanis auxiliis contra per-
secutores suos bellavit, sed precibus, juxta
illud Actuum : Et nunc, Domine, respice *Ibid.* iv, 29.
in minas eorum, et da servis tuis cum om-
ni fiducia loqui verbum tuum. Et quum *Ibid.* 31.
orassent, motus est locus in quo erant, et
repleti sunt omnes Spiritu Sancto.

Sanabo contritiones eorum. Venit enim 5
Filius hominis quærere et salvum facere *Luc.* xix, 10.

quod perierat. De quo Isaias prædixit : A
Is. LIII, 4. Vere languores nostros ipse tulit, et dolo-
res nostros ipse portavit. *Diligam eos spon-
tanee.* Hoc est quod apud Joannem conte-
Joann. XV, 9. statur discipulis : Sicut dilexit me Pater, et
Ibid. 16. ego dilexi vos; et, Non vos me elegistis,
Ibid. XIII, 1. sed ego elegi vos. Præterea, Quum dilexis-
set suos qui erant in mundo, usque in
6 finem dilexit eos. *Ero quasi ros,* invisibi-
liter veniendo in Virginem, et fecundando
Ps. LXXI, 6. eamdem, juxta illud in Psalmo : Descendet
sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia
stillantia super terram. Ero etiam quasi B
ros, corda discipulorum per sapientiam
irrigando, per gratiam fecundando, per ca-
ritatem divinam a carnali amore refrige-
rando.

Israel, id est primitiva Ecclesia ex Ju-
dæis collecta, *germinabit sicut lilium,*
conversando inter se virtuose, et totum
pene mundum ad Christum convertendo,
atque in ipso regenerando, quemadmodum
I Cor. IV, 15. loquitur Corinthiis Paulus : In Christo Je-
su per Evangelium ego vos genui. Propter
Is. XXVII, 6. quod Isaias prænuntiavit : Qui ingrediun- C
tur impetu de Jacob, implebunt faciem
Ps. XVIII, 5. orbis semine; et Psalmista, In omnem ter-
ram exivit sonus eorum. *Et erumpet radix
ejus,* id est Christus radix Ecclesiæ, de
Is. LIII, 2. quo apud Isaiam scriptum est : Ascendet
sicut virgultum coram eo, et sicut radix
de terra sitienti. Propter quod ait in Apo-
Apoc. XXII, 16. calypsi : Ego sum radix et genus David,
stella splendida et matutina. *Ut Libani.*
Hoc factum est, quando Christus Aposto-
los aliosque discipulos protulit, tanquam
Joann. XV, 1, 5. ramos pulcherrimos, quibus ait : Ego sum D
7 vitis vera, et vos palmites. *Ibunt rami
ejus* de bono in melius. Imo per totum
mundum cucurrerunt Apostoli atque di-
Marc. XVI, 15. scipuli Christi, quibus dixit : Euntes in
mundum universum, prædicate Evange-
lium omni creaturæ. *Et erit quasi oliva
gloria ejus.* Nam gratia Christi omnibus
clementer subvenit, et beatitudo ejus nun-
quam marcescit. *Et odor ejus, ut Libani*
odor erit. Fama enim Christi ubique cun-
ctis fidelibus dulcissimus odor est. Et sic-
ut Apostoli erant bonus odor Christi, sic II Cor. II, 15.
Christus fuit bonus odor Dei. De quo odo-
re dicit Sponsa in Canticis : Trahe me Cant. I, 3.
post te, curremus simul in odorem un-
guentorum tuorum; et denuo, Odor oris Ibid. IV, 10; VII, 8.
tui super omnia aromata.

Convertentur sedentes in umbra ejus, id 8
est Christi, sicut nunc dictum est. Sub cu-
jus protectione habitavit primitiva Eccle-
sia, imo et tota semper moratur Eccle-
sia, cui promisit in Evangelio : Ecce ego Matth. XXVIII, 20.
vobiscum sum cunctis diebus usque ad
consummationem sæculi. Hinc scriptum
est in Threnis : Spiritus oris nostri Chri- Thren. IV, 20.
stus Dominus captus est in peccatis no-
stris : cui diximus, In umbra tua vivemus
inter gentes. *Vivent tritico,* id est Sacra-
mento altaris, quod consecratur in pane
triticeo : de quo ait Salvator in Joanne :
Qui manducat hunc panem, vivet in æter- Joann. VI, 59.
num. *Et germinabunt quasi vinea :* quia
ut dictum est, vinea Christi est Ecclesia
militans, in operibus bonis fructificans.
Ephraim dicet, *Quid mihi ultra idola ?* 9
Hoc quidam exponunt sic, quod aliqui ex
decem tribubus, habitantes et idola co-
lentes in terra Assyriorum, ad prædicatio-
nem Apostolorum crediderunt, et idola
penitus abjecerunt. *Ego exaudiam et di-
rigam eum.* Unde Christus ait in Evan-
gelio : Quodcumque petieritis Patrem in Ibid. XIV, 13.
nomine meo, hoc faciam, ut clarificetur
Pater in Filio; et item, Omnis qui petit, Luc. XI, 10.
accipit.

Quis sapiens, et intelliget ista ? tan- 10
quam dicat : Pauci ex Judæis convertentur
ad Christum, nec ejus gratiam atque my-
steria nunc descripta intelligent. Hoc dicit
Propheta admirando cæcitatem Judæorum,
quod scilicet tam pauci respectu aliorum
credituri essent in Christum. Juxta quem
modum loquitur Isaias : Domine, quis cre- Is. LIII, 1.
didit auditui nostro? et brachium Domini
cui revelatum est? *Quia rectæ viæ Domi-
ni,* id est præcepta atque consilia Christi ;
et justi ambulabunt in eis per obedientiam
sanctam, puta Apostoli ceterique electi Ec-
clesiæ, de quibus Christus ait ad Patrem :

Joann. xvii, 14, 6, 25. Ego sermonem tuum dedi eis, et ipsi ser- A
vaverunt, et cognoverunt quia tu vere me
misisti. *Prævaricatores vero corruent in*
eis, videlicet obstinati Judæi : de quibus
Luc. ii, 34. Simeon dixit : Ecce positus est hic in rui-
nam et in resurrectionem multorum in Is-
Joann. ix, 39. rael. Et ipse Salvator : In judicium, inquit,
ego in hunc mundum veni : ut qui non
vident, videant ; et qui vident, cæci fiant.

Expositio moralis. Postremo, quomodo omnia ista de quo-
libet justo moraliter accipi queant, patet
ex præinductis. Cuilibet namque fideli B
1 præcipitur : *Convertere, Israel, ad Domi-*
num Deum tuum. Qui conversus et rore
Christi perfusus, germinat quasi lilium,
juxta illud in Psalmo : Justus ut palma Ps. xci, 13.
florebit, sicut cedrus Libani multiplicabi-
tur. Producit enim candidissimos fructus
Spiritus Sancti : de quibus ad Galatas te-
statur Apostolus : Fructus Spiritus est, Galat. v, 22.
caritas, gaudium, pax, patientia, etc. ; et
Christus, Qui manet (inquit) in me, hic Joann. xv, 5.
fert fructum multum. *Ibunt rami ejus,* id 7
est, opera ejus pertingent in finem vitæ
æternæ. *Et erit quasi oliva gloria ejus.*
Hoc plene expositum est. Talem quoque
dignetur Christus facere quemlibet no-
strum, ut cum viro sancto dicamus felici-
ter : Ego autem sicut oliva fructifera in Ps. li, 10.
domo Dei. Qui est super omnia Deus su-
blimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO

IN JOELEM PROPHETAM

PROŒMIUM

SANCTUS Hieronymus præmittit huic Prophetæ prologos duos, qui habentur in Bibliis. Primus incipit : Sanctus Joel apud Hebræos post Osee ponitur. Secundus vero sic incipit : Joel filius Phatuel. Porro in prologis seu præfationibus istis aliqua dicit Hieronymus, quæ sibi invicem videntur contraria. In primo siquidem ait prologo, quod quidquid in hoc Propheta dicitur, ad tribum Juda et ad Jerusalem pertinere credendum est. In secundo autem asserit prologo, quod terram duodecim tribuum describit, eruca, brucho, locusta, atque rubigine esse consumptam. Et idem affirmat, in epistola ad Paulinum de omnibus divinæ Scripturæ libris. Hinc quidam dicit, quod de dicto Hieronymi hoc loco, parum videtur esse tenendum, et quod Joel prophetavit non solum contra duas tribus, quæ nomine Juda signantur, sed et contra alias decem : et in hoc sequitur quemdam Hebræorum doctorem.

Verumtamen nullo modo opinor quod Hieronymus tam apertam, quantum ad sensum, posuerit contradictionem, præsertim circa eumdem locum. Imo si verba ejus diligenter pensentur, potest (ni fallor) rationabilis dari concordia. Ait enim in prologo, quod sicut in Osee ad decem tribus confertur vaticinium, ita in Joele totum ad Judam et Jerusalem pertinere credendum est, nullamque Israelis seu decem tribuum in hoc Propheta fieri mentionem. Itaque, sicut Osee non sic loquitur decem tribubus, quin et aliqua de duabus tribubus inserat, ut patet ex dictis in Osee, et omnes concorditer id fatentur : sic Hieronymus non sic dicit totum Joelis vaticinium ad tribum Juda pertinere, quin et aliquid ad decem pertineat tribus ; quod tamen permodicum et pene nihil est, unde nec reputatur. Idcirco dicit Hieronymus, quod nullam facit decem tribuum mentionem, quia videlicet nihil specialiter tractat aut vaticinatur de eis, nec exprimit nomen earum. Et hoc ipsum quod communiter refert de terra duodecim tribuum, ad tribum Juda specialiter refertur ac pertinet, ad quam omnia spectant sequentia. Præterea, sicut in tertio prologo scribitur, et habetur in Glossa, Joel de tribu Ruben natus est in agro Bethoron, ubi et mortuus est in pace atque sepultus. Quum ergo fuerit de populo decem tribuum, verisimile est quod non omisisset aperte redarguere eas, et specialem earum mentionem inducere, si contra eas loqui directus seu missus a Deo fuisset.

Dicit quoque Hieronymus, quod eodem tempore prophetavit quo Osee, videlicet in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, et in diebus Jeroboam regis *Osee* I, 1.
Israel. Nam apud Hieronymum pro regula est, quod Prophetæ titulo tempus certum exprimente carentes, sub eisdem regibus vaticinati sunt, sub quibus illi qui ante eos hujusmodi titulum habent. Hujus autem quidam tenent oppositum, asserentes Joelem prophetasse tempore Joram filii Achab regis Israel : qui Joram diu mortuus fuit ante Oziam, ut patet ex quarto Regum. Sed hoc dictum procedit secundum eos qui dicunt Joelem etiam decem tribubus prophetasse. Magis autem consentiendum est S. Hieronymo. IV *Reg.* III, 1; VIII, 16, 17; IX, 29; XII, 1; XIV, 1, 2; XV, 1.

ENARRATIO

IN JOELEM PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI : VERBUM DOMINI, QUOD FACTUM EST AD JOEL FILIUM PHATUEL.

PRÆMITTIT Joel libro suo breve pro- A
œmium, quod finitur ibi, Audite. Ita-
1 que ait : *Verbum Domini,* id est sermo
propheticus, *quod factum est ad Joel fi-
lium Phatuel,* id est per angelicam sub-
ministrationem inspiratum, et interna sive
externa locutione divinitus dictum Joeli
filio Phatuelis : qui Phatuel creditur fuis-
se propheta, juxta regulam Hebræorum,
dicentium omnes illos fuisse prophetas,
qui in titulis Prophetarum ponuntur ut
patres eorum. Vel potest intelligi de in-
creato Verbo Patris æterni Unigenito Dei, B
ut sit sensus : Verbum Domini, de quo
Joann. I, 1. scriptum est, In principio erat Verbum,
est illud quod factum est ad Joel, id est
Joeli locutum ac manifestatum per illus-
trationem propheticam. Porro propheticæ
illuminationes, ut frequentius, factæ sunt
per locutionem internam atque imagina-
riam visionem, sive in somno, sive in
vigilia per abstractionem a sensu exterio-
ri. Interdum tamen factæ sunt per exte-
Dan. IX, 21, 22; X, 9 *et seq.* riorem apparitionem ac sensibilem allo-
cutionem, ut patet de Daniele. Aliquando C
etiam factæ sunt per solam intellectualem
illustrationem : quod tamen, secundum
Thomam, conditionem propheticæ cogni-
tionis aliquo modo transcendit, sicut in
David.

Consequenter Propheta ex magnitudine
dicendorum, auditores reddit attentos. Pro-
vocans ergo ad dicendorum advertentiam
diligentem : *Audite,* inquit, *hoc* quod di- 2
cam, o *senes,* id est, auribus cordis et
corporis verba mea advertite ; *et auribus
percipite, omnes habitatores terræ,* id est,
ceteri omnes seu populares. Per senes ve-
ro accipi possunt non solum antiquiores
ætate, sed judices ordinarii, qui septuagin-
ta senioribus a Moyse constitutis successe- *Num.* XI, 16, 24.
runt. Senes autem qui experientia, ma-
turitate atque scientia eminent, honorandi
sunt, et merito prænominandi, quemad-
modum in Levitico dicitur : Coram cano *Lev.* XIX, 32.
capite consurge, et honora personam se-
nis. Hoc ergo pensate, *si factum est istud*
quod dicam, id est, an simile aliquid con-
tigit, *in diebus vestris, aut in diebus pa-
trum vestrorum.* Tanquam dicat : Nec in
diebus vestris, nec tempore parentum ve-
strorum tale quid accidit. Per patres au-
tem, non solum proximos genitores, sed
et avos atavosque significat, secundum
Hieronymum. An tamen omnes illos us-
que ad Abraham, non est certum. Sumi-
tur autem hoc loco *si,* pro non, sicut in
Psalmo : Si introiero in tabernaculum do- *Ps.* CXXXI, 3.
mus meæ, si ascendero in lectum strati
mei ; et in Isaia : Juravit Dominus, Si di- *Is.* XXII, 14.

mittetur vobis iniquitas hæc, donec moriamini.

3 *Super hoc,* id est de ista materia tam miranda, *filiis vestris narrate* quæ auditis
Is. XXXVIII, 19. a me, ut pater filiis notam faciat veritatem. Pater enim debet filio educationem, correctionem et instructionem. *Et filii vestri filiis suis* eadem narrent, *et filii eorum generationi alteræ,* id est, posteris suis hæc recitent, ut nulla oblivione deleantur. Vel, Generationi alteræ, id est genti alienæ. Quod impletum est per Apostolos, qui gentilibus ad fidem conversis hæc nuntiaverunt, et usque in præsens a Christianis memoriter recoluntur. Simile huic exhortationi est illud in Psalmo :
Ps. LXXVII, 5, 6. Quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera ; filii qui nascentur et exsurgent, et narrabunt filiis suis. Quo enim fuerint opera Dei mirabiliora, majora aut rariora, eo sunt amplius recolenda.

Deinde ponitur narratio, incipitque tra-
4 ctatus. *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.* Eruca est vermis qui in oleribus maxime invenitur ac nascitur. Bruchus autem et locusta sunt unius speciei. Nam bruchus est proles locustæ : qui quum fuerit alatus, cœperitque volare, vocatur locusta, quæ est animal breve ac parvum. Rubigo vero vocatur corruptio seu vitium segetum, quando scilicet teneræ fruges nocivo rore aut vento percussæ, faciunt pauca aut nulla grana, ita quod culmi seu stipulæ et spicæ in ruborem quemdam vertuntur.

Hunc locum doctores diversimode exponunt. Judæi autem, ut refert Hieronymus, dicunt hæc litteraliter accidisse, ita quod tempore Joelis vel circiter, venerunt innumerabiles locustæ in terram promissionis, quæ non solum fruges, sed insuper vinearum ac arborum ramos et cortices consumpserunt ; quod vero locustis residuum mansit, bruchus subsequens devoravit. Unde et aliqui expositores catholici, A sequentes in hoc dicta Hebræorum, dicunt quod in terram duodecim tribuum venerunt successive hæ quatuor pestes seu plagæ, ita quod terræ nascentia primo ab erucis corrosa sunt ; secundo a locustis, vorantibus pro magna parte quod superfuit erucis ; tertio a bruchis, comedentibus partim residua locustarum ; quarto a rubigine, quæ totum consumpsit quod reperit. Unde et Glossa dicit quia historialiter potuit esse, quod hæc omnia simul venerunt tempore Eliæ et Achab, quando B facta est fames et siccitas annis tribus et mensibus sex. Alii referunt ad famem factam tempore Elisei et Joram filii Achab, durantem septem annis : de qua Eliseus prænuntiavit mulieri Sunamiti, consulens ut pergeret in terram Philistinorum, ut legitur quarto Regum. Sic ergo Joel dicit, quod huic negotio non accidit simile, quoniam unaquæque plagarum istarum per se satis molesta est, sed quum omnes simul eveniunt, durissima pestis est. III *Reg.* XVII, 1; XVIII, 1; *Jacob.* V, 17. IV *Reg.* VI, 25; VIII, 1, 2.

Hieronymus autem videtur hæc reprobare, C quia (ut dicit) si hæc ad litteram accidissent, liber Regum vel Paralipomenon non hæc tacuissent, sicut de duplici fame præfata liber Regum non tacet. Cui objiciunt alii, quod non omnia quæ contingunt, scribuntur, quemadmodum de terræ motu facto tempore Oziæ regis Juda, quum voluit thurificare, prædicti libri nil referunt, sed Amos et Zacharias inde commemorant. Aliqui igitur dicunt quod negotium istud fuit res gesta, seu veritas, et figura, ita quod per prædictorum anima- D lium atque rubiginis plagam, præfigurabantur quatuor magnæ plagæ Judæorum, a quatuor regnis, videlicet ab Assyriis, Chaldæis, Græcis et Romanis, eis illatæ. Quidam autem Assyrios et Chaldæos pro eodem computant regno, quoniam ab eodem mundi climate contra Israelitas venerunt ; et Persas ac Medos annumerant regnis quæ vastarunt Judæos. Dicit quippe Hieronymus, quod Hebræi per erucam intelligunt Assyrios et Chaldæos (Assyrii enim regnum decem tribuum destruxerunt ; II *Par.* XXVI, 16. *Amos* I, 1; *Zach.* XIV, 5. IV *Reg.* XVII, 3-6; XXV, 1 *et seq.*

Chaldæi vero, regnum Juda); per locustas autem, Persas ac Medos, qui Chaldæorum regno destructo, habuerunt Judæos captivos. Per bruchum vero intelligunt Macedones seu Græcos, scilicet reges successores Alexandri Magni, præsertim Antiochum Nobilem, qui tanquam bruchus cum suis sedens in Judæa, pene omnia devoravit; per rubiginem autem, Romanum imperium, a quo maxime atque finaliter sunt dejecti, et de terra sua totaliter pulsi. Verumtamen, quoniam reges Persarum ac Medorum non fuerunt Judæis multum molesti, sed quidam eorum fuerunt ipsis plurimum gratiosi, sicut Cyrus qui dedit ipsis licentiam redeundi in propria, et Assuerus; idcirco non computavit regnum Medorum atque Persarum inter prædicta regna Judæos vastantia, sed regnum Assyriorum distinguit a regno Chaldæorum. Hæc sunt quatuor cornua, et quatuor venti, de quibus (ut infra patebit) loquitur Zacharias.

I *Mach.* I, 11 *et seq.*; II. III, VI.

I *Esdr.* I, 2-4. *Esther* VIII, IX.

Zach. I, 18; VI, 5.

Denique, quidam eorum qui asserunt litteraliter gestum quod de eruca, locusta, brucho, ærugine scriptum est, aiunt plagas has non uno anno vel tempore, sed diversis annis sibi invicem succedentibus accidisse. Sed secundum hoc, non apparet quomodo unum genus bestiarum istarum vorasset quod alteri residuum fuit, præsertim quum singulis annis terræ nascentia oriantur, et deposita recondantur : nisi forte dicantur hæ bestiæ habitacula hominum introisse.

Itaque, sicut jam tactum est, secundum Hieronymum, iste est sensus litteræ hujus : *Residuum erucæ,* id est populum Juda seu Israel non vastatum ab Assyriis et Chaldæis, vastabant Persæ ac Medi; et quem illi non vastarunt, oppresserunt Græci successores Alexandri, de quibus agitur in libro Machabæorum; Judæos vero non oppressos a Græcis, oppresserunt Romani. Huic autem expositioni quidam objiciunt, quia de corrosione terræ nascentium ab eruca, locusta, etc., fit hic tam evidens mentio, quod non videtur aliquo modo esse parabola. Sed quidquid sit de veritate, argumentum istud nullius valoris est : quoniam in Scripturis divinis multa parabolice denuntiantur, et homines nomine bestiarum aliarumque rerum significantur, ubi fit multo apertior atque prolixior mentio de nominibus bestiarum inanimatarumque rerum, quam hic. Quemadmodum apud Isaiam legitur : Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum; et leo quasi bos comedet paleas. Omnia autem hæc et quædam sequentia, exponuntur ad litteram, non de animalium horum domesticatione, sed de hominum diversarum conditionum pacifica in Ecclesia cohabitatione, secundum omnes doctores catholicos. Et multa similia in Scripturis habentur, præsertim (ut reor) in Isaia, cujus liber difficilior comprobatur.

Is. XI, 6, 7.

Expergiscimini, ebrii, id est, vos qui 5
estis vitiis et passionibus sic involuti, vel potu sic repleti, quod a recto mentis statu prolapsi estis, nec rationis judicium imitamini, neque pericula vobis imminentia ponderatis, evigilate redeundo ad cor, et a torpore ac negligentia vestra cessate, *et flete,* vitia vestra lacrimis pœnitentiæ redimendo; *et ululate* propter tribulationes instantes, *omnes qui bibitis vinum in dulcedine,* id est carnali delectatione, non necessitatem naturæ, sed gustus voluptatem quærentes; *quoniam periit ab ore vestro,* id est, in proximo est ut vina ac cetera carnis delectabilia auferantur a vobis, sicut mox subditur. Loquitur autem Propheta de futuro per modum præteriti, propter certitudinem veritatis. Prophetica quippe cognitio, est quædam imago atque impressio notitiæ mentis divinæ, in qua omnia quasi præsentialiter lucent et agnoscuntur, tamque infallibiliter sciuntur, sicut ea quæ fuerunt certissimum est fuisse.

Gens enim ascendet, id est veniet, *super* 6
terram meam, id est Judæam : quæ dicitur specialiter terra Dei, quia ad divinum

cultum electa, et populo Dei a Deo pro-
missa atque collata : *fortis et innumera-
bilis,* secundum apparentiam : non tamen
Sap. xi, 21. fuit simpliciter innumerabilis, quia in nu-
mero, mensura et pondere constituta sunt
omnia ; vel, Innumerabilis, ob multitudi-
nem suam. Potestque gens ista intelligi
exercitus Chaldæorum, vel etiam Assyrio-
rum, Græcorum, ac Romanorum. *Dentes
ejus, ut dentes leonis,* id est, omnia cru-
deliter dilaniabit ; *et molares ejus,* videli-
cet dentes majores, utpote potestas prin-
cipum populi hujus atque sævitia, sunt
ut catuli leonis, ita quod cum omni tyran-
nide populum Judæorum vastabit : bona
terræ consumet, urbes demolietur, et nec
ætati parcet, nec sexui.

7 *Posuit vineam meam in desertum,* id
est, Synagogam occidit vel transtulit, in
solitudinemque redegit. De qua vinea di-
Is. v, 7. ctum est in Isaia : Vinea Domini exerci-
tuum, domus Israel est ; et in Jeremia,
Jer. ii, 21. Ego te plantavi vineam electam. *Et ficum
meam decorticavit,* id est, populum me-
um quem quasi fructum dulcem et filios
procreavi et alui, minoravit, multos eorum
occidendo. *Nudans* vineam istam, id est,
bona ejus tollens ab ea, *spoliavit eam* bo-
nis mobilibus ac immobilibus, *et projecit*
in captivitatem vel mortem. *Albi facti sunt
rami ejus,* id est, filii ejus arefacti sunt
et occisi. Vel sensus est, quod hostes de-
struxerunt vineas et arbores fructiferas
in Judæa. Quod certum est contigisse Na-
buchodonosor tempore, postmodum quo-
que sub Antiocho Nobili, et tempore Titi
et Vespasiani. Quæritur quomodo injusti
vers. 5. Judæi, de quibus jam dixit, Expergiscimi-
ni, ebrii, appellentur ficus et vinea Dei.
Et respondendum, quod eo modo quo
Christus in Evangelio vocat reprobos Ju-
Matth. viii, 12. dæos, filios regni : Filii, inquit, regni
ejicientur in tenebras exteriores. Vocantur
itaque ficus et vinea Dei, quoniam Deus
multa beneficia concessit ac præbuit eis,
specialiter vocans eos ad cultum et gra-
tiam suam, et quoniam Patriarcharum ac
Prophetarum filii erant.

A Quum ergo tanta tibi, o popule Judæo-
rum, instet calamitas, *Plange* tua peccata, 8
ut misericordiam consequaris : plange au-
tem toto affectu, et abundanter ac perse-
veranter, *quasi virgo accincta sacco super
virum pubertatis suæ,* id est, quemadmo-
dum plorat virgo juvencula desponsata,
propter mortem sponsi sui qui moritur
antequam ejus cupitis fruatur amplexibus.
Vir autem et sponsus Synagogæ fuit Deus
omnipotens, qui in Patriarchis et in da-
tione legis desponsavit sibi Synagogam.
B Quamdiu autem Synagoga per idololatriam
et alia gravia scelera non recessit a Deo,
erat sponsa et virgo mentis integritate, in
cognitione, amore et cultu veri Dei. Tem-
pore autem Joelis meretrix facta propter
multiplicia scelera, monetur super virum
pubertatis suæ, id est de cœlestis Sponsi
amissione, cordialiter flere.

Periit sacrificium et libatio de domo 9
Domini : id est, terræ nascentibus et ce-
teris possessionibus devoratis ab hostibus
præinductis, vel bestiolis prænominatis,
C defecit in templo Jerusalem sacrificium,
quod erat de materia solida, scilicet triti-
co, hordeo, carne; et libatio, id est immo-
latio de materia liquida, utpote vino et
oleo. Deficiente enim causa, deficit et ef-
fectus. *Et luxerunt sacerdotes ministri
Domini,* id est, vehementer contristati sunt,
et planxerunt, tum propter cultus divini
cessationem, tum propter cessationem im-
molationum earum rerum de quibus sus-
tentabantur. Eratque luctus hic bonus,
quantum ad primum, quia ex zelo divini
D honoris processit; et etiam quantum ad
secundum, si planctus propter defectum
oblationis victualium erat, in quantum vi-
ctualia debite ordinantur ad spirituale bo-
num animæ et ad obsequium Dei. Si au-
tem sacerdotes respexerunt ad proprium
commodum, privatumque bonum, non erat
illorum planctus meritorius et acceptus.
Porro sacerdotes specialiter dicti sunt mi-
nistri Dei, quia ad altaris obsequium de-
putati, atque pro primogenitis filiorum
Israel Domino ministrantes in templo. Hinc

enim in libro Numerorum Moyses dixit A
Num. XVI, 9. Levitis : Num parum vobis est, quod separavit vos Dominus a populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram eo, et coram frequentia populi? Ezechias quoque secundo libro Paralipomenon ait Levitis : Filii mei, nolite negligere : vos enim elegit Dominus, ut stetis coram eo, et ministretis ei, colatisque eum, et cremetis ei incensum. (*II Par.* XXIX, 11.)

10 *Depopulata est regio,* id est, regnum Juda sic demolitum est, ut et homines, et animantia, ac terræ nascentia sint destructa. *Luxit humus,* id est, terra Judææ privata est solitis fructibus : sicque metaphorice luxit, quemadmodum fertur ridere quum abundat germinibus, fructu floreque vernans. Ideo subditur : *quoniam devastatum,* id est, ab adversariis devoratum *est triticum :* per quod alia blada dantur intelligi. *Confusum est vinum, elanguit oleum.* Sicut de humo seu terra dictum est, quod metaphorice fertur planxisse propter carentiam fructuum ; sic confusum est vinum, id est ablatum, ita quod consuetum effectum habere non potuit exhilarando bibentes, et prædictos vinolentos suo defectu ostendit confusos, dum sperato desolati sunt potu. Pariformiter elanguit oleum, id est, defecit et alios ostendit infirmos, qui oleo deficiente pariter contabuerunt.

11 *Confusi sunt agricolæ,* id est spe sua frustrati, dum fructu agrorum quos coluerunt, privati sunt, *ululaverunt vinitores super frumento, vino et hordeo,* id est de horum fructuum ablatione seu deprædatione; *quia periit messis agri,* id est, congregatio fructuum præfatorum in agris nascentium sublata est eis tunc, quando præ manibus habuerunt fruges messionis. Molestissimum siquidem est, tunc frugibus terræ spoliari, quando ad maturitatem usque deductæ sunt, custoditæ atque speratæ.

12 *Vinea confusa est, et ficus elanguit :* id est, vineæ et ficeta fructibus suis sunt destituta per erucam, locustam, bruchum, rubiginem; vel hostibus tradita, puta Chaldæis, Assyriis, vel Romanis. *Malogranatum, et palma, et malum,* id est arbores sic vocatæ, *et omnia ligna agri,* id est reliquæ arbores infructuosæ sive fructiferæ, *aruerunt,* id est, marcida facta sunt plagis præmemoratis : cujus signum est, *quia confusum,* id est ablatum, *est gaudium a filiis hominum,* id est a Judæis, qui de prædictis bonis terræ gaudere solebant. Porro per filios hominum, hoc loco ad litteram intelliguntur Judæi, quibus loquebatur Joel. Qui et specialiter dicuntur B filii hominum, puta eorum qui humane rationabiliterque vixerunt, hoc est Patriarcharum, Prophetarum, ac justorum veteris Testamenti. Denique malogranatum, cujus cortici in Canticis comparantur genæ *Cant.* VI, 6. Sponsæ, est arbor medicinalis (secundum Glossam), cujus poma sunt rubea, ad edendum amara. Et dicitur malogranatum, quoniam fructus ejus multa continet grana.

Accingite vos sacco et cilicio, *et plangite, sacerdotes; ululate, ministri altaris.* 13
Eumdem sensum aliis verbis resumit, ut C fortius excitet audientes. Sacerdotum autem præcipue est, propria ac subditorum *Hebr.* V, 1-3. deflere peccata, et Deum populo reconciliare, quum sint inter Deum ac populum mediatores, offerendo preces et hostias populi Deo, gratiamque Dei populo reportantes. Quum autem ex negligentia sacerdotum provenit populi culpa, maxime congruit sacerdotibus flere pro populi reconciliatione : quia et Dominus dixit ad Moysen, quod filii Aaron portarent peccata *Exod.* XXVIII, 38; filiorum Israel. *Ingredimini* templum, vel *Num.* XVIII, 1, 23. D propriam domum ad orandum : sicut ait Salvator, Tu autem quum oraveris, intra *Matth.* VI, 6. cubiculum tuum, et ora Patrem tuum in absconso; *cubate,* id est dormite, *in sacco, ministri Dei mei,* id est veri Dei, quem ego propheta illius specialiter amo et colo. Illi enim Prophetæ Deum universorum nominant Deum suum, qui ei singulari uniuntur amore et reverentiali obsequio, qui dicere possunt : Deus cordis mei, et *Ps.* LXXII, 26. pars mea Deus in æternum. *Quoniam interiit de domo Dei vestri,* id est, cito in

templo deficient, *sacrificium et libatio :* A
vers. 9. de quibus paulo ante jam dictum est, Per-
iit sacrificium et libatio de domo Domini.
Idcirco prædicta pœnitentiæ opera exerce-
te, quatenus imminens vastitas tollatur a
vobis. — Solebant autem Judæi in veteri
Testamento secundum præscriptam for-
mam se humiliare, pœnitere, et Dominum
invocare, ut patet in libris Regum, Parali-
pomenon, et Machabæorum. Quod autem
hoc modo fecerunt sacerdotes ac ceteri,
imminente captivitate Babylonica, patet in
Threnis seu Lamentationibus Jeremiæ. B
Idem quoque refert eos fecisse Josephus
instante captivitate Romana. Hinc per Je-
Jer. vi, 26. remiam loquitur Dominus : Filia populi
mei, accingere cilicio, et conspergere cine-
re; luctum unigeniti fac tibi, planctum
amarum. Ad quod aliqui referunt illud
Is. xxii, 12. Isaiæ : In die illa vocabit Dominus ad fle-
tum, ad planctum, et ad cingulum sacci.

Præterea adhuc Propheta præfigit sa-
cerdotibus formam pœnitendi, et modum
14 misericordiam implorandi. *Sanctificate je-
junium,* id est, actum abstinentiæ in san- C
ctitate peragite, bonis illum operibus ador-
nate, et corda vestra ad devote jejunan-
dum disponite. Non enim acceptum est
Deo jejunium, nisi in caritate fiat et in
observantia præceptorum. Hinc enim per
Ibid. lviii, 3, 5. Isaiam Dominus loquitur : Ecce in die je-
junii vestri invenitur voluntas vestra. Num-
quid tale est jejunium quod ego elegi? Et
I *Tim.* iv, 7, 8. Apostolus : Exerce te, inquit, ad pieta-
tem; nam corporalis exercitatio ad modi-
cum utilis est. *Vocate cœtum,* id est, cu-
neum populi convocate. *Congregate senes,* D
omnes habitatores terræ Judææ, de qua
nunc sermo, *in domum Dei vestri,* quæ
est domus orationis, videlicet in templum
III *Reg.* viii, 29 *et seq.* Jerusalem, in quo promisit se Deus preces
orantium exauditurum. Præterea sacerdo-
tum est, vulgum ac subditos adunare, et
in modo pœnitendi ac bene agendi instru-
ere. Jubet quoque Propheta ut omnes ge-
neraliter convocentur atque in templo
colligantur, quatenus oratio sit tanto exau-
dibilior, quanto a pluribus immolatur. Pro-
pter quod orat discipulos suos Apostolus II *Cor.* i, 11.
orare pro se, ut ex multarum precibus per-
sonarum citius, quod petitur, obtineatur.

Et clamate ad Dominum, dicentes : *A,* 15
a, a, diei : id est, heu nobis propter mala
diei ultionis, qui imminet nobis! Præcipit
autem Propheta, ut ter dicant, A : vel pro-
pter majorem expressionem et faciliorem
misericordiæ implorationem : unde in Je-
remia habetur, Terra, terra, terra, audi *Jer.* xxii, 29.
verbum Domini; vel, quoniam sanctam
Trinitatem offenderunt. Quidam dicit quod
in Hebræo sit una dictio. Verumtamen pro
eo quod Hieronymus transtulit ter A, Sep-
tuaginta transtulerunt, Heu mihi, heu
mihi, heu mihi! Unde non videtur una di-
ctio in Hebræo, nisi forte illa hanc tripar-
titam exclamationem significet. *Quia prope
est dies Domini,* id est dies ultionis, in qua
Dominus faciet vobis secundum suam vo-
luntatem et æquitatem, debitas pœnas in-
ferendo, sicut fecistis ei in diebus ve-
stris, eum multipliciter secundum vestram
voluntatem ac pravitatem inhonorando.
Quamvis enim omne tempus omnisque
dies sit Dei, illud tamen tempus dicitur
specialiter ejus, in quo aliquid efficit no-
vum, rarum aut speciale, sicut est dies
vindictæ atque judicii. Dies quoque, nostri
dicuntur, in quibus Deus permittit nos
propriæ libertati, quando et operamur quæ
volumus. Unde et Christus in Luca ait :
Jerusalem, etc., et quidem in hac die tua, *Luc.* xix, 42.
quæ ad pacem tibi. *Et quasi vastitas a
potente veniet :* id est, sicut vastitas seu
pressura, quam potens debiliori inducit,
ineffugibiliter opprimit debiliorem, sic
vindicta diei Domini irruet super vos, quod
non effugietis.

Numquid non coram oculis vestris, id 16
est in vestra præsentia seu conspectu, *ali-
menta defecerunt**, id est, statim defici- * alias *perierunt*
ent? Deficiet quoque *de domo Dei vestri,*
id est de templo, *lætitia* cordis *et exsultatio*
corporis : quoniam immolatione hostiarum
cessante, sacerdotes in templo non habue-
runt materiam gloriandi, sed lamentandi.
Quæ omnia tunc impleta noscuntur, quan-

IV *Reg.* XVII, XXV. do Assyrii et Chaldæi ingressi ac demoliti A
sunt terram Judææ.

17 *Computruerunt jumenta in stercore suo.*
Hoc ad litteram accipi potest, quod jumenta quæ in stabulis non habebant stramenta propter bladorum defectum, jacuerunt, computrueruntque in suis fæcibus atque stercoribus. Vel sensus est, quod jumenta, id est homines carnales, gulosi, luxuriosi, in sordibus vitiorum suorum resoluti atque consumpti sunt, juxta illud Psal-
Ps. XXXVII, 6. mi : Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices
Ps. XLVIII, 13, 21. meæ; et iterum, Homo quum in honore B
esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. *Demolita,* id est ab hostibus destructa *sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ,* id est repositoria victualium, cum his quæ continebantur in eis, *quoniam confusum,* id est sublatum ex
18 horreis, *est triticum. Quid ingemuit animal?* id est, cur bestiæ præ inedia famis clamaverunt, aut singultum quemdam fecerunt? *et* quid *mugierunt greges armenti?* Et respondet : *Quia non est pascua*
eis, id est alimonia, consumptis virentibus C
terræ et fructibus. Translatio Septuaginta interpretum sic habet : Fleverunt armenta boum. Idcirco Hieronymus istud de hominibus accipit, qui propter simplicitatem aut stoliditatem, bestialemve conversationem, nominibus bestiarum exprimuntur. *Sed et greges ovium disperierunt :* hostes enim rapuerunt oves et comederunt. Vel præ fame defecerunt. Vel deficiente pane, Judæi pecora sua manducare compulsi sunt.

19 *Ad te, Domine, clamabo,* orando pro D
populo tuo, *quia ignis comedit speciosa*
deserti, id est, eruca, locusta, bruchus, ventusque urens blada rubiginans, devoraverunt seu arida fecerunt plana loca camporum, prata et quaslibet terras virentes, quæ jumentis pascua præbuerunt, *et flamma succendit omnia ligna regionis,* id est arbores Judææ. Solet autem per ignem quælibet magna tribulatio vel persecutio gravissima designari. Sed et Chaldæi utique igne materiali incenderunt speciosa quæ in desertis Judææ steterunt, et arbores regionis hujus combusserunt.

Sed et bestiæ agri, id est indomitæ vel 20
silvestres, *quasi area sitiens imbrem,* id est humore indigens et aquam desiderans, *suspexerunt ad te :* non quod bestiæ Deum agnoscant, aut invocent proprie; sed metaphorice dicuntur ad Deum adspicere et clamare, in quantum cibum naturaliter optant ac potum, quæ non habent nisi per providentiam Dei. Unde in Evangelio dicitur, quod Pater cœlestis pascit ea; et in *Matth.* VI, 26.
Psalmo, Qui dat jumentis escam ipsorum, *Ps.* CXLVI, 9.
et pullis corvorum invocantibus eum; in Job quoque, Quis præparat corvo escam, *Job* XXXVIII, 41.
quando pulli ejus clamant ad Deum, vagientes eo quod non habent cibos? Rursusque in Psalmo : Omnia a te exspectant ut *Ps.* CIII, 27.
des illis escam in tempore; et, Oculi omnium in te sperant, Domine. *Ps.* CXLIV, 15.
Quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, a multitudine hostium, quorum equi et servi aquas fontium consumpserunt, vel, a vehementi flatu venti urentis, qui siccitatem inducit; *et ignis devoravit speciosa deserti,* secundum sensum jam tactum : sicque bestiæ silvestres nec cibum habuerunt, nec potum.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO TROPOLOGICA EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

1 JOEL interpretatur aperiens, Phatuel la-
titudo. Qui igitur bonum virtutis virili-
ter incipit, filius fit latitudinis, id est gra-
tiæ amplioris et caritatis ardentis, ut dicere
II *Cor.* VI, 11. queat cum Paulo, Cor nostrum dilatatum
Ps. CXVIII, 45. est; et cum Psalmista, Et ambulabam in
latitudine, quia mandata tua exquisivi. Quid
enim latius caritate, quæ omnia ambit,
atque ad hostes extenditur, et universis,
quæ habet, communicat? Ad talem quoque
fit verbum Dei, quoniam Spiritus Sanctus
inspirat ei pertinentia ad salutem, sicut ait
I *Joann.* II, 27. Joannes, Unctio docet vos de omnibus : ita
Ps. LXXXIV, 9. ut valeat dicere, Audiam quid loquatur in
me Dominus Deus. Quum enim incipit ra-
tionalis creatura quod bonum est, mox
Rom. VIII, 26. adest Spiritus, qui adjuvat infirmitatem
nostram. Ideoque cum plena divinæ sub-
ventionis fiducia viriliter est inchoandum,
ut humiliter magnanimiterque dicamus :
Philipp. IV, 13. Omnia possum in eo qui me confortat;
Ps. LXXXIV, 13. itemque : Dominus dabit benignitatem, et
terra nostra dabit fructum suum. Quidam
vero propriam imbecillitatem, non divi-
næ pietatis virtutem, pensantes, nimis pu-
Luc. IX, 62. sillanimes sunt, non audentes ad aratrum
ponere manum, divinæ bonitatis superli-
beralissimæ munificentiæ derogantes.

2 *Audite hoc, senes; et auribus percipite,*
omnes habitatores terræ : id est, spiritu-
alem intelligentiam propheticorum ver-
borum Joelis, universi Christiani senes
juvenesque, attendite.

4 *Residuum erucæ comedit locusta,* etc.
Per quatuor ista intelligo quatuor vitia,
quatuor virtutibus cardinalibus contraria,
quæ sunt : Intemperantia, timiditas, inju-
stitia, et indiscretio. — Intemperantia au-
tem, bona animæ magna ex parte devastat
et ejicit, quoniam nisi vitia gulæ et luxu-

A riæ exstirpentur, non fit homo spiritua-
lium capax donorum, Domino contestante :
Non permanebit spiritus meus in homine *Gen.* VI, 3.
in æternum, quia caro est. Et Apostolus ad
Romanos : Qui (inquit) in carne sunt, Deo *Rom.* VIII, 8.
placere non possunt. Ideo Petrus hortatur
a carnalibus desideriis, quæ militant ad- I *Petr.* II, 11.
versus animam, abstinere. Hinc et Isaias
disseruit : Quem docebit Dominus scien- *Is.* XXVIII, 9.
tiam, et quem intelligere faciet auditum?
Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere, eos
videlicet, qui vitia intemperantiæ dete-
B stantur. — Denique* hoc tam manifesto * Plerique
detestandoque vitio non vincuntur, sed ti-
miditate, veræ fortitudini (quæ magnanimi-
ter aggreditur fortia) repugnante, inordina-
te timentes ubi non est timor, et propriæ *Ps.* XIII, 5.
pelli timentes, malunt incidere mala cul-
pæ et Dei offensam, quam mala pœnæ ho-
minumque indignationem. Quocontra ait
Salvator : Nolite timere eos qui occidunt *Matth.* X, 28.
corpus; et Isaias : Quis tu, ut timeas ab *Is.* LI, 12.
homine mortali, et a filio hominis, qui qua-
si fœnum arescit? Hac vili timiditate care-
C bat, qui dicebat : Non timebo millia populi *Ps.* III, 7.
circumdantis me; et : Dominus illuminatio *Ps.* XXVI, 1.
mea et salus mea : quem timebo? Porro,
teste Scriptura, qui timet Dominum, nihil *Eccli.*
trepidabit. His itaque sacris testimoniis in- XXXIV, 16.
crepantur vilia corda quorumdam, homi-
nes magis quam Deum timentium : qui in
præsentia superiorum suorum quamdam
confingunt ac induunt gravitatem, sed illis
abeuntibus, ad consuetas redeunt culpas,
negligentias, et excessus. Hi non agunt
bonum amore boni, sed timore mali : in
D quibus residuum erucæ edit locusta. De
qua plaga eripitur, qui illud Proverbiorum
implet : Fili, honora Dominum, et valebis; *Prov.* VII, 1,
præter eum vero ne timueris alienum. — juxta LXX.

Qui autem nec intemperantia nec timiditate A
prædicta dejiciuntur, frequenter peccato
injustitiæ superantur, non reddendo sin-
gulis quæ sua sunt, neque, juxta principis
I *Petr.* IV, 10. Apostolorum doctrinam, unusquisque, sic-
ut accepit gratiam, in alterutrum illam
administrantes, tanquam boni dispensato-
res multiformis gratiæ Dei. In his resi-
duum locustæ comedit bruchus. — Alii
prædictis vitiis reluctantes, per indiscre-
Rom. XII, 1. tionem labuntur : quorum non rationabile
Jer. XLVIII, 36. est obsequium, qui quoniam plus faciunt
quam possunt, dispereunt. In quibus æru- B
go consumit quod inerat, inesseve poterat
animæ. — Insuper, per quatuor plagas has
intelligi possunt quatuor tentationes prin-
cipales, vel quatuor primi ac maximi per-
secutores Ecclesiæ, seu quatuor principa-
liores hæresiarchæ, qui infinitas animas
spiritualiter jugulaverunt.

5 *Expergiscimini, ebrii, et flete.* Hoc est
Ephes. V, 14. quod ait Apostolus : Surge, qui dormis, et
Matth. XXV, 13. exsurge a mortuis; itemque Salvator, Vi-
gilate, quia nescitis diem neque horam.
Denique impii ebrii, sunt omnes qui car- C
nalibus delectationibus, mundanis vanita-
tibus, aut ceteris inordinatis passionum
affectionibus sic resolvuntur et vacant,
quod judicium rationis non advertunt, nec
Deo neque Ecclesiæ parent, sed in proprii
ambulant cordis pravitate. Unde in Jere-
Jer. XXXI, 22. mia habetur : Usquequo deliciis dissolve-
ris, filia vaga? *Et ululate, omnes qui bibitis
vinum in dulcedine.* De quibus scriptum
Is. V, 11. est apud Isaiam : Væ qui consurgitis ma-
ne ad ebrietatem sectandam, et potandum
usque ad vesperam; et in Proverbiis scri- D
Prov. XXIII, 29, 30. ptum est, Væ his qui commorantur in vi-
no, et student calicibus epotandis. Quam
multi modo sunt tales, qui et corpus suum
Eccli. XXXI, 37. et animam perimunt! Vinum enim mode-
rate sumptum, sanitas est corporis et ani-
Prov. XXIII, 32. mæ; sed superflue sumptum, mordet ut
coluber. *Quoniam periit ab ore vestro :*
id est, omnis carnalis voluptas cito ver-
tetur vobis in mœrorem æternalemque
Luc. XVI, 19, 22. pœnam, nisi pœnitentiam veram egeritis,
quemadmodum factum est diviti qui epu-

labatur quotidie splendide. Vidua nempe I *Tim.* V, 6.
in deliciis vivens, secundum Apostolum,
vivens mortua est. Et apud Lucam commi-
natus est Christus : Væ vobis qui saturati *Luc.* VI, 25.
estis, quia esurietis. Propterea in Eccle-
siastico asseritur : Si præstiteris animæ *Eccli.* XVIII, 31.
tuæ concupiscentias ejus, facient te in
gaudium inimicis tuis. Momentaneum est
quod nunc delectat, æternum vero quod
cruciat.

Præterea hoc loco ait Hieronymus : Nulla
res ita inebriat, ut animi perturbatio. Est
tristitia quæ ducit ad mortem : hæc abo-
minanda ebrietas est. Est ira quæ justitiam *Jacob.* I, 20.
Dei non operatur, et furori proxima men-
tis impotem facit, in tantum ut labia tre-
mant, dentes concrepent, vultus pallore
mutetur. Quid referam de gaudio et volu-
ptate, et maxime de amore qui excæcat
cordis oculos, et nihil aliud amantem, nisi
quod amat, cogitare permittit? Annon est
dicenda ebrietas, quum propter vile scor-
tum, animæ libertas in serviles blanditias
inclinatur?

Gens enim ascendet super terram meam, 6
fortis et innumerabilis : id est, visibiles
ac invisibiles hostes (nam et de diabolo
dictum est, Inimicus homo hoc fecit), in- *Matth.* XIII, 28.
vaserunt militantem Ecclesiam seu ani-
mam christianam devotam, ut eam a Deo
avertant. Mundus enim et dæmon indesi-
nenter tentant electos, qui in medio ambu-
lant laqueorum, et propter justitiam plu-
rima patiuntur adversa, quemadmodum
legitur : Omnes qui pie volunt vivere in II *Tim.* III, 12.
Christo, persecutionem patientur. Quo-
niam ergo tot hostibus atque periculis cir-
cumvallatur Ecclesia, prælati qui delecta-
tionibus vacant et negligentia dissolvuntur,
jubentur evigilare a somno ignaviæ, flere
et ululare, quatenus gregi suo debitam
impendant custodiam, Deumque pro illius
salute lacrimabiliter invocent. *Dentes ejus,
ut dentes leonis.* De quo Petrus : Adver- I *Petr.* V, 8.
sarius, inquit, vester diabolus tanquam
leo rugiens circuit, quærens quem devo-
ret. Quid enim crudelius his qui animas
conantur occidere, et ab æterno infinito-

que bono eas avertere, sicque in sempi- A
terna inferni tormenta pertrahere?
7 *Posuit vineam meam in desertum,* id
est, Ecclesiam, quoad aliquam ejus par-
tem, spiritualibus bonis destituit, indu-
cendo fideles ad consensum peccati, quo
a Deo deseritur; *et ficum meam,* id est
animam quæ dulcissimis bonis ac fructibus
Spiritus Sancti abundavit, *decorticavit,* id
est, a pristinis bonis minoravit, sive absci-
Galat. III, 3. dit. Tales sunt, qui quum cœperint spiritu,
carne consummantur. Istud Christus præ-
cipue dicit de claustralibus non observan- B
tibus regulam suam, qui a statu perfectio-
nis ad sæcularia vitia devolvuntur.
8 *Plange quasi virgo accincta sacco super
virum pubertatis suæ.* Hoc modo flendum
est cuilibet Christiano, qui gratiam bapti-
smalem amisit, vel post pœnitentiam re-
cidivavit, atque cœlestis Sponsi privatus
puris amplexibus, jam amplexatur hæc
Thren. IV, 5. terrena seu stercora, qui nutriebatur in
Ps. XLVIII, 13, 21. croceis, qui quum in honore esset, non
intellexit. Unde scriptum est in Threnis:
Thren. II, 18. Deduc quasi torrentem lacrimas per diem C
et noctem, et non des requiem tibi. Talis
Ps. CXVIII, 136. utique fuit, qui dixit: Exitus aquarum
deduxerunt oculi mei, quia non custodie-
runt legem tuam.
9 *Periit sacrificium et libatio de domo
Domini,* id est sacrificium illud de quo
Ps. L, 19. fertur in Psalmo, Sacrificium Deo spiritus
Eccli. XXXV, 2. contribulatus; et in Ecclesiastico, Salutare
sacrificium est, attendere mandatis, et dis-
cedere ab omni iniquitate; et libatio in-
ternæ ac lacrimosæ compunctionis. Ista
deficiunt ab his, in quibus abundante ac D
prævalente iniquitate, caritas refrigescit.
Et luxerunt sacerdotes. Boni enim sacer-
dotes, de tanto subditorum suorum dispen-
dio intime dolent. Quemadmodum enim
Prov. X, 1; XIX, 13. gloria patris filius sapiens, sic dolor illius
10 est filius stultus. *Confusum est vinum:* id
est, saporosa contemplatio divinorum ex-
hilarans cor, in istis deficit, quia terrena
sapiunt, non divina. *Elanguit oleum:* id
Eccli. XIV, 5. est, opera misericordiæ defecerunt in istis.
Qui enim sibi nequam est, cui bonus erit?

Et omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ *Philipp.* II, 21.
aliorum. *Confusi sunt agricolæ, ululave-* 11
runt vinitores super frumento et hordeo:
id est, boni prælati, doctores et prædicato-
res, qui fidelium corda vomere prædicatio-
nis colunt, purgant, fecundant, de spirituali
sterilitate atque ruina populi dolent et
erubescunt, quia non affert populus fru-
ctus virtutum, quæ per frumentum et hor-
deum designantur. Unde et Esdras ait:
Domine Deus, confundor et erubesco levare I *Esdr.* IX, 6.
faciem meam ante conspectum tuum, quo-
niam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt,
et peccata nostra creverunt usque ad cœ-
lum. Populus autem fidelis, vocatur et ager
et vinea Dei, dicente ad Corinthios Paulo:
Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. I *Cor.* III, 9.
Frequenter vero boni pastores formidant
ne ex eorum negligentia ac insufficientia
accidat imperfectio subditorum: ideo in-
tra se confunduntur, mallentque subesse
quam præesse.
Malogranatum, et palma, et malum, et 12
omnia ligna agri aruerunt. Homines nomi-
nibus arborum designantur. Istud ergo
contingit, dum homines diversarum gra-
tiarum generibus adornati, in vitia colla-
buntur, et infructuosis arboribus similan-
tur, arentes, quia non habent humorem
influentiæ Spiritus Sancti. Porro per malo-
granatum (quæ est arbor medicinalis, ha-
bens poma ad edendum amara et granis
repleta) figurantur personæ ad aliorum in-
structionem idoneæ, habentes verba distri-
ctæ correptionis, quibus animæ læsiones
sanantur, et grana, id est semina verbi
cœlestis. Per palmam exprimuntur, qui
diu floruerunt in gratia, tam æstate pro-
speritatis, quam hieme adversitatis. Tales
autem aliquando cadunt, quemadmodum
Augustinus perhibet se vidisse cedros Li-
bani cadere. Nemo enim securus est, di-
cente Apostolo, Qui stat, videat ne cadat. Et *Ibid.* X, 12.
quo ascensus sublimior, eo casus nocen-
tior. *Quia confusum est gaudium* spiri-
tuale *a filiis hominum:* qui quum sint
carnales, potius filii hominum quam Dei
vocantur, quemadmodum testatur Paulus:

I *Cor.* III, 3, 4. Quum sit inter vos zelus et contentio, non-
ne homines estis?
13 *Accingite vos, et plangite, sacerdotes;
cubate in sacco.* Hoc facere habent sacerdo-
tes, prælati solliciti, dum gravis tribulatio
imminet : imo quo gregem sibi commis-
sum conspexerint ab invisibilibus aut visi-
bilibus adversariis periculosius impeti, eo
amplius humiliare se debent coram Deo,
abstinendo, orando, prosternendo, ac di-
versis modis divinam clementiam invo-
cando, ut tanto benignius adsit, quanto
14 major est indigentia. *Et clamate ad Domi-*
15 *num : A, a, a, diei : quia prope est dies
Domini.* Hoc de die mortis atque judicii
accipi potest, ad quem debet se quilibet
16 cum magna sollicitudine præparare. *Num-
quid non coram oculis vestris alimenta
perierunt, de domo Dei vestri lætitia et
exsultatio?* Videmus ad oculum, quomodo
nunc a multis deficit panis animæ, panis
videlicet bonæ operationis et gratiæ : a
quibus spirituale gaudium tollitur, quo-
niam non in Domino, sed in rebus inani-
bus gloriantur.
17 *Computruerunt jumenta in stercore suo.*
Hoc spiritualiter expositum est præcedenti
articulo, et maxime competit iis qui non
ex sola passione vel infirmitate, sed ex ha-
bitu malo atque proposito delectantur in
immunditiis vitiorum suorum, qui sordent
Ps. LXVIII, 16. in peccatorum squalore, quos profundum
Prov. II, 14. absorbuit, et lætantur quum impie fece-
II *Petr.* II, 22. rint. Hi sunt tanquam sus lota in voluta-
bro luti. Stercora sunt turpitudines vi-
tiorum, flores autem decor et splendor
18 virtutum. *Quid ingemuit animal?* Sic mul-
ti fidelium gemunt, *quia non est pascua
eis,* id est spiritualis consolatio, copia gra-
tiæ, optata perfectio. Qui enim zelum ju-
stitiæ habent, et quotidie proficere cu-
piunt, Dominumque in omnibus honorare
nituntur, frequenter intra se affliguntur et
gemunt quod tot imperfectiones et evaga-
tiones miscentur eorum bonis operibus,
quod Deo tam fervide ac reverenter non
obsequuntur ut cupiunt, quod optatam
virtutum celsitudinem non adipiscuntur :

A estque afflictio ista et gemitus mirabiliter
meritorius ac peccati consumptivus.
Ad te, Domine, clamabo, dolens et orans 19
pro populo tuo, *quia ignis* concupiscentiæ
seu diabolicæ tentationis, *comedit speciosa,*
id est interiorem ornatum ac venustatem,
deserti, id est cordis humani seu populi
christiani a te relicti : in quo aliquando
fuit pulchritudo virtutum, scientiæ clari-
tas, gratiæ splendor, donorum venustas.
Nunc autem in eo, postquam dedit locum *Ephes.* IV,
diabolo, succubuitque peccato, deordinata 27.
B ac deformata sunt omnia : ita quod insunt
strepitus passionum, peccatorum tumul-
tus, vultusque animæ a Creatore aversus,
ad vilia miserabiliter est conversus. Ta-
lis anima similis est domui in qua nihil
suo loco repositum est, nihil ordinate dis-
positum, sed cuncta subversa, hinc inde
jactata, in qua insuper est fœtor atque tri-
stissimus color. Et sicut in hujuscemodi
domo nullus consistere delectatur, sic in
anima tali Deus habitare penitus detesta-
tur. *Et flamma* iræ, indignationis, furoris,
C concupiscentiæ, cupiditatis, *succendit om-
nia ligna regionis,* id est universos habi-
tantes in sæculo : non universos simpli-
citer, sed tam multos, quod alii respectu
eorum perpauci sunt. Jam enim conspi-
cimus, quam pauci his passionibus do-
minentur.
Sed et bestiæ agri, id est homines qui 20
tanquam jumenta utilia super sese portant
onus et jugum Christi, et dicere possunt,
Ut jumentum factus sum apud te, *quasi* *Ps.* LXXII,
area sitiens imbrem, id est cum ingenti 23.
D affectu, *suspexerunt ad te,* a te illuminari,
consolari ac perfici desiderantes; *quoniam
exsiccati sunt fontes aquarum,* id est, san-
cti doctores ac prædicatores jam defece-
runt ex magna parte, qui tanquam fontes
aquæ sapientiæ salutaris, olim impleve- *Eccli.* XV, 3.
runt audientium corda. Nunc autem etsi
sint qui audire verbum salutis desiderent,
desunt qui efficaciter dicant. Porro sapien-
tes et virtuosæ personæ sunt tanquam fon-
tes aquarum, de quarum plenitudine alii
debent haurire fluenta scientiæ, accedendo

ad eos, ut doceantur, ædificentur, et dirigantur. Tales fontes fuerunt Apostoli, de
Ps.LXVII,27. quibus cantatur : In Ecclesiis benedicite
A Deo Domino de fontibus Israel. De quibus et accipi potest illud Isaiæ : Haurietis Is. XII, 3.
aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

ARTICULUS III

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : CANITE TUBA IN SION.

HOC loco describit Propheta apertius
captivitatem regni Juda, de quo cœpit
1 præcedenti capitulo vaticinari. *Canite tuba,* id est, sonora altaque voce prædicate quæ subduntur, *in Sion,* id est in Jerusalem vel in templo. Templum enim et civitas ex una parte fundata erat in monte Sion : ideo Sion quandoque significat urbem, interdum templum, aliquando ipsum montem. *Ululate,* o vos sacerdotes ac ceteri, *in monte sancto meo,* id est prædicto monte Sion, electo ad hoc ut in ipso templum construeretur. *Conturbentur,* id est, paveant atque pœniteant, *omnes habitatores terræ* Judææ, de qua jam sermo. *Quia veniet dies Domini,* id est dies in quo Dominus vindicabit peccata Judææ, sicut diu præfatus comminatusque est, *quia pro-*
2 *pe est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis,* id est dies plena miseriis, propter quod tot nominibus terribilium rerum exprimitur. In die etenim hoc erant tenebræ interiores in cordibus Judæorum, et caligo tribulationis seu adversitatis forinsecus; in locis quoque caliginosis se absconderunt. Fuit quoque tunc nubes, id est interpositio inter Deum et eos, ita quod non protegebantur ab eo, nec exaudiebantur : de qua Jeremias ait in
Thren. III, 44. Threnis, Opposuisti nubem ne transeat oratio. Fuit etiam tunc turbo tempestatis interioris et exterioris, omnem auferens quietem, tranquillitatem et pacem. Unde
Jer. XXIII, 19, 20. in Jeremia legitur : Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet;
B non revertetur furor Domini usquedum faciat. Loquitur autem Jeremias ad litteram de eodem, de quo et Joel nunc fatur.

Quasi mane expansum super montes, id est, quemadmodum aurora, quum tetigerit cacumen montis, statim super totam terram diffunditur, *populus multus et fortis,* id est, sic veniet super Judæam universam festinantissime exercitus adversariorum magnus atque robustus. Videtur autem præcipue loqui de Babyloniis seu Chaldæis, secundum Hieronymum, quam-
C vis intelligi possit de quolibet quatuor populorum dictorum, qui successive vastabant Judæos, videlicet Assyriorum, Chaldæorum, Græcorum, et Romanorum. *Similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis.* Secundum hoc apparet, quod Propheta non loquitur nisi de uno speciali populo. Ad quod aliqui dicunt, quod quilibet prædictorum populorum, quoad aliquid, excessit : puta Assyrii in cupiditate, Chaldæi in ferocitate, Græci in dolositate,
D Romani in potestate. Sic namque de multis Sanctorum cantatur : Non est inventus Eccli. XLIV, 20.
similis illi. Sed sequendo Hieronymum et Glossam, iste est sensus : *Similis* in potestate ac feritate, *ei,* id est populo Chaldæorum venientium contra Jerusalem, *non fuit a principio* quo reges esse cœperunt in terra : omnia enim regna vicerunt ; *et post eum,* id est post Chaldæos, *non erit* gens similis eis *usque in annos generationis,* id est usque ad tempus Alexandri Magni exclusive, qui in tota Græcia impera-

vit, eratque ipso Nabuchodonosor major A
atque potentior, *et generationis,* id est
usque ad imperium Romanorum, quorum
Dan. II, 40. regnum dicitur ferreum a Daniele, eo quod
omnia regna domuerint, sicut ferrum omnia domat.

3 *Ante faciem ejus ignis vorans,* id est,
Chaldæi in suo accessu loca quæ poterant,
incenderunt in terra Juda, scilicet villas et
viculos; *et post eum exurens flamma,* id
est, adepto triumpho, dum civitates egredi
IV *Reg.* xxv, 9; *Jer.* xxxix, 8; LII, 13. cœperunt, templum, Jerusalem, ac ceteras
urbes Judææ combusserunt, ut patet quar- B
to libro Regum et in Jeremia. *Quasi hortus*
Gen. II, 8. *voluptatis,* id est, sicut paradisus plenus
est omni amœnitate, sic *terra coram eo,* id
est, sic Judæa plena fuit divitiis, pulchra
ac deliciosa, antequam Chaldæi eam ingressi
sunt; *et post eum,* id est abeunte
Chaldæorum exercitu, *solitudo deserti,* id
est, terra ista ita vastata manebit et spoliata,
quod solitudini similis erit. Unde per
Jer. XXII, 5, 6; XXV, 9; XXXIV, 22, etc. Jeremiam dixerat Dominus: In solitudinem
redigam locum istum. *Neque est qui effugiat
eum.* Hoc dicitur propter paucitatem C
Judæorum evadentium manus Chaldæorum.
Aliqui tamen evaserunt, videlicet Jo-
Ibid. XLIII, 2 *et seq.* hanan filius Caree cum aliis, de quibus
in Jeremia habetur. Sedecias autem cum
IV *Reg.* XXV, 4-6. principibus fugiens, comprehensus est a
Chaldæis.

4 *Quasi adspectus equorum, adspectus eorum,*
id est, Chaldæorum exercitus solo visu
horribilis erit; *et quasi equites, sic current,*
ita quod velocissimi erunt ac agiles,
5 sicque Judæi fugere non valebunt. *Sicut*
*sonitus quadrigarum super capita montium
exsilient,* id est, cum grandi strepitu D
venient, cum fragore armorum, cum impetu
exercituum, cum gressu celerrimo aviditate
vastandi Judæos. Venient quoque
sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam,
id est, omnia destruent, sicut flamma,
quæ ignis est, devorat stipulam; *velut
populus fortis præparatus ad prælium,* id
est bene armatus et convenienter dispositus.
Hæc dictio, Velut, dicit hic veritatem,
6 non similitudinem tantum. *A facie ejus*

cruciabuntur populi, id est, Judæi visis
eis, in magno erunt timore ac desolatione;
omnes vultus redigentur in ollam, id est,
ollæ igni appositæ similes erunt. Quemadmodum
enim hujusmodi olla fuligine
atque nigredine maculatur, sic facies Judæorum
præ timore et lacrimis quasi combusti
parebunt, juxta illud in Threnis:
Denigrata est super carbones facies eorum, *Thren.* IV, 8.
et non sunt cogniti in plateis. Hoc quoque
accidere potuit ex fumositate ignium quos
in urbibus Judæorum succenderunt Chaldæi.
Unde Septuaginta transtulerunt: Omnes
vultus sicut adustio ollæ.

Sicut fortes current; quasi viri bellatores ascendent murum. 7
In locis facilibus
immorandum non arbitror. Istud autem ex
præhabitis clarum est, scilicet quod Chaldæi
per terram Judææ velocissime cucurrerunt,
et murum Jerusalem ceterarumque IV *Reg.* XXV, 4.
urbium muros viriliter ascenderunt. *Viri
in viis suis gradientur,* id est, Chaldæi
ordinate procedent ad prælium, non nimis
compresse, ne se invicem impediant, nec
nimis separate, ne adversarii inter ipsos
subintrent; *et non declinabunt a semitis
suis,* id est a tam ordinato progressu, nec
fugient, sed unusquisque locum vel hostem
sibi occurrentem invadet. *Unusquis-* 8
que fratrem suum non coarctabit, id est,
nullus de exercitu Chaldæorum, proximum
suum Chaldæum per nimiam appropinquationem
premet; *singuli in calle suo
ambulabunt,* non declinando a semitis suis,
ut dictum est. *Sed et per fenestras cadent,*
id est, Chaldæi ostiis obseratis irruent per
fenestras præ nimio desiderio occidendi
Judæos, *et non demolientur,* id est, ex casu
tali non conterentur neque lædentur, tanquam
bene armati, vel circa talem modum
cadendi experti. *Urbem* Jerusalem *ingredi-* 9
entur, in muro ejus *current,* considerando
civitatem; *domos* Judæorum *conscendent*
cum scalis vel similibus machinis, *per fenestras
intrabunt quasi fur,* id est improvise
et subito.

A facie ejus, id est ex præsentia Chal- 10
dæorum, *contremuit terra,* id est, plebs

Judæam inhabitans, timore concussa est. Vel sensus est, quod præ multitudine exercitus Chaldæorum, terra in qua incedebant, tremere videbatur. *Moti sunt cœli,* id est, Judæis in tribulatione positis, immutati a solito influxu, cursu vel statu videbantur. Patientibus quippe adversa præ terroris magnitudine cœlum ruere, et terra fluctuare videtur. Unde et Dominus com-
Lev. XXVI, 19. minatur se daturum perversis cœlum desuper ferreum, et terram æneam. Vel, Moti sunt cœli, id est cives cœlestes, scilicet angeli, hominum custodes : qui moti dicuntur, quoniam circa hominum punitionem inter se pugnare et sibi invicem resistere dicuntur, proponendo divino con-
Dan. X, 13, 20. spectui causas singulorum, prout Daniel plenius dicit : quod tamen fit sine discordia, secundum Gregorium, qui pugnam hanc exponit de angelis sanctis. Vel, moti sunt compassione, non quod compassionis affectus sit vere in eis, quum sint impassibiles, sed per modum compatientis se habent, succurrendo afflictis.

Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. Quemadmo-
Deut. IV, 19. dum in Deuteronomio Moyses scripsit, luminaria cœli condidit Deus in ministerium cunctis gentibus : idcirco dum homines in maximam devolvuntur calamitatem, cladem, pressuram, dicuntur contenebrari, mœrere et immutari. Unde quum Dominus in Ezechiele prædixisset dejectionem Pha-
Ezech. XXXII, 7, 8. raonis, adjecit : Operiam cœlos sacco, quum exstinctus fueris, et mœrere super te faciam luminaria cœli. Simili modo in Isaia, descripta Babylonis punitione, adjectum
Is. XIII, 10. est : Stellæ cœli et splendor earum non expandent lumen suum; obscuratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. Hæc nempe est consuetudo prophetalis eloquii. Communiter quoque tempus adversitatis, vocamus tenebrosum et nubilum. Verum, ut tangit Glossa, per solem intelligi potest rex Juda, a Chaldæis
IV *Reg.* XXV, 4, 5. devictus, præcipue Sedecias; per lunam, regina; per stellas, principes regis, qui quum a Chaldæis comprehenderentur, in tenebras, hoc est in magnam infortuniorum caliginem versi sunt.

Et Dominus dedit vocem suam ante fa- 11
ciem exercitus sui : id est, exercitui Chaldæorum, qui dicitur exercitus Dei, tanquam divinæ exsecutor justitiæ, dedit Deus virtutem terrendi Judæos et potenter vociferandi contra omnes, ita quod clamor et fama præcedens omnes perterruit, conveniretque Judæis, quod ab Isaia de aliis
dicitur : Torsiones et dolores tenebunt qua- *Is.* XIII, 8, 7.
si parturientis, et cor omne tabescet. *Quia multa sunt nimis castra ejus,* id est, exercitus Chaldæorum (qui dicuntur castra vel exercitus Dei, quia divina voluntate contra Judæos venerunt) sunt valde copiosi numero et virtute. Propter quod subditur : *quia fortia et facientia verbum ejus,* id est, propheticam annuntiationem implentes, qua Deus per Prophetas annuntiavit captivitatem Judæorum a Chaldæis. Hanc enim multi Prophetæ præfati sunt,
maxime Jeremias. Vel, Facientia verbum *Jer.* XXV, 9-11.
ejus, id est, verbo interioris inspirationis consentientes, quo inspiratum fuerat eis contra Judæos venire. Hinc enim in Jere-
mia Deus nominat Nabuchodonosor servum *Ibid.* 9.
suum.

Magnus enim dies Domini, et terribilis valde : id est, dies quo Deus per Chaldæos puniet regnum Juda, erit magnus, id est districtæ atque justissimæ ultionis, et terribilis, his qui in eo horrenda patientur tormenta. Dicitur enim dies magnus, propter magna quæ in eo fiunt, aut facta commemorantur. Et generaliter tempus accipit denominationem ab his quæ in eo
geruntur. Hinc enim dies mali dicuntur; *Ephes.* V, 16.
et, Sufficit diei malitia sua. Et Michæas *Matth.* VI, 34.
disseruit : Non ambulabitis superbi, quo- *Mich.* II, 3.
niam tempus pessimum est. Nihilo minus
dicit Apostolus : Ecce nunc tempus acce- II *Cor.* VI, 2.
ptabile. Et tempore nihil pretiosius fertur. *Et quis sustinebit eum?* id est, quis Judæorum poterit tam dira ferre supplicia, aut manus evadere Chaldæorum? De hoc etenim terribili die Dominus dixit per
Ezechielem : Conflabo vos, et succendam *Ezech.* XXII, 20-22.

vos in igne furoris mei ; et conflabimini A in medio ejus, sicut conflatur argentum in medio fornacis.

Hucusque posita est comminatio Dei, et instantis persecutionis prophetalis prænuntiatio. Consequenter inducitur ad pœ-
12 nitentiam admonitio salutaris. *Nunc ergo dicit Dominus,* id est, prædicta comminatus est Dominus mala per me, ut faciatis quæ sequuntur, et evadatis atque salvemini. *Convertimini ad me,* conversione perfecta et integra, utpote *in toto corde vestro,* id est intellectu et voluntate, per B fidem, caritatem et opera, ne vobis conveniat quod de reprobis dictum est in Osee :
Osee x, 2. Divisum est cor eorum ; nunc interibunt. Cor autem hoc loco pro anima (cujus vires sunt intellectus et voluntas) vel pro superiori parte animæ sumitur. Sic conversus fuit ad Deum Psalmista, qui toties pro-
Ps. ix, 2; cx, 1; cxxxvii, 1. fitetur : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Denique, opportune docentur Judæi hoc modo converti ad Dominum, quoniam in exterioribus observantiis et cærimonialibus justificationibus superflue C confidebant, quia non erant vere interni atque devoti. Propter hoc Christus in Evan-
Matth. xxiii, 28 ; Luc. xii, 1. gelio de hypocrisi maxime arguit Scribas et Pharisæos; et per Isaiam testatus est :
Is. xxix, 13; Matth. xv, 8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. *In jejunio,* quod est actus abstinentiæ ac temperantiæ, *et fletu* pro propriis ac alienis peccatis, qui est actus pœnitentiæ, *et planctu,* pro desiderio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro, vel pro liberatione ab imminente captivitate : qui fletus causatur ex cari- D tate.

13 *Et scindite corda vestra,* ejus lapideam duritiam abjiciendo, malas cogitationes expellendo, et ad divinæ gratiæ receptionem illud in omnibus disponendo. Porro hæc scissio præinductæ totalitati qua ad Deum converti præcipimur, non repugnat, sed præparat ad eamdem, quia utrumque est spirituale. Denique scissio ista aliud prorsus non est, nisi spiritualis circumcisio, ad quam in Deuteronomio admonet Moyses : Circumcidite præputium cordis ve- Deut. x, 16.
stri, et cervicem vestram ne induretis amplius. Unde de Judæis ita non scissis in corde, scriptum est apud Jeremiam : Om- Jer. ix, 26.
nes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde. Hæc itaque scissio, est peccatorum et passionum ejectio. *Et non vestimenta vestra.* Solebant Judæi vestes lacerare, dum blasphemiam audierunt, vel gravem inciderunt mœrorem seu adversitatem. Unde et audita Christi responsione, Caiphas sci- Matth. xxvi, 65.
dit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit. Jubentur ergo Judæi corda magis quam indumenta scindere, et in interioribus potius quam in exterioribus perfectionem ac pœnitentiæ veritatem reponere. Non tamen, ut arbitror, absolute prohibetur scissio vestium in casibus præinductis, quum fuerit consuetudo laudabilis, dum convenienter circumstantionata exstiterat. Hinc enim Paulus et Barnabas vestimenta sua scidisse scribuntur, dum idolorum sa- Act. xiv, 13.
cerdos voluit eis sacrificare. Aliqui autem dicunt, quod Judæi habuerunt vanitatem quamdam, quam et Christiani plurimi habent, in corporali vestium fractilatione seu scissione, et dicunt hoc eis prohiberi verbis præhabitis.

Et convertimini ad Dominum Deum vestrum, in quo tota salus vestra consistit, a quo peccando aversi, elongati, et abalienati fuistis. Non enim nisi ad Deum verum debet nostra finalis esse conversio, juxta illud Jeremiæ : Si reverteris, Israel, Jer. iv, 1.
ad me convertere. *Quia benignus* in se ipso, id est naturaliter bonus et pius. Propter quod dicit Psalmista : Laudate Do- Ps. cxxxiv, 3.
minum, quia bonus Dominus ; psallite nomini ejus, quoniam suave. *Et misericors est* per effectum, id est clemens in ignoscendo, auxiliando, salvando. Misericors dicitur quasi cor miserum habens, in quantum miseriam alterius quasi propriam accipit. Sic autem Deus non appellatur misericors, sed per similitudinem operis et bonitatis caritatisque effectum, in quantum aliorum miseriam relevat, quasi esset

ipsius. *Patiens,* non statim ulciscendo, sed A impiorum conversionem ac pœnitentiam longanimiter præstolando. Propter quod in *Eccli.* v, 4. Ecclesiastico habetur : Altissimus est pa- *Ps.* vii, 12. tiens redditor ; atque in Psalmo : Deus judex justus, fortis et patiens. Si autem patiens dicatur a patientia, quæ est virtus moralis passionem tristitiæ frenans ac moderans, sic Deus non est patiens, nisi eo modo quo fertur misericors et iratus, vel etiam contristatus, quum dicat Apostolus : *Ephes.* iv, 30. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei. *Gen.* vi, 6. Et in Genesi dicitur : Tactus dolore cordis B intrinsecus. *Et multæ misericordiæ,* propter diversitatem effectuum divinæ clementiæ. Quamvis enim misericordia Dei in se una simplexque consistat, nihilo minus multa vocatur propter diversos effe- II *Petr.* ii, 9. ctus. Mille etenim modis novit Deus suis succurrere. Propter quod orat Psalmista : *Ps.* lxviii, 17. Secundum multitudinem miserationum tu- *Ps.* lxxxviii, 2. arum respice in me. Rursusque ait : Misericordias Domini in æternum cantabo. *Et præstabilis super malitia,* id est, indulgentiam præstans post conversionem de C malo pœnæ quod fuerat comminatus, ita quod non infert malum pœnæ veraciter pœnitenti. Sumitur enim hoc loco, secundum Hieronymum, malitia pro tormento, *Amos* iii, 6. de quo loquitur Amos : Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit? Hinc *Jer.* xviii, 8. apud Jeremiam loquitur Deus : Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.

His verbis magnifice commendatur no- D bis superineffabilis misericordia Dei, ita ut maximam Deo injuriam faciat, atque in Spiritum Sanctum peccet, qui desperat. *Ps.* lxxxv, 15. Hinc quoque habetur in Psalmo : Et tu, Domine Deus, miserator et misericors, patiens et multæ misericordiæ et verax. *Exod.* xxxiv, 6, 7. Itemque in Exodo : Dominator Domine, misericors et clemens, patiens et multæ misericordiæ, et verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata.

Quis scit si convertatur et ignoscat 14
Deus? Verba ista dupliciter accipi possunt. Primo, per modum perterritionis, tanquam dicat Propheta : Multa jam dixi de misericordia Dei, sed sententiam repeto, nec debetis præsumere vel peccare in spe, aut fieri negligentes : quis enim scit (id est, impossibile vel difficile est scire) an Deus ab ira sua et comminatione convertatur ad indulgendum? quoniam in aliquibus suis sententiis inflexibilis invenitur implacabilisque quibusdam, sicut ad Jeremiam testatur de obduratis Judæis : Si *Jer.* xv, 1. steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Et Salomon : Quem ille (inquit) despexerit, ne- *Eccle.* vii, 14. mo corrigere potest. Verumtamen dubium non est quin his qui toto corde convertuntur ad Deum, ignoscat. — Secundo leguntur hæc verba per modum consolationis et provocationis ad pœnitentiam, quasi dicat sanctus Joel : Quamvis jam multa prædixi, o Judæi, de vestra mox futura captivitate, nihilo minus pœnitentiam agite, et nolite diffidere : *quis* enim *scit si convertatur* a rigore justitiæ ad lenitatem clementiæ, *et ignoscat* vobis Deus, *et relinquat post se benedictionem,* id est, post visitationem et castigationem parcat, gratiamque infundat, et beneficia sua multiplicet? tanquam diceret : Prophetica prænuntiatio aliquando pertinet ad prophetiam prædestinationis, quæ semper impletur, ita quod in illa Deus nequaquam convertitur ; quandoque autem ad prophetiam comminationis, quæ sæpe per preces vel pœnitentiam impeditur, sicut de morte Ezechiæ, subversioneque Ninive. Sic in *Is.* xxxviii, 1; *Jonæ* iii, 4. proposito dubium est an prophetica revelatio mihi de vestra captivitate facta, sit prædestinationis vel comminationis vaticinium : et hoc certo sciri non potest, nisi Deus revelet.

Dicunt quoque nonnulli, quod Joel nescivit ad quod genus prophetiæ pertineret vaticinatio sua de præinductis punitionibus Judæorum. Hoc tamen non arbitror certum. Quamvis enim dicat, Quis scit

si convertatur, etc.? non excludit se ip- A
sum, sed innuit quod impossibile vel dif-
ficile sit hoc sciri, et paucis admodum vel
nemini constet. Verumtamen certum est
quod Spiritus Sanctus, qui secundum be-
neplacitum suum tangit animas Propheta-
rum, eas clarius seu obscurius illustrando,
interdum sic futura revelat Prophetis, quod
licet sciant talia sibi divinitus revelata,
ignorant tamen utrum ad prædestinationis
vel comminationis pertineant prophetiam:
ut constat in Jona, qui scivit sibi a Deo
Jonæ III, 4. prædictum de Ninive subversione, sed B
ignoravit an hoc infallibiliter impleretur,
vel per illorum pœnitentiam impediretur.
— Hæc verba Joelis dixit etiam rex Nini-
Ibid. 9. ve : Quis, inquit, scit si convertatur et
ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ
suæ, et non peribimus? Dicitur autem Deus
converti, non quod varietur in se, sed
quoniam aliter et aliter se habet ad nos.
Ps. LXXXIV, 7. Juxta quod scriptum est in Psalmo : Deus,
tu conversus vivificabis nos.

Sacrificium, id est oblatio de solidis,
et libamen, id est oblatio de liquidis (ut C
Joel I, 9. dictum est plenius), *Domino Deo nostro*
offerantur pro venia impetranda.

Consequenter Dominus præcipit Prophe-
tis, sacerdotibus, sive doctoribus Synagogæ:
15 *Canite tuba in Sion :* quod in principio
vers. 1. expositum fuit; *sanctificate jejunium,* id
est, abstinentiam corporalem adornate per
16 abstinentiam a peccatis, *vocate cœtum, con-
gregate populum, sanctificate ecclesiam,*
id est, collectionem fidelium ad cordis pu-
ritatem disponite, vel sceleratos a synago-
ga excludite, *coadunate senes, congregate* D
parvulos, et sugentes ubera, id est, omnem
prorsus differentiam plebis colligite, ut
pariter invocent Dominum, sicque multi-
tudinis oratio celeriter sortiatur effectum.
Infantes quoque adducantur, ut cum paren-
tibus Domino præsentati, tempore necessi-
tatis atque angustiæ oculos divinæ pietatis
ad misericordiam provocent. Hoc Judæi
II *Par.* XX, 13. facere consueverunt, ut patet secundo Pa-
ralipomenon. *Egrediatur sponsus de cubi-
li suo, et sponsa de thalamo suo,* id est,

etiam noviter copulati, carnali amplexu
suspenso, ad communem orationis con-
fluant locum, ut in tanto periculo preci-
bus vacent, non voluptati.

Inter vestibulum et altare plorabunt 17
sacerdotes. Secundum Glossam, duplex fuit
altare : unum in templo, quod vocabatur
altare incensi ; aliud in porticu ante fores
templi, quod dicebatur altare holocausto-
rum. Itaque sensus est : Inter vestibulum
et altare, id est in spatio exsistenti inter
altare incensi et altare holocaustorum, plo-
rabunt sacerdotes pro suis ac populi cul-
pis. Ipsi enim debebant portare peccata *Exod.*
populi Israel, et gratiam impetrare sub- XXVIII, 38; *Num.* XVIII,
jectis, quum fuerint medii inter Deum et 23.
plebem. *Ministri Domini,* quia ad cultum
templi et altaris singulariter electi ac de-
putati, ut dictum est clarius. *Et dicent :* *Joel* I, 9.
Parce, Domine, parce populo tuo, id est,
Judæis a pœnis debitis propitieris. Repeti-
tio, *Parce,* seriositatis et magnæ affectio-
nis indicium est. Parce ergo, o Domine, ma-
lum culpæ clementer delendo; parce, mala
pœnæ tollendo. *Et ne des hereditatem
tuam,* id est populum Judæorum, de quo
per Isaiam locutus es, Hereditas mea Is- *Is.* XIX, 25.
rael; et Psalmista, Salvum fac populum *Ps.* XXVII, 9.
tuum, Domine, et benedic hereditati tuæ ;
in opprobrium, id est, in confusibilem
subjectionem, *ut dominentur eis nationes,*
puta Chaldæi, seu aliæ gentes. Unde et
Jeremias orat : Ne des nos in opprobrium *Jer.* XIV, 21.
propter nomen tuum, neque facias nobis
contumeliam. Vile enim atque probrosum
est fidelibus, infidelibus tradi ac subjici.

Deinde ait : *Quare dicunt in populis,* id
est, cur nationes dicunt de Judæis, *Ubi
est Deus eorum?* quasi dicant : Non potest
eos defendere. Sic enim dixerunt genti-
les prævalentes Judæis, Deum verum bla-
sphemando, et populum ejus subsannando
quod frustra coleret Deum suum. Et quia
hoc cedit ad inhonorationem et injuriam
Dei, Moyses et alii Prophetæ frequenter *Exod.*
deprecati sunt Deum, ut gratiam populo XXXII, 12.
suo impenderet, ne talia verba dicerentur
a gentibus. Propter quod orat Psalmista :

Ps. cxiii, 1, 2, sec. Hebr. Non nobis, Domine, non nobis ; sed nomini tuo da gloriam ; super misericordia tua et veritate tua, ne forte dicant in gentibus, Ubi est Deus eorum ? Et in Isaia Dominus asserit : *Is.* xlviii, 11. Propter me ego faciam, ut non blasphemer. Unde jam subditur :

18 *Zelatus est Dominus terram suam,* id est, populum suum afflictum et pœnitentem dilexit, *et pepercit populo suo* ne abundantiori tristitia absorberetur. Propterea modo subjungitur consolatio populi.
19 *Et respondit Dominus,* vel per Prophetas loquendo, vel operibus populi pœnitentis vicem reddendo : quod est respondere non ad verba, sed facta ; estque reale responsum. Secundum quem modum dicitur Deus sæpe in Scripturis hominibus respondisse, quando videlicet juxta exigentiam actuum humanorum proportionabiliter reddit seu facit. Sic et Isaias profatur : *Ibid.* lix, 12. Peccata nostra responderunt nobis. *Et dixit* Dominus *populo suo* promittens eis bona post exercitationem in malo :

Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, id est, terra fertilis erit, et omnia victui necessaria gignentur in ea abundanter, *et replebimini in eis,* id est, usque ad sufficientiam eis vescemini. Hoc factum est sub Ezechia, *IV Reg.* xix, 35. contritis ab angelo Assyriis in terra Juda. Alii dicunt, istud impletum post famem quæ fuit tempore *III Reg.* xviii, 2. Eliæ et Achab, vel eam quæ erat sub Eliseo et Joram rege Israel. *IV Reg.* iv, 38, vi, 25. Denique de fertilitate illa sub Ezechia, in Isaia clarissime legitur. *Is.* xxxvii, 30; *IV Reg.* xix, 29. Misit quoque Dominus populo Juda frumentum, vinum et oleum, quoniam Assyriis interfectis, victualia quæ secum attulerant, manserunt Judæis, sicut et cetera spolia. *Et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus,* id est, infidelium potestati ac servituti ultra non tradam vos. Quod intelligi potest dupliciter : Primo, conditionaliter, utpote si in Dei servitio fideliter steterint. Sic enim divinæ promissiones factæ regibus et populo veteris Testamenti communiter intelliguntur. Secundo, quod dictio, Ultra, non dicit perpetuitatem, sed notabilem durationem,

A quemadmodum in Isaia habetur : *Is.* ii, 4. Non levabit gens ultra gladium contra gentem, nec exercebuntur ultra ad prælium. Et quarto libro Regum narratur, quod Syri *IV Reg.* vi, 23. non apposuerunt ultra venire in terram Israel, postquam Eliseus duxit eos quadam cæcitate percussos ad regem Israel in Samaria : et tamen illic mox subditur, quod rex Syriæ congregato exercitu, ingressus *Ibid.* 24. est terram Israel.

Et eum qui ab aquilone est, id est re- 20
gem ac populum Assyriorum habitantem B in partibus Aquilonis, *procul faciam a vobis :* quando videlicet angelus Domini una nocte percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. *Ibid.* xix, 35. *Et expellam eum in terram inviam et desertam.* Rex enim Assyriorum percussus non fuit plaga illa, sed cum paucis fugit, et per *Ibid.* 35, 36. deserta loca in propria rediit confusus, pavensque. *Faciem ejus contra mare orientale,* id est primam partem exercitus Assyriorum respicientem ad mare orientale, *et extremum ejus,* id est ultimam partem C sui exercitus respicientem *ad mare novissimum,* expellam a vobis, totum pene exercitum per angelum occidendo. Mare enim orientale nunc dicitur, quod vergit ad orientem, ubi olim erant Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim, nuncque vocatur mare Mortuum, quoniam nullum animal manet vivum in eo. Mare vero occidentale appellatur, quod est ad occidentem, et ducit in Ægyptum, in cujus littore Ascalon, Azotus, Gaza, Joppe, Cæsarea sunt, etc.

D *Et ascendet fœtor ejus, et ascendet putredo ejus.* Hoc non videtur ad litteram accipi posse de Assyriis ab angelo interfectis, quia illorum corpora in cinerem sunt redacta, et igne consumpta. Unde Glossa dicit hoc mystice intelligendum. Hieronymus vero dicit, quod Propheta sic loquitur, quoniam servat metaphoram de locustis cœptam, quarum cadavera magnum causant fœtorem in aere. Videtur quoque de rege Assyriorum litteraliter dictum atque impletum, qui a propriis filiis

IV *Reg.* XIX, 37. ignominiose occisus, in fœtorem et putre- A
dinem versus est. *Quia superbe egit* contra
Judæos, ut patet quarto Regum. Maximas
enim blasphemias scripsit ad Ezechiam :
Is. XXXVII, 10; IV *Reg.* XVIII, 29. Non te, inquiens, decipiat Deus tuus, qui
non poterit te salvare de manu hac. Unde
Is. XXXVII, 29. apud Isaiam Dominus ait ad eum : Quum
fureres contra me, superbia tua ascendit
in aures meas. Ex quo patet, stultam esse
expositionem eorum qui ista de locustis
exponunt ; et argumenta eorum ex nunc
dictis soluta sunt. Non enim quum ali-
cujus populi pœna describitur, necesse est B
omnia ad singulos pertinere, sed frequen-
ter transit Scriptura de parte ad totum, et
econverso.

Consequenter inducitur beneficiorum
promissio, et consolatio Judæorum. Pro-
mittitque Dominus bona præinductis ma-
21 lis pœnalibus directe contraria. *Noli timere*
timore mundano, carnali, et inordinato,
nimis metuendo de futura caristia, steri-
litate, pressura, *terra,* id est, plebs Judaica
habitans in Judæa ; *exsulta et lætare, quo-
niam magnificavit Dominus,* id est, ma- C
gnifice prænuntiavit et egit, *ut faceret,* id
IV *Reg.* XIX, 29. est, abundantiam victualium tribueret vo-
22 bis, sicut spopondit. *Nolite timere, ani-
malia regionis,* id est, jumenta et bestiæ
silvestres in regno Juda manentes ; *quia
germinaverunt,* id est, fructum fecerunt,
speciosa deserti, id est campi spatiosi, et
arbores in desertis plantatæ. Ideo subdi-
tur : *quia lignum attulit fructum suum,*
id est, arbores fructuosæ fuerunt, *ficus et
vinea dederunt virtutem suam,* id est, fe-
cunditatem et largitatem ostenderunt, præ- D
bendo hominibus uvas et ficus. Sumitur
autem hoc loco ficus pro arbore, puta fi-
culnea. Denique Propheta loquebatur de
futura fertilitate et abundantia terræ per
modum præteriti. Alloquitur quoque irra-
tionabilia animalia : non quod putaverit
ea suam intelligere vocem, vel quod ha-
berent timorem proprie dictum de futura
sterilitate ac fame, quum non præconci-
piant talia, nisi forte naturali quodam in-
stinctu ; sed alloquitur talia, ut homines
ad intelligentiam advertentiamque inducat,
quemadmodum quotidie provocamus uni-
versa creata ad laudem benedictionemque
Dei, dicendo : Benedicite, omnia opera Do- *Dan.* III, 57, 81.
mini, Domino ; benedicite, bestiæ et pe-
cora, Domino ; laudate Dominum de terra, *Ps.* CXLVIII, 7.
dracones, etc.

Et filiæ Sion, id est, habitatores Jeru- 23
salem, omnisque popule Judæorum, qui
frequenter per Sion significatur, *exsultate
et lætamini in Domino Deo vestro,* tan-
quam in objecto, fonte, causa ac fine om-
nis sanctæ lætitiæ, id est in consideratione
bonitatis beneficiorumque ejus ; *quia de-
dit vobis doctorem justitiæ.* Per hunc do-
ctorem, quidam intelligunt ipsum prophe-
tam Joelem et similes sibi, quos Deus
dedit tunc ad Judæorum eruditionem. Po-
test quoque referri ad Christum, de quo
dictum est in Osee : Tempus requirendi *Osee* X, 12.
Dominum, quum venerit qui docebit vos
justitiam. Frequenter namque Prophetæ
loquendo de rebus sui temporis, oculos
cordis convertunt ad tempus atque myste-
ria Christi, cujus beneficia spiritualia, per
corporalia beneficia Judæis ante collata,
præfigurabantur. Dicit hic quidam, quod
aliqui dicunt Joelem prophetasse tempore
Elisei, et quod Hieronymus dicat eum an-
tea prophetasse, videlicet tempore Isaiæ.
Verum si historia libri Regum rite pense-
tur, invenitur Isaias non præcessisse Eli-
seum, sed magis econtra. Eliseus enim
defunctus est decem tribubus nondum ca- IV *Reg.* XIII, 20; XV, 29; XVII, 6.
ptis : post quarum captivitatem diu pro-
phetavit et vixit Isaias, usque ad tempus *Is.* I, 1.
Manassæ ; cœpit tamen prophetare ante
decem tribuum captivitatem. *Et descende-
re faciet ad vos imbrem matutinum,* id
est pluviam aptam et fecundantem, quum
semen in terram projicitur, *et serotinum,*
id est aptum tempore messis, secundum
Glossam, *sicut in principio* dedit, quum
non peccassent in eum filii Israel, et an-
tequam sterilitas præinducta illata est.

Et implebuntur areæ, id est horrea, *fru-* 24
*mento, et redundabunt torcularia vino et
oleo,* id est, in torcularibus vinum et ole-

25 um copiose excutientur. *Et reddam vobis*
annos quos comedit locusta, bruchus, et
rubigo, et eruca, id est, annos tantæ fer-
tilitatis dabo vobis, quanta fuit sterilitas
annorum quorum fructus et germina de-
voraverunt Assyrii vel Chaldæi, per locu-
stam et bruchum significati, vel animalia
illa minuta : qui Assyrii vel quæ bestiolæ
erant *fortitudo mea magna,* id est potens
effectus omnipotentiæ meæ, quia per illos
potenter et rigorose ultus sum vestra pec-
cata, et demolitus germina vestra ; *quam*
fortitudinem *misi in vos* puniendos per
26 illam. *Et comedetis vescentes* fructibus ter-
ræ, *et saturabimini,* id est, sufficientiam
multam habebitis, *et laudabitis nomen*
Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vo-
biscum, id est, qui primo mirabiliter vos
afflixit et castigavit, et nunc mirabilem
copiam rerum contulit, et consolationem
miraculosam ac maximam post vehemen-
tem tribulationem induxit, ita ut vere di-
Ps. LXXVI, 11. catis : Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Hoc
totum fecerunt ac perceperunt Judæi sub
Ezechia occisis Assyriis.

Et non confundetur populus meus in
æternum, dummodo in cultu meo perse-
veraverit. Vel, licet temporalem incurrat
confusionem, illa tamen non semper dura-
bit, sed æternaliter salvus erit populus
prædestinatus, pœnitens, patiensque in ad-
versis. Quidam asserit in Hebræo haberi,
Non confundetur populus meus in sæcu-
lum. Per quod non perpetuitas designatur,
sed tempus usque ad jubilæum, quamvis
jubilæus per modicos distet annos. Sed
Hieronymi ita et Septuaginta interpretum
translatio habet, In æternum. Unde potius
puto, quod verbum Hebraicum sit æquivo-
cum ad utrumque. Tales tamen promissio-
nes intelligendæ sunt conditionaliter, vel
pro tempore ultra solitum magno, quem-
A admodum secundo Regum Dominus dixit
per Nathan ad David de filiis Israel : Habi- II *Reg.* VII, 10.
tabo cum eis, et non turbabuntur ampli-
us, nec addent filii iniquitatis ut affligant
eum sicut prius. Idem quoque habetur
primo libro Paralipomenon. Insuper quod I *Par.* XVII, 9.
dictum est, Non confundetur populus meus
in æternum, intelligi potest præcise de his
qui erant sub Ezechia, de quibus Propheta
nunc loquitur, nec oportet eadem de uni-
versis posteris verificari. Ezechias autem
toto tempore vitæ suæ post occisionem As- II *Par.* XXXII, 22 *et seq.*
B syriorum magnam habuit pacem.

Et scietis per harum promissionum im- 27
pletionem atque effectum, seu beneficio-
rum meorum collationem, *quia,* id est
quod, *in medio Israel,* id est Judæorum,
ego sum per gratiam specialem tanquam
in populo peculiari. Unde per Moysen Do-
minus ait frequenter : Ego sum qui habito *Num.* XXXV, 34.
in medio filiorum Israel. *Et ego Dominus*
Deus vester per singularem providentiam
qua vos guberno, et de necessariis ad sa-
lutem provideo, *et non est amplius; et non*
C *confundetur populus meus in æternum,*
id est, ab hostibus non vincetur, nec con-
tumeliis afficietur, secundum sensum jam
tactum. Postremo, in Scripturis veteris Te-
stamenti ubertim promittit Deus Judæis
sua præcepta servantibus temporalium co-
piam rerum. Sed quum temporalia bona
seu corporales divitiæ non sint dignum
atque efficiens præmium actuum virtuoso-
rum (qui quum ex caritate procedant, me-
ritorii sunt vitæ æternæ), innotescit quod
sub tali promissione implicite intelligatur
D promissio remunerationis quantum ad spi-
ritualia bona, quæ sunt dona gratiæ in
præsenti, et munera gloriæ in futuro. Rudi
etenim populo promittenda erant tempora-
lia bona, ut per ea ad Dei alliceretur obse-
quium, a cujus famulatu aliter recessisset.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO TROPOLOGICA EJUSDEM CAPITULI SECUNDI.

PRÆDICATORIBUS, doctoribus, atque A
1 prælatis Ecclesiæ dicitur : *Canite tu-*
ba, id est, voce sonora, fiduciali, affectu-
osa, prædicate, *in Sion,* id est in Eccle-
sia, quæ speculando cœlestia Sion vocatur.
Sion nempe speculatio interpretatur. *Ulu-*
late in monte sancto meo, id est in Eccle-
Philipp. III, 20. sia militanti, quæ conversationem habendo
in cœlis, atque angelicam vitam ducendo
in terris, mons sanctus nominatur, de quo
Is. II, 3. scriptum est in Isaia : Venite, ascendamus
ad montem Domini, et ad domum Dei no-
stri. Unde in Daniele lapis sine manibus B
Dan. II, 34, 35. præcisus, fertur crevisse in montem ma-
gnum, constituendo universalem Ecclesi-
am toto orbe diffusam. Hinc ad Hebræos
Hebr. XII, 22. legitur : Accessistis ad montem Sion, et ad
civitatem Dei viventis. In hoc igitur monte
ululandum est, ex consideratione defectus
Matth. XXIV, 12. fidelium, in quibus prævalente peccato ca-
ritas refrigescit. Jam enim status Ecclesiæ
ad magnum devolutus est lapsum, et tan-
tam in ea est videre miseriam in pessima
conversatione multorum, ut ardens Dei ze-
lator, fratrumque verus amator, dicere ha- C
Jer. XIV, 17. beat cum Jeremia : Deducant oculi mei
lacrimas per diem et noctem, et non tace-
ant, quoniam contritione magna contrita
est virgo filia populi mei.

Conturbentur omnes habitatores terræ,
id est, homines universi sua pensando pec-
cata, timore et tremore concutiantur, et
pœnitentiam agant. Hæc autem conturba-
tio bona est, pacem carnalem, vanam se-
curitatem, corporalisque delectationis tol-
Ps. VI, 4. lens quietem. De qua ait Psalmista : Anima
Is. XXI, 3. mea turbata est valde ; et Isaias, Contur- D
batus sum, inquiens, quum viderem. Sic
enim turbari debemus, audiendo verba Dei
increpatoria, comminatoria, aut vindicato-
ria, secundum quod Jeremias scribit : Con- Jer. XXIII, 9.
tritum est cor meum in medio mei, contre-
muerunt omnia ossa mea a facie Domini,
et a facie verborum sanctorum ejus. *Quia*
veniet dies Domini, id est hora generalis
seu particularis judicii, quo nihil est hor-
ribilius. Hinc et Jacobus dicit : Adventus Jacob. V, 8, 9.
Domini appropinquabit ; ecce judex ante
januam adsistit. *Quia prope est dies te-* 2
nebrarum et caliginis, dies nubis et tur-
binis. Tantus enim horror mortis est et
utriusque judicii, quod explicari non po-
test. Sed et dies Domini, tanquam fur in I Thess. V, 2.
nocte, ita veniet. Nubes quoque et caligo Ps. XCVI, 2;
in circuitu ejus ; et in circuitu ejus tem- XLIX, 3.
pestas valida.

Quasi mane expansum super montes,
populus multus et fortis : id est, sicut lux
auroræ a cacumine montis per totam ter-
ram repente diffunditur ; sic populus mul-
tus et fortis, id est angelorum exercitus,
cujus ministerio consummabitur judici-
um, subito a cœlo per universum orbem
discurret, cineres suscitandorum colligen-
do, suscitatosque nondum glorificatos ad
judicii locum portando. *Similis ei non*
fuit a principio. Nulla enim gens exerci-
tui angelico potest comparari.

Ante faciem ejus ignis vorans. Ignis 3
conflagrationis, omnia viva in terra con-
sumpturus seu occisurus, horam judicii
et angelorum descensum quoad prædicta
opera exercenda præcedet : qui tamen du-
rabit usque ad finem judicii. Ideo subdi-
tur : *Et post eum exurens flamma.* Ignis
enim conflagrationis, durante judicio, in-
cendet perversos ; consummato autem ju-
dicio, et electis ad cœlum euntibus, ignis
iste involvet damnatos, atque cum eis in-
gredietur infernum. Unde habetur in Psal-

Ps. xcvi, 3. mo : Ignis ante ipsum præcedet, et inflam- A
mabit in circuitu inimicos ejus. *Quasi*
hortus voluptatis terra coram eo. Veniente
angelica turba ad vastandam terram, erit
ipsa terra adhuc divitiis plena, antequam
scilicet ignis conflagrationis eruperit. Erunt
quoque tunc multi justi, Antichristo occi-
so, qui propter spirituales divitias atque
Gen. ii, 8. delicias, horto voluptatis seu paradiso com-
parantur. *Et post eum solitudo deserti :*
quia peracto judicio, nullus remanebit ha-
bitator in terra ; *neque est qui effugiat*
eum, id est, nullus impiorum manum an- B
Matth. xiii, 49, 50. gelorum evadet ; sed ut ait Salvator, In
consummatione sæculi exibunt angeli, et
separabunt malos de medio justorum, et
mittent eos in caminum ignis; et denuo,
Ibid. 41. Mittet Filius hominis angelos suos, et col-
ligent de regno ejus omnia scandala.

Angelorum quoque adspectus et occur-
sus, terribilis erit damnandis. Propterea
4 subditur : *Quasi adspectus equorum, ad-*
5 *spectus eorum,* etc. *Velut populus fortis*
præparatus ad prælium. De quo in Apo-
Apoc. xii, 7. calypsi : Factum est prælium in cœlo; Mi- C
chael et angeli ejus præliabantur cum dra-
6 cone. *A facie ejus,* id est hujus angelici
exercitus, *cruciabuntur populi.* Qui enim
modo non acquiescunt inspirationibus an-
gelorum custodum suorum, habebunt eos
in die judicii contra se in testimonium ju-
stæ damnationis et ingratitudinis suæ. Hor-
ribile quoque tunc erit corporalibus cer-
nere oculis acies angelorum, quia tunc
visibiliter apparebunt.

7 *Viri in viis suis gradientur,* id est, an-
geli qui tunc in forma virorum appare- D
Act. i, 10. bunt (ut dicitur in Actibus, quod duo viri
steterunt juxta illos), ordinate procedent
ad prosequendum quod Deus injunxerit
eis; *et non declinabunt a semitis suis,* quia
nec magis, nec minus acturi sunt, quam
increata Dei sapientia ipsis præfixerit. Nun-
quam enim constitutos sibi a lege divina
terminos transgredientur secundum divi-
8 num et magnum Dionysium. *Sed et per*
fenestras cadent. Fenestræ, hominis sunt
sensus, per quos spiritus boni et mali ad
animam introire dicuntur, secundum quod
homo sensus bene aut male custodit. Unde
Jeremias : Mors, inquit, intravit per fene- *Jer.* ix, 21.
stras vestras. *Urbem,* id est Ecclesiam, *in-* 9
gredientur : de qua dicitur in Psalmo, Glo- *Ps.* lxxxvi, 3.
riosa dicta sunt de te, civitas Dei; et in
Apocalypsi, Vidi civitatem sanctam Jeru- *Apoc.* xxi, 2.
salem. *In muro current,* id est, ubique
bonos a malis segregabunt.

A facie ejus contremuit terra, moti sunt 10
cœli, sol et luna obtenebrati sunt, etc., id
est, a terrore divini judicii, et propter ea
quæ fient in die novissimo, immutanda
sunt omnia ista, secundum quod Christus
ait in Evangelio : Erunt signa in sole et lu- *Luc.* xxi, 25, 26.
na et stellis, arescentibus hominibus præ
timore : nam et virtutes cœlorum move-
buntur.

Et Dominus dedit vocem suam ante fa- 11
ciem exercitus sui : id est, angeli sancti
habebunt ex divino imperio efficaciam
operandi quæ dicta sunt; *quia multa sunt*
nimis castra ejus, quia fortia et facientia
verbum ejus. Castra hæc Dei, sunt sancti
angeli, quos constat esse innumerabiles,
et ad omne opus Deo placitum robustissi-
mos, divino quoque imperio ad nutum in
omnibus obedientes. De quibus in Daniele
legitur : Millia millium ministrabant ei, et *Dan.* vii, 10.
decies millies centena millia adsistebant
ei ; et in Psalmo : Benedicite Domino, *Ps.* cii, 20.
angeli ejus, potentes virtute, facientes ver-
bum illius ad audiendam vocem sermo-
num ejus. Hinc secundum principem theo-
logorum beatissimum Dionysium, omnes
angelici spiritus appellantur virtutes, tan-
quam potentes sine difficultate ad omnem
operationem sibi convenientem. Præterea,
quod angeli sancti dicantur castra Dei,
constat ex eo quod scriptum est in Gene-
si : Abiit Jacob itinere quod cœperat, fue- *Gen.* xxxii, 1, 2.
runtque ei obviam angeli Dei, quos quum
vidisset, dixit : Castra Dei sunt hæc. De
quibus et apud Job dicitur : Numquid est *Job* xxv, 3.
numerus militum ejus? et super quem non
surget lumen illius? Unde et Deus commu-
niter in Prophetis Dominus exercituum,
id est cœlestium agminum, nuncupatur.

Magnus enim dies Domini, id est dies A
extremi judicii : qui magnus asseritur,
propter magna divinæ justitiæ opera quæ
fient in ea; *et terribilis valde* injustis.
Justis tamen optabilis est suavisque erit,
Luc. XXI, 28. Christo dicente : His fieri incipientibus,
levate capita vestra (id est, animas lætificate),
quia appropinquat redemptio vestra.
Et quis injustorum *sustinebit eum?* id
est, quis poterit injustorum tolerare calamitatem
atque horrenda hujus diei supplicia?
Et tamen ea tolerare erit necesse.
I Petr. IV, 18. Hinc Petrus ait : Si justus vix salvabitur, B
impius et peccator ubi parebunt? In
secunda quoque Canonica sua loquitur
II Petr. III, 10-12. Petrus : Adveniet dies Domini tanquam
fur : in quo cœli magno impetu transient,
elementa vero calore solventur; terra autem,
et quæ in ipsa sunt opera, exurentur.
Quum ergo hæc omnia dissolvenda sint,
quales oportet nos esse in sanctis conversationibus
et pietatibus, exspectantes
et properantes in adventum diei Domini
nostri Jesu Christi, in quo cœli ardentes
solventur, et elementa ignis calore tabescent? C
Constat ergo, quam terribilis intole-
Dan. XII, 1. rabilisque dies ista consistet. Veniet enim
tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes
esse cœperunt usque ad tempus illud,
ut legitur in Daniele.

12 *Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini
ad me in toto corde vestro, in jejunio et
fletu,* etc. Sic et nos converti debemus ad
Dominum totis præcordiis, universisque
cordis nostri medullis, ut tota nostra affectio
sit fixa in Deo, eique cuncta interiora
nostra forti unione adhæreant : quia pro D
quanta parte affectio nostra in rebus creatis
dispergitur, pro tanto minor est ad
Deum cordis conversio. Debemus autem
converti in jejunio, quo vitia comprimuntur,
mens elevatur, virtutes et præmia acquiruntur,
præterita delicta dimittuntur,
futura tormenta redimuntur. Pessimum
Matth. XVII, 20. quoque genus dæmoniorum, non nisi in
oratione atque jejunio ejicitur, ut ait Salvator.
Porro, quod per salutare jejunium
oratio exaudiatur, et sapientia vera cordi
infundatur, innotescit ex eo quod Gabriel
locutus est Danieli : Ex die primo quo posuisti Dan. X, 12, 14.
cor tuum ad intelligendum, ut affligeres
te in conspectu Domini Dei tui, exaudita
sunt verba tua, et ego veni ut docerem
te. Debemus insuper converti in fletu ex
desiderio patriæ, ex displicentia propriæ
culpæ, ex Christi compassione, ex totius
mundi multiplici transgressione atque errore.
Scindere etiam corda, non vestimen- 13
ta : in quo multorum stultissima vanitas
increpatur, fractilantium indumenta, quod
prorsus ad nihil est utile, nisi ad stultorum
damnationem. *Sacrificium* laudis ac 14
obedientiæ, vel oblatio dominici corporis,
et libamen pii fletus, seu oblatio sanguinis
Christi, offerantur *Domino Deo nostro.*

Canite tuba evangelicæ prædicationis *in* 15
Sion, id est in Ecclesia, corripiendo in- I Thess. V, 14.
quietos, consolando pusillanimes, docendoque
singulos secundum quod capere
possunt, et expedit. *Vocate cœtum, con-* 16
gregate populum, etc., id est, omne genus
Christianorum, juvenes ac virgines, senes
et juniores, colligite spiritualiter in fide et
caritate, ut multitudinis credentium sit Act. IV, 32.
cor unum et anima una, et id ipsum di- I Cor. I, 10.
cant omnes, nec habeant schismata. Istud
quoque fit corporaliter, quando ad festa
et processiones jubentur concurrere omnes.
Congregate parvulos, et sugentes ubera
Ecclesiæ (de quibus in Canticis, Melio- Cant. I, 1.
ra sunt ubera tua vino), id est, innocentes,
pios, ac humiles coadunate sub alis vestræ
protectionis, o veri pastores ac doctores,
ne fallantur aut opprimantur. De talibus
loquitur Petrus : Quasi modo geniti infan- I Petr. II, 2.
tes, lac concupiscite; et Christus, Abscon- Matth. XI, 25.
disti hæc a sapientibus et prudentibus, et
revelasti ea parvulis. *Egrediatur sponsus
de cubili suo, et sponsa de thalamo suo,*
quatenus juxta Apostolum, ex consensu I Cor. VII, 5.
ad tempus abstineant, ut vacent orationi,
et qui habent uxores, sint tanquam non Ibid. 29.
habentes, ne fiant sicut equus et mulus, Ps. XXXI, 9.
quibus non est intellectus.

Inter vestibulum et altare plorabunt sa- 17
cerdotes, etc. Sic in locis materialis eccle-

siæ, et in conventu fidelium, flere debent
sacerdotes Christi pro suis populique de-
lictis, et pro persecutionum ac tentatio-
I Tim. II, 2. num salubri cessatione, quatenus quietam
et tranquillam vitam agamus in omni pie-
tate et castitate. *Et ne des hereditatem
tuam in opprobrium, ut dominentur eis
nationes.* Hoc merito omnes instanter pe-
teremus, præsertim quum jam videamus
nostram et Christi hereditatem, Terram
sanctam (et plurimos Christianos) in ma-
nus traditam Sarracenorum ac hostium
Dei. Christi nempe hereditas, plebs est fi-
Ps. xv, 6. delis, de qua ait in Psalmo : Hereditas mea
præclara est mihi.
18 *Zelatus est* zelo magni [illegible] Eccle-
[illegible] degentem in terris, de
Jesus Chr[illegible] accipitur illud in Psalmo : Benedixi-
sti, Domine, terram tuam. Unde dicit Apo-
Galat. II, 20. stolus : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit
me, et tradidit semetipsum pro me. De
Apoc. I, 5. quo in Apocalypsi asseritur : Qui dilexit
nos, et lavit nos a peccatis nostris in san-
Joann. x, 14, 15. guine suo. Ipse enim est pastor bonus, qui
posuit animam suam pro ovibus suis. *Et
pepercit populo suo* christiano pœnitenti.
19 *Et dixit populo suo : Ecce ego mittam
vobis frumentum, et vinum, et oleum,* id
est corpus et sanguinem Christi, quæ sub
speciebus panis et vini conficiuntur. Per
oleum quoque signatur spiritualis unctio
Spiritus Sancti. Vel, per frumentum intelli-
gitur operatio virtuosa, nutriens mentem;
per vinum autem, gratia contemplationis,
quæ operationem efficit saporosam. *Et non
dabo vos ultra opprobrium in gentibus.*
Quum Christus dat suis fidelibus gratiam
tam honestæ et irreprehensibilis conver-
I Petr. II, 15. sationis, quod benefaciendo obmutescere
faciunt imprudentium hominum ignoran-
tiam, tunc non dat eos opprobrium in
gentibus. Ad quam perfectionem admonet
Petrus, dicens in prima sua canonica epi-
Ibid. 12. stola : Conversationem vestram inter gen-
tes habentes bonam, ut in eo quod detre-
ctant de vobis tanquam malefactoribus, ex
bonis operibus vos considerantes, glorifi-

A cent Deum. Hoc est vincere in bono ma- Rom. XII, 21.
lum. Unde et Moyses ait in Deuteronomio :
Hæc est vestra sapientia et intellectus co- Deut. IV, 6.
ram hominibus, ut audientes universi præ-
cepta hæc, dicant : En populus sapiens
et intelligens. Sic honorificantes se hono- I Reg. II, 30.
rificat Deus.
Et eum qui ab aquilone est, id est dia- 20
bolum, qui dixit, Sedebo in monte testa- Is. XIV, 13.
menti, in lateribus aquilonis : habitat enim
in cordibus in quibus refriguit caritas, Matth. XXIV, 12.
quæ per aquilonem, locum et ventum fri-
B gidum, designantur; *procul faciam a vo-
bis,* faciendo cum tentatione proventum. I Cor. x, 13.
Hinc dicitur ad Romanos : Deus conteret Rom. XVI, 20.
[illegible] ; et
Christus in Joanne, Nunc princeps hujus Joann. XII, 31.
mundi ejicietur foras. Propter quod Jaco-
bus jubet : Resistite diabolo, et fugiet a Jacob. IV, 7.
vobis. *Et expellam eum in terram inviam
et desertam,* ut ambulet per loca arida et Luc. XI, 24.
inaquosa, quærens requiem, nec inveni-
ens ; vel in infernum, quæ est terra te- Job x, 21.
nebrosa et operta mortis caligine ; vel in
C corda reproborum, in quibus non est via
virtutum, sed a gratia sunt deserta. *Et as-
cendet fœtor ejus,* id est, suggestiones ejus
pestiferæ ascendent atque inficient ani-
mas plurimorum; *et ascendet putredo ejus,*
id est opera corruptionis putrida ac mor-
tua, qualia sunt fœtidissima opera car-
nis, quæ dæmone suggerente exsurgunt in
multis, qui contumeliis afficiunt corpora Rom. I, 24.
sua in semetipsis.
Noli timere, terra, id est, Ecclesia; *ex-* 21
*sulta et lætare, quoniam magnificavit Do-
D minus ut faceret* tecum gratiam maxi-
mam, ita ut dicere possis : Benedictus Ps. XXX, 22.
Dominus, quoniam mirificavit misericor-
diam suam mihi. Propter quod dicit Apo-
stolus : Gaudete in Domino semper; iterum Philipp. IV, 4, 5.
dico, Gaudete : Dominus prope est. *Nolite*
timere, animalia regionis, id est, homines 22
jugum divinorum præceptorum super vos Matth. XI, 29.
tanquam pia jumenta portantes; *quia ger-
minaverunt,* id est, in bonis operibus fru-
ctuosa fuerunt, *speciosa deserti,* id est cor-
da gentilium seu impiorum conversorum

Is. xxxv, 1. ad Deum. Unde in Isaia habetur : Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo. *Quia lignum attulit fructum suum,* id est Christus, qui est lignum vitæ : quia et Sa- *Prov.* iii, 18. lomon ait de sapientia, quod sit lignum vitæ omnibus apprehendentibus eam. De *Luc.* xxiii, 31. se ipso quoque dicit Salvator : Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Tunc enim Christus attulit fructum suum, quan- *Hebr.* ii, 10. do redemit genus humanum, multosque filios adduxit in gloriam, et peccatores per gratiam justificavit, quemadmodum Isaias *Is.* iv, 2. prænuntiavit : In die illa erit germen Domini in gloria et magnificentia, et fructus terræ sublimis. Potest quoque exponi de ligno crucis, per quod salvatus est mundus. *Ficus et vinea,* id est ecclesiasticæ personæ, Spiritus Sancti dulcedine atque operibus adornatæ (ita ut ficus et vinea appellentur propter dulcedinis fecunditatisque gratiam), *dederunt virtutem suam,* id est, opera virtuosa produxerunt, et alios converterunt.

23 *Et filiæ Sion,* id est, animæ speculativæ, seu filii Ecclesiæ, *exsultate in Domino Deo vestro,* id est Patre æterno, ei gratias referendo; *quia dedit vobis doctorem* *Joann.* xiii, 13. *justitiæ,* utpote Christum, qui ait : Vos vocatis me, Magister et Domine; et iterum, *Matth.* xxiii, 8, 10. Unus est magister vester Christus. Vel, per doctorem justitiæ, potest intelligi quilibet bonus ac sapiens prælatus, prædicator seu doctor, qui verbo ac opere docet justitiam : quod est magnum beneficium Dei. *Eccli.* x, 2. Qualis enim rector civitatis, tales et habitantes in ea. Vel potest intelligi Spiritus *Joann.* xvi, 13. Sanctus, de quo dixit Christus : Docebit vos omnem veritatem. *Et descendere faciet ad vos imbrem matutinum,* id est gratiam prævenientem seu fidei doctrinam, et boni propositi inspirationem, *et serotinum,* id est gratiam subsequentem, vel gloriam consummatam, aut sapientiam contempla- I *Cor.* ii, 6. tivorum, quam Paulus loquitur inter per- *Hebr.* v, 14. fectos, quæ est solidus cibus et ultimata quædam perfectio; *sicut in principio,* id est in primitiva Ecclesia, feci.

24 *Et implebuntur areæ,* id est Ecclesiæ A particulares, congregationes devotæ, seu corda fidelium, *frumento,* id est spirituali alimento; *et redundabunt torcularia,* id est præfati fideles tribulationibus pressi, *vino* internæ refectionis, *et oleo* piissimæ consolationis. De quibus legitur in Proverbiis : Venite, comedite panem meum, et *Prov.* ix, 5. bibite vinum quod miscui vobis. Qui enim in tribulationibus patiens est, consolari meretur, dicente Apostolo : Sicut pro Chri- II *Cor.* i, 5. sto abundant tribulationes nostræ, ita et per Christum abundat consolatio nostra.

B *Et reddam vobis annos quos comedit lo-* 25 *custa, bruchus, eruca,* etc., id est, tantam spiritualium divitiarum seu gratiarum copiam tribuam vobis, quantam habuistis antequam per invisibilium seu visibilium hostium tentamenta, dona gratiarum amisistis, ita quod posteriora vestra erunt meliora prioribus.

Et in his bonis spiritualiter epulabimi- 26 ni, *et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia,* id est admirabilem morum conversionem, et su- C bitam cordis ad Deum conversionem, supernaturalem Sancti Spiritus illustrationem, propriæ voluntatis omnimodam abnegationem, mundi contemptum, ita ut subito de superbis efficeremini humiles, de iracundis mites, de gulosis et luxuriosis casti ac sobrii, de mundanis ac vanis timorati atque claustrales. Hæc sunt quotidiana mirabilia Dei, soli Deo possibilia, tanto mirabiliora quanto spiritualiora. Unde et Petrus in prima sua Canonica : Virtutes, inquit, I *Petr.* ii, 9. annuntietis ejus qui de tenebris vos vo- D cavit in admirabile lumen suum. Facit quoque Deus nobiscum quotidie mirabilia in Sacramento altaris, ceterisque specialibus beneficiis, consolationibus et visitationibus cordis. *Et non confundetur populus meus* christianus, id est, effectu spei suæ non privabitur, *in æternum.* Sed qui me confessus fuerit coram homini- *Matth.* x, 32. bus, confitebor et ego eum; qui autem me erubuerit et meos sermones, erube- *Luc.* ix, 26. scam et ego eum, et confundetur in sempiternum.

27 *Et scietis quia in medio Israel,* id est Ecclesiæ divina fideliter contemplantis, *ego sum,* habitando per caritatem et gratiam in corde credentium, quemadmodum fassus sum : Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. (*Matth.* xviii, 20.) Quamvis enim nemo certe sciat se esse in caritate sine speciali revelatione, quoniam nescit homo an amore dignus sit, an odio, (*Eccle.* ix, 1.) nihilo minus conjectu- A raliter et probabiliter valde scire hoc potest, dum sentit se prædicto modo conversum, et vitia detestantem, verbumque Dei hilariter audientem, atque ad Dei obsequia pronum.

Postremo, circa prædicta dicit Hieronymus : Nunquam tuta est humana fragilitas; et quanto virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : ET ERIT POST HÆC : EFFUNDAM SPIRITUM MEUM.

PRÆSENS capitulum, teste Hieronymo, est difficillimum, quum laboriosissimum sit sequentia præcedentibus nectere. Porro quod principium hujus capituli ad litteram intelligendum sit pro tempore Christi, quando post resurrectionem dominicam, sancti Apostoli et qui cum eis fuerant congregati, receperunt Spiritum Sanctum in forma seu signo visibili, apostolica auctoritate probatur. Quum enim in die Pentecostes suscepta plenitudine Spiritus Sancti, beati Apostoli mane hora tertia templum ingressi cœpissent omnium gentium linguis loqui, et mysteria Christi invictissime sermocinari, admirantes Judæi dixerunt : Quidnam vult hoc esse? Aliqui vero irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti. Quo audito, stans Petrus cum undecim, dixit : Viri Judæi, hoc vobis notum sit. Non enim, ut vos æstimatis, hi ebrii sunt, sed hoc est quod dictum est per prophetam Joel : Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus : Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. (*Act.* ii, 1 *et seq.*) Sed huic sensui difficultatem facit, quod statim post verba a principe Apostolorum allegata, sanctus Joel subjunxit : Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo, quum convertero captivitatem Juda (vers. 1, 2.) B et Jerusalem, congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi, etc. Quod communiter explanatur ad litteram pro tempore secundi adventus Christi, seu pro die judicii : ex quo videtur, ad idem tempus referendum principium hujus capituli. Multaque alia in hoc subsequuntur capitulo, quæ maximam involutionem efficiunt. Propter quod expositores satis diversimode exponunt hunc textum.

Verum sequendo beatissimum archiapostolum Petrum, C dicendum quod principium hujus capituli litteraliter loquitur pro tempore primitivæ Ecclesiæ atque dominicæ passionis, resurrectionis, ac Spiritus Sancti missionis. Ut sit sensus : 28 (cap. ii.) *Et erit,* id est fiet, *post hæc,* id est post tempus et gesta quæ in præcedenti capitulo sunt descripta, ubi Judæis promissa fuit magna beneficiorum exhibitio post tribulationem eis illatam ab Assyriis seu Chaldæis (*Joel* ii, 21 *et seq.*) : *Effundam spiritum meum,* id est, Spiritum Sanctum a me procedentem, liberaliter D dabo ac mittam, *super omnem carnem,* id est super omnem hominem : ut sit distributio non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, videlicet super viros ac feminas, super senes

ac juvenes, divites et pauperes, nobiles A et ignobiles, vel super Judæos et gentiles. Unde in Actibus dixerunt Judæi, audito quod Cornelius centurio et qui cum eo fuerunt, recepissent Spiritum Sanctum in
Act. x, 45. signo sensibili : Ergo et in nationes gratia Dei effusa est. Patetque in toto libro apostolicorum Actuum, quomodo tempore primitivæ Ecclesiæ gentibus data est admirabilis gratia. Per carnem itaque intelligit
Is. xl, 5; Luc. iii, 6. hominem, sicut et Isaias quum ait : Videbit omnis caro salutare Dei nostri ; et Jo-
Joann. i, 14. annes, Verbum caro factum est ; itemque B
Ps. lxiv, 3. Psalmista, Ad te omnis caro veniet. Proprie quoque accipitur hic caro pro homine habente cor non durum, lapideum, obstinatum, sed pium, molle, atque per modum carnis tenerum, ad Spiritus Sancti susceptionem dispositum.

Et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, id est Apostoli aliique discipuli Christi et Apostolorum ex Judaismo conversi, et multæ discipulæ Christi et Apostolorum, quarum aliquæ cum Apostolis in die Pentecostes receperunt Spiritum Sanctum C
Luc. xxii, 12 et seq. in cœnaculo illo grandi, in quo Christus fecit novissimam Cœnam. Unde in Actibus
Act. i, 14. habetur, quod Apostoli erant perseverantes in oratione cum mulieribus et Maria Matre Jesu et fratribus ejus. Philippus
Ibid. xxi, 8, 9. quoque unus de septem diaconis, habuit quatuor filias virgines prophetissas. Sed et Philippus apostolus scribitur duas habuisse filias sanctissimas prophetissas. Hi autem fuerunt filii et filiæ Judæorum. Quanta vero prophetaverunt Apostoli, præsertim Joannes in Apocalypsi, patet partim D in scripturis eorum. *Senes vestri,* o Judæi, id est seniores in primitiva Ecclesia, qui vere senes fuerunt, ætate, sapientia et moribus, *somnia somniabunt,* id est, prophetales revelationes, quæ communiter dantur tempore somni, recipient atque intelligent. In somno enim aptior est anima ad revelationem cœlestem ac prophetalem, propter imaginativæ quietem, et ab
Job xxxiii, 15, 16. exterioribus sensibus abstractionem. Propter quod scriptum est in Job : Per somnium in visione nocturna aperit aures virorum. In Numeris quoque Dominus Aaron
et Mariæ ait : Si fuerit inter vos Propheta, Num. xii, 6.
in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. Talia ergo somnia non sunt vana ac solita omnibus. Tale etiam fuit somnium Pauli, quando vir Macedo apparuit Paulo dormienti, dicens, Transiens in Act. xvi, 9.
Macedoniam, adjuva nos : prout in Actibus legitur. *Et juvenes vestri visiones videbunt,* id est, divinas revelationes habebunt, vel propheticas visiones intelligent.
Unde in Ecclesia Antiochiæ erant doctores Ibid. xiii, 1.
et Prophetæ, atque in aliis locis diversis, puta in Tyro, ut in Actibus recitat Ibid. xxi, 4.
Lucas.

Sed et super servos meos et ancillas 29
meas, de quibus jam dictum est, vel alios ordinis et gradus inferioris, videlicet super credentes communiter, *in diebus illis,* tempore evangelicæ legis ac gratiæ, crescente quotidie primitiva Ecclesia, *effundam spiritum meum,* dona Sancti Spiritus infundendo, quamvis non prophetaverint. In primitiva quippe Ecclesia dabatur communiter baptizatis Spiritus Sanctus in signo visibili, etiam ad diversos effectus gratiæ gratis datæ, ita ut loquerentur linguis, miracula facerent, prophetarent : quod
fiebat per impositionem manus Apostolorum, ut patet in Actibus. Ibid. viii, 17.

Porro quod dictum est, Effundam Spiritum meum, potest esse verbum Patris, vel Filii, vel utriusque simul, in quantum sunt unum principium, unusque spirator et fons Spiritus Sancti, quum in utroque sit una natura, eademque voluntas, quemadmodum tres Personæ sunt unus Creator. Denique Spiritus Sanctus, qui est Deus verus, incommutabilis et immensus, dicitur dari sive effundi, non quod mutetur aut variet locum, sed quoniam dona ejus donantur et liberaliter effunduntur. De hac Spiritus Sancti effusione dictum est
apud Isaiam : Effundam Spiritum meum Is. xliv, 3.
super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. In Zacharia quo-
que dicitur : Effundam super domum Da- Zach. xii, 10.

vid Spiritum gratiæ et precum. Per verba etiam præinducta prænuntiavit Propheta, quod tempore jam præfato daretur Spiritus Sanctus et gratia prophetiæ multo abundantius quam unquam ante : quod in tantum verum est, ut dicat Joannes, (*Joann.* VII, 39.) Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus : quia et ista tam copiosa et evidens Spiritus Sancti effusio, erat declaratio glorificationis Christi in anima et corpore, usque ad sessionem in dextera Patris.

30 *Et dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.* Quidam hunc locum usque ad illud, Et erit, Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, referunt ad tempus secundi adventus Christi. Sed quum S. Petrus (*Act.* II, 16-21.) apostolus omnia verba ista alleget, et illo in tempore impleta affirmet, consequens, ut sicut præcedentia, ita et ista ad primum Christi referantur adventum, et ad Paracleti missionem.

Christo ergo pendente in crucis patibulo, data sunt prodigia magna *in cœlo :* (*Luc.* XXIII, 45.) quia obscuratus est sol tempore oppositionis, ita quod luna plena exsistens, et soli directe opposita, rediit, seque soli supernaturaliter supposuit : circa quam eclipsim multa mirabilia contigerunt, quemadmodum in epistola ad magnum atque sanctissimum Polycarpum, sacratissimus, divinissimus, atque magnus theologus Dionysius protestatur. Rursus datum fuit prodigium in cœlo, dum Christo Patrem orante, (*Joann.* XII, 28, 29.) Pater, clarifica Filium tuum ; venit vox, dicens : Et clarificavi, et iterum clarificabo. Tunc enim quidam dixerunt, tonitruum factum esse. Alii dixerunt, Angelus ei locutus est : et hi verum profati sunt. Maximum quoque prodigium in cœlo peractum est, dum Christo in die ascensionis cum patribus ad patriam ascendente, (*Act.* I, 9.) nubes eum suscepit, et angeli sancti (*Is.* LXIII, 1, 2; *Ps.* XXIII, 7-10.) occurrentes, quasdam quæstiones movent. Sed et in nocte dominicæ nativitatis cœlestis exercitus descendit, ac cecinit, (*Luc.* II, 14.) Gloria in altissimis Deo : quando et stella

A Magis apparuit. (*Matth.* II, 2.) Daboque prodigia *in terra :* quando videlicet Christo in cruce (*Ibid.* XXVII, 51, 52.) levato, terra mota est, petræ scissæ, monumenta aperta, et multa corpora sanctorum surrexerunt cum Christo. Et in hora dominicæ resurrectionis, sicut Matthæus (*Ibid.* XXVIII, 2, 4.) narrat, terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem : præ cujus timore custodes sepulcri facti sunt quasi exanimes. Denique Christus adhuc conversans in terra, infinita fecit miracula, et B in nomine ejus sui discipuli multa sunt prodigia operati.

Deinde in speciali exemplificat quædam prodigiorum istorum, videlicet *sanguinem,* (*Joann.* XIX, 34.) qui de latere Christi jam mortui cum aqua supernaturaliter emanavit, de quo (*Ps.* LXVII, 24.) fertur in Psalmo : Ut intingatur pes tuus in sanguine. Mirabile etiam fuit, quod unigenitus Filius Dei sanctus et innocens, sanguinem suum fudit pro mundo, amarissimam ac turpissimam sustinens mortem. Propter quod apud Isaiam angeli C (*Is.* LXIII, 2.) sciscitati leguntur : Quare rubrum est indumentum tuum, videlicet corpus assumptum, tempore passionis sanguine rubricatum ? Nam et de Christo in Canticis (*Cant.* V, 10.) fertur : Dilectus meus candidus et rubicundus. *Et ignem :* in cujus specie Spiritus Sanctus descendit super Apostolos, (*Act.* II, 3.) juxta illud Actuum : Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Vel, Ignem, id est Spiritus Sancti fervorem, quo Christus corda suorum mirabiliter inflammavit, ita ut D (*Luc.* XXIV, 32.) duo ex illis assererent : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis ? De quo ait (*Ibid.* XII, 49.) Salvator apud Lucam : Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ? Vel, Ignem : de quo et in Matthæo (*Matth.* III, 11.) ait Joannes Baptista, Ipse baptizabit vos Spiritu Sancto et igni : ubi per ignem, secundum unam expositionem, intelligitur ignis tribulationis. Mirabilis autem fuit Ecclesiæ primitivæ persecutio. *Et vaporem fumi,* id est tenebras infidelitatis et supplicia, secundum Hieronymum, quibus Deus

permissive excæcavit animas Judæorum, A
quos et per Romanos punivit. Unde quum
Isaias visionem illam describeret, in qua
sibi Judæorum excæcatio prænuntiabatur,
Is. VI, 4. dixit quod domus impleta est fumo. Vel
Act. II, 3. ad litteram, ignis qui in die Pentecostes
super credentes descendit, potuit aliquid
de fumo habere seu causare quemdam vaporem,
ad ampliorem divinæ majestatis
Exod. XIX, 18. ostensionem, sicut mons Sinai fumigabat.
Quidam etiam per vaporem fumi, intelligunt
compunctionem cordis et lacrimas
Judæorum, qui ut in Actibus habetur, ad B
prædicationem Petri compuncti sunt cor-
Act. II, 37. de, dicentes : Quid faciemus, viri fratres ?
Zach. XII, 11. Unde et Zacharias : In die illa, inquit,
planctus magnus erit in Jerusalem.
31 *Sol convertetur in tenebras, et luna in
sanguinem.* Hoc (sicut nunc tactum est)
fuit, quando Christo suspenso ac inæsti-
Luc. XXIII, 44, 45. mabiliter patiente, sol et luna quasi compassi
sunt Creatori ac Domino suo, nec
lumen suum præbuerunt his qui fontem
luminis exstinxerunt. Non tamen in se ipso
mutatus aut luce privatus est sol, aut C
luna effecta sanguinea, sed quoad apparentiam,
et quia mundo induxerunt caliginem.
Solet autem luna, quum patitur
eclipsim, rubea apparere. Verumtamen
quando directe supponitur soli, non rubea,
sed nigra videtur. Unde si pro tempore
suppositionis illius rubea apparebat,
mirabiliter factum est : quod Hieronymus
dicit credi posse, quamvis scriptum non
Joann. XXI, 25. sit, quia non omnia scripta sunt.
*Antequam veniat dies Domini magnus
et horribilis :* per quem intelligi potest D
dies judicii impiis metuendus, ante quem
32 facta sunt ista. Sed quia mox subditur, Et
erit, Omnis qui invocaverit nomen Domini,
salvus erit : quod Paulus ad Romanos,
Rom. X, 13; *Act.* II, 21. et Petrus in Actibus, exponunt de tempore
Christi et initio evangelicæ prædicationis ;
Hieronymus dicit, per diem istum potius
intelligendum diem dominicæ resurrectionis,
qui fuit diabolo impiisque Judæis terribilis
et magnus in se. De quo cantat
Ps. CXVII, 24. Psalmista : Hæc est dies quam fecit Dominus.
Unde translatio Septuaginta interpretum
continet : Antequam veniat dies
Domini magnus et illustris. Quibusdam
vero apparet, quod dies dominicæ resurrectionis
non soleat dici horribilis ; et
item, quod ad contenebrationem solis et
lunæ præfatam, non habeat proprie condependentiam
dies finalis judicii. Potest
autem, ut arbitror, per diem Domini magnum
et horribilem, intelligi dies captivitatis
Judæorum, et totalis destructio Jerusalem
et Judææ a Romanis, quem Christus
apud Lucam prædixit : de quo die multa *Luc.* XIX, 43, 44.
prædixerunt Prophetæ. De quo ait et Christus
in Isaia : Dies ultionis in corde meo. *Is.* LXIII, 4.

Et erit tempore evangelicæ legis : *Omnis
qui invocaverit,* id est, intus cum attentione,
cum cordiali affectu oraverit *nomen
Domini* nominatum, id est Deum seu Christum
nomine designatum, *salvus erit* a
languore peccati in via per gratiam, et a
damnatione inferni in patria per gloriam.
Prope enim est Dominus omnibus invo- *Ps.* CXLIV, 18.
cantibus eum, omnibus invocantibus eum
in veritate. Porro invocatio ista, secundum
Hieronymum, non est leve aliquid, nec
incipientium, sed perfectorum. De qualibus
scriptum est in Psalmo : Moyses et *Ps.* XCVIII, 6.
Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter
eos qui invocant nomen ejus. Unde
et in Ecclesiastico inducitur : Quis invoca- *Eccli.* II, 12.
vit Deum, et despexit eum ?

*Quia in monte Sion et in Jerusalem
erit salvatio,* id est in primitiva Ecclesia,
quæ primo collecta fuit post Christi passionem
ac resurrectionem in urbe sancta *Act.* I, 12, 13; II, 1-4.
Jerusalem, et in cœnaculo ubi Spiritum
Sanctum recepit, quod situm fuit in monte
Sion, juxta templum. In hoc itaque loco
ac populo fecit Christus salutem, dando
ibi primitias Spiritus Sancti, atque per
prædicationem eorum qui ibi demorati
sunt, totum sæculum convertendo. Propter
quod scriptum est in Isaia : De Sion *Is.* II, 3.
exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.
Ibi enim Christus per se ipsum præ- *Matth.* XXVI, 55; *Luc.* XIX, 47; XXI, 37; *Joann.* VII, 14, 28.
dicavit, ibi fundata est lex novi Testamenti,
et primo annuntiata per sanctos

Apostolos, ac deinde per universum orbem, secundum quod Christus ait disci-
Act. I, 8. pulis suis in die ascensionis : Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ ; et
Luc. XXIV, 46, 47. in Luca : Oportebat pati Christum, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus a Jerusalem. *Et in residuis,* id est in electis Judæorum reliquiis, *quos Dominus vocaverit* ad fidem et gratiam, intus clementer movendo, et foris per Apostolos exhortando. In his itaque fuit salvatio, quia per gratiam Christi salvati
Is. I, 9. sunt. De quibus Isaias locutus est : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. De quibus lo-
Rom. XI, 5. quitur Paulus ad Romanos : Reliquiæ secundum electionem gratiæ, salvæ factæ sunt. Hi sunt illa millia Judæorum qui in
Act. II, 41; IV, 4. Actibus Apostolorum credidisse leguntur, quorum aliquibus ante passionem Chri-
Joann. VIII, 28. stus prædixit : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.

1 (cap. III.) *Quia ecce in diebus illis et in tempore illo, quum convertero captivitatem Juda et Jerusalem.* Si locus iste ad litteram exponitur de die judicii, sicut communiter explanatur, tunc quod ait, In diebus illis et in tempore illo, non potest præcise referri ad tempus illud de quo in hujus capituli principio dictum est. Qui vero quod dictum est, Sol vertetur in tenebras et luna in sanguinem, exponunt pro tempore immediate præcedente diem judicii, faciliter transeunt, asserentes verba nunc exponenda ad illud tempus referenda. Sed quoniam ibi nullum tempus exprimitur, et paulo ante tempus expressum est, dicente Domino, Super servos meos et ancillas meas in diebus illis effundam Spiritum meum ; videtur Propheta nunc loqui pro tempore illo : quod ad litteram dici non potest, quum illud intelligatur de principio primitivæ Ecclesiæ, istud vero de fine ejus, quoad statum præsentem. Idcirco Hieronymus ad tropologiam con-

A vertitur : per quod non satisfit curioso lectori, quoniam litteralem sensum oportet poni pro fundamento.

Advertendum ergo, quod totum tempus a Christi adventu usque ad finem mundi, est ultima ætas, de qua ait Joannes in prima sua Canonica, Novissima hora est ; et *I Joann.* II, 18.
Paulus, Nos, inquit, sumus in quos fines *I Cor.* X, 11.
sæculorum devenerunt. Unde pro eo quod in principio hujus capituli dictum est, Et erit post hæc, Petrus sic allegavit, Et erit *Act.* II, 17.
in novissimis diebus. Sic ergo quod nunc
B Dominus ait, In diebus illis et in tempore illo, referendum est ad tempus gratiæ ultimamque mundi ætatem, quantum ad ultimam ejus partem, sicut quod ait in principio capituli, refertur ad idem tempus eamdemque ætatem, quoad ejus principium. Totum nempe a qualibet suarum partium denominatur. In fine autem sæculi convertet Dominus captivitatem Juda et Jerusalem, id est, populum Judæorum ab Antichristo deceptum, et usque ad illud tempus a gentibus captivatum, re-
C ducet ad se, et a vinculis criminum absolutos, perducet ad fidem et caritatem veramque spiritus libertatem per prædi- *Malach.* IV, 5.
cationem Enoch atque Eliæ.

Congregabo omnes gentes in die judicii 2
resuscitatas a morte, *et deducam eas* ministerio angelorum *in vallem Josaphat,* id est in locum illum qui est inter montem Oliveti et Jerusalem : non quod omnes poterunt in valle hac contineri, sed erunt in ea et in locis circumquaque adjacentibus ac vicinis. Christus vero apparebit in aere
D supra montem Oliveti, unde ascendit. *Et* *Act.* I, 9, 12.
disceptabo ibi cum eis, id est, redarguam eas, et justum ostendam judicium meum, ita quod opera omnium singulis innotescent, *super populo meo et* super *hereditate mea Israel,* id est propter peccata quæ commiserunt in filios Israel hereditarium populum meum : per quem hoc loco omnes electi fideles significantur; *quos disperserunt in nationibus,* a propria eos terra ejiciendo, *et terram meam diviserunt,* id est, terram quam dedi electis fi-

delibus, occupaverunt, quilibet partem A
3 sibi usurpando. *Et super populum meum*
miserunt sortem: ita quod populum istum
ac bona ejus sibi invicem sorte partiti
sunt, quis quid acciperet. *Et posuerunt*
puerum in prostibulo, id est, juvenes for-
ma egregios in lupanaribus posuerunt, ut
mercedem reciperent, quam pueri ab ab-
utentibus, et peccata contra naturam pa-
trantibus, sortirentur; *et puellam,* id est
virgines speciosas (ponit enim singulare
pro plurali), *vendiderunt pro vino ut bi-*
berent, magis amantes turpissimas dele- B
ctationes gulæ, quam proximos suos seu
pueros et puellas. Hæc et multa similia
multi impiissimi peregerunt. Possuntque
ista specialiter accipi de gentibus quæ
olim filiis Israel specialiter molestæ fue-
runt. Denique de his peccatis dicit Domi-
nus se facturum judicium, non quod de
his tantum erit judicium, sed hæc quasi
pro exemplo commemorat, quum sint con-
tra caritatem fraternam, et pietatem omni-
bus naturalem : quemadmodum Christus
in Evangelio, affirmans se omnes popu- C
Matth. XXV, 31 et seq. los judicaturum, non facit mentionem nisi
de operibus misericordiæ, vitiisque con-
trariis.

Judæi excæcati dicunt, ea quæ dicta
sunt atque sequentia, in sui Messiæ adven-
tu implenda, ita quod ipsi tunc implebun-
tur spiritu Dei, et prophetabunt, omnesque
nationes a quibus vastantur, tunc eis sub-
jiciet rex Messias. Hæc miseri dicunt, quum
sint carnales et litterales, non intelligen-
tes quod sancti Prophetæ primum Christi
adventum prænuntiarunt in omni pauper- D
tate, humilitate et passione, non in ma-
jestate et dominatione. Propter quod ait
Jer. XIV, 8. Jeremias : Quare quasi colonus futurus es
in terra, et sicut viator declinans ad ma-
nendum? Et Isaias loquens de Christo :
Is. LII, 14. Inglorius, inquit, erit inter viros adspectus
Zach. IX, 9. ejus. De quo Zacharias locutus est : Ecce
rex tuus veniet tibi, ipse pauper et ascen-
dens super asinam et pullum asinæ. Ideo
Matth. VIII, 20. loquitur de se ipso : Filius hominis non
habet ubi caput reclinet.

Consequenter loquitur Dominus : *Verum* 4
quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et om-
nis terminus Palæstinorum? id est, quid
concordiæ vel quid commune est mihi et
vobis, o Tyrii atque Sidonii et Philistæi?
Quasi dicat, Nihil. Quæ enim conventio II Cor. VI, 14.
lucis ad tenebras? Et quid tritico cum pa- Jer. XXIII, 28.
leis? *Numquid ultionem vos reddetis mi-*
hi? id est, quantum in vobis est, nitimini
mihi resistere et nocere per hoc quod po-
pulum meum opprimitis. Dicit autem se
Deus persecutionem pati, per hoc quod
populus suus persecutionem sustinuit, quia
hoc reputat sibi factum quod fit suis fide-
libus, qui cum ipso sunt unum per carita-
tem. Propter quod ait apud Zachariam :
Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi Zach. II, 8.
mei; et primo Regum ad Samuelem, Non I Reg. VIII, 7.
te abjecerunt, sed me. Sicut et Christus in
Evangelio : Quamdiu fecistis uni ex his, Matth. XXV, 40.
mihi fecistis; et alibi, Saule, Saule, quid Act. IX, 4.
me persequeris? *Et si ulciscimini vos con-*
tra me, populum meum persequendo ad
tempus, *cito velociter reddam vicissitu-*
dinem vobis super caput vestrum, id est,
debitam quam meremini, pœnam vobis
infligam.

Consuetudo est Prophetarum, primo de-
scribere punitionem populi Judæorum,
deinde gentium quæ eos impia intentio-
ne crudelique animo oppresserunt; ter-
tio, gentium quæ istis consenserunt et
cooperatæ fuerunt, quales fuerunt Tyrii,
Sidonii, Philistæi, filii Ammon et Moab, ac
Idumæi, quemadmodum patet in Isaia, Je- Is. XXIII;
remia, Ezechiele, etc. Simili modo Joel pro- Jer. XLVII-XLIX; Ezech.
cedit. Primo enim Judæorum vastitatem XXV, XXVI,
descripsit per erucam, locustam, bruchum XXXV.
atque æruginem. Deinde descripsit Assy-
riorum dejectionem. Nunc vero describit
Tyriorum, Sidoniorum ac Palæstinorum
pressuram, qui de Judæorum vastitate ab
Assyriis et Chaldæis ac ceteris hostibus
gloriabantur. Unde Dominus reddidit eis
vicissitudinem, quia post captivitatem Ju-
dæorum a Chaldæis, etiam ipsi debellati
fuerunt velociter ab eisdem, imo et partim
ante ab Assyriis.

Causa autem pœnæ eorum subjungitur. A
5 *Argentum enim meum et aurum tulistis,*
id est, argentum et aurum populi mei
rapuistis injuste; *et desiderabilia mea et*
pulcherrima, id est pretiosa vasa templi
et ornamenta ejus præclara, *intulistis in*
delubra vestra, id est in fana deorum seu
6 templa idolorum ad ornatum eorum. *Et*
filios Juda et filios Jerusalem vendidistis
filiis Græcorum. Prædicti enim Tyrii et
Sidonii et Philistæi, impenderunt auxilium
hostibus Judæorum præfatis, sicque partem de præda atque mancipiis Judæorum B
adepti sunt, et eos qui cesserunt in partem suam, venundabant Græcis. *Ut longe*
faceretis eos a finibus suis, id est, ad majorem cladem Judæorum faceretis eos remote abduci a terra Judææ.

7 *Ecce ego suscitabo,* id est, a miseria re-
levabo, vel a captivitate liberabo, *eos in**
loco, in quo vendidistis eos, id est in Græcia, ad quam ut ducerentur, venditi erant
a vobis. Quod aliqui dicunt impletum tempore Cyri regis Persarum, qui dixit, Omnia
regna terræ dedit mihi Deus cœli; dedit- C
que Judæis ubique licentiam redeundi in propria, ut Esdras refert. Videtur quoque impletum tempore Machabæorum, quando Judas et fratres ejus frequenter prævaluerunt Græcis terram Judææ intrantibus : quos sæpe non occiderunt, ut fratres suos in terra illorum captos reciperent liberos.
Et convertam tribulationem vestram in*
caput vestrum, tradendo vos adversariis
8 vestris. *Et vendam filios vestros et filias*
vestras in manibus filiorum Juda, id est
Judæis vel aliis per manus Judæorum. Quod D
constat impletum tempore Machabæorum, quando Judas et fratres ejus prævaluerunt principibus Antiochi regis et posteris : quibus prævalendo, captivam duxerunt magnam populi partem Tyriorum et aliorum locorum maritimorum, quos aliis vendiderunt, sicut subjungitur : *et venundabunt eos Sabæis genti longinquæ,* id est multum a Judæa distanti. Dicuntur autem Sabæi, secundum Glossam, a Saba regno ultra fines Æthiopiæ, de quo fuit regina

* de

I *Esdr.* I, 2-4.

* retributionem

III *Reg.* X, 1.

Saba. Unde in Job habetur : Sabæi fecerunt tres turmas. Hieronymus vero asserit, quod regio ista sit trans Indiam; sed idem est, quoniam Æthiopia Indiæ pars est. Aliqui quoque affirmant, Sabæos Arabes esse. Hæc autem evenient, *quia Dominus locutus est,* id est, ista per me prædixit definitiva sententia, cujus dicere facere est, cujusque verbum non cassatur, juxta illud quod Balaam ait in Numeris : Non est Deus ut homo, ut mentiatur; neque ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit?

Job I, 15.

Num. XXIII, 19.

Consequenter describitur pugna satellitum Antichristi contra sanctos et famulos Christi, quæ erit circa finem mundi. Hos autem satellites vel ipse Dominus ironice hortatur ad ea quæ subsequuntur, quia in propriam ea facient perniciem; vel ad servos Antichristi sermo dirigitur, prænuntiando magis quid facturi sint, quam exhortando ut faciant tanta mala. Ut sit
sensus : *Clamate hoc in gentibus,* id est, 9
ea quæ dicam clamabitis inter gentes, quibus dicetis : *Sanctificate bellum,* id est, justum bellum parate, et inite contra Christianos. Quamvis enim bellum illud erit injustissimum, quoniam conabuntur fidem Christi prorsus destruere, ipsi tamen justum illud reputabunt : quia ut dicit Apostolus, Mittet illis Deus spiritum erroris, ut credant mendacio. *Suscitate robustos,* id est, potentes sæculi hujus provocate ad adhærendum Antichristo, quem Christum esse dicetis. *Ascendant, accedant omnes viri bellatores,* applicando se exercitui An-
tichristi. *Concidite aratra vestra in gla-* 10
dios, et ligones vestros, quibus foditur terra, *in lanceas :* id est, aliis negotiis intermissis, instrumenta agriculturæ in arma convertite, ut sitis contra Christianos muniti. *Infirmus dicat, Quia ego fortis sum,* id est, nemo sit excusatus, sed etiam qui videntur ad bellandum inepti, animentur ad prælium.

II *Thess.* II, 10.

Erumpite de habitaculis vestris, *et veni-* 11
te, omnes gentes, de circuitu, id est, undique ad Antichristum confluite. *Ibi,* id est

in loco collectionis exercitus Antichristi, A
occumbere, id est cadere, *faciet Dominus*
robustos tuos, o impia turba, id est, Anti-
christum cum quibusdam de potentibus
suis occidet, quemadmodum dicit Apo-
II *Thess.* II, 8. stolus : Quem Dominus Jesus interficiet
spiritu oris sui, et destruet illustratione
Is. XI, 4. adventus sui. Et Isaias : Spiritu, inquit,
12 labiorum suorum interficiet impium. *Con-*
surgant, id est, resurgant a morte, *et ascen-*
dant gentes de monumentis *in vallem Jo-*
saphat, id est in locum illum, et ad loca
Joann. V, 28. in gyrum vicina. Veniet enim hora, in qua B
omnes qui in monumentis sunt, audient
vocem ejus. *Quia ibi,* non in ipsa valle,
sed supra in aere, *sedebo, ut judicem om-*
nes gentes in circuitu, dando singulis quod
merentur, et bonis et malis, juxta illud in
Apoc. XXII, 12. Apocalypsi : Ecce venio cito, et merces
mea mecum est, dare unicuique secundum
opera sua.

Consequenter loquitur Dominus angelis
13 sanctis. *Mittite falces,* id est, homines per
modum frugum de terra colligite, ad ju-
diciumque portate ; *quoniam maturavit* C
messis, id est, genus humanum ad finem
ac maturitatem devenit, ita quod hora re-
munerationis jam instat, et tempus est
ut electi congregentur in aream patriæ,
reprobi vero in horrea tartari. Unde ait
Matth. XIII, 39. Salvator : Messis est consummatio sæculi,
messores vero sunt angeli. *Venite* mecum,
et descendite a cœlo super vallem Josaphat,
o angeli universique Sancti : qui tunc cum
Christo descendent, visibiliterque parebunt
ad reverentiam Judicis, et terrorem accu-
sationemque rebellium. Propter quod scri- D
Judæ 14, 15. ptum est in Judæ Canonica : Ecce venit
Dominus in sanctis millibus suis facere
judicium, et arguere omnes impios de
omnibus operibus impietatis ipsorum. Et
Is. III, 14. Isaias : Dominus, ait, ad judicium veniet
cum senioribus populi sui et principibus
ejus. *Quia plenum est torcular,* id est, vi-
nea Ecclesiæ seu ipsa Ecclesia, quæ vinea
nuncupatur, ad maturitatem devenit : sicut
de messe prædictum est, quia per utrum-
que idem insinuatur. *Exuberant torcula-*
ria, id est, corda hominum sunt impleta,
ita quod ultra tempus promerendi nequa-
quam habebunt. Dicit autem Glossa, quod
per messem maturam et torcularia redun-
dantia, consummatio peccatorum et finis
sæculi designatur. Propter quod subditur :
quia multiplicata est malitia eorum, id
est, in tantum creverunt eorum peccata,
quod ultra toleranda non sunt, sed proti-
nus punienda. Unde in Genesi, Sodoma et
Gomorrha tunc deletæ narrantur, quando *Gen.* XVIII, 20, 21; XIX, 24, 25.
impleta fuit eorum malitia; et unumquem-
que tunc damnat Deus, quum mensuram
pravitatis suæ impleverit. Hinc namque in
Jeremia habetur : Non poterat vos Domi- *Jer.* XLIV, 22.
nus ultra portare, propter malitiam stu-
diorum vestrorum.

Populi, populi, id est, o populi universi, 14
convenite *in valle concisionis,* id est in
loco judicii, in valle damnationis ac sepa-
rationis, in valle Josaphat jam præfata, ubi
Dominus concidet cervices peccatorum. Si- *Ps.* CXXVIII, 4.
quidem ubi nostra translatio habet, In val-
le concisionis, Septuaginta et Theodotion
transtulerunt, In valle judicii. *Quia juxta*
est dies Domini, id est tempus justæ vin-
dictæ seu remunerationis divinæ, *in valle*
concisionis jam dicta. *Sol et luna obtene-* 15
brati sunt, id est, ante diem judicii obte-
nebrabuntur. Quod quadrupliciter potest
intelligi : Primo, quod Christo cum Sanctis
descendente, amplioris claritatis lumine
offuscabuntur, quum corpus Christi sit
incomparabiliter splendidius sole luna-
que. Sic enim et stellæ offuscantur in die,
sole purius radiante. Secundo, quod quan-
tum ad apparentiam sic continget, densis
nubibus interpositis. Tertio, quia homini-
bus in maxima afflictione constitutis, om-
nia videbuntur teterrima et nociva. Quarto,
quia ut aliqui magni expositores affir-
mant, nihil prohibet dicere, quod sol et
luna tunc ad horam veraciter in se obscu-
rabuntur ad ampliorem impiorum terro-
rem, statimque claritate perfundentur ma-
jori. *Et stellæ retraxerunt splendorem*
suum, id est, obtenebrabuntur per modum
de sole et luna prætactum.

16 *Et Dominus de Sion rugiet,* id est, per A
modum leonis horribiliter damnandis lo-
quetur, ita ut dicat Joannes in Apocalypsi :
Apoc. I, 16; XIX, 15. Ex ore ejus exibat gladius ex utraque par-
te acutus. Ipse nempe est leo de tribu Juda.
Et de Jerusalem dabit vocem suam : quod
Matth. XXV, 34. accipi potest de voce illa dulcissima, Veni-
te, benedicti Patris mei. Rugiet namque ad
impœnitentes et reprobos, loquetur vero
bonis et rectis corde. *Et movebuntur cœli
et terra ; et Dominus spes populi sui,* id
est, electis tunc dabit vel conservabit ple-
nam in ipso fiduciam, nec frustrati tunc B
erunt spe sua, *et fortitudo filiorum Israel*
erit, confirmando et stabiliendo immobili-
ter atque feliciter corda prædestinatorum
Rom. VIII, 35. in se, ita ut dicant : Quis nos separabit a
Ps. XVII, 2. caritate Dei? et, Diligam te, Domine, forti-
tudo mea.

17 *Et scietis,* o prædestinati universi, qui
per Israel intelliguntur, *quia ego sum Do-
minus Deus vester,* id est summum bo-
num vestrum, amator, provisor, salvator,
habitans in Sion cœlesti, id est in patria
beatificæ visionis, de qua dicitur in Psal- C
Ps. LXXXIII, 8. mo : Videbitur Deus deorum in Sion; et ad
Hebr. XII, 22. Hebræos : Accessistis ad montem Sion, et
civitatem Dei viventis Jerusalem cœle-
stem, et multorum millium angelorum fre-
Ps. LXXXVI, 7. quentiam. Cui et dicimus : Sicut lætantium
omnium habitatio est in te. *In monte san-
cto meo,* id est cœlestis regni palatio. De
Ps. XIV, 1. quo in Psalmo cantamus : Domine, quis
habitabit in tabernaculo tuo, aut quis re-
quiescet in monte sancto tuo? *Et erit Jeru-
salem* illa cœlestis, Ecclesia triumphans,
ex angelis atque hominibus constans, *san-* D
cta, id est ab omni macula culpæ penitus
libera. De qua in Apocalypsi dicitur :
Apoc. XXI, 23, 27. Civitas non eget sole neque luna; et non
intrabit in illam aliquid coinquinatum. *Et
alieni non transibunt per eam amplius,* id
est dæmones et peccata, de quibus ora-
Ps. XVIII, 14. mus : Ab alienis parce servo tuo. Vel ho-
mines reprobi ultra locum non habebunt
in prædestinatis hominibus glorificatis,
quemadmodum olim, quando versabantur
in via ac militanti Ecclesia. Unde in Isaia
habetur : Induere vestimentis gloriæ tuæ, Is. LII, 1.
Jerusalem civitas Sancti, quia non adjiciet
ultra ut pertranseat per te incircumcisus
et immundus. Nunc enim reprobi miscen-
tur electis, tunc vero incopulabiliter sepa- Matth. XXV, 32.
rabuntur.

Et erit in die illa, videlicet in die æter- 18
nitatis in patria : *Stillabunt montes dulce-
dinem,* id est, majores Sancti in patria
omni Spiritus Sancti suavitate exubera-
bunt, eruntque exsultationes Dei in gutture Ps. CXLIX, 6.
eorum; *et colles,* id est Sancti minores,
fluent lacte purissimæ voluptatis. Solent
enim Prophetæ per corporalia quædam,
spirituales æternæ beatitudinis opulentias
enarrare : quod etiam in novo agitur Te-
stamento, quemadmodum Christus ait apud
Lucam : Ego dispono vobis regnum, ut Luc. XXII, 29, 30.
edatis et bibatis super mensam meam. *Et
per omnes rivos Juda ibunt aquæ :* id est,
flumen Spiritus Sancti incessanter irriga-
bit, vel potius in data irrigatione conserva-
bit, rivos gloriæ confitentium Deo in patria
confessione laudis perpetuæ. Inebriabun- Ps. XXXV, 9.
tur enim ab ubertate domus Dei, et in sæ- Ps. LXXXIII, 5.
cula sæculorum laudabunt eum. *Et fons
de domo Domini egredietur,* id est de in-
tellectuali superbenedictæ Trinitatis cœlo :
de quo fonte fertur in Psalmo, Quoniam Ps. XXXV, 10.
apud te est fons vitæ; *et irrigabit torren-
tem spinarum,* id est corda Sanctorum,
quæ spinis tribulationum in hoc mundo
confixa fuerunt, et per modum spinarum
siccata a carnalis voluptatis humore, imo
aliquando in hoc mundo spinis vitiorum
fuerunt confossa.

Ægyptus in desolationem erit, et Idu- 19
mæa in desertum perditionis : id est, gen-
tes istæ, per quas aliæ reprobæ nationes
dantur intelligi, in die judicii perpetua de-
solatione plectentur, deserenturque a Deo,
et in infernale chaos incident; *pro eo quod
inique egerint in filios Juda,* per quos
intelliguntur omnes Deo veraciter confi-
tentes, *et effuderint sanguinem* servorum
Dei *innocentem in terra sua,* id est in
Ægypto et Idumæa, imo ubique terrarum.

Et Judæa in æternum habitabitur. Per 20

Judæam, quæ interpretatur confessio, de-
signatur hoc loco patria cœlestis, in qua
est incessabilis confessio laudis divinæ. De
qua Judæa et confessione loquitur Isaias :
Is. LI, 11. Venient in Sion laudantes, et lætitia sem-
piterna super capita ipsorum. Quemadmo-
dum enim aliqui sunt Judæi secundum
carnem, qui non sunt veri Judæi, juxta
Apoc. III, 9. illud Apocalypsis, Dicunt se Judæos esse,
et non sunt; sic ista terrena Judæa, respe-
ctu cœlestis Judææ, nomen Judææ ne-
quaquam meretur. Frequenter quoque in
Scripturis utriusque Testamenti attenditur
significatio penes rei proprietatem, seu no-
minis interpretationem, magis quam quoad
rem ipsam, hoc est quantum ad id a quo
nomen imponitur, non quantum ad id cui
nomen imponitur, quemadmodum Petrus
I *Petr.* V, 13. ait in sua epistola : Salutat vos Ecclesia
quæ est in Babylone collecta : ubi per Ba-
bylonem intelligitur Roma, illo in tempore
confusionibus plena, imperante Nerone.
Babylon autem interpretatur confusio. Si-
mili modo nunc per Judæam significatur
patria Beatorum, cujus quædam obscura
figura erat terrena Judæa. Denique, quod
terrena Judæa non habitabitur in æter-
num, certum est, præsertim quum apud
Isaiam populo Judæorum, Synagogæ seu
Jerusalem, Dominus pro finali retributione
Is. LX, 19. promittat : Non erit tibi sol amplius ad
lucendum per diem, nec splendor lunæ
illuminabit te. Daniel quoque apertissime
Dan. IX, 26. ait, civitatem et sanctuarium fuisse dissi-
panda propter Christi occisionem, et quod
finis Judæorum, vel civitatis seu templi,
esset vastitas. Præterea tota hæc terra, in
quam projecta est Adæ posteritas, est via,
peregrinatio et exsilium, non paradisus et
patria. In temporalibus quoque et carnali-
bus bonis beatitudo hominis non consistit.
Et Jerusalem illa cœlestis habitabitur *in
generatione et generationem,* id est sine
fine. Per quod significat cœlestem felicita-
tem nullo termino concludendam.

21 *Et mundabo sanguinem eorum, quem
non mundaveram,* id est, sanguinem san-
ctorum innocenter effusum, quem impii
A æstimabant se juste fudisse (vel vitam
bonorum, quam perversi reputabant in-
utilem), demonstrabo mundum fuisse, et
sine causa justa effusum. Vitam quoque
illorum puram fuisse ostendam, impios
condemnando, sanguinem sanctorum ulci-
scendo, bonos glorificando. Quod videntes
reprobi, dicent : Nos insensati, vitam il- *Sap.* V, 4, 5.
lorum æstimabamus insaniam, et finem
sine honore : quomodo ergo computati
sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors
illorum est? Denique in igne conflagratio-
B nis, multi justorum tunc reperiendi, mun-
dabuntur a venialibus culpis, vel a mortali-
bus per contritionem deletis, quantum ad
culpam. *Et Dominus commorabitur in
Sion* cœlesti seu triumphanti Ecclesia,
prout dictum est plenius. Deus enim, qui
quum sit infinitus, omnia implet et adest *Jer.* XXIII, 24.
ubique, ibi esse et habitare asseritur, ubi
clarius cernitur, et evidentius gratiosius-
que operatur : quod est in cœlesti Sion,
ubi videtur facie ad faciem. De hac etenim I *Cor.* XIII, 12.
Sion ad litteram scriptum est in Isaia :
C Erubescet luna, et confundetur sol, quum *Is.* XXIV, 23.
regnaverit Dominus exercituum in mon-
te Sion.

Insuper quod dictum est, *Stillabunt* vers. 18.
montes dulcedinem, etc., spiritualiter in-
telligitur de sanctis Apostolis pro tempore
primitivæ Ecclesiæ, quando recepto Spiri-
tu Sancto, multiformem gratiam, consolati-
onem et sapientiam sibi infusam, fuderunt
in alios, tanquam optimi dispensatores I *Petr.* IV, 10.
multiformis gratiæ Dei. Colles quoque, id
est inferiores discipuli, fluxerunt lacte, de
D quo adstruit Paulus : Tanquam parvu- I *Cor.* III, 1, 2.
lis in Christo lac vobis potum dedi, non
escam. De quo iterum : Perfectorum, in- *Hebr.* V, 14.
quit, est solidus cibus. Hoc igitur lac, est
doctrina mediocris, imperfectorum capa-
citati proportionata, quales fuerunt quibus
scripsit Apostolus : Non potui vobis loqui I *Cor.* III, 1.
quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.
Et per omnes rivos Juda, id est filios Ec-
clesiæ, *ibunt aquæ,* id est gratiæ Spiritus
Sancti, de quibus dicit Salvator : Qui cre- *Joann.* VII, 38.
dit in me, sicut dicit Scriptura, flumina

de ventre ejus fluent aquæ vivæ; et in A
Apoc. XXI, 6. Apocalypsi, Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. De quibus utique aquis
Is. LV, 1. loquitur Isaias : Omnes sitientes, venite ad aquas. Quod autem subjungitur, *et fons de domo Domini egredietur,* mystice de Baptismo exponitur. Imo quidam litteraliter inde exponunt, quamvis ordo textus non consonet, quia Prophetæ frequenter transeunt de tempore uno ad aliud. Itaque fons Baptismatis de domo Domini, id est a primitiva Ecclesia egressus est, quando et Petrus in die Pentecostes dixit compunctis B
Act. II, 38. Judæis : Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. De quo fonte scri-
Zach. XIII, 1. ptum est apud Zachariam : In die illo erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris. *Et irrigabit torrentem spinarum,* id est, corda peccatorum spinis atque aculeis passionum ac vitiorum perfossa ac læsa, gratia sacramentali perfundet ac fecundabit, ut oriantur in eis flores virtutum, et germina operum meritoriorum.

Postremo, aliqui passus hujus capituli, præsertim ab eo loco quo dictum est, Cla- vers. 9.
mate hoc in gentibus, a diversis satis diversimode explanantur : quarum expositionum multiformis varietas videbatur mihi magis confundere atque obtundere intellectum, quam illustrare. Idcirco hac una explanatione, quæ textui consonantior esse apparuit, sum contentus. Ad gloriam ejus quem in cœlesti Sion desideramus per speciem contemplari : cui sit omnis honor et gloria, quum ipse sit super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO
IN AMOS PROPHETAM

PROŒMIUM

AMOS iste, cujus nunc explanandus est liber, alius est ab Amos patre Isaiæ. *Is.* I, 1.
Uterque tamen propheta fuit, sed vaticinia Amos patris Isaiæ non sunt descripta.

Porro, hic Amos rusticus fuit et pecorum pastor, oriundus de civitate Thecue, distante sex millibus a sancta Bethlehem : ultra quam Thecue urbem, secundum Hieronymum, non est nisi vastissima solitudo seu eremus, quæ usque mare Rubrum, Persarum quoque et Æthiopum ac Indorum terminos, dilatatur. Et quoniam tota terra illa fruges non gignit, pastoribus plena est, ut terræ sterilitas pecorum multitudine compensetur. Horum autem pastorum unus fuit hic Amos, qui non ad Juda et Jerusalem, sed ad decem tribus prophetat, secundum Hieronymum. Aliqua tamen tractat de duabus tribubus, quemadmodum et de aliis aliquibus regnis. Prophetavit vero eisdem temporibus quibus Isaias, Osee, Joel, Nahum, et Jonas, secundum Glossam : qui etiam aliquantulum orsus est prophetare, antequam Isaias. Hunc sanctum Amos, Amasias sacerdos aureorum vitulorum in Bethel, frequenter plagis affecit ; tandemque Ozias filius Amasiæ, per tempora hunc Prophetam transfixit, qui delatus semivivus in propria, post aliquot dies dolore vulneris exspiravit, sepultusque est cum patribus suis. Cf. *Amos* VII, 10 *et seq.*

Postremo, Amos pater Isaiæ, nobilis regali ex prosapia fuit.

ENARRATIO

IN AMOS PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : VERBA AMOS, QUI FUIT IN PASTORALIBUS THECUE.

PRÆMITTIT autem Amos nunc eluci- A
dandus prologum sive procemium, di-
1 cens : *Verba Amos, qui fuit in pastoralibus*
Thecue, id est in locis prædictæ solitudi-
nis aptis ad greges pascendos. Pastoralia
itaque dicit loca vicina urbi Thecue, in
quibus nascuntur non segetes, sed pascua
gregum. *Quæ* verba *vidit,* id est, intelle-
ctualiter Deo illustrante cognovit : a qua
I *Reg.* IX, 9. visione Prophetæ dicebantur Videntes. In-
Dan. X, 1. telligentia enim est opus in visione. Et
certum est, quod verba proprie non vi-
dentur visu exteriori atque carnali. *Super* B
Israel, id est decem tribus, quia pro ma-
jori parte et principaliter verba ista ad
decem tribus pertinebant : non tamen om-
nia pertinebant ad eas, sicut patebit. *In*
diebus Oziæ regis Juda, et in diebus Je-
roboam filii Joas regis Israel. Iste est
IV *Reg.* XV, 1; II *Par.* XXVI, 1. Ozias, alio nomine Azarias, pater Joathan
patris Achaz : qui Ozias regnavit in Jeru-
IV *Reg.* XV, 2. salem quinquaginta duobus annis. Jero-
Ibid. XIII, 13, 10. boam vero iste, est filius Joas filii Joa-
chaz, filii Jehu, cui spoponderat Dominus
Ibid. X, 30. quod filii ejus usque ad quartam generati- C
onem sederent in throno Israel. Hæc autem
Osee I, 4. plenius dicta sunt in expositione primi
capituli Osee.

Vidit autem Amos verba infra ponenda,
ante duos annos terræ motus, id est ante
duos annos antequam Ozias rex thurifica-
re præsumpsit in templo. Ad cujus cul- II *Par.* XXVI, 16.
pam increpandam, ostendendam, ac pu-
niendam, ipse Ozias non solum percussus *Ibid.* 19.
est lepra, sed etiam terræ motus factus
fuit in templo. De quo terræ motu in li-
bris Regum et Paralipomenon reticetur,
sed hoc loco et in Zacharia fit mentio in-
de. Dicit enim Zacharias : Fugietis, sicut *Zach.* XIV, 5.
fugistis a facie terræ motus in diebus Oziæ
regis. Interdum autem dicitur Ozias usur-
passe officium sacerdotale in thurificando
ex animi elatione, interdum vero ex ni-
mio religionis affectu et zelo cultus divi-
ni. Unde in prologo ait Glossa : Ozias rex
quum Dei religionem sollicite æmulare-
tur, nimio religionis amore provocatus,
contra legis præceptum, sacerdotale offi-
cium præsumere est conatus. Verum hæc
duo stant simul. In hoc enim fuit super-
bia, quod nec post exhortationem pontifi- II *Par.* XXVI, 18, 19.
cis et commemorationem divinæ jussionis,
quam proposuit pontifex regi Oziæ, ces-
savit a proposito cordis : et forte propter
regiam celsitudinem putavit se dignum
ad thurificandum. In hoc autem fuit amor
quidam religionis et zelus Dei, quod hoc
ipsum agere attentaverit, tanquam opus
venerationis divinæ, et ad augendum seu
magnificandum cultum divinum. Unde de
incredulis Judæis dixit Apostolus, quod *Rom.* X, 2.
æmulationem Dei habent, sed non secun-

dum scientiam. Sic quoque et Gedeon zelo quodam Dei, sed indiscreto, fecit sibi ephod sacerdotale, quod factum est sibi et domui suæ in ruinam, ut scriptum est in libro Judicum. (*Judic.* VIII, 27.)

Consequenter ponitur narratio seu tra-
2 ctatus. *Et dixit* Amos ad populum decem tribuum. Ut enim annuntiaret hæc verba populo, revelata sunt ei. *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.* Hæc verba in propria forma scripta sunt apud Joelem (*Joel* III, 16.), atque in præcedentibus exposita. Verumtamen alium sensum, etiam quantum ad litteram, habent ibi, et alium hic. Siquidem ibi dicta sunt pro die finalis judicii, in quo Christus tanquam leo horrendam sententiam proferet contra perversos (*Matth.* XXV, 41.), a loco in quo residebit, videlicet in aere circa montem Oliveti, et prope Jerusalem. Nunc autem dicuntur de captivitate decem tribuum Israel, ut sit sensus : *Dominus de Sion,* id est Deus omnipotens, qui commoratur in templo suo sito in monte Sion, *rugiet* de hoc habitationis suæ loco. Dominus enim in templo (*Ps.* X, 5.) suo sancto, terribiliter quasi leo loquetur contra decem tribus. *Et de Jerusalem* civitate sancta, in qua fuit cultus ejus, et populus fidelis, in quo habitavit per gratiam, *dabit vocem suam,* id est propheticam prænuntiationem seu comminationem de decem tribuum captivitate ab Assyriis facta.

Hæc autem dicuntur, vel quia per Prophetas qui erant in Jerusalem, Deus prædixit hanc captivitatem ; vel quia Deus, qui ubique est, dicitur specialiter de Sion loqui, quemadmodum ibi specialiter se esse et habitare asseruit (*Ps.* LXXIII, 2; LXXV, 3; XCVIII, 2.) (unde in libro Regum frequenter legitur, quod Jerusalem elegit, ut poneret nomen suum in ea, et quod templum sibi sanctificavit, ut habitaret in eo) (III *Reg.* IX, 3; XI, 36; II *Par.* VI, 2; VII, 16, etc.); vel quia, ut aliqui dicunt, in visione imaginaria ipsi Amos ostensa, videbatur sibi quod vox Dei ad ipsum de illo loco procederet, quemadmodum Jacob patriarchæ in Bethel apparuit in visione imaginaria quod Deus loqueretur ad ipsum ab arce scalæ, cui videbatur innixus (*Gen.* XXVIII, 11-19.). Idcirco Propheta non dicit : Dominus de Bethel, vel Dan, vel de Samaria rugiet : quia in illis locis idololatriæ deditis non habitavit, quum Salomon in Proverbiis dicat, Longe est Dominus ab impiis (*Prov.* XV, 29.). Porro, ut ait Glossa, et sumptum est ex commento Hieronymi : Naturale est ut omnes qui volunt rem unam alteri comparare, ex his rebus sumant comparationem quas sunt experti, et in quibus sunt nutriti : quemadmodum nauta adversarios suos comparat vento, damnum naufragio, tristitiam tempestati, prosperitatem seu jucunditatem placidæ auræ. Sic quoque in ore philosophorum semper versantur Socrates, Plato, Aristoteles, Xenophon, Zenon, Theophrastus. Sic Amos pastor in eremo vasta feris plena, iram seu comminationem Dei, rugitui leonis assimilat. Erat autem rusticanus. Unde et infra simili artis suæ utens exemplo, disseruit : Dominus stridebit super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno (*Amos* II, 13.).

Et luxerunt speciosa pastorum : id est, comminatione Dei præfata impleta, plana loca camporum, viridia loca pratorum, agri herbis fructibusque ornati, in quibus pastores pecora aluerunt, desolata sunt atque vastata, quando videlicet hostes prædicti terram decem tribuum destruxerunt. Quemadmodum enim loca ista metaphorice ridere dicuntur, dum speciosis fructibus seu floribus adornantur, sic lugent, quando his privata, in sterilitatem quamdam seu ariditatem rediguntur. *Et exsiccatus est vertex Carmeli.* Duo sunt montes, qui apud Græcos atque Latinos Carmeli, apud Hebræos autem Chermel, vocantur. Unus, in quo habitavit Nabal maritus Abigail (I *Reg.* XXV, 2, 3.) ; alter, in quo oravit, pluviamque impetravit Elias (III *Reg.* XVIII, 41-45.). Vertices itaque, id est superiora horum montium loca, per sterilitatem exsiccata sunt vel vastata. Vel per speciosa pastorum intelliguntur potentes ac divites, vel, secundum aliquos, universi habitatores regni decem tribuum ; per verticem vero Carmeli, rex Israel, puta Osee ulti-

mus rex Israel ab Assyriis interfectus : tuncque omnis populus ejus luxit.

3 *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum.* Verba ista intricata sunt valde, et quantum ex commentis quæ vidi colligere possum, iste est sensus : Super tribus sceleribus, id est de tribus peccatis Damasci, id est regni Syriæ, quæ per Damascum notatur, quia Damascus erat metropolis Syriæ, juxta illud Isaiæ, Caput Syriæ Damascus; (*Is.* VII, 8.) et super quatuor, id est de prædictis peccatis quarto reiteratis, non convertam eum, id est, ei non parcam, dando pœnitentiæ gratiam, vel a debitis punitionibus liberationem. Tanquam dicat, secundum Hieronymum : Si semel esset populum meum Israel persecutus, aut secundo, darem veniam ; nunc vero, quoniam tertio et quarto crudelis fuit in eum, non parcam. Quod Glossa apertius exprimit, dicens in speciali : Si Hazael rex Syriæ et populus ejus semel et bis tantummodo populum meum esset persecutus, forsitan parcerem eis. Sed quia diu exspectavi eorum pœnitentiam, et ipsi econtra mea longanimitate abusi, tertio et quarto populum Israel afflixerunt, plagis corripiam delinquentes. — Ex quo apparet, quod iste sit sensus : Si tribus vicibus tantum, videlicet semel et bis, prædictum malum fecissent, remissibile esset ; sed quoniam tertio et quarto hoc fecerunt, id est, peccato ter iterato quartum simile adjecerunt, quatuor vicibus tribulando Israelem, non ignoscam. Huic sensui concordat illud in prologo : Quoniam Amos propheta ait, Super tribus sceleribus, et super quatuor non transferam * eum, (* convertam) tertio peccatorum indulgentiam Deum dare posse significat, quem quarto eadem peccata facientibus, nec pœnitentiam, nec indulgentiam daturum enuntiat. Hoc idem insinuat Glossa in morali horum verborum expositione, prout in sequenti articulo patebit. Unde et Lyra hoc loco refert esse opinionem Hebræorum, quod si peccaverit homo bis vel ter eodem genere peccati, sit remissibile ; non autem, si quater. Ad quod allegari posset illud in libro Job : Ecce hæc operatur Deus tribus vicibus per singulos. (*Job* XXXIII, 29.)

Sed quomodo intelligenda sunt hæc, quum Dominus per Ezechielem dicat, Quia quacumque hora peccator ingemiscit, omnium iniquitatum ejus non recordabor ? (*Ezech.* XVIII, 21, 22.) Constat quoque quod Jephthe et Manasses inter electos sint, quorum alter latrociniis, alter idololatriis, diu ac frequentissime deservivit. (*Hebr.* XI, 32; II *Par.* XXXIII, 12-16; *Judic.* XI, 1-3; IV *Reg.* XXI, 1 *et seq.*) Nabuchodonosor insuper regem, post varia crimina sæpissime repetita, Daniel ad pœnitentiam provocavit. (*Dan.* IV, 24.) Et sicut Salomon ait in Ecclesiaste, In quocumque loco ceciderit lignum, ibi erit. (*Eccle.* XI, 3.) Ex quo constat, quemlibet posse misericordiam consequi durante vita præsenti, ita quod in morte dumtaxat est terminus meritorum. — Prædicta denique videntur propinquare hæresi Novatianorum, pœnitentiam lapsis negantium.

Et respondendum, quod Deus interdum punit peccata sine dilatione, antequam iterentur ; interdum exspectat vel magis vel minus, secundum incomprehensibilem suæ voluntatis libertatem ac æquitatem, vel etiam pietatem. In Syris autem et ceteris gentibus quæ sequuntur, placuit sibi in quarto peccato ulcisci. Peccatum autem irremissibile dicitur dupliciter : primo, quia nequaquam dimittitur, ut est finalis impœnitentia; secundo, quoniam difficulter ignoscitur, quemadmodum ait Salvator : Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum. (*Marc.* III, 29.) Hæc autem difficultas, est ex parte peccati, ratione suæ enormitatis ; vel peccantis, quia sæpe eadem vitia repetendo, divina miseratione se indignum constituit : non autem ex parte Dei, cujus potentia atque clementia prorsus infinita consistit. Sic ergo nunc loquitur Dominus. Quod si Hebræi vellent asserere, quod idem genus peccati, quarto reiteratum ab eodem, nullo modo sit remissibile, errarent, sicut in multis aliis errant.

Præterea, causa punitionis Syriæ subdi-

tur. *Eo quod trituraverit,* id est, contriverit atque occiderit, *in plaustris ferreis,* id est per instrumenta quædam ferreos dentes habentia, *Galaad,* id est populum Israel habitantem trans Jordanem, in re-
Josue xvii, 1, 6. gione vel civitate nomine Galaad, quæ cessit mediæ tribui Manasse. Galaad autem est nomen regionis illius, et etiam civitatis. Recteque dicitur, Trituraverit. Quemadmodum enim prædictis instrumentis, seu rotis subter ferratis atque dentatis, excutiuntur in Palæstina frumenta in horreis, sic ut et stipula quasi in paleam redigatur, deturque jumentis in escam propter fœni defectum ; sic Hazael et Syri per instrumenta hujusmodi crudeliter contriverunt Galaaditas, juxta illud quarti libri
IV Reg. xiii, 7. Regum : Non sunt derelicti Joachaz regi Israel de populo suo, nisi quinquaginta equites, et decem currus, et decem millia peditum : interfecerat enim eos rex Syriæ, et redegerat quasi pulverem in tritura areæ.

Quæritur, cur comminatio Dei primo contra Damascum dirigitur. Ad hoc multi respondent, quod ideo quoniam tempore quo Amos prophetavit, Hazael graviter urgebat decem tribus. Sed objici potest, quod Amos prophetavit sub Jeroboam et Ozia, ante quos Hazael diu mortuus fuit : quia ut quarto Regum describitur, Joas rex Is-
Ibid. 25. rael pater prædicti Jeroboam, pugnavit contra Benadad filium Hazaelis, tribusque vicibus superavit eum, quemadmodum Eli-
Ibid. 14-19. seus moriens prænuntiavit, quando videlicet præcepit Joas regi ut jaculo percuteret terram. Et palam est, quod Hazael
Ibid. 13. tunc mortuus fuit. Jeroboam vero præfatus successit Joas patri suo in regnum. Potest ergo aliter dici, videlicet quod tempore Amos adhuc persecutio Hazaelis et filii ejus erat magis in recordatione, quia non diu præcessit, quam persecutiones aliorum in filios Israel, quæ infra ponentur, et forte factæ fuerunt vivente ipso Amos, quamvis nondum prophetante. Patet quoque ex dictis, quod plaustra non sumuntur hoc loco pro curribus : propter quod

A Septuaginta pro plaustris posuerunt ferreas serras.

Deinde subjungitur Syrorum punitio. *Et* 4
mittam ignem, id est gravem punitionem, irrevocabilem iram, seu captivitatem, *in domum Hazael,* id est in ejus progeniem ; *et devorabit domos Benadad,* id est posteros vel etiam habitacula filii Hazaelis, qui dictus est Benadad. Dicit autem Glossa, quod pater Hazaelis vocatus est Benadab, *b* habens ultimam litteram. Filius vero ipsius vocatus est Benadad, per *d* in fine :
B a quo, secundum Hieronymum, posteriores reges Syriæ appellati sunt Benadad, quemadmodum reges Ægypti a primo Pharaone dicti sunt Pharaones, et Cæsares a Cæsare. Sed hoc intelligendum est de generali nomine. Habuerunt enim specialia nomina successores prædicti Benadad et Pharaonis ac Cæsaris. Unde quarto Regum legitur Josias occurrisse Pharaoni Nechao. IV Reg. xxiii, 29.
Et conteram vectem Damasci, id est, per 5
manum regis Assyriorum, destruam portas et clausuras, omnemque fortitudinem Da-
C masci ac Syriæ ; *et disperdam habitatores de campo idoli,* id est de Damasco in plano sita, idolisque repleta; *et tenentem sceptrum,* id est, regem Damasci disperdam, *de domo voluptatis* et luxuriæ, id est de palatio suo, seu oppido Damasceno, loco deliciosissimo, in quo et ipse et alii vitiis carnis servierunt ; *et transferetur populus Syriæ Cyrenen,* id est, captivus ducetur in Cyrenen, quæ est in ultimis finibus Ægypti, *dicit Dominus.*

Hoc totum impletum est tempore Achaz,
D ad cujus instantiam Salmanasar* rex Assyriorum venit atque vastavit Damascum, et Rasin regem ejus occidit, populum quoque ipsius transtulit Cyrenen, prout quarto Regum recitatur. Unde et in Isaia habetur : Auferetur fortitudo Damasci coram rege Assyriorum. Per Moysen demum et Jeremiam Dominus perhibet, se visitaturum peccata patrum in tertiam et quartam generationem. Quod Hieronymus ita hoc loco interpretatur : quod Deus magnitudine suæ clementiæ præstolatur pœni-

*Theglathphalasar — Ibid. xvi, 9. Is. viii, 4. Exod. xx, 5; Thren. v, 7.

tentiam pereuntium, et quod in prima
generatione non vindicat, differt usque ad
tertiam et quartam progeniem.
Consequenter subduntur debitæ puniti-
ones Philistinorum, propter injurias po-
6 pulo Israel ab illis illatas. *Hæc dicit Do-
minus : Super tribus sceleribus Gazæ,* quæ
fuit una de quinque regalibus civitatibus
Philistinorum, *et super quatuor non con-
vertam eum.* Exponenda sunt verba hæc
sicut jam exposita sunt verba paulo ante
inducta. Est enim sensus : Si habitatores
Gazæ semel vel bis præcise persecuti fuis-
sent filios Israel, forsitan parcerem ; nunc
vero quoniam tertio et quarto hoc fecerunt,
non convertam eos ad me. *Eo quod trans-
tulerint captivitatem perfectam,* id est,
partem populi Judæorum ac Israel quam
ceperunt, vendiderunt, *ut concluderent,* id
est, claudi ac detineri *eam* facerent *in
Idumæa,* cujus habitatores fuerunt popu-
lo Hebræorum frequenter valde molesti.
Dum enim Assyrii vastarent decem tribus,
et Chaldæi duas, Philistæi captivaverunt
de Israel et de Juda quos poterant, eosque
7 Idumæis vendebant. *Et mittam ignem in
murum Gazæ, et devorabit ædes ejus,* id
est habitacula Gazæ, quam combusserunt
Chaldæi. Assyrii quoque ignem tribulati-
onis et persecutionis intulerunt Gazæ, et
8 urbibus quæ subduntur. *Et disperdam ha-
bitatorem de Azoto :* quæ fuit urbs alia
principalis sive metropolis in Philistæa ;
et tenentem sceptrum, id est, regem Pa-
læstinorum seu regiam potestatem disper-
dam, *de Ascalone,* id est alia urbe metro-
poli Palæstinæ seu terræ Philistinorum. Et
forte sedes regni fuit interdum in Asca-
lone, quæ secundum Glossam antiquitus
vocabatur Philistiim. Unde tota regio post
appellata est Philistæa, et habitatores ejus
Philistiim. *Et convertam manum meam,*
id est potentiam, *super Accaron* urbem
Philistinorum metropolim, dando eam in
manus Chaldæorum vel Assyriorum ; *et
peribunt reliquiæ Philistinorum, dicit Do-
minus Deus,* id est ceteræ urbes et vici ac
incolæ. Totum enim regnum illud deje-

A cerunt Chaldæi, quemadmodum Isaias, Je- *Is.* xi, 14;
remias et Ezechiel prædixerunt. Quinque *Jer.* xlvii, 4; *Ezech.* xxv,
autem principales civitates Philistiim sunt, 15-17.
Gaza, Azotus, Ascalon et Accaron, quæ I *Reg.* vi, 17.
modo expressæ sunt, et Geth quæ hic non
explicatur.
Hæc dicit Dominus : Super tribus sce- 9
*leribus Tyri, et super quatuor non conver-
tam eum.* Exponenda sunt hæc ut supra
de Damasco, ut sit sensus : Quoniam Tyrii
molesti fuerunt filiis Israel, et persecuti
sunt eos tertia vice et quarta, ideo de-
B struentur. *Eo quod concluserint captivi-
tatem perfectam,* id est, filios Israel a se
captos et plene vastatos vendiderunt, et
claudi ac detineri fecerunt, *in Idumæa,*
quoniam Idumæis venundabant eos ; *et non
sint recordati* Tyrii tam crudeliter agen-
tes, *fœderis fratrum,* id est pacti frater-
nitatis et amicitiæ, quod olim fuit inter
Hiram regem Tyri, et David ac Salomo- II *Reg.* v,
nem : inter quos jugis pax fuit et amicitia 11; III *Reg.* v, 1, 12.
magna, quemadmodum secundo ac tertio
Regum plenius scribitur. Porro, homines
C in Scripturis dicuntur fratres quatuor mo-
dis : natura, ut Cain et Abel ; cognatione, *Gen.* iv, 2.
ut Joab et Amasa ; gente, ut omnes Judæi II *Reg.* xx,
fratres vocantur ; amicitia, ut Hiram et 9; III *Reg.* ix,
Salomon. Unde quum viginti oppida, quæ 13.
contulit Salomon Hiram, ipsi Hiram non
placuissent : Hæccine, inquit, sunt civita- *Ibidem.*
tes quas dedisti mihi, frater? Erant enim
graminibus plenæ, ut Glossa hic refert. *Et* 10
*mittam ignem in murum Tyri, et devora-
bit ædes ejus.* Hoc impletum fuit, quando
Nabuchodonosor Tyrum destruxit. Pauca
D tamen invenit in ea, quoniam negotiatores
civesque Tyri per naves fugerunt versus
Carthaginem. Propter quod Dominus ait
ad Ezechielem : Fili hominis, rex Babylo- *Ezech.*
nis servire fecit exercitum suum servitute xxix, 18.
magna adversus Tyrum, et merces non est
reddita ei. Isaias quoque et Jeremias de *Is.* xxiii;
Tyri destructione vaticinati sunt plurima. *Jer.* xxvii, xlvii, 4.
Hæc dicit Dominus Deus : *Super tribus* 11
sceleribus Edom, id est Idumæorum, qui
nati sunt de Esau : qui aliis nominibus di- *Gen.* xxv,
ctus est Edom, id est rufus vel sangui- 30, 25.

neus; et Seir, id est pilosus seu hispidus; A
et super quatuor non convertam eum : id
est, quoniam tertio et quarto persecuti
sunt populum meum Israel, non eis igno-
scam, sed graviter puniam. *Eo quod perse-
cutus sit in gladio fratrem suum :* id est,
Gen. xxvii, quemadmodum Esau persecutus est Jacob,
41; xxviii, 5. ita ut fugeret Jacob in Mesopotamiam, sic
populus Idumæorum persecutus est in gla-
dio populum Judæorum de Jacob exortum;
et violaverit misericordiam ejus, id est,
pietatem, ad quam naturali jure tenebatur,
non exhibuit fratri suo præfato. Quum B
Ibid. xxv, enim duo populi isti ex duobus fratribus,
23. scilicet Esau et Jacob, processerint, debue-
runt sibi invicem omnem misericordiam
in omnibus exhibere; sed populus Idu-
mæorum ita non egit. Imo nec voluit filiis
Israel ascendentibus ex Ægypto iter præ-
Num. xx, bere per terram suam, sed dixit : Non
18-21. transibis per me, alioqui armatus occur-
ram tibi. Statimque cum infinita multitu-
dine exierunt rex Edom et populus ejus.
Propter quod declinavit Israel ab eo, quem-
admodum in Numerorum libro legitur. C
Et tenuerit ultra furorem suum, id est,
implacabili inveterataque ira exarsit in
populum Israel; *et indignationem suam*
contra Israel *servaverit usque in finem,*
id est usque ad captivitatem Judæorum a
Chaldæis, seu decem tribuum ab Assyriis,
hoc est, quamdiu filii Israel manserunt in
12 terra promissionis. *Mittam ignem in The-
man, et devorabit ædes Bosræ.* Quidam
per Theman intelligunt metropolim Idu-
mææ, et per Bosram aliam Idumææ civi-
tatem. Hieronymus vero affirmat, quod D
Theman sit hic nomen regionis Idumæo-
rum, et similiter Bosra, ita quod utrumque
eamdem significat terram.

13 *Hæc dicit Dominus : Super tribus sce-
leribus filiorum Ammon,* id est Ammoni-
Gen. xix, 38. tarum descendentium de semine Lot ex
filia sua juniori, *et super quatuor,* id est
propter eorum impietatem toties repeti-
tam, et in filios Israel factam, *non con-
vertam eum,* id est populum Ammonita-
rum a suis peccatis et debitis pœnis; *eo
quod dissecuerit prægnantes Galaad,* id
est mulieres prægnantes Jabes Galaad, ne
parerent pueros possessuros terram Ga-
laad, quam Ammonitæ laborabant acquire-
re. Ideo subditur : *ad dilatandum termi-
num suum,* id est terram seu fines patriæ
suæ. Optabant enim totam terram Galaad
suo addere atque subjicere regno. Hoc fuit
tempore Saul, quando Naas rex filiorum
Ammon impugnavit Galaad, et prægnan-
tes ejus divisit. Quumque (ut primo Regum
recolitur) habitatores Jabes Galaad man- I *Reg.* xi, 1,
dassent regi Ammon, Habe nos confœdera- 2.
tos; respondit, In hoc habebo vos fœde-
ratos, ut eruam omnium vestrum oculos
dexteros. Quoniam ergo Ammonitæ ab illo
tempore et ante, usque ad tempus Amos
prophetæ, manserunt in sua crudelitate et
injuriatione contra Israelitas, tradidit eos
Dominus in manus Chaldæorum, sicut
subjungitur. *Et succendam ignem in mu-* 14
ro Rabba metropolis Ammonitarum, quæ
in Deuteronomio et in secundo Regum *Deut.* iii,
vocatur Rabbath. Ignis autem intelligitur 11; II *Reg.*
demolitio seu gravis punitio civitatis et xii, 26.
habitatorum ipsius. *Et devorabit ædes ejus,*
id est, habitacula destruet, *in ululatu,* id
est clamore exercitus destruentis hanc ur-
bem, vel in lamentatione et sono confuso
Ammonitarum cadentium gladio Chaldæo-
rum, *in die belli* Chaldæorum contra Am-
monitas, *et in turbine,* id est abundanti
calamitate Ammonitarum, quæ fuit similis
tempestati, *in die commotionis,* qua ab
hostibus moti sunt, territi, interfecti, sive
translati. *Et ibit Melchom,* id est rex Am- 15
monitarum, qui per idolum quod coluit,
nomine Melchom, designatur, *in captivi-
tatem,* quia rex Chaldæorum cepit eum,
ipse et principes ejus, id est sacerdotes seu
alii potentes ac nobiles, *simul,* id est, pa-
riter cum rege suo captivi ducentur, *di-
cit Dominus.* De hac re in aliis Prophetis
plenius legitur.

ARTICULUS II

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM PRIMI CAPITULI.

1 VERBA *Amos, qui fuit in pastoralibus* A
Thecue. Amos interpretatur onustus,
sive avulsus; Thecue vero, clangens tuba.
Qui ergo onustus est, id est observantiis
Matth. XX, 12. divinorum præceptorum subjectus, por-
Ps. XLIII, 22. tans pondus diei et æstus, qui mortificatur
pro Deo tota die, hic audit verba secreta a
Is. L, 5. Deo, ita ut dicat cum Isaia : Dominus Deus
aperuit mihi aurem; ego autem non con-
tradico. Omnis enim sanctus instinctus,
omnis inspiratio sancta, omnis considera-
tio bona, est interna quædam Dei locu-
II *Cor.* III, 5. tio, quia non sumus sufficientes cogitare B
aliquid ex nobis, quasi ex nobis. Talis
quoque, conversatur et est in pastoralibus
Thecue, id est in spiritualibus escis, in
corporali opulentia Dei omnipotentis, per
Scripturas et sanctos prædicatores atque
doctores catholicos, quasi per tubam clan-
gentis et populum erudientis. Potestque
Ps. XXII, 1, 2. dicere : Dominus regit me, et nihil mihi
deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit;
super aquam refectionis educavit me. Vel
est in pastoralibus, id est locis seu con-
gregationibus Ecclesiæ, quæ per modum C
tubæ vocem suam exaltat, Deique verba
enuntiat : in quibus utique locis fideles
verbis et exemplis bonorum prælatorum
aluntur, sacramentalibus quoque gratiis
reficiuntur.

2 *Dominus de Sion rugiet :* id est, de
Ecclesia per ora prædicantium terribiles
comminationes effundet, dicendo illud in
Luc. VI, 24, 25. Luca : Væ vobis qui nunc ridetis; væ vo-
bis divitibus; væ vobis qui saturati estis.
Et de Jerusalem, id est de hac ipsa Eccle-
sia, *dabit vocem suam,* id est verba dulcis D
consolationis ac magnæ promissionis, di-
Joann. XIV, 2; XII, 26. cendo : Vado parare vobis locum ; et, Ubi
ego sum, illic et minister meus erit; et,
Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et *Joann.* XIV, 21, 23.
ego diligam eum, et ad eum veniemus, et
mansionem apud eum faciemus. Hæc facit
Deus quotidie. Sion interpretatur specula-
tio; Jerusalem autem, visio pacis. Ecclesia
ergo contemplando divina dicitur Sion, et
pacem habendo intusque cernendo, appel-
latur Jerusalem. *Et luxerunt speciosa pa-*
storum, id est decor et gloria eorum qui
solo nomine sunt pastores (de quibus in
Isaia habetur : Ipsi pastores ignoraverunt *Is.* LVI, 11, 10.
intelligentiam; canes muti desolati sunt et
evanuerunt) : quia dum Christus per san-
ctos suos verosque pastores in Ecclesia
loquitur, inutiles pastores confunduntur,
tristantur, et inanes esse noscuntur. *Et*
exsiccatus est vertex Carmeli, id est, mun-
dana sapientia per inanem eloquentiam
decorata, sterilis facta est, quemadmodum
dicit Apostolus : Stultam fecit Deus sapien- I *Cor.* I, 20.
tiam hujus mundi.

Super tribus sceleribus Damasci, et su- 3
per quatuor non convertam eum. Primum
peccatum, est motus passionum in appe-
titu inferiori, vel cogitatio mala; secun-
dum, est consensus rationis; tertium, ex-
secutio operis. Quæ designantur per tres
mortuos a Christo resuscitatos : primum,
per filiam Jairi archisynagogi, quam su- *Marc.* V, 22 *et seq.*
scitavit in domo; secundum, per filium
viduæ extra civitatem, quia consensus ra- *Luc.* VII, 11 *et seq.*
tionis est extra et supra sensualitatem;
tertium, per Lazarum clausum, quoniam *Joann.* XI, 1 *et seq.*
opus malum tanquam lapis gravat et op-
primit prævaricantem. Quartum peccatum
est, non pœnitere de malo. Super tribus
autem sceleribus Deus frequenter conver-
tit, sed impœnitentem æternaliter damnat.
Talis namque quum in profundum pecca- *Prov.* XVIII, 3.
torum venerit, contemnit, nec levat oculos

Ps. LXVIII, 16. suos, ut adspiciat cœlum; sed claudit su- A
per eum puteus os suum. Unde et Christus
non legitur quartum mortuum suscitasse,
quia per corporalem suscitationem, spiri-
tualis figurabatur. Damascus præterea in-
terpretatur, bibens sanguinem. Sicque si-
gnificat subversores aliorum, qui vitam
spiritualem eorum quos fallunt, consu-
munt et ebibunt; qui prægnantes, id est
animas in bonis fecundas, triturant *in
plaustris ferreis,* id est, acutis versutiis,
minis, seu tribulationibus destruunt, aver-
tendo eas a Deo : propter quod dicuntur B
prægnantes *Galaad,* id est transmigratio-
Ps. x, 2. nis, quia recedunt a Deo, transmigrantes
in montem vanitatis sicut passer, quæ an-
te hanc suam seductionem dicere poterant
Is. XXVI, 17, 18. illud Isaiæ : A facie tua, Domine, concepi-
mus et quasi parturivimus. Quæ autem
non seducuntur, addere possunt quod ibi
Ibid. 18. adjungitur : Et peperimus spiritum.
Mittit ergo Dominus ignem suæ vindi-
4 ctæ, *in domum Hazael,* id est eorum qui
alios ita subvertunt; qui devorat *domos
Benadad,* id est congregationem consen- C
tientium, sequentium, vel cooperantium
5 malo. *Et conteram vectem Damasci,* id est
fortitudinem præfatorum animas mandu-
cantium, seu sanguinem aliorum biben-
tium. Dicit autem Haymo, quod servus
Abrahæ Damascus Eliezer, condidit urbem
Gen. IV, 8. Damascum in campo ubi occisus est Abel.
Et disperdam habitatores de campo idoli,
id est homines terrenos, in campo idoli, id
est in latitudine mundi, in quo idola va-
nitatis ac falsitatis coluntur : dum alii in
suis sophismatibus jugiter occupantur et D
Philipp. III, 19. gloriantur, aliorum deus venter est, alio-
rum, aurum aut venus; alii cum stultis
vanisque cogitationibus quasi cum idolis
ludunt, non advertentes illud Joannis :
I Joann. V, 21. Custodite vos a simulacris; et illud Mi-
Mich. II, 1. chææ, Væ vobis qui cogitatis inutile.
9 Insuper, per punitionem Tyri (quæ inter-
pretatur angustia), figuratur eorum dam-
natio qui non ambulant in latitudine cari-
tatis, nec dicere possunt cum Apostolo,
Cor nostrum dilatatum est; sed frigore II Cor. VI, 11.
invidentiæ constringuntur, et privato amo-
re sic coarctantur, quod non quærunt nisi Philipp. II, 21.
quæ sua sunt, non communicantes proxi-
mis dona Dei sibi concessa. — Per pu- 11
nitionem vero Edom (quæ interpretatur
rubens vel sanguinea), figuratur damnatio
hominum sanguinolentorum, qui in operi-
bus carnis et sanguinis volutantur, rubent
et inflammantur : et maxime infidelis Sy-
nagoga, quæ fratrem suum, id est primiti-
vam Ecclesiam ex Judaismo conversam,
persecuta est usque ad sanguinem. De
quibus ait Christus in Isaia : Adspersus Is. LXIII, 3.
est sanguis eorum super vestimenta mea;
itemque in Evangelio : Ut veniat super Matth. XXIII, 35.
vos omnis sanguis justus qui effusus est
super terram, etc. De talibus cantamus in
Psalmo : Viri sanguinum et dolosi non di- Ps. LIV, 24.
midiabunt dies suos. Verum ut ait Aposto-
lus, Caro et sanguis regnum Dei non pos- I Cor. XV, 50.
sidebunt. — Postremo, per punitionem 13
filiorum Ammon (qui interpretatur popu-
lus meus, vel populus mœroris), intelligi-
tur damnatio impiorum Christianorum, qui
sunt populus Dei per fidem, non per ca-
ritatem et opera, qui sine veste nuptiali
venire præsumunt ad militantis Ecclesiæ
nuptias. Quos certum est inordinatis mœ-
roribus affici : quoniam contristantur in
quibus contristandum non est, utpote pro-
pter præsentis vitæ adversa; et non con-
tristantur in quibus tristandum est, sci-
licet propter sua et aliorum peccata, et
cetera animæ nocumenta peccatum conse-
quentia. Et præsertim contristari debemus
de hoc, quod Deum sanctum, pium ac li-
beralissimum, toties inhonoramus, benefi-
ciis ejus ingrati, et coram præsentia maje-
statis ejus intimorati.

Moralitatem autem hujus capituli per
singula verba, propter prolixitatem vitan-
dam, non prosequor, præsertim quum sen-
tentia moralitatis hujus sæpe jam posi-
ta sit.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : HÆC DICIT DOMINUS : SUPER TRIBUS SCELERIBUS MOAB, ET SUPER QUATUOR NON CONVERTAM EUM.

NUNC quinque regnorum culpam ac A
pœnam descripsit Propheta, videlicet
Syriæ, Philistiim, Tyri, Idumæorum, et fi-
liorum Ammon. Consequenter in isto ca-
pitulo adhuc trium regnorum culpam pœ-
namque describit, videlicet Moab, Juda, et
Israel.
1 *Hæc dicit Dominus : Super tribus sce-
leribus Moab, et super quatuor,* id est pro-
pter peccata Moabitarum tertio et quarto
reiterata, *non convertam eum* ad me per
pœnitentiam, nec a debita punitione eos
eripiam, præsertim *eo quod incenderit os-* B
sa regis Idumææ usque ad cinerem. Re-
fert Hieronymus, quod secundum He-
IV *Reg.* III, 9, 26, 27. bræos, defuncto illo rege Idumæorum, qui
cum Joram rege Israel et Josaphat rege
Juda obsedit regem Moab, nec permisit re-
gem Moab effugere per eam partem quam
ipse obsedit, propter quod rex Moab com-
pulsus reverti in urbem, ascendit murum,
et filium suum obtulit deo suo : hoc ergo
rege Idumæorum defuncto, recordati filii
Moab quid rex ille adhuc vivens fecerit
eis, ossa ipsius de monumento extracta C
usque ad cineres combusserunt. Propter
quod iram Domini incurrerunt, eo quod
crudelitatem suam nec in morte voluerunt
finire. Denique secundum Glossam, Deus
comminatus est se vindicare contra Moa-
bitas scelus quod contra infidelem regem
fecerunt, ut demonstraret omnes animas
ab ipso creatas, ad suum pertinere impe-
rium. Quod si ita ulciscitur eos qui Deum
non cognoverunt, quomodo vindicabit suos
cultores? Præterea, quoniam Ammonitæ ac
Gen. XIX, 37, 38. Moabitæ descenderunt de semine Lot ne- D
potis Abrahæ, cui Abraham beneficia mul-
ta impendit, debuerunt benevoli fuisse
Judæis, sed econtra durissimi fuerunt ad
eos. Idcirco meruerunt puniri, sicut sub-
jungitur.
Et mittam ignem captivitatis et magnæ 2
tribulationis, vel etiam combustionis, *in
Moab,* id est in Moabitas vel urbes eorum,
et devorabit ædes Carioth, id est habitacu-
la urbis sic dictæ, pertinentis ad provin-
ciam Moab; *et morietur in sonitu Moab, in
clangore tubæ :* id est, adversariis eorum
Assyriis sive Chaldæis contra eos concla-
mantibus et tuba clangentibus, occidentur
multi de Moabitis. *Et disperdam judicem* 3
de medio ejus, id est judices in medio
Moab demorantes, *et omnes principes ejus
interficiam cum eo, dicit Dominus,* tra-
dendo eos manibus Chaldæorum. De hac
re multa scribuntur in Isaia, Jeremia quo- *Is.* XV, XVI;
que et Ezechiele. Unde Isaias ait : Ululabit *Jer.* XLVIII; *Ezech.* XXV.
Moab ad Moab; universus ululabit. An ve- *Is.* XVI, 7.
ro hostes occiderunt universaliter omnes
principes Moab, vel tot quod alii qui man-
serunt superstites, pauci videbantur, non
est omnifarie certum.
Hæc dicit Dominus : Super tribus sce- 4
leribus Juda, et super quatuor, id est de
peccatis duarum tribuum, imo et Levita-
rum, qui in regno Juda manserunt a tem- II *Par.* XI, 13.
pore separationis decem tribuum a domo
David : de horum ergo peccatis ter quater-
que repetitis *non convertam eum,* id est,
eis non parcam, nec gratiam veræ conver-
sionis infundam instante captivitate Baby-
lonica; *eo quod abjecerunt* legem Domini* *abjecerit
datam in monte Sinai per Moysen, *et man-
data ejus,* quæ erant triplicia, scilicet mo-
ralia, cærimonialia, judicialia, *non custo-
dierunt** per obedientiam. Aliquando tamen *custodierit
ea servabant. Aliqui quoque a principio

transgressi sunt ea. Unde per Jeremiam A loquitur Dominus (*Jer.* ii, 20.) : A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea ; et dixisti, Non serviam. *Deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierunt,* id est, quæ coluerunt, et quæ colendo, a Deo vero recesserunt, *patres eorum,* qui in deserto adoraverunt vitulum aureum et Beelphegor (*Exod.* xxxii, 6 ; *Num.* xxv, 2, 3; *Judic.* iii, 7; x, 6.), in terra quoque promissionis Baalim et Astaroth. Hæc itaque aut similia idola, deceperunt et posteros tempore Achaz, Manassæ et Amon, Joakim et Sedeciæ (IV *Reg.* xvi, xxi, xxiii, xxiv.), id est, ipsi per idololatriam sunt decepti, et B deceperunt se ipsos. Idola vero deceperunt eos materialiter, seu occasionaliter. Interdum tamen idola decipiunt homines inductive seu directe, in quantum dæmones per ea loquuntur, et aliqua mira operantur. Vel ipsæ imagines sua alliciunt pulchritudine intuentes, sicut in libro Sapientiæ (*Sap.* xiii-xv.) copiose ostenditur.

5 *Et mittam ignem in Juda,* id est in urbes seu populum regni Juda, *et devorabit ædes Jerusalem :* quando videlicet exercitus Chaldæorum combussit seu demolitus C est terram et populum Juda, et Nabuzardan princeps militiæ incendit templum et civitatem Jerusalem (IV *Reg.* xxv, 8, 9.). Hinc per Ezechielem Dominus ait (*Ezech.* xxii, 20-22.) : Conflabo vos, et congregabo, et succendam vos in igne furoris mei ; et conflabimini in medio ejus, sicut conflatur argentum in medio fornacis. Præterea advertendum, quia (ut ait Hieronymus) prædictis regnis non improperat Deus, quod legem scriptam transgressi sunt (*Rom.* ii, 14.) : non enim data est eis. Idcirco qui sine lege peccaverunt, sine lege perierunt (*Ibid.* 12.). Juda vero Deus D concessit legem, templum, sacerdotes Leviticos, cærimonias et mandata : ideo de legis et præceptorum transgressione arguitur, et secundum legem damnatur.

6 *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum,* id est, propter peccata decem tribuum, tertio et quarto repetita, non parcam eis, sed hostibus tradam ; *pro eo quod vendiderit argento justum,* id est, justos et simplices pro pecunia gentibus vendiderunt vicinis in servos. Vel sensus est, quod justorum causam atque judicium subverterunt, munera accipiendo, sicut de quibusdam cantatur in Psalmo (*Ps.* lxxxi, 2.) : Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? Et in Isaia (*Is.* i, 23.) : Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos. *Et pauperem pro calceamentis,* id est, pauperes vendiderunt pro pretio vili, et modice reputant homines Dei imagine ac similitudine insignitos. In quo patet eorum injustitia, violentia, crudelitas, atque cupiditas.

7 *Qui* impii Israelitæ *conterunt super pulverem terræ capita pauperum,* id est, pauperes pedibus suis conculcant, atque in terram projectos pessumdant, *et viam humilium declinant,* id est, cum humilibus et parvis personis ire despiciunt, talesque sibi obviantes abhorrent et vitant. *Et filius ac pater ejus ierunt ad puellam.* Translatio Septuaginta interpretum continet, Ad eamdem puellam. Unde sensus est, quod socer polluit nurum, violando puellam suo filio desponsatam ; vel crebro patres et filii eisdem commixti sunt feminis : in quo de incestu notantur. Cui simile est quod ad Corinthios scribit Apostolus (I *Cor.* v, 1.) : Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui quis habeat. Hæc prohibuit Moyses in Levitico (*Lev.* xviii, 7, 15.) : Turpitudinem, inquit, patris tui non discooperies, et turpitudinem nurus tuæ non revelabis. *Ut violarent,* id est, inhonorarent, et quantum in ipsis erat, immundum ostenderent, *nomen sanctum meum,* id est me ipsum. Quemadmodum enim devoti Deum honorando, ostendunt quod ipse sit sanctus, sublimis et magnus, cui in sanctitate, timore ac reverentia obsequuntur ; sic impii Deum inhonorando, quantum in ipsis est, Deum ostendunt non sanctum, quia sic agunt ac si mala Deo placerent, et alios ad Dei inhonorationem inducunt. Propter quod dicit Apostolus (*Rom.* ii, 24.) : Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes. Et per Ezechie-

Ezech. xx, 39; xxxvi, 20-23. lem Dominus ait frequenter : Contaminastis nomen sanctum meum; et sanctificabo nomen sanctum meum, quod per vos pollutum est inter gentes. Hinc ergo devoti dicuntur Deum magnificare, sanctificare et exaltare; injusti vero, violare et spernere. Porro, vox hæc, *ut,* magis denotat hoc loco concomitantiam vel sequelam, quam causam : quia opera mala sequitur violatio nominis Dei, quamvis non sit intenta.

8 *Et super vestimentis pignoratis accubuerunt** : id est, vestimenta quæ violenter rapuerunt a bonis et his qui cum ipsis ad adoranda idola ire noluerunt, supposuerunt sibi secus loca atque altaria ubi in honorem idolorum fecerunt lasciva convivia. Hæc autem vestimenta per modum prædæ ablata, dicuntur vadimonium seu pignora : quia pro liberatione a morte, dabantur a spoliatis. Dictum est autem in *Osee* v, 1. Osee, quomodo pessimi filii Israel posuerunt custodes in monte Thabor et alibi, qui comprehenderent et spoliarent transeuntes versus Jerusalem ad adorandum Deum verum. *Et vinum damnatorum,* id est emptum de bonis quæ rapuerunt ab his quos damnabant et opprimebant injuste, *bibebant in domo dei sui,* id est in fanis idolorum, quæ deos putabant.

* *accubuerunt juxta omne altare*

Præterea advertendum, quod aliqui per *Gen.* xxxvii, 28; *Exod.* xxxii, 6; *Matth.* xxiii, 34; *Act.* vii, 52. quatuor peccata Israel intelligunt venditionem Joseph a fratribus suis, adorationem vituli aurei in deserto, persecutionem Prophetarum, et Christi occisionem. Et propter hoc quartum peccatum finaliter derelicti sunt Judæi. De aliis vero tribus emendati fuerunt atque conversi.

Enarratis piaculis Israel, recitat Dominus beneficia sua Israeli collata, ut opposita juxta se collocata, ex mutua com-
9 paratione clarius agnoscantur. *Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum :* *Num.* xxi, 24. id est, Sehon regem Amorrhæorum et populum suum, aliosque Chananæos ejeci et interfeci ad introitum filiorum Israel, seu duodecim tribuum. Beneficia namque quæ nunc describuntur, non solum de- A cem tribubus data sunt. *Cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus :* id est, magnæ staturæ fuerunt, et tantum eminebant aliis in longitudine, quantum cedri aliis arboribus, quantum ad longum. Propter quod exploratores dixerunt in Numeris : Populus magnus et proceræ staturæ; semen Enacim vidimus ibi, quibus comparati, quasi locustæ videbamur. *Num.* xiii, 29, 33, 34; *Deut.* i, 28; ii, 21. *Et fortis* fuit *ipse* populus Amorrhæus *quasi quercus,* quæ est arbor durissima atque fortissima. *Et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter,* B id est, superbiam ejus dejeci, principes ejus et semen contrivi, subditos quoque ipsius, et vim generativam in eo destruxi. Loquitur autem Dominus de toto populo illo metaphorice, quasi de arbore una, quæ quum penitus destruitur, rami ejus ac radix vastantur ac corrumpuntur, ut non amplius reparetur aut crescat. Sic Deus Amorrhæos illos dejecit.

10 *Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti et eduxi vos* de loco ad locum, C præcedendo in die per columnam nubis, *Exod.* xiii, 21, 22. et nocte per ignem, *in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæi.* Non servatur hoc loco ordo historiæ, sicut nec frequenter in aliis locis Scripturæ, ubi de Dei laudibus agitur : quod maxime patet in libro Psalmorum, in quo tertius psalmus scriptus est, tractans de persecutione David ab Absalone, et multi alii psalmi sequuntur, loquentes de rebus quæ diu ante contigerunt. Certum est autem, quod Deus eduxit Israel de Ægypto antequam Amorrhæum præfato modo dejecit. D

11 *Et suscitavi,* id est, de parvo statu gratiose promovi, quosdam *de filiis vestris in Prophetas :* quales fuerunt Elias et Eliseus; *et de juvenibus vestris* suscitavi et feci *Nazaræos :* qui erant Deo consecrati ex utero, super quorum capita non ascendit novacula, quia non radebantur, nec *Num.* vi, 2-5. vinum potabant. Tales fuerunt Samson (ut patet in libro Judicum), et Samuel (primo Regum). *Judic.* xvi, 17; I *Reg.* i, 11. Aliqui tamen erant Nazaræi pro toto tempore vitæ suæ; aliqui, ad tem-

pus determinatum. *Numquid non ita est,*
12 *filii Israel? dicit Dominus. Et propinaba-*
tis Nazaræis vinum : quum tamen in lege
Num. vi, 2-5; Lev. x, 9-11. scriptum sit, ut tempore consecrationis
suæ, vinum et omne quod inebriare po-
test, non bibant, ne curis sæculi aut vitio
gulæ a Dei vacatione impediantur. *Et Pro-*
phetis mandabatis, dicentes : Ne prophe-
tetis. Erant enim incorrigibiles, et eos a
quibus redarguebantur, repellebant. Hinc
Is. xxx, 10. in Isaia scriptum est : Dicunt videntibus,
Nolite videre ; et adspicientibus, Nolite
adspicere nobis ea quæ recta sunt ; lo-
quimini nobis placentia, videte nobis er-
rores. Horum vitiorum debita subinfertur
punitio.
13 *Ecce ego* Deus omnipotens, justus ju-
Job xxiv, 12. dex, qui nullum malum patior ire inul-
tum, *stridebo subter vos,* vel, *super vos,* ut
aliqui dicunt, id est, terribiliter vobis mi-
nabor, *sicut stridet plaustrum onustum*
fœno : id est, ad tantam calamitatem at-
que tormenta vos pertraham, quod velut
currus fœno gravatus, emittetis altos mi-
serabilesque clamores, quando in manus
inciderits Assyriorum. Notandum quoque,
quod Propheta hic loquitur de toto popu-
A lo quasi de uno. Unde non omnia eisdem
conveniunt, quamvis quasi de eisdem di-
cantur. *Et peribit fuga a veloce,* id est, 14
veloces et agiles manus hostium evadere
non valebunt, *et fortis non obtinebit vir-*
tutem suam, id est, viri potentes fortitu-
dinem suam amittent, *et robustus non*
salvabit animam suam, id est vitam, sed
occidetur ; *et tenens arcum non stabit,* id 15
est, sagittarii coram Assyriis cadent, *et*
velox pedibus suis non salvabitur, id est,
velociter currendo nequaquam effugiet, *et*
B *ascensor equi non salvabit animam suam,*
id est, nec equites vitam suam ab Assy-
riis liberabunt, sed capientur; *et robustus* 16
corde, id est animo constans et audax,
inter fortes nudus fugiet in die illa, dicit
Dominus, id est, armis et vestimentis cur-
sum impedientibus rejectis, conabitur fu-
gere, quamvis non possit effugere. Hæc
autem dicuntur, non quod omnes tales
de populo Israel ab Assyriis fuerint capti,
vel interfecti : dictum est enim in Osee, Osee xiv, 1.
quod aliqui evaserunt manus Assyriorum;
C sed tam pauci fuerunt, quod comparatione
aliorum non computantur. Quod enim mo-
dicum est, non reputatur.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO TROPOLOGICA EJUSDEM CAPITULI SECUNDI.

1 MOAB interpretatur, ex patre. Filia enim
Gen. xix, 37. major ipsius Lot, quum esset invere-
cundior juniore sorore, de suo non eru-
bescens incestu, tale imposuit filio suo
(quem habuit ex proprio patre) nomen,
quod omnibus innotesceret filium hunc
de patre matris suæ progenitum, vocans
eum Moab. Per quem hoc loco intelligun-
tur perversi, qui alios verbo aut exemplis
aut aliis modis corrumpunt. De talibus
Joann. viii, 44. enim loquitur Christus : Vos ex patre dia-
bolo estis ; et Joannes in prima sua epi-
D stola, Qui peccat, ex diabolo est. Denique I Joann. iii, 8.
Idumæa interpretatur, terrena. Rex ergo
Idumæorum, est rector propriæ carnis et
sensualium affectionum : qui dominatur
animo suo, et carnem suam crucifigit cum Galat. v, 24.
vitiis et concupiscentiis, implens illud Apo-
stoli ad Romanos : Obsecro vos, fratres, Rom. xii, 1.
per misericordiam Dei, ut exhibeatis cor-
pora vestra hostiam viventem, sanctam,
Deo placentem. Unde et alibi dicit : Hæc I Thess. iv, 3-5.
est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut
sciat unusquisque vestrum possidere vas

suum in honore, et non in passione desi- A
derii. Tunc ergo Moab incendit ossa regis
Idumææ usque ad cinerem, dum perver-
sus aliquis hominis virtuosi spiritualia os-
sa, id est virtutes, in nihilum redigit, in-
ducendo eum ad culpam mortalem. De
Ezech. II, 6. talibus Dominus ait ad Ezechielem : Sub-
versores sunt tecum. Et Paulus in Acti-
Act. XX, 29. bus : Ex vobis ipsis exsurgent lupi rapa-
ces, non parcentes gregi. Et Christus in
Matth. VII, 15. Evangelio : Attendite a falsis prophetis, qui
veniunt ad vos in vestimentis ovium, in-
trinsecus autem sunt lupi rapaces ; et B
Joann. X, 8. rursus, Omnes quotquot venerunt, fures
Ezech. XIII, 19. fuerunt et latrones. Isti mortificant ani-
mas quæ non moriuntur, et vivificant ani-
mas quæ non vivunt, dum impios lau-
dant, et justos condemnant.
2 *Et mittam ignem* æternæ damnationis
in Moab, id est in hujusmodi subversores,
de quibus verificatur illud Isaiæ ac Jere-
Is. XVI, 6; *Jer.* XLVIII, 29. miæ : Audivimus superbiam Moab ; super-
bus est valde. Quid enim superbius, quam
alios ad illa inducere quæ Deus prohi-
buit ? *Et devorabit ædes Carioth,* id est C
corpora congregationum hujuscemodi ple-
Judith XVI, 20, 21. bis, juxta illud Judith : Deus omnipotens
vindicabit in eis, in die judicii visitabit
eos ; dabit ignem et vermes in carnem
ipsorum, ut urantur ac sentiant usque in
Ps. CXXXIX, 11. sempiternum. Et in Psalmo : Cadent su-
per eos carbones ; in ignem dejicies eos.
Carioth autem interpretatum est civitas,
per quam collectio hominum designatur.
Corpora vero nostra, sunt animarum no-
strarum ædes seu habitacula. Unde et
II *Petr.* I, 14. Petrus : Scio, inquit, quia velox est depo- D
sitio tabernaculi mei. *Et morietur* morte
æternæ reprobationis Moab iste seu po-
pulus tam malus et fallax, *in sonitu* et
clangore tubæ, id est in sententia verbo-
Matth. XXV, 41. rum Christi dicentis, Ite, maledicti, in
ignem æternum ; et in tuba de qua dicit
I *Cor.* XV, 52. Apostolus, Canet tuba, et mortui resurgent
I *Thess.* IV, 15. incorrupti ; itemque, Quoniam ipse Domi-
nus in jussu et in voce archangeli et in
tuba Dei descendet de cœlo. Hæc enim
tuba erit reprobis morte amarior, quamvis

per eam suscitentur ad vitam, et vitam
infeliciorem, secundum quod ait Salvator :
Veniet hora, in qua omnes qui in monu- *Joann.* V, 28.
mentis sunt, audient vocem Filii Dei. *Et* 3
disperdam judicem de medio ejus, id est,
superiores et principes talium condemna-
bo : quatenus judicium gravissimum fiat *Sap.* VI, 6, 7.
in his qui præsunt, et potentes potenter
patiantur tormenta.
Hæc dicit Dominus : Super tribus sce- 4
leribus Juda, et super quatuor non con-
vertam eum, id est, Ecclesiæ Christiano-
rum, propter sua scelera toties repetita,
non parcam ; *eo quod abjecerunt legem*
Domini, et mandata ejus non custodi-
erunt, id est, evangelicam legem et Christi
mandata non impleverunt ingrati benefi-
ciis Dei : quibus melius esset ignorasse II *Petr.* II, 21.
viam veritatis, quam agnitam abjecisse.
Deceperunt enim eos idola sua, videlicet
aurum, argentum, venter, venus, ac cete-
ræ imagines delectabiles, resque deliciosæ
ac formæ suaves, quas magis amant et
attendunt quam Deum. De quibus in libro
Sapientiæ legitur : Creaturæ factæ sunt in *Sap.* XIV, 11.
odium et in tentationem animæ hominum,
et in muscipulam pedibus insipientium.
Juda autem interpretatur confessio : per
quem hic figurantur Christiani fide in-
formi, qui ore, non moribus Domino con- *Tit.* I, 16.
fitentur. De quibus asseritur : Populus *Is.* XXIX, 13; *Matth.* XV, 8.
hic labiis me honorat, cor autem eorum
longe est a me. *Et mittam ignem* infer- 5
nalem *in Juda,* id est in prædictam ec-
clesiam malignorum, *et devorabit ædes*
Jerusalem, id est corpora illorum Chri-
stianorum qui conformantur in vitiis illi
Jerusalem super quam Dominus flevit ; *Luc.* XIX, 41.
cui et dixit : Jerusalem, Jerusalem, quæ *Matth.* XXIII, 37.
occidis Prophetas. Sunt enim plurimi no-
mine Christiani, qui zelatores justitiæ ju-
giter persequuntur.
Hæc dicit Dominus : Super tribus sce- 6
leribus Israel, etc. Per hoc significatur
finalis damnatio Christianorum qui quam-
vis cœlestia, æterna ac divina cognoscant
per fidem et scientiam acquisitam ; nihilo
minus rebus temporalibus, mundanis at-

que carnalibus hærent et immerguntur, A
Coloss. III, 2. non pensantes illud Apostoli : Quæ sur-
sum sunt sapite, non quæ super terram.
Isti vendunt pro *argento justum,* dum pro
fulgore sæcularis eloquentiæ vel munda-
næ sapientiæ ostendendo aut præmiando,
tradunt aut fallunt rectos corde, *et pau-
perem pro calceamentis,* dum pauperes op-
primunt, quatenus opera sua vitiosa ac
mortua, quæ recte per calceamenta signan-
tur, excusent atque justificent. Sunt enim
multi astuti et vani, qui simplicium et
bonorum laudabilem vitam corrodunt, ne B
comparatione illorum, ipsorum vita sor-
descat. Istud quoque accipi potest secun-
dum sensum in præcedenti articulo posi-
tum, de his qui propter pecuniam et vile
emolumentum, causam justorum subver-
tunt, et pauperes opprimunt. Quocontra
Num. XVI, 15; I Reg. XII, 3. Moyses et Samuel profitentur, se a popu-
lo non munera accepisse, nec quempiam
afflixisse.
7 *Et viam humilium declinant.* Tales sunt
superbi, qui quum sint magni in oculis
suis, inferioribus sociari dedignantur. Quo- C
Eccli. III, 20. contra ait Scriptura : Quanto major es,
Luc. XXII, 27. humilia te in omnibus. Et Christus : Ego,
ait, in medio vestrum sum sicut qui mi-
nistrat. Porro qui veraciter sapiens est,
humiles et abjectos, pauperes et simplices
cordialiter veneratur, et sibi ipsi in pro-
prio præfert corde : non ignorans quod
I Cor. I, 27, 28. pauperes et infirma atque abjecta mundi,
et ea quæ non sunt, elegerit Deus ; et
item, quod Christus talibus se assimila-
Ps. LXVIII, 30. verit, juxta quod ait in Psalmo, Ego sum
pauper et dolens. *Filius ac pater ejus* D
ierunt ad puellam. Utinam talis incestus
8 non esset in Christianis. *Et super vesti-
mentis pignoratis accubuerunt.* Hoc agunt
usurarii et prædatores. *Et vinum damna-
torum bibebant.* Hoc utique faciunt, qui
infirmioribus imponunt aliqua crimina,
propter quæ extorquent ab eis denarios,
aliter eos damnarent, aut læderent, sive
occiderent ; et pro pretio tali, optati vini
Deut. XXXII, 33. voluptate fruuntur. De quibus verificatur
illud in Deuteronomii cantico : Fel dra-
conum vinum eorum, et venenum aspi-
dum insanabile.

Hæc itaque mala operati sunt Christia-
ni. Sed quid fecerit eis Christus, subjun-
git. *Ego autem exterminavi Amorrhæum,* 9
id est diabolum, *a facie eorum,* id est ab
oculis cordis, quos excæcavit diabolus an-
tequam illuminarentur a Christo. Salvator
namque fortem armatum vicit, ligavit, et Luc. XI, 21, 22; Matth. XII, 29.
vasa ejus diripuit. Propter quod ait in
Joanne : Nunc princeps hujus mundi ejici- Joann. XII, 31.
etur foras. Amorrhæus interpretatur, ama-
rus, vel loquens, aut famosus : per quod
significatur diabolus, hostis noster acer-
bissimus, crudelissimus, et omnium ne-
quitiarum amaritudine adimpletus, jugiter
mala inspirans, et fallaciter loquens, fa-
mosus propter malitiæ magnitudinem. *Cu-
jus altitudo, cedrorum altitudo ejus :* quia
in naturalibus valde excellens est, quæ in
ipso integra (secundum Dionysium) per-
manserunt ; imo principe dæmonum nul-
lus angelus in naturalibus donis sublimior
est. Ad quod pertinere potest illud Eze-
chielis : Cedri non fuerunt altiores illo in Ezech. XXXI, 8.
paradiso Dei. *Et fortis ipse quasi quercus.*
Non enim est potestas super terram, quæ Job XLI, 24.
comparetur ei, qui factus est ut nullum
timeret, ut dicitur ad Job. Unde et Chri-
stus appellat eum fortem armatum. Non Luc. XI, 21.
ergo simus securi, incircumspecti, aut in-
timorati, aut propriis viribus innitentes,
sed misericordiæ Christi. Quomodo enim
caro fragilis, homo mortalis, huic quercui
prævaleret, a qua videtur, et quam videre
non potest ? *Et contrivi fructum ejus de-
super, et radices ejus subter,* id est, opera
ejus destruxi, et quos sibi incorporave-
rat, rapui et converti, omnemque super-
biam ejus devici. Unde in prima epistola
Joannis legitur : In hoc apparuit Filius I Joann. III, 8.
Dei, ut dissolvat opera diaboli. Et Salva-
tor : Ego, inquit, si exaltatus fuero a ter- Joann. XII, 32.
ra, omnia traham ad me ipsum. Christus
ergo vicit diabolum. Et nos eum virtute
Christi conterimus, dummodo virtus do-
minicæ passionis seu meritum et gratia
Christi nobis communicetur, applicetur,

seu infundatur ad hoc. Quod fit, si caritate A
et jugi oratione conjungimur Christo.
10 *Ego sum qui ascendere vos feci de terra*
Ægypti, id est, de sæculari conversatione
per gratiam vos retraxi, et ad amorem
cœlestium corda vestra erexi : quemad-
Galat. I, 4. modum ait Apostolus, Eripuit nos de præ-
senti sæculo nequam. *Et eduxi vos in*
Ps. LXXXIII, 8. *deserto* sæculi hujus, de virtute in virtu-
tem, *quadraginta annis,* qui secundum
Hieronymum, sunt numerus pœnitentiæ
et doloris, per quem tempus pœnitendi
11 signatur. *Et suscitavi de filiis vestris in* B
Prophetas. Multis enim Christianis con-
tulit Christus gratiam prophetiæ. *Et de*
juvenibus vestris Nazaræos, id est sancti-
Thren. III, 27; Matth. XI, 29. ficatos, quales præcipue sunt, qui ab ado-
lescentia jugum Dei super se portant, at-
que in innocentia permanentes, renuntiant
sæculo, ingredientesque claustra, Deo in
omni sobrietate ac puritate ministrant :
quales fuerunt S. Bernardus, B. Thomas,
et alii multi, qui creduntur nunquam pec-
casse mortaliter. *Numquid non ita est,*
filii Israel? id est, nonne beneficia ista C
12 præstiti vobis, o Christiani? *Et propinaba-*
tis Nazaræis vinum. Hoc agunt, qui præ-
dictos carnali pietate aut venenata pravi-
tate conantur ab abstinentiæ et sobrietatis

rigore avertere, ut mollius vivant. *Et Pro-*
phetis mandabatis dicentes : Ne prophe-
tetis. Hoc faciunt, qui a prædicatoribus et
doctoribus verbum Dei audire, et increpa-
ri non volunt : qui dicunt Deo, Recede a Job XXI, 14.
nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.
Ecce ego stridebo super vos, sicut stri- 13
det plaustrum onustum fœno : id est, ter-
ribiliter increpabo et judicabo ; et sicut Is. XLII, 14.
parturiens loquar, dissipabo, et absorbebo
simul. *Et peribit fuga a veloce, et fortis* 14
non obtinebit virtutem suam, et robustus
non salvabit animam suam : id est, nullus
judicium meum subterfugere poterit ; nec
sua virtute, velocitate, aut sapientia po-
terit quis salvari. Non enim in tibiis viri Ps. CXLVI, 10.
beneplacitum erit Deo ; et, Non salvatur Ps. XXXII, 16.
rex per multam virtutem ; et, Stultus fa-
ctus est omnis homo a scientia sua. Pro- Jer. X, 14.
pterea apud Jeremiam contestatus est Do-
minus : Non glorietur sapiens in sapientia Ibid. IX, 23, 24.
sua, et non glorietur fortis in fortitudine
sua, et non glorietur dives in divitiis suis;
sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire
et nosse me. *Et tenens arcum non stabit,* 15
id est, dolosus et insidiator peribit : quo-
niam simulatores et callidi provocant iram Job XXXVI, 13; V, 13.
Dei, qui apprehendit astutos in astutia
eorum.

ARTICULUS V

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : AUDITE VERBUM QUOD LOCUTUS EST DOMINUS.

EXCITAT sanctus Propheta in hujus D
capituli exordio auditores ad conside-
rationem sollicitam. Non enim superfici-
ali, intimorato, vagoque animo audienda
sunt verba Dei sublimis, sed cum reve-
1 rentia, metu et caritate. *Audite verbum*
quod locutus est Dominus ad me *super*
vos, id est de vobis, *filii Israel.* Et ne per
filios Israel intelligerent decem tribus
dumtaxat, subjunctum est : *super omnem*

cognationem quam eduxi de terra Ægy-
pti, id est super duodecim tribus. Mutatur
autem persona loquentis, quum dicitur,
Eduxi, quum ante de Domino fit sermo in
tertia persona. *Dicens :*
Tantummodo vos cognovi, id est, vos 2
solos cognovi notitia approbationis, vosque
in populum peculiarem elegi, et magna ac
specialia beneficia præstiti, *ex omnibus*
cognationibus terræ, id est præ ceteris

gentibus, quemadmodum fertur in Psalmo : Non fecit taliter omni nationi ; et in Deuteronomio : Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram, etc., quia dilexit vos Dominus. Unde et secundo libro Regum fassus est David : Quæ est gens ut populus tuus Israel in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum ? Et firmasti populum tuum Israel in populum sempiternum. Verumtamen non puto præinducta verba Amos sic intelligenda, quasi tempore Israeliticæ plebis et veteris Testamenti, vel quando in deserto pergebant, non fuerint in toto mundo aliqui homines boni et prædestinati, Deoque cogniti modo præfato, nisi populus Israel, quum juxta Dionysium, multi gentilium ad Deum reducti sint ministerio angelorum. Sed ideo dicta sunt hæc, quoniam Deus non elegit tunc aliquam nationem seu integram plebem, nisi filios Israel. Decuit enim populum illum, de quo voluit Deus incarnari, speciali gratia decorari. Porro per nationem seu integram plebem, intelligo populum patriæ cujuslibet universum. Sic enim Moyses loquitur in Deuteronomio, dicens quod filii Israel erant omnibus populis pauciores.

Ps. CXLVII, 20. *Deut.* VII, 6, 8. II *Reg.* VII, 23, 24. *Deut.* VII, 7.

Idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. Loquitur Propheta de toto populo Israel, id est de præteritis et tempore suo præsentibus, quasi de eisdem numero. Sed ad diversos necesse est verba ejus referri, quoniam sensus est : Quia vos præ ceteris cognovi, elegi, et beneficiis decoravi, ideo propter ingratitudinem vestram gravius vos affligam, et omnia peccata vestra ulciscar, tradendo vos Assyriis atque Chaldæis. Cui enim plus datum est, plus requiretur ab eo. Servus quoque sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis, teste Christo in Evangelio. Certum est autem, quod Dominus non tantum cognovit hoc modo eos quibus locutus est Amos. Et illos quos Deus tam specialiter elegit ac novit, non tam graviter castigavit, nec hostibus tradidit. Quæritur ergo, quomodo de istis injustis Dominus dixerit, Visitabo super vos omnes iniquitates vestras : quum supra in Osee locutus sit, Non visitabo super filias vestras, quum fuerint fornicatæ. Et per Ezechielem de populo isto testatur : Zelus meus recessit a te, non irascar tibi amplius.

Luc. XII, 48, 47. *Osee* IV, 14. *Ezech.* XVI, 42.

Et respondendum, quod visitatio Dei est duplex, videlicet consolationis et punitionis. Visitatio autem punitionis est duplex, videlicet paternæ correctionis (de qua legitur : Quem diligit Dominus, corripit ; flagellat autem omnem filium quem recipit), et judicialis damnationis atque pœnalis derelictionis, quæ frequenter incipit in præsenti, et perpetuatur in futuro. Et de ista potest intelligi quod ait nunc Dominus, Visitabo super vos. Multos namque filiorum Israel, maxime decem tribuum, tradidit hostibus, et nihilo minus reliquit eos in idololatria ceterisque indurari peccatis, sicque æternaliter eos damnavit. In Ezechiele vero et Osee loquitur Dominus de visitatione primo modo accepta. De talibus enim reprobis, qui non visitantur a Deo per virgam paternam, ipse ait in Psalmo : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. — Verumtamen verba Dei hic posita, possunt accipi de visitatione paternæ correptionis in præsenti, ut sit sensus : Quia vos præ ceteris cognovi, dilexi, elegi ; ideo non parcam vobis in præsenti, sed omnia vitia vestra nunc vindicabo, ut cessetis a malo. Ego enim quos amo, arguo et castigo. Nam ad hoc tradidit eos Dominus hostibus, ut qui per divina beneficia non corrigebantur, per humanæ crudelitatis emendarentur tormenta. Hinc secundo Machabæorum libro habetur : Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Rursusque : Non sicut in aliis nationibus, patienter Dominus exspectat, ut eas, quum judicii dies venerit, in plenitudine peccatorum puniat ; ita et in nobis statuit, ut

Prov. III, 12. *Hebr.* XII, 6. *Ps.* LXXX, 13. *Apoc.* III, 19. II *Mach.* VI, 13. *Ibid.* 14-16.

peccatis nostris in finem devolutis, ita de- A
mum in nos vindicet. Propter quod nun-
quam quidem a nobis misericordiam su-
am amovet; corripiens vero, in adversis
populum suum non derelinquit.

Consequenter inducit Amos sex exem-
pla, ad ostendendum quod ultio populi a
Deo illata, et per Prophetas annuntiata, sit
justa : quatenus sicut exempla illa non
fiunt, nisi certa causa exstiterit, ita non
erit tribulatio, nisi per divinam justitiam
rationabiliter inducatur seu dispensetur.
3 — Primum exemplum est : *Numquid am-* B
bulabunt duo pariter, nisi convenerit eis,
id est, nisi ex consensu vel rationabili
causa, aut ex amicitia? quasi dicat, Non.
Hoc communiter verum est; interdum ta-
men contingit, quod alius cogat alium ad
proficiscendum secum. Sed Propheta lo-
quitur secundum communem cursum. Per
hanc autem convenientiam duorum simul
euntium, mystice designatur concordia Dei
et Prophetæ ex Dei ore loquentis.

4 Secundum exemplum est : *Numquid ru-*
giet leo in saltu, id est inter arbores sil- C
vestres, *nisi habuerit prædam,* id est, nisi
quum viderit aut adeptus fuerit animal
quo vescatur? Quum enim patitur famem,
mox ut viderit bestiam, dat rugitum : quo
audito, territa bestia figit gradum, et ca-
pitur. Mystice, per rugitum leonis potest
Apoc. v, 5. intelligi comminatio Christi (qui est leo de
tribu Juda) per Prophetam : ad quam com-
minationem sequitur impiorum punitio,
quemadmodum ad rugitum leonis prædæ
voratio. Quidam tamen per leonem intelli-
I Petr. v, 8. gunt dæmonem, qui tanquam leo rugiens D
circuit quærens quem devoret, semperque
sitit animarum damnationem, et rugit ut
eas deglutiat. — Tertium exemplum est,
et redit in idem cum secundo : *Numquid*
dabit catulus leonis vocem de cubili suo,
id est de antro quo latitat, *nisi aliquid ap-*
prehenderit, id est, nisi prædam cernat
aut ceperit? quasi dicat, Non. Catulus iste
potest intelligi vel Christus Filius Dei Pa-
tris, vel potestas adversa, sicut de leone
jam dictum est.

Quartum exemplum est : *Numquid ca-* 5
det avis in laqueum terræ, id est in rete
super terram expansum, *absque aucupe,* id
est sine artificio aucupis, qui fallit capit-
que volucres? Quidam aucupem accipiunt
dæmonem, qui habentes alas virtutum et
contemplationis interdum illaqueat, fallit,
et ad peccati inducit ruinam. Alii autem
per aucupem intelligunt Deum, qui impios
comprehendit in laqueo pœnæ, juxta illud
in Psalmo : Pluit super peccatores laqueos. Ps. x, 7.
Aliquando autem homines cadunt in la-
queum culpæ propria inclinatione aut pra-
vitate. Nam ut Origenes testatur, quamvis
non essent diaboli, adhuc homines concu-
piscentiis pulsarentur. Dæmones tamen
frequenter se miscent. — Quintum exem-
plum est : *Numquid auferetur laqueus de*
terra, antequam quid ceperit? id est, rete
ad capiendum aves expansum, non tollitur
nisi aliquid comprehendat. Hoc communi-
ter ita est. Per quod designatur, quod Deus
non frustra aliquid inchoat, nec laqueos
tormentorum impiis præparatos aufert,
sed in eos projicit impœnitentes. Dæmon
quoque non tollit laqueos tentationum, ni-
si ceperit aut vicerit aliquem. — Sextum
exemplum est : *Si clanget tuba in civita-* 6
te, et populus non expavescet? id est, tuba
non clanget in urbibus, adversariorum ad-
ventum insinuans, quin cives trepidabunt.
Per quod designatur, quod in domo Eccle-
siæ constituti, terreri debent audita voce
sacræ Scripturæ, vel denuntiationis pro-
pheticæ, quæ significatur per tubam.

Hæc omnia introducta sunt ad signifi-
candum quam rationabile sit quod infer-
tur : *Si erit malum in civitate,* id est,
malum pœnæ seu justa punitio non erit
in populo, *quod Dominus non fecit,* id
est, non induxit, seu fieri ordinaverit aut
permiserit in culpæ vindictam, aut aliam
rationabilem causam, quatenus inordinatio
culpæ ordinetur per inflictionem pœnæ?
Quod fit, dum peccator qui propriam vo-
luntatem contra Dei justitiam secutus est,
cogitur per justitiam Dei sustinere quæ
propria abhorret voluntas. De hoc malo

Is. xlv, 6,7. pœnæ Dominus ait apud Isaiam : Ego Dominus, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem et creans malum ; et Christus in Evangelio, Sufficit diei malitia sua. (Matth. vi, 34.) Est autem triplex malum, videlicet malum naturæ, ut monstruositas, malum culpæ, et malum pœnæ. Quibus aliqui addunt quartum malum, scilicet malum fortunæ, quod tamen ad malum pœnæ reducitur.

7 *Quia non faciet Dominus verbum,* id est factum notabile, necessarium vel utile sciri hominibus. Verbum autem frequenter pro re significata per verbum accipitur, quemadmodum Ezechias ait : Non fuit verbum in domo mea, quod non ostenderim eis. (Is. xxxix, 2, 4.) Quandoque vero accipitur pro interiori verbo seu conceptu mentali; aliquando autem pro verbo vocali. *Nisi revelaverit secretum suum,* id est factum tale, communi plebi incognitum, et naturaliter impræcognoscibile, qualia sunt futura contingentia, *ad servos suos Prophetas :* qui sunt amici Dei, ideo secreta sua revelat eis, tanquam familiaribus et amicis. Secundum Hieronymum, istud non est intelligendum de omnibus quæ Deus facit in cœlo, vel ante jam fecit, sed quæ in terra facturus est. Et puto quod maxime intelligatur de his quæ bonum communitatis concernunt. Sic enim mysteria Christi et Ecclesiæ, gestaque novi Testamenti prænuntiavit Vatibus veteris Testamenti. Processum quoque et statum militantis Ecclesiæ prænuntiavit Apostolis, præsertim Joanni in Apocalypsi. Tempore quoque legis naturæ revelavit Noe futurum diluvium, Abrahæ et Lot subversionem Sodomæ. (Gen. vi, 7; xviii, 20; xix, 13.) Jacob quoque in Genesi filiis suis ait : Congregamini, ut quæ ventura sunt in novissimis diebus, annuntiem vobis. (Ibid. xlix, 1.) Verum non singula singulis revelavit Prophetis, sed aliquibus plura, aliis pauciora. (I Cor. xii, 4.) Divisiones enim gratiarum sunt, idem autem Spiritus, secundum Apostolum. Porro in his patet clementia et providentia Dei. Ideo enim futura supplicia primo Prophetis, deinde per eos prænuntiat populo, ut emendetur, et ab imminentibus eripiatur tormentis. In quo ostenditur Deus habere providentiam actuum humanorum, et omnia remunerare.

Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? 8
id est, si ad rugitum leonis homines et jumenta concutiuntur timore, multo amplius Deo jubente Vatibus ut prophetent, dignum est ut obediant. Itaque, Dominus Deus locutus est, id est, Prophetis annuntiavit occulta, et jussit ut ea patefaciant populo : quis eorum quibus Deus taliter est locutus, non prophetabit? id est, justum omnino est ut prophetent. Secundum Glossam, Amos iste quoniam pastor fuit, (Amos i, 1.) solitus timere leonem, timorem omnipotentis Dei, leonis rugitui comparat.

Consequenter Deus volens universis judiciorum suorum contra Israel æquitatem ostendere, ait : *Auditum facite,* id est, ma- 9
nifestate, o Prophetæ, vel alii a Prophetis edocti, *in ædibus Azoti,* id est in domibus urbis Philistinorum sic dictæ, *et in ædibus terræ Ægypti ; et dicite : Congregamini,* id est, convenite, o Azotii atque Ægyptii, *super montes Samariæ.* Potest per Samariam intelligi ipsa metropolis decem tribuum, vel tota provincia montibus plena. *Et videte* a locis sublimibus *insanias multas,* id est vitia idololatriæ, aliaque irrationabilissima scelera, quæ naturalis ratio detestatur, *in medio ejus,* puta Samariæ ; videte quoque *et calumniam patientes,* id est pauperes et simplices quibus injuriantur potentes ac divites, *in penetralibus ejus,* id est secretioribus habitaculis Samariæ. *Et nescierunt* decem 10
tribus *facere rectum, dicit Dominus,* id est opera bona et justa, quoniam excæcavit eos sua malitia. Sed ista ignorantia juris, seu desiderata, non excusat. De talibus loquitur Jeremias : Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. (Jer. iv, 22.) *Thesaurizantes iniquitatem,* id est peccata peccatis adjicientes, et incessabiliter accumulantes, *et rapinam,* id est bona aliis violenter ablata, *in ædibus,* id est domibus *suis,* in quibus ista spoliata reponunt.

11 *Propterea hæc dicit Dominus Deus :*
Tribulabitur et circuietur terra, id est,
plebs decem tribuum ab Assyriis afflige-
IV *Reg.* XVII, 3-6. tur et circumdata erit. Quod factum est
tempore Salmanasar regis Assyriorum. *Et*
detrahetur ex te fortitudo tua, id est re-
gia dignitas seu potestas; vel, potentes tui,
o decem tribus, superabuntur ; *et diri-*
pientur ædes tuæ, id est, habitacula tua
spoliabuntur ac destruentur.
Quoniam tamen non omnes de decem
tribubus perituri erant, subjungitur (uti-
tur quoque Amos parabola sumpta ex suo
12 officio) : *Hæc dicit Dominus : Quomodo*
si eruat pastor de ore leonis duo crura
aut extremum auriculæ, id est parvas pau-
casque reliquias; *sic eruentur filii Israel*
qui habitant in Samaria, id est provincia
illa, ita quod pauci eorum evadent sævi-
tiam Assyriorum, *in plaga lectuli et in*
Damasci grabato : id est, isti qui corpora-
liter habitabant in Samaria, habitabant, id
est animo quiescebant, in plaga, id est re-
gione, lectuli, id est regis ac populi Sy-
riæ : quia Phacee rex Israel et populus
ejus vel etiam posteri, in Rasin rege Syriæ
Ibid. XVI, 5. et populo ejus confidebant, quos condux-
erunt ad pugnandum contra Juda tempore
Achaz; sicque in eis et in grabato Dama-
sci, id est populo urbis illius, quasi in le-
cto quiescebant, magnam in illis habendo
fiduciam. Sic exponit Hieronymus. Alii au-
tem exponunt sic : In plaga lectuli, id est,
prædicti ab Assyriis eruentur, et morabun-
tur seu erunt, postquam evaserunt, in re-
gione Juda, quæ dicitur lectulus propter
templum situm in ea, quod erat quasi le-
ctus Sponsi cœlestis. Unde secundo Parali-
II *Par.* XXX, 11. pomenon scriptum est, quod quidam eo-
rum ad exhortationem Ezechiæ venerunt
Jerusalem et ad cultum Dei conversi sunt.
Aliqui vero ad Damascum fugerunt, ut di-

A cunt : ideoque subjungitur, In Damasci
grabato.
Audite, o Prophetæ, revelationes pro- 13
phetales auribus cordis, *et contestamini,*
id est, cum attestatione seu firmiter præ-
dicate eas, *in domo Jacob,* id est familia
decem tribuum descendentium de semine
Jacob, *dicit Dominus Deus exercituum.*
Quia in die quum visitare cœpero præva- 14
ricationes Israel super eum, id est, quum
per regem Assyriorum Salmanasar cœpero
peccata decem tribuum vindicare in eas,
B *visitabo super altaria Bethel,* id est, sacri-
lega altaria facta in urbe nomine Bethel, III *Reg.* XII, 32.
destruam per Assyrios; *et amputabuntur*
cornua altaris principalis aurei vituli, qui
positus fuit in Bethel, *et cadent in terram:*
Assyrii namque omnia loca et fana idolo-
latriæ decem tribuum destruxerunt. *Et* 15
percutiam domum hiemalem cum domo
æstiva, id est, omnes domos earum, tam
illas in quibus manebant tempore hiemali
seu frigido, quam illas in quibus æstivo
tempore morabantur, per exercitum Assy-
C riorum demoliar. Quamvis enim Assyrii
ista fecerunt mala intentione et cum gravi
peccato, Deus tamen juste induxit eos ad
hæc, tanquam ad rem bonam seu justam
punitionem. Potentes autem et divites de-
cem tribuum, duas domos habebant : unam
hiemalem, respicientem ad austrum, unde
calidus ventus exsurgit; aliam æstivalem,
versam ad aquilonem, unde frigidus na-
scitur ventus : ut secundum varietatem
temporum, apta ac delectabilia habitacu-
la inhabitarent. *Et peribunt domus ebur-*
D *neæ :* qualem legitur Achab ædificasse. *Ibid.* XXII, 39.
Dicuntur autem eburneæ, quoniam quæ-
dam structuræ de ebore factæ, erant in
eis. *Et dissipabuntur ædes multæ, dicit*
Dominus. Assyrii enim plurimas domos
subverterunt.

ARTICULUS VI

EXPLANATIO MORALIS EJUSDEM CAPITULI TERTII.

QUOD in principio hujus capituli ad A
populum Israel dicitur, ad Ecclesiam
1 Christi refertur, ut sit sensus : *Audite* au-
ribus cordis et corporis, *verbum quod lo-
cutus est Dominus super vos, filii Israel,*
id est, filii Ecclesiæ, seu plebs christiana,
quæ Deum fide videndo es Israel (qui in-
terpretatur, videns Deum), *super omnem
cognationem quam eduxi de terra Ægy-
pti,* id est super omnem Ecclesiam, quam
eduxi de conversatione mundana et præ-
Coloss. I, 13. senti sæculo nequam, transferens eam in
regnum Filii dilectionis meæ, id est in B
mysticam unitatem credentium per fidem
2 et caritatem. *Tantummodo vos cognovi ex
omnibus cognationibus terræ :* id est, post-
quam prædicata est fides christiana et pu-
blicata, solos Christianos cognovi et nosco
per approbationem. De qua cognitione di-
I Cor. VIII, 3. cit Apostolus : Si quis diligit Deum, hic
Ibid. XIV, 38. cognitus est ab eo; et rursus, Si quis igno-
rat, ignorabitur. Interim enim nullus ex-
tra Ecclesiam est salvatus, nec potest sal-
Gen. VII, 23. vari, sicut nec extra arcam Noe quisquam
ab aquis diluvii exstitit præservatus. Pro- C
Marc. XVI, 16. pter quod ait Salvator : Qui crediderit et
baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non
crediderit, condemnabitur. *Idcirco visita-
bo super vos omnes iniquitates vestras,* id
est, in præsenti vos castigabo, ne æterna-
liter pereatis. De hoc in præcedentibus
Job V, 17. dicta sunt multa. Beatus enim homo qui
corripitur a Domino. Et Apostolus dicit :
Hebr. XII, 8. Si extra disciplinam estis, ergo adulteri et
non filii estis.

3 *Numquid ambulabunt duo pariter, nisi
convenerit eis?* Sic duo non possunt simul D
conversari in schola Christi, vel ambula-
re in via virtutum, et de bono in melius
efficaciter proficiendo, nisi motus passio-
num, iram, contentionem, impatientiam-
que abjiciant, et pari proposito honestaque
amicitia copulentur. Quod si ita fuerint
convenientes, seu concorditer consentien-
tes in desiderio proficiendi, poterunt om-
ni die fortissime progredi in semitis Dei,
se invicem exhortando, increpando, ædi-
ficando, et pro se invicem indesinenter
atque ferventer orando. Unde in Ecclesia-
stico legitur : Cum viro sancto assiduus *Eccli.*
esto, et quemcumque cognoveris obser- XXXVII, 15, 16.
vantem timorem Dei, cujus anima est se-
cundum animam tuam; et alibi, Omnis ho- *Ibid.* XIII, 20.
mo sibi simili sociabitur. Hæc est salubris
societas : siquidem væ soli; et frater adju- *Eccle.* IV, 10.
vans fratrem, quasi urbs munita, juxta Sa- *Prov.* XVIII, 19.
lomonem.

Auditum facite in ædibus Azoti et in 9
ædibus terræ Ægypti, id est, infidelibus
annuntiate; *et dicite : Congregamini su-
per montes Samariæ,* id est Ecclesiæ, quæ
se dicit custodire præcepta justitiæ. Sama-
ria enim interpretatur custoditio. *Et videte
insanias multas in medio ejus,* id est, pec-
cata Christianorum perpendite, ut quum
videritis eos ab adversariis fidei superari,
vel divinitus castigari, non blasphemetis
nomen Christi, quasi non possit Ecclesiam
suam tueri, nec vestræ potestati aut diis
vestris attribuatis victoriam qua prævale-
tis fidelibus; sed justum Dei judicium con-
siderate, qui propter peccata Christiano-
rum, tradit eosdem adversariis suis, ac
aliis plagis corripit eos. Qui *nescierunt* 10
facere rectum. Quibus et a Jeremia dici-
tur : Si mutare potest Æthiops pellem su- *Jer.* XIII, 23.
am, et pardus varietates suas : et vos pote-
ritis benefacere, quum didiceritis malum.
Isti enim non habent scientiam illam quæ
est unum de septem donis Spiritus Sancti, *Is.* XI, 2.

Sap. x, 10. de qua ait Scriptura : Dedit illi scientiam A
Sanctorum. *Thesaurizantes iniquitatem et*
rapinam in ædibus suis. Quibus dicitur a
Jacob. v, 3. Jacobo : Thesaurizastis vobis iram in die
Rom. ii, 4, 5. judicii. Et ad Romanos Apostolus : Igno-
ras quoniam benignitas Dei ad pœniten-
tiam te adducit? An divitias bonitatis et
patientiæ et longanimitatis Dei contemnis?
Secundum duritiam autem tuam et impœ-
nitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in
die iræ et revelationis justi judicii Dei.
Tales sunt habituati et indurati in vitiis :
qui non ex passione, sed animi delibera- B
11 tione et habitu peccant. Horum terra, id
est corpora, tribulabuntur in igne æterno,
et a dæmonibus circumdabuntur. Fortitu-
I *Mach.* ii, 62, 63. do quoque eorum penitus detrahetur. Quo-
niam gloria impii, stercus et vermis : ho-
die extollitur, et cras non invenitur.
12 *Quomodo si eruat pastor de ore leonis*
duo crura, etc., id est, quamvis leo ille
I *Petr.* v, 8. sævissimus, qui est diabolus, multos fide-
Job xl, 18. lium devoret, absorbens fluvium nec ad-
Matth. xx, 16. mirans; aliqui tamen, puta electi, qui pau-
ci sunt, dentes ejus evadunt per gratiam C
Joann. x, 11, 14. Christi summi pastoris, et per instructi-
onem ac bonam præsidentiam prælato-
rum. Potest hoc quoque referri ad Judæos
conversos ad Christum, qui aliis plurimis
pereuntibus, atque a dæmonibus per infi-
delitatem devoratis, erepti sunt. De quibus
Rom. xi, 5. dicit Apostolus : Reliquiæ per electionem
Is. i, 9. gratiæ salvæ factæ sunt; et Isaias, Nisi Do-
minus Sabaoth reliquisset nobis semen,
quasi Sodoma essemus.
13 *Contestamini,* id est prædicate, o docto-
res et pastores Ecclesiæ, *in domo Jacob,* id D
est in populo vitiis reluctante, qui sunt

spiritualiter filii Jacob, qui interpretatur *Gen.* xxv, 25.
supplantans. *Quia quum visitare cœpero* 14
prævaricationes Israel, id est peccata Ec-
clesiæ castigare. Tempus enim est ut ju- I *Petr.* iv, 17.
dicium incipiat a domo Dei. Et per Eze-
chielem loquitur Dominus : A sanctuario *Ezech.* ix, 6.
meo incipite percutere. *Visitabo super al-*
taria Bethel, id est schismaticorum ac hæ-
reticorum, qui se præ ceteris jactant es-
se in domo Dei, vel domum ipsius. Bethel
autem interpretatur domus Dei. *Et percu-* 15
tiam domum hiemalem, id est congrega-
tionem eorum in quibus refriguit calor *Matth.* xxiv, 12.
sanctæ dilectionis et ignis Spiritus Sancti :
in quibus est frigus constringens, id est
peccatum mentem indurans, et lapideam
faciens, ne capax sit gratiæ Dei et compun-
ctionis internæ; *cum domo æstiva,* id est
cum illis in quibus est ignis concupiscen-
tiæ, calor iræ ac vitiorum. *Et peribunt do-*
mus eburneæ, id est collectio eorum qui a
foris virtuosi videntur ac splendidi, intus *Ibid.* xxiii, 27.
autem sunt pleni sordibus culpæ; et item
omnes vani, curiosi, et sæculariter adorna-
ti, quærentes placere mundo magis quam
Deo. Quales fuerunt, de quibus scriptum
est in Luca : Vos estis qui justificatis vos *Luc.* xvi, 15.
coram hominibus; Deus autem novit cor-
da vestra : quia quod altum est homini-
bus, abominatio est ante Deum. Et Psal-
mista : Deus dissipavit ossa eorum qui *Ps.* lii, 6.
hominibus placent. *Et dissipabuntur ædes*
multæ : id est, multi eorum qui ad tem-
pus sunt templum Spiritus Sancti, quando
in caritate consistunt, a dæmonibus supe-
rantur, destruuntur, et omne spirituale
esse gratiæ gratum facientis amittunt, ita
quod nil reputantur a Deo.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUARTI : AUDITE VERBUM HOC, VACCÆ PINGUES.

PRÆTEREA plenius describitur in præ- A senti capitulo decem tribuum dira ca-
1 ptivitas, atque horrenda punitio. *Audite verbum hoc* quod subditur, id est prænuntiationem calamitatis vestræ, ut territi pœniteatis, *vaccæ pingues,* id est, majores et potentiores ac ditiores in decem tribubus, qui recte vocamini vaccæ pingues : primo, quia jam immolandi estis Assyriis, ut mactemini; secundo, quoniam vitulos aureos adoratis, sicque imple-
Ps. cxiii, 8, sec. Hebr. tur in vobis quod dicitur a David, Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui B confidunt in eis; tertio, quia per modum vaccarum, carnalem quietem et delectationes gulæ diligitis. De talibus vaccis cecinit Moyses in Deuteronomii cantico :
Deut. xxxii, 15. Incrassatus est dilectus et recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum. *Quæ estis in monte Samariæ,* id est, in regione Samariæ montuosa habitatis. Vel hoc dicitur, quoniam
Osee v, 1. in montibus certis, insidiabantur his qui pergebant Jerusalem ad adorandum immolandumque Domino. *Quæ calumniam fa-* C *citis egenis,* verbis et factis injuriando, *et confringitis pauperes,* eos lædendo, spoliando, occidendo, aut aliis modis persequendo; vel etiam spiritualiter illos conteritis, avertendo eos a cultu Dei. Talia quoque peccata erant in regno Juda, juxta
Is. iii, 15. illud Isaiæ : Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? *Quæ dicitis dominis vestris,* id est regibus vel primis principibus regis vestri : *Afferte,* id est, date nobis licentiam afferendi seu spoliandi inferiores. Vel, Afferte, id est, D date nobis de prædis, a subditis injuste sublatis : quia et reges ac judices Israel a subjectis multa extorquebant. *Et bibemus,* id est, spolia illa hilariter consumemus, et vina de pretio illorum potabimus. Solent enim hujusmodi oppressores pauperum, prædas cum ingenti delectatione consumere : quia et aquæ furtivæ dulciores sunt, Prov. ix, 17.
et panis absconditus suavior.

Quidam per vaccas pingues intelligunt uxores potentium, quæ calumniabantur egenos, quia viros suos induxerunt ad hoc. Dicebantque viris suis, id est maritis : Afferte, et bibemus.

Juravit Dominus Deus in sancto suo, id 2
est in se ipso et per se ipsum : non enim habet, per quem juret, majorem. Vel, In Hebr. vi, 13.
sancto suo, id est per me prophetam suum; vel in aliquo alio sancto homine et angelo, sicut habetur in Psalmo : Deus lo- Ps. lix, 8.
cutus est in sancto suo. Frequenter legitur Deus jurasse, quum tamen omnis simplex sermo ejus pro juramento habendus sit. Sed propter hominum tarditatem, certificationem, seu excitationem, jurare dignatur, quatenus insinuetur immobiliter verum esse quod ait. *Quia ecce dies venient super vos,* id est, tempus captivitatis et afflictionis vestræ ab Assyriis nunc instat; *et levabunt vos in contis,* id est, Assyrii in captivitatem vos deferent, sicut carnes pinguium vaccarum portantur in vectibus, vel negotia ponderosa in tenellis, *et reliquias vestras,* id est residuos, ad urbes, castra, seu latibula fugientes, levabunt *in ollis ferventibus,* id est in prædictis locis, in quibus quasi in ollis absconditi fuerint, concremabunt, loca talia incendendo : quæ incensa, similia erunt ollis ignitis seu bullientibus.

Et per aperturas exibitis, id est, de ta- 3
libus locis fugietis; vel, extrahemini per quædam foramina, quæ facietis in muris

sive maceriis; vel, Per aperturas, seu vias A jam factas; *altera contra alteram,* id est, una vacca pinguis ex una parte, et alia ex parte opposita; vel, una contra aliam, id est mutuo ac vicissim. Ut enim Hieronymus dicit, idiomatis Hebræorum est, ut quod nos dicimus Mutuo, vel Vicissim, ipsi dicant Altera contra alteram. *Et projiciemini,* id est, captivi ducemini, *in Armon,* id est in Armeniam, secundum Hieronymum. Unde Symmachus transtulit, In Armeniam. Secundum Glossam, Armon est regio ultra montes Medorum atque Persa- B rum, vel ultra terram Assyriorum, ut alii dicunt. Patet ergo, quod usque ad illud territorium translati fuerunt nonnulli de populo decem tribuum.

Consequenter ironice vel prænuntiative, non exhortative, ait Propheta ad decem
4 tribus : *Venite ad Bethel* civitatem, in
III *Reg.* XII, 29. qua fuit unus de aureis vitulis, *et impie agite,* id est, in Deum peccate, vitulum adorando. Venite quoque *ad Galgalam :* in qua, quasi in celebri loco, idololatria exercebatur. Unde in Osee prædictum est : C
Osee IX, 15. Omnis nequitia eorum in Galgalis. *Et multiplicate prævaricationem,* id est idololatriam vitiaque annexa. *Et offerte mane victimas vestras,* id est, sine dilatione sacrilegas hostias idolis immolate, quousque capiamini, *tribus diebus decimas vestras.* Symmachus transtulit, Tertia die. Unde sensus est, secundum Glossam : Quod prima die obtulistis, reservate in tertium diem, ut sit immundum. Ut enim Hieronymus ait, erant quædam sacrificia, de quibus
Lev. VII, 15-18. nil licuit reservari in alterum diem. Et si D quid reservabatur, immundum erat tam reservatum quam ipsa oblatio. Fuerunt et alia sacrificia, de quibus si usque in tertium diem aliquid reservabatur, fuit immundum : quod est immundas hostias immolare. Alii autem exponunt, dicentes quod sicut in lege præceptum fuit, ut Ju-
Exod. XXIII, 17. dæi ter in anno comparerent coram Domino in loco electo, videlicet in templo Jerusalem; sic Jeroboam primus rex decem tribuum, statuit aliqua divino cultui similia in veneratione idolorum suorum, III *Reg.* XII, 32. quorum hoc exstitit unum, quod tribus diebus in anno offerebant solennes hostias
idolis. *Et sacrificate de fermentato lau-* 5
dem, id est, panem mixtum fermento offerte idolis pro gratiarum actione, quemadmodum gentiles. Lex autem prohibuit *Lev.* II, 11. talem panem Deo offerri. *Et vocate voluntarias oblationes,* id est, hujusmodi sacrificia nominate hostias spontaneas : sicut in lege quædam oblationes dictæ sunt spontaneæ, quas quis offerebat ultroneus, *Num.* XXIX, 39; *Deut.* XVI, 10. quod ad lætitiam et supererogationem pertinuit. *Et annuntiate,* id est, peccata vestra aliis impudenter prædicate, ut agant similia, ut non solum fecisse, sed et alios videamini docuisse, sicut de duabus tribubus apud Isaiam legitur : Peccatum suum *Is.* III, 9. sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.

Sic enim voluistis, filii Israel, id est, hæc mala facere voluistis, et ex proposito hæc egistis : ideo locutus sum vobis ista ironice, ad insinuandum quod ista mala agendo, vobis ipsis summe nocebitis. Juxta quem modum habetur in Psalmo : Domi- *Ps.* XCVIII, 1. nus regnavit, irascantur populi; in Apocalypsi quoque, Qui in sordibus est, sorde- *Apoc.* XXII, 11. scat adhuc.

Unde, id est propter quæ peccata, *et* 6
ego Deus, justus et pius judex, *dedi vobis* *Ps.* VII, 12. *stuporem dentium,* id est dentes stupidos ex magnitudine famis, *in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris,* id est, fame afflixi vos. Quod enim maxima fames fuit in terra Israel III *Reg.* XVIII, 2; IV *Reg.* IV, 38; VI, 25. tempore Eliæ et Achab, itemque tempore Elisei et Joram, innotescit in libris Regum. *Et non estis reversi ad me* per pœnitentiam, *dicit Dominus.* Tanquam dicat : Ego non ex crudelitate percussi vos fame, sed ut vexatio daret intellectum, et per *Is.* XXVIII, 19. flagella converteremini ad me, sed noluistis. Simile est illud quoque Isaiæ : Popu- *Ibid.* IX, 13. lus non est reversus ad percutientem se, et Dominum exercituum non exquisierunt. Et Jeremias ait : Percussisti eos, et non *Jer.* V, 3. doluerunt, renuerunt accipere disciplinam.

Deinde ponitur alia plaga, videlicet ar-
7 dor sitis. *Ego quoque prohibui a vobis*
imbrem, id est pluviam serotinam, causas
naturales atque cœlestes ab influxu plu-
viæ impediendo, *quum adhuc tres menses*
superessent, id est restarent, *usque ad mes-*
sem, videlicet Maius, Junius, Julius : quo
tempore pluvia ista maxime necessaria est
agris Terræ sanctæ et Palæstinæ. *Et plui*
super civitatem unam, quæ minus pecca-
vit, *et super civitatem alteram non plui.*
Pars una in agro *compluta est,* id est im-
bre perfusa; *et pars super quam non plui,*
aruit, ita quod herbæ non protulerunt
8 fructum ac triticum. *Et venerunt duæ et*
tres civitates, super quas non plui, in qui-
bus exsiccatæ fuerunt cisternæ, *ad civita-*
tem unam complutam, *ut biberent aquam*
civitatis complutæ, *et non sunt satiatæ,*
quia et modice plui super civitatem illam.
Ex quibus palam est, quod istud factum
non est lege naturæ, varietate temporum
aut siderum cursu, sed divino miraculo,
ut qui plus peccavit, gravius puniretur. *Et*
non redistis ad me per pœnitentiam, *dicit*
Dominus.

9 Tertia demum plaga annectitur. *Percus-*
si vos in vento urente, id est, in vento
immoderanter calido vos afflixi, et terræ
nascentia devastavi, *et in aurigine,* id est
Joel I, 4. ærugine : quæ a Joele dicta est rubigo,
scilicet vitium segetum, quando vento per-
cussæ, non faciunt grana multa. Quando-
que etiam aliter sumitur, ut dictum est
plenius super Joelem. In hac ergo percussi
multitudinem hortorum vestrorum et vi-
nearum vestrarum, quas cupide multipli-
castis, id est, poma et uvas destruxi. *Oli-*
veta vestra et ficeta vestra, id est fructus
arborum harum, *comedit eruca,* id est ta-
lis vermis seu bestiola quæ non avolat,
sed jacens in fructibus, totum consumit.
Et non redistis ad me, dicit Dominus, quia
omnia ista flagella ad vestram ordinavi
emendam.

10 Præterea quarta subjungitur plaga. *Misi*
in vos mortem in via Ægypti : id est, le-
gatos quos ad Ægyptios destinastis ad con-
A trahendum auxilium contra Assyrios, tra-
didi in manus Assyriorum, qui eos in via
hac occiderunt, sicut subjungitur. *Percus-*
si in gladio Assyriorum, *juvenes vestros*
ad Ægyptum transmissos, *usque ad captivi-*
tatem equorum vestrorum inclusive : quia
et equos juvenum occisorum ceperunt As-
syrii; *et ascendere feci putredinem castro-*
rum vestrorum, id est fœtorem cadaverum
horum juvenum, quæ insepulta relique-
runt Assyrii, *in nares vestras,* quando ad
vos delata fuerunt, vel accessistis ad ea.
B *Et non redistis ad me, dicit Dominus.*

Postremo subjungitur quintum flagel-
lum. *Subverti vos sicut subvertit Deus So-* 11
domam et Gomorrham : id est, tam horri-
biliter et districte punivi vos per Assyrios,
et item per plagas memoratas, per quas
et terræ nascentia demolitus sum, ita quod
vestra subversio comparatur quodammodo
subversioni Sodomæ et Gomorrhæ, habita-
torumque earum. Nam et scelera vestra
illorum criminibus erant similia. Loquitur
autem Dominus de se ipso quasi de alio,
C dum ait : Subverti vos sicut subvertit
Deus. Vel idcirco sic loquitur, ut insinuetur
pluralitas Personarum in Deo, dum Pater
de Deo Filio loquitur, vel econtra. Juxta
quem modum loquendi scriptum est in
Genesi : Dominus pluit super Sodomam et Gen. XIX,
Gomorrham sulfur et ignem a Domino. *Et* 24.
facti estis quasi torris raptus de incen-
dio : id est, similes facti estis ligno pro
majori parte combusto, ab igne extracto
ne totaliter combureretur, quoniam pauci
vestrum manus hostium evaserunt. Vel
D hoc ideo dicitur, quia Assyrii ædificia mul-
ta decem tribuum incenderunt, de quorum
incendio aliqui evaserunt. Videtur quoque
Propheta in hac plaga loqui de futuro per
modum præteriti. Licet enim circa tempo-
ra ejus cœperint Assyrii decem tribus op-
primere, finalis tamen subversio earum- IV Reg. XVII,
dem facta est tempore Osee ultimi regis 6.
Israel, quando defunctus est Amos ex do-
lore vulneris quod sibi inflixit filius Ama-
siæ sacerdotis idololatriæ, tempore Jero-
boam regis filii Joas. *Et non redistis ad*

me, dicit Dominus. De talibus tam incor- A
Is. i, 5. rigibilibus Dominus ait per Isaiam : In quo
percutiam vos ultra, addentes prævarica-
Jer. v, 3. tionem? Et item per Jeremiam : Indurave-
runt facies suas supra petram, et noluerunt
Eccle. vii, 14. reverti. Quem enim Deus despicit, nullus
corrigit. Et nisi Deus intus operetur, tan-
gat, afficiat, non sufficiunt extrinseca hor-
tamenta. Isti autem ob suam perversitatem
non meruerunt tangi medullitus, quia et
obicem posuerunt.

12 *Quapropter hæc faciam tibi, Israel,* id
est, inducam super te plagas descriptas, B
similes aut majores. *Postquam autem hæc
fecero tibi,* id est, prædictas plagas in-
duxero, *præparare in occursum Dei tui,
Israel.* Hoc tripliciter explanatur. Primo :
Præparare, id est, præpara te, in occursum
Dei tui, id est ad susceptionem gratiosi
adventus ejus in te : quia post captivita-
tem Israel ab Assyriis, quidam eorum ad
II *Par.* xxx, 11. Deum conversi sunt, et in Jerusalem ve-
nerunt sub Ezechia, ut dictum est. Huic
sensui consonat translatio Septuaginta in-
terpretum, quæ talis est : Præpara te, ut C
invoces Deum tuum, Israel. Secundo : Præ-
parare in occursum Dei tui, id est, Unige-
nitum Dei verum Deum, per incarnationis
mysterium in hunc mundum descenden-
tem, devote suscipe et adora. Hoc multi ex
decem tribubus impleverunt. Tertio expo-
nitur de conversione Israel in fine sæculi,
quia nec interim finitur eorum captivitas.
Unde Theodotion transtulit : Novissime
præparare, etc.

Porro ad hanc præparationem inducit
consideratio omnipotentiæ Dei. Propter D
13 quod subditur : *Quia ecce formans mon-*
Ps. lxiv, 7. *tes :* juxta illud in Psalmo, Præparans mon-
tes in virtute tua, accinctus potentia; *et
creans ventum :* secundum illud, Qui pro- *Ps.* cxxxiv, 7.
ducit ventos de thesauris suis. Sumitur
autem creatio hoc loco extense. *Et annun-
tians homini eloquium suum,* id est, ser-
mones occultos atque propheticos electis
revelans, prout jam dictum est : Non fa- *Amos* iii, 7.
ciet Dominus verbum, nisi revelaverit se-
cretum suum ad servos suos Prophetas.
Unde et David : Incerta, inquit, et occulta *Ps.* l, 8.
sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Eloqui- *Ps.* civ, 19.
um quoque Domini inflammavit Joseph.
Hinc per Jeremiam ait : Clama ad me, et *Jer.* xxxiii, 3.
annuntiabo tibi grandia et firma, quæ ne-
scis. *Faciens matutinam nebulam,* quæ
mane descendit, et operit terram. Omnes
enim impressiones meteorologicæ sunt a
Deo, tanquam a causa prima ac principali.
Et gradiens super excelsa terræ. Illic Do-
minus graditur, ubi operatur. Ipse autem
est extra omnia, et intra omnia, continens
universa, et operans omnia in omnibus. I *Cor.* xii, 6.
Ideo ambulat per operationem super ex-
celsa terræ, id est in montibus, quantum
ad litteram. Unde et alibi legitur : Circa *Job* xxii, 14.
cardines cœli perambulat; et, Qui ambu- *Ps.* ciii, 3.
lat super pennas ventorum ; et, Graditur *Job* ix, 8.
super fluctus maris. *Dominus Deus exerci-
tuum nomen ejus.* Ubi nos habemus, Exer-
cituum, in Hebræo dicitur, Sabaoth, pro
quo Septuaginta transtulerunt, Omnipo-
tens. Unde et hoc loco dixerunt : Dominus
Deus, Omnipotens nomen ejus. Utrumque
enim significat Sabaoth. Dicitur autem
Deus Dominus exercituum, id est cœle-
stium agminum, imo et omnium concio-
num, juxta illud Isaiæ : Ego Dominus, hoc *Is.* xlii, 8.
est nomen meum; et iterum : Dominus *Ibid.* xlviii, 2; liv, 5.
exercituum nomen ejus. Hinc in veteri
Testamento, præsertim in Zacharia, Deus *Zach.* i, 3, etc.
Dominus exercituum appellatur.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI QUARTI TROPOLOGICA.

1 DENIQUE vaccæ pingues in montibus A
Samariæ consistentes, quæ calumni-
antur egenos, confringunt pauperes, et vini
pocula quærunt a superioribus suis, rite
intelliguntur crudeles avarique principes
populi christiani; et item carnales pasto-
res seu prælati Ecclesiæ, qui pascunt se
ipsos, lac ovium manducantes, lanamque
induentes, gregem autem Domini non alen-
tes, sed cum crudelitate atque potentia
Ezech. præsidentes : de quibus in Ezechiele dif-
xxxiv, 2, 3 *et seq.* fuse loquitur Dominus. Isti nempe quum
sint ad divina pigri, corporalem quietem B
vitiose amantes, vitamque bestialem du-
centes in voluptatibus gulæ et luxuriæ,
merito vaccæ pingues dicuntur, quia etiam
Osee iv, 16. quasi vacca lasciviens declinant a lege di-
vina. De quorum singulis dici potest illud
Job xv, 26. in Job : Cucurrit impius adversus Deum
erecto collo, et pingui cervice armatus est.
2 *Juravit Dominus : quia ecce dies ve-
nient super vos, et levabunt vos* diaboli *in
contis,* id est in suis instrumentis afflicti-
vis, *et reliquias vestras,* id est corpora,
quæ moriendo reliquistis, vel imitatores C
ac posteros, *in ollis ferventibus,* id est
3 infernalibus foveis. *Et projiciemini* in die
judicii *in Armon :* per quod hoc loco in-
fernus inferior designatur. Ista fiunt re-
probis in die mortis, in die judicii, et in
die infernalis supplicii, quando de olla in
ollam transibunt per aperturas, quia de
Ibid. xxiv, 19. calore nimio ad aquas nivium pergent.
4 *Venite ad Bethel,* id est domum seu ec-
clesiam Dei, *et impie agite; ad Galgalam,*
id est Scripturarum revelationem (Galgala
enim revelatio interpretatur), *et multipli-* D
cate prævaricationem. Hoc ironice dicitur
contra fideles qui ecclesiam visitant et
sermones audiunt non ex devotione, sed
arida consuetudine, vel humano pudore,
aut carnali affectione, ut videant desidera-
bile oculorum suorum. Ideo in ecclesia et
prædicatione impie agunt, et transgressio-
nes multiplicant, effutitiones habendo, co-
gitationes quoque carnales, et evagationes
intimoratas, et coram Sacramento irreve-
renter adstando. — *Et sacrificate de fer-* 5
mentato laudem, id est, per opera vitiis
corrupta Deum honorate. Hoc agunt, qui
faciunt opus Dei negligenter, quorum in- *Jer.* xlviii, 10.
tentio sinistra, opera ex genere bona infi-
cit; quorum divisum est cor, et conversa- *Osee* x, 2.
tio prorsus immunda. Ideo monet Aposto-
lus : Expurgate vetus fermentum, ut sitis I *Cor.* v, 7.
nova conspersio. *Et vocate voluntarias
oblationes,* id est, ea quæ Deo offertis, mul-
tum reputate; et æstimate vos magnum
aliquid agere, quasi condigne honoretis
Deum, nec obligemini ad bona hujusmodi.
Totum istud ironice dicitur. Sunt enim
nonnulli, qui munera atque obsequia quæ
offerunt Deo, magnifice appretiantur, et
magnæ perfectionis esse se arbitrantur,
quasi qui divinis beneficiis vicem idoneam
præstent, non pensantes divinæ majesta-
tis infinitam dignitatem, divinorum bene-
ficiorum incomparabilem magnitudinem,
propriæ conditionis fragilitatem, et sui ob-
sequii imperfectionem. Contra quos ait
Salvator : Quum feceritis omnia quæ præ- *Luc.* xvii, 10.
cepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles
sumus; quod debuimus facere, fecimus.
Hinc primo Paralipomenon libro loquitur
David : Tua, Domine, sunt omnia; et quæ I *Par.* xxix, 14.
de manu tua accepimus, dedimus tibi. —
Et annuntiate aliis mala quæ facitis, ut
vos imitentur et laudent in vitiis : quo- *Ps.* x, 3, sec. Hebr.
niam laudatur peccator in desideriis ani-
mæ suæ. Hoc agunt prorsus corrupti in

Prov. II, 14. rationis judicio et affectu, qui gloriantur quum male fecerint : de quibus scriptum *Jer.* VI, 15; VIII, 12. est in Jeremia, Confusione non sunt confusi, et erubescere noluerunt. Sunt quoque aliqui religiosi, qui sæpe se jactant de sua audacia, rebellione atque victoria contra prælatos : quorum cæcitas et insania crassa est et magna valde.

6 *Unde et ego dedi vobis stuporem dentium* spiritualium, quibus cibus animæ masticatur atque in memoriæ ventrem projicitur : id est, robur idoneæ considerationis ac frequentis revolutionis Scripturarum sanctarum seu verborum cœlestium, tuli a vobis, *in cunctis urbibus,* id est congregationibus *vestris.* Tales nempe non gustant dulcedinem verbi Dei, nec deliciis *Ibid.* XXXI, 30. Scripturarum pinguescunt. Hoc modo stupescunt dentes eorum qui comedunt uvam *Deut.* XXXII, 32. acerbam : de qua legitur, Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. *Et indigentiam* *Ps.* LXXIX, 6. *panum,* id est panis sacramentalis, panis *Eccli.* XV, 3. lacrimarum, panis vitæ et intellectus, panis sanctæ actionis, dedi vobis *in omnibus locis vestris.* His equidem panibus merentur privari, qui pascuntur in vitiis, et delectantur rebus obscœnis : quia etsi corpus Christi accipiant, non tamen spiritualiter illud manducant. Ideoque non solum non aluntur, sed gravius vacuantur et infirmantur in anima. *Et non estis reversi ad me, dicit Dominus.* Interdum abstrahit Deus pia dispensatione etiam electis et bonis quosdam panum istorum, ne de gratia sibi data superbiant, vel per incautelam gravius ruant. Qui sentientes se pristina devotione, opulentia et alacritate privatos, mox ferventius recurrunt ad Deum; arbitrantes se illum graviter offendisse, tota intentione ad ejus pietatem confugiunt. Pristinam quoque panum spiritualium ubertatem pinguedinemque sortiti, de cetero humiliores manent et cautiores. Reprobi vero, de quibus nunc sermo, quanto spiritualibus panibus plus privantur, tanto minus ad Dominum convertuntur.

7 *Ego quoque prohibui a vobis imbrem,* id est, gratiam Spiritus Sancti vobis non A infudi, nec per unctionem vos docui, nec aquam sapientiæ salutaris (quæ in malevolam non ingreditur animam) vobis largitus sum. *Sap.* I, 4. De tali imbre seu pluvia ait Salvator : Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Joann.* IV, 13, 14. *Quum adhuc tres menses superessent usque ad messem,* id est, quando adhuc tempus erat contritionis, confessionis et satisfactionis, quibus ad maturam æternæ beatitudinis remunerationem pertingitur. Itaque tres menses, sunt præ- B dictæ tres partes pœnitentiæ. *Et plui,* id est, prædictum imbrem effudi, *super civitatem unam,* id est congregationem electorum atque bonorum non ponentium obicem gratiæ Dei; *et super civitatem alteram* reproborum et impœnitentium *non plui. Pars una,* id est una anima seu particularis Ecclesia, *compluta est,* id est cœlesti rore perfusa, et verbo doctrinæ efficaciter irrigata; *et pars super quam non plui,* id est anima dura seu malignantium ecclesia, *aruit,* tanquam arbor sterilis C stirpsque inutilis. Erit enim, teste Jeremia, sicut myricæ in deserto. *Jer.* XVII, 6. Hinc Christus ait in Joanne : Si quis in me non manserit, mittetur foras tanquam palmes, et arescet. *Joann.* XV, 6. Et pœnitens loquitur : Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum. *Ps.* CI, 5.

Et venerunt duæ et tres civitates, id est 8
illi super quos non plui, *ad civitatem unam* complutam, *ut biberent aquam,* id est, gratiæ et sapientiæ ejus participes fierent, verbumque Dei audirent, *et non sunt satiatæ.* Istud accipi potest de pœnitenti- D bus, qui non satiantur, vel quia non tantam gratiam et perfectionem consequuntur ut cupiunt, vel quia nihil gratiæ gratum facientis et donorum Spiritus Sancti participant, eo quod non vere pœniteant, et timore aut necessitate magis quam amore et voluntate hæc faciunt. Interdum quoque pluit Deus super unum, et non super alium, per nubes de quibus loquitur Isaias, Qui sunt isti qui ut nubes volant? *Is.* LX, 8. id est per prædicatores et viros divinos, qui verbo tonant, miraculis coruscant, pietate

obumbrant, doctrina fecundant : quando A videlicet aliquibus juste verbum Dei subtrahitur, quod aliis misericorditer annuntiatur, quemadmodum Dominus ait ad Ezechielem (*Ezech.* III, 26.) : Fili hominis, linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. Faciamus ergo quod Christus ait discipulis (*Luc.* X, 2.) : Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

9 *Percussi vos* permissive, o reprobi, *in vento urente,* id est ardore libidinis vel doctrina ventosa et corruptiva, *et in aurigine,* id est ira et invidia, quæ sanguinis ruborem variant in pallorem, et fructum seminis animæ, quod est verbum Dei (*Ibid.* VIII, 11.), corrumpunt. Percussi *multitudinem hortorum vestrorum et vinearum,* id est cordium, in quibus flores virtutum, gramina contemplationum, et botri fructuum Spiritus Sancti merito pullularent. Horum enim corda percutiuntur, dum a Deo relinquuntur, arescunt, vitiisque subduntur. *Oliveta vestra et ficeta,* id est opera misericordiæ et suavitatis internæ vel habitus virtuosos, ex quibus procedunt hujusmodi actus, quemadmodum fructus prodeunt ex arboribus, *comedit eruca,* id est mordax ac pungitiva invidia, quæ omnia vastat, si admittatur : non enim compati aut auxiliari permittit.

10 *Misi in vos mortem in via Ægypti :* id est, quum ambularetis in operibus carnis et sæculi, vita gratiæ vos privavi, vel corporaliter castigavi. *Percussi in gladio juvenes vestros.* Gladius spiritus est verbum Dei (*Ephes.* VI, 17.). Qui ergo in juventute ex auditu verborum Dei corrigitur, gladio salubriter verberatur. *Usque ad captivitatem equorum,* id est refrenationem lascivorum motuum corporis. Hæc quoque aliter accipi possunt, sed propter causam pertranseo.

11 *Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham,* id est, igne concupiscentiæ et sulfure fœtidissimæ voluptatis prorsus permisi vos perire, quantum ad spirituale esse gratiæ gratificantis, *et facti estis quasi torris raptus de incendio,* quantum ad hoc quod nondum pœnas tartarei ignis incidistis. *Et non redistis ad me :* in quo patet incorrigibilitas vestra. De talibus Dominus ait ad Jeremiam (*Jer.* VIII, 5.) : Quare aversus est populus iste aversione contentiosa?

Quia ecce formans montes, id est, an- 13
gelos sanctos in sublimitate naturæ et gratiæ atque in beatifica fruitione constituens. Vel, montes, id est Apostolos et imitatores eorum in arce virtutum reponens, quorum conversatio est in cœlis (*Philipp.* III, 20.); et B sicut exaltantur cœli a terra, ita exaltatur (*Is.* LV, 9.) nobilis angelica cœliformisque vita eorum, ab ignobili, confusa et injusta malorum Christianorum conversatione, de quibus dicitur, Recedentes a te, in terra scribentur (*Jer.* XVII, 13.). *Et creans ventum,* id est eos qui velocissime cuncta terrena transcendunt. *Faciens matutinam nebulam,* id est, symbolicarum revelationum obscuritate in primis mentem involvens, antequam ad anagogicæ contemplationis perveniat puritatem. Ita fit sæpe. Hæc ergo obscuritas, per C nebulam quæ mane operit terram, significatur. Non enim possibile est aliter nobis lucere divinum radium, nisi variis sensibilium formarum velaminibus circumtectum. *Et gradiens super excelsa terræ,* id est, in mentibus contemplativis atque theoricis ambulans, cum quibus esse, sunt deliciæ meæ (*Prov.* VIII, 31.). Ecce tanta est conventio, communio atque concordia Dei cum servulis suis devotis atque humilibus. Cum exsistentibus est, cum stantibus stat, cum habitantibus habitat, cum gradientibus gradi- D tur, cum ascendentibus et descendentibus ascendit atque descendit. Hinc ait ad Jacob in Genesi (*Gen.* XLVI, 4.) : Ego descendam tecum in Ægyptum. Et Jacob loquens de ipso (*Ibid.* XXXV, 3.) : Deus, inquit, qui socius fuit itineris mei. Dat enim suis virtutem ad omnia ista, eosque in cunctis gratiose deducit. Nec hoc solum, sed ipsi quoque sunt, manent, stant, ambulant, ascendunt atque descendunt in ipso, id est secundum voluntatem, et per gratiam ejus.

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : AUDITE VERBUM ISTUD, ETC.

HOC loco ostenditur irreparabilis de- A
1 cem tribuum vastitas. *Audite,* o de-
cem tribus, *verbum istud, quod ego* Amos
levo super vos, id est, ex magno affectu de
vobis annuntio, *planctum,* id est planctu-
osum seu lamentabile : quia cum fletu et
compassione vestram calamitatem prædico,
I *Reg.* xv, vosque deplango, quemadmodum Samuel
35; *Luc.* xix, 41. Saulem, et Christus civitatem Jerusalem.
Nec mirum, si Amos Israelita Israelem de-
plangat, quum Isaias futuram miseriam
Is. xiii. xxi; xv, xvi. seu captivitatem Babylonis et Moab tam
dire defleverit, ut patet in libro ipsius. B
Ibid. xxii, 4. Qui etiam duas tribus deplorans : Nolite,
inquit, incumbere ut consolemini me su-
per vastitate filiæ populi mei.
Deinde verba planctus ponuntur. *Domus*
Israel, id est familia decem tribuum, *ce-*
cidit per culpam et pœnam. Cecidit enim
per idololatriam aliaque peccata a pristina
gratia. Et per tribulationes, pressuras et
captivitates sibi illatas, a præhabita cor-
ruit prosperitate, præsertim a tempore Ha-
IV *Reg.* xiii, 7. zaelis regis Syriæ, qui contrivit quasi in
tritura areæ Israelem; et deinde ab Assy- C
riis. *Et non adjiciet ut resurgat* per pœ-
nitentiam a culpa ac idololatria, vel per
victoriam seu reditum a captivitate Assy-
riaca ad prosperitatem priorem. Tamen in
fine sæculi decem tribus convertentur.
2 *Virgo Israel,* id est, plebs Israelitica, quæ
virgo vocatur : primo, quia in Patriarchis
et Prophetis ac justis Deo exstitit despon-
sata, quamvis isti qui erant tempore Amos,
animi integritatem ac puritatem perdide-
rint, multipliciterque fornicarentur a Deo;
secundo, ad insinuandum puritatem natu- D
ræ secundum se consideratæ. Hinc et de
populo Babylonis scriptum est in Isaia :
Sede in pulvere, virgo filia Babylon. Et *Is.* xlvii, 1.
utroque modo ait Jeremias de populo Ju-
da : Quoniam contritione magna contrita *Jer.* xiv, 17.
est virgo filia populi mei. Itaque, Virgo
Israel *projecta est in terram suam,* id est,
in proprio territorio ab hostibus victa et
conculcata, vel ad peccata inducta; *non*
est qui suscitet eam, id est, ad pristinum
statum reducat, Deum precibus mitigando,
vel hostes Assyrios debellando. Quamvis
enim hic Amos et Prophetæ sibi contem-
poranei orarent pro populo isto, eumque
instruerent, noluerunt tamen se ad gra-
tiam habilitare, sed econtrario occiderunt
Prophetas. De talibus Dominus, ostendens
se inexorabilem, quantum ad aliquos, ait
ad Jeremiam : Non assumas laudem et *Ibid.* vii, 16;
orationem pro eis. Si steterint Moyses et xv, 1.
Samuel coram me, non est anima mea ad
populum istum.
Quia hæc dicit Dominus Deus : Urbs de 3
qua egrediebantur mille, relinquentur in
ea centum; et de qua egrediebantur cen-
tum, relinquentur in ea decem : id est, tan-
ta erit pressura decem tribuum, quod de-
cima pars eorum vix remanebit; *in domo*
Israel, id est in universo populo decem
tribuum, ita quod omnes civitates earum
tam graviter vastabuntur. Numeros autem
præfatos, videlicet mille, centum, decem,
non oportet præcise accipere, sed ad insi-
nuandum paucitatem evadentium, quem-
admodum dictum est supra : Quomodo *Amos* iii,
si eruat pastor duo crura aut extremum 12.
auriculæ de ore leonis, sic eruentur filii
Israel. Quidam autem dicunt hoc factum
in primo adventu Assyriorum, tempore IV *Reg.* xv,
Phul vel Theglathphalasar regum Assyrio- 19, 29.
rum, videlicet, quod tunc decima pars

Israel mansit. Sed in secundo ultimoque A
IV *Reg.* XVII, 6. adventu sub Salmanasar etiam decimatio
capta est, paucissimis tamen exceptis.
4 *Quia hæc dicit Dominus Deus domui*
Israel, id est plebi tribuum decem : *Quærite me* per veram pœnitentiam et perseverantiam sanctam, *et vivetis,* vita naturæ, evadendo manus hostiles, vita gratiæ
in præsenti, et vita gloriæ in futuro. Hinc
Ps. LXVIII, 33. fertur in Psalmo : Quærite Deum, et vivet
5 anima vestra. *Et nolite quærere Bethel,* id
III *Reg.* XII, 29. est vitulum aureum positum in oppido Bethel; *et in Galgalam,* id est in locum sic B
dictum, *nolite intrare,* ut ibi idola invocetis. Est autem Galgala, secundum Glossam, civitas in fine duarum decemque tribuum sita. *Et in Bersabee* urbem duarum tribuum, sitam in fine regni tribus Juda :
Judic. XX, 1; I *Reg.* III, 20; II *Reg.* III, 10, etc. unde frequenter legitur, A Dan usque Bersabee; *non transibitis,* id est, non transeatis propter idololatriam ibi exercendam,
IV *Reg.* XVII, 19. quia in aliquibus locis regni Juda jam
idololatria viguit. *Quia Galgala captiva ducetur,* id est, populus Galgalæ ab Assyriis capietur, *et Bethel inutilis erit,* id C
est, cives urbis illius et vitulus aureus non poterunt vos salvare : quia et urbs Bethel fuit devicta. De Bersabee autem nunc tacet, quoniam decem tribubus captis, non fuit destructa.
6 *Quærite Dominum,* ejus misericordiam,
auxilium et salutem jugiter invocando, *et vivite,* uniti fonti vitæ, *ne forte comburatur,* id est, igne tribulationis et captivitatis incendatur et consumatur, *ut ignis,* qui ardendo deficit, deficiente combustionis materia, *domus Joseph,* id est plebs D
decem tribuum, quæ significatur per Joseph, quasi per principaliorem inter Patriarchas a quibus decem tribus exortæ sunt. Joseph enim data sunt primogenita,
Gen. XXXV, 22. eo quod Ruben violasset torum patris sui,
I *Par.* V, 1. ut dicitur primo Paralipomenon libro. Vel
ideo nomine Joseph decem tribus significantur, quia Jeroboam filius Nabat, primus
III *Reg.* XI, 26. rex decem tribuum, erat de semine Joseph
per Ephraim. Unde Osee per Ephraim sæpe decem tribus, ut dictum est supra, expressit. *Et devorabit* ignis iste domum Joseph, *et non erit qui exstinguat Bethel,* id est, a præinducto igne eripiat urbem Bethel et vitulum ejus, nisi quæsieritis Dominum, quem qui quærit, invenit. His verbis *Luc.* XI, 10.
dedit Deus decem tribubus pœnitentiæ locum.

Deinde Propheta redarguit plebem hanc,
et maxime judices ejus. *Qui convertitis in* 7
absinthium judicium, id est, veritatem judicii ex sua natura dulcem ac delectabilem, sicut et omnes actus virtutis, convertitis in amaritudinem falsitatis, pauperum et innocentium judicia pervertendo : quod et illis amarissimum est. Est autem absinthius amarissima herba. *Et justitiam in terra relinquitis,* id est cultum divinum et Deum, qui est increata justitia; justitiam quoque commutativam, quæ in emptionibus venditionibusque consistit, et distributivam, quæ reddit unicuique quod suum
est. De talibus scriptum est in Isaia : Væ *Is.* V, 20.
qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes dulce in amarum, et amarum in dulce. Reliquistis ergo per idololatriam, increatam justitiam seu justum Deum, de quo subditur :

Facientem Arcturum et Orionem. Ar- 8
cturus, secundum Glossam, habet septem stellas, quem vocant aliqui Ursam majorem. Estque constellatio gyrans circa polum septentrionalem. Porro Orion, secundum Hieronymum, hieme oritur, et suo ortu tempestates signat ac excitat. Dicuntque aliqui, quod sit constellatio clara, partim in signo Tauri, et partim in signo Geminorum consistens. De horum expositione verborum pluribus scripsi super
illud Job : Qui facit Arcturum et Oriona et *Job* IX, 9.
Hyadas et interiora austri. Denique pro Orione, Symmachus transtulit, Stellas; Theodotion, Vesperum. Hebræus vero qui Hieronymum in divinis instruxit Scripturis, ut ipsemet refert Hieronymus, dixit verbum Hebraicum, pro quo positum est nomen Orionis, significare splendorem, sicque per Orionem generaliter intelligenda esse astra splendentia. Utitur autem Propheta nomi-

nibus a gentilibus institutis, magis quam Hebraicis, quoniam magis consueta intelligibilioraque erant. *Et convertentem in mane tenebras,* id est, post caliginem noctis facit auroram succedere, *et diem in noctem mutantem,* id est, diei facit succedere noctem, cujus ordinatione perse- *Ps.* CXVIII, 91. verat dies. Temporum enim dat tempora, ut allevet fastidium. Idcirco cantatur in Hymnis :

> Qui temperas rerum vices.

Et iterum :

> Lucis diurnæ tempora
> Successibus determinans.

Qui vocat aquas maris, id est, calore solis elevat eas in aere, et liquat ac excolat eas in dulcem humorem, *et effundit eas* guttatim *super faciem,* id est planitiem, *terræ.* *Ps.* CXXXIV, 7. Educit enim nubes ab extremo terræ. Qui *Ps.* CXLVI, 8. operit cœlum nubibus, et parat terræ plu- *Job* XXVI, 8. viam. De quo scriptum est in Job : Qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant *Jer.* LI, 16. pariter deorsum; et in Jeremia, Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cœlo. *Dominus nomen ejus :* quia nomen Domini competit ei soli per auctoritatem, et secundum perfectam rationem dominii : quoniam ipse solus propria potestate est universorum dominator liberrimus, ad quem omnis creatura refertur et comparatur sicut minister ad dominum, instrumentum ad artificem, subditus ad præsidem. Ideo *Is.* XLII, 8. ait per Isaiam : Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo.

9 *Qui subridet vastitatem super robustum,* id est, robustis juste subsannando seu irridendo, minatur pressuram seu punitionem, *et depopulationem super potentem affert,* id est, potentibus inducit direptionem, deprædationem seu destructionem : quod hic ad litteram dicitur de regno ac populo Israel, quibus vastitatem ab Assyriis per Prophetas minabatur, et per Assyrios intulit. Verum, ut alibi scriptum est, *Job* XXXVI, 5. Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens. Sed nunc de potentibus sua potentia abutentibus sermo est, quibus A Deus vastitatem minatur, in Sapientiæ libro dicens : Judicium durissimum in his *Sap.* VI, 6, 7. qui præsunt, fiet; potentes enim potenter tormenta patientur; et, Fortioribus fortior *Ibid.* 9. instat cruciatus. Itemque in Psalmo : Qui *Ps.* II, 4. habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Isaias quoque ait : Visi- *Is.* XXIV, 21. tabit Dominus super militiam cœli in excelso, et super reges terræ.

Odio habuerunt decem tribus *in porta* 10 *corripientem,* id est judices justos et Prophetas, qui in portis urbium delinquentes B reprehenderunt caritative ac juste; *et loquentem perfecte,* id est viros sapientes efficaciterque docentes, *abominati sunt.* Hoc faciunt homines protervi, arrogantes, incorrigibiles. Quod quam perversum sit, patet ex eo quod scriptum est in Proverbiorum libro : Viro qui dura cervice cor- *Prov.* XXIX, 1. ripientem contemnit, repentinus superveniet interitus. Et alio loco : Egestas et *Ibid.* XIII, 18. ignominia ei qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit increpationibus, glorificabitur. Hinc iterum ait : Argue sapien- *Ibid.* IX, 8, 9. C tem, et diliget te; doce justum, et festinabit accipere. Loquitur autem perfecte, qui facit quod docet, et verba distincte ac intelligibiliter profert.

Idcirco, pro eo quod diripiebatis paupe- 11 *rem,* id est, pauperes spoliastis, illos præcipue qui pergebant Jerusalem adorare in templo Deum verum, *et prædam electam tollebatis ab eo,* id est ea quæ meliora erant, et vobis magis placentia; *domos quadro lapide,* id est ex lapidibus politis, quadratis, sive marmoreis, *ædificabitis.* D De hoc habetur in Isaia : Sciet populus *Is.* IX, 9, 10. Ephraim et habitantes Samariam in magnitudine cordis, dicentes : Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. *Et non habitabitis in eis* diu, qui jam ab Assyriis capiemini. *Vineas amantissimas,* id est pulchras et vobis carissimas, *plantabitis, et non bibetis vinum earum,* id est capti ab hostibus, qui omnia bona vestra diripient, eo quod pauperes spoliastis.

Quia cognovi multa scelera vestra, id 12 est idololatriam et peccata annexa, *et for-*

tia peccata vestra, id est violentiam in A
egenos. Vel peccata dicuntur fortia, id est,
iram Dei graviter provocantia. Non ergo
propter idololatriam tantum vos punio, sed
ob alia quoque peccata. Vel peccata dicta
sunt fortia, quia ex vehementi passione
procedunt. Quidam enim toto impetu feruntur in malum. Denique cognitio interdum accipitur pro notitia approbationis,
sicque Deus dicitur non cognoscere malos
Osee VIII, 4. et mala, juxta illud in Osee : Principes exstiterunt, et non cognovi; et in Evangelio,
Matth. XXV, 12. Amen dico vobis, quia nescio vos. Sic-
I *Cor.* XIV, 38. que affirmat Apostolus : Si quis ignorat, ignorabitur. Interdum vero cognitio
sumitur pro quacumque scientia sive notitia : et sic, omnia nuda et aperta sunt
Hebr. IV, 13. oculis ejus. Atque hoc modo cognoscit
peccata nostra Deus infallibilis judex, jux-
Ps. LXVIII, 6. ta illud in Psalmo : Delicta mea a te non
sunt abscondita. Agnoscit autem Deus peccata et mala, seu privativa, non per ideam
propriam, sed per ideam, rationem seu
speciem virtutis ac boni oppositi. *Hostes
justi,* id est, vos principes et judices de- C
cem tribuum, hostes estis justi, id est justorum hominum vel justitiæ, *accipientes
munus,* id est dona pro subversione justitiæ et oppressione justorum. De talibus ait
Jer. VI, 13; VIII, 10. *Ps.* XXV, 10. Jeremias : A minori usque ad majorem
omnes avaritiæ student; et Psalmista, Dextera eorum repleta est muneribus. *Et pauperes in porta,* ubi fiebat determinatio
causarum, *opprimentes* injuste, excæcati
muneribus divitum. Solebant enim in veteri Testamento judices Israel sedere in
portis civitatum ad judicandum, ut inve- D
nirentur in promptu; et ne rustici ad judicium venientes, insolito civium terrerentur adspectu; et item, ne cives longius
tendere cogerentur.

13 *Ideo prudens in tempore illo tacebit,
quia tempus malum est.* Hoc tripliciter
elucidatur : Primo, quod pauperes in portis oppressi, injuriamque perpessi, si fuerint circumspecti, tacebunt, non murmurantes, accusantes aut reclamantes; quia
tempus malum est, id est, pro tempore
illo regnantes ac judicantes, injusti fuerunt, nec erat possibile ad æquum pervenire judicium, sicque utilius fuit silere
quam contradicere. Secundo, quod prudentes atque Prophetæ in tempore illo, quando
hostilis exercitus urbes jam cinxit, tacerent a populi increpatione, quia captivitas
inevitabiliter immineret. Tertio, quod tacerent propter incorrigibilitatem populi,
quia quanto plus increpabatur, tanto impatientior deteriorque fiebat : quia, ut Sapiens ait, Non amat pestilens eum qui se *Prov.* XV, 12.
B corripit; et, Qui erudit derisorem, ipse sibi *Ibid.* IX, 7.
injuriam facit. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est : Ubi non est auditus, non effundas sermonem. Tempus autem malum vo- *Eccli.* XXXII, 6.
catur, non in se, sed propter mala quæ
fiunt in eo. Unde et Jacob ait in Genesi : Dies peregrinationis meæ parvi et *Gen.* XLVII, 9.
mali.

Jam dixit Propheta, quod prudens in
tempore illo jam dicto tacebit. Ideo nunc
ante tempus captivitatis admonet eos. *Quærite bonum* virtutum, id est judicium at- 14
que justitiam, latriæ actus et misericordiæ
opera, *et non malum* vitiorum. Qui autem
ex proposito peccant, quærunt malum, quoniam quasi de industria perpetrant prava,
quemadmodum scriptum est in Psalmo :
Dixit injustus ut delinquat in semetipso. *Ps.* XXXV, 2.
Ut vivatis per gratiam, et mortem ab Assyriis imminentem evadatis. *Et erit Dominus
Deus exercituum vobiscum,* per gratiosam
inhabitationem et protectionem ab hostibus, *sicut dixistis* idola vestra esse vobiscum; vel, Sicut dixistis, id est, orastis ac
desiderastis. Simul enim coluerunt Deum
et idola decem tribus, saltem pro magna
parte, ut dictum est. Vel, Sicut dixistis, id
est, jactastis Deum esse vobiscum, eo quod
sitis de semine Abraham. Gloriabantur
enim de carnalis propagationis nobilitate,
non de morum ac fidei imitatione. Ergo
quia de Abraham descenderunt, putabant
se propter carnis originem defensandos a
Deo. Tales erant et Judæi quibus ait Salvator : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ *Joann.* VIII, 39.
facite. Et Præcursor ejus : Ne velitis dice- *Matth.* III, 9, 8.

re, Patrem habemus Abraham. Facite ergo A dignos fructus pœnitentiæ.

15 *Odite malum* culpæ in se et propter se. Peccator autem non est odiendus in se, et quantum ad naturam, sed quantum ad vitium. *Et diligite bonum* virtutum. Primo
Ps. xxxiii, 15; xxxvi, 27; I *Petr.* iii, 11. enim oportet a malo recedere per detestationem peccati, et deinde diligere ac agere bonum : quia a malo declinare, et facere bonum, sunt quasi duæ partes integrales justitiæ. *Et constituite in porta judicium,* id est judices justos; vel, justum judicium
Deut. xvi, 18. exercete in portis civitatum, quemadmodum in Deuteronomio Moyses jussit. *Si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Joseph,* id est residuo decem tribuum, quod nondum manus incidit hostium. Cur autem decem tribus per Joseph designentur, jam dictum est. Hoc quoque quod ait, Si forte, non dubitative, sed assertive legendum. Loquitur autem sic, non propter mutabilitatem aut ambiguitatem exsistentem in Deo, sed in hominibus. Dubium vero non est, quin Deus misereatur omnibus qui odiunt malum et diligunt bonum : quos tamen non semper a temporali eripit tribulatione seu captivitate, quia non expedit eorum saluti. Si tamen filii Israel ita fecissent, forsitan a captivitate eos eripuisset, quamvis frequenter dixerit eos capiendos. Sic namque ait ad duas tri-
Jer. vii, 3. bus in Jeremia : Bonas facite vias vestras, et habitabo vobiscum.

Sed quoniam præinducta mala fecistis, nec salutaribus monitis acquiescere voluistis :
16 *Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator,* Dominus potestate, Deus natura, dominator actu : *In omnibus plateis* civitatum vestrarum erit *planctus; et in cunctis quæ foris sunt,* id est vicis, villis, castellis, *dicetur* a populo vestro, *Væ, væ,* id est dolor interior atque exterior, quando videlicet Assyrii venerint, et terram vastaverint. *Et vocabunt agricolam ad luctum et ad planctum,* id est, eos qui circa rusticana et exteriora occupantur, vocabunt, ut cessantes a talibus, jam nunc fletibus vacent. Hoc fecerunt filii Israel quando ab Assyriis pressi sunt. *Et ad planctum* vocabunt *eos qui sciunt plangere,* id est, artem habent plangendi, puta tibicines, qui carmen lugubre præcinendo, alios ad lacrimas provocant. Diversæ enim melodiæ, diversas in animo concitant passiones seu affectiones. Erat autem consuetudo Judæis, tales habere in defunctorum ædibus atque exsequiis. Unde in Evangelio legitur, quod Christus ingressus *Matth.* ix, 23.
Jairi archisynagogi domum, suscitaturus ejus filiam, vidit tibicines. *Et in omnibus* 17
B *viis* *, in quibus cadetis vel captivi ducemini, *erit planctus,* quia vos ipsi lugebitis; *quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus,* id est, in vobis non remanebo, nec habitabo per opem et gratiam, sed transibo, exercendo vindictam vosque derelinquendo. Dicit vero Hieronymus, quod ubicumque in Scripturis dicitur Deus pertransire, insinuatur punitio. * alias *vineis*

Væ desiderantibus diem Domini. Locus 18
iste a diversis diversimode explanatur. Sed primo ponenda est expositio Hieronymi, C quam Glossa et alii communiter assequuntur. Itaque, secundum Hieronymum, Propheta nunc ad utrumque regnum, videlicet Juda et decem tribuum, dirigit verbum, ut sit sensus : Væ erroris ac tribulationis imminet desiderantibus diem Domini, id est tempus captivitatis suæ ab Assyriis vel Chaldæis. Judæi enim nonnulli audientes magna promitti a Deo per Prophetas, danda post reditum a captivitate, optabant diem captivitatis accelerari, ut citius obtinerent bona promissa post captivitatem D præstanda. Quamvis enim captivitatem secundum se pensatam abhorrerent, tamen ut erat via ad prosperitatem majorem, optaverant eam. Quod autem in hoc erraverunt, ostendit Propheta. *Ut quid* * *eam vobis optatis ?* id est, cur cupitis eam ? quasi dicat, Inutiliter facitis hoc. Nam *dies Domini ista, tenebræ, et non lux,* id est, tempus captivitatis adversum et triste erit vobis, quum venerit, non luminosum, id est prosperum et jucundum. Putabant enim captivitatem citius finiendam, et ea finita, * *Ad quid*

mox implenda esse divina promissa. Quæ A
tamen secundum verum intellectum Scri-
pturæ, intelligenda erant pro tempore Chri-
Is. xxxii, 18. sti, ut est illud Isaiæ : Sedebit populus
meus in pulchritudine pacis, et in taber-
naculis fiduciæ, et in requie opulenta.
Multum ergo errabant, nec adepturi erant
quod speraverunt, sed venturum fuit eis
19 quod subditur : *Quomodo si fugiat vir a*
facie leonis, et occurrat ei ursus, sic fiet
vobis. Per leonem autem intelligitur Na-
buchodonosor rex Babylonis, qui afflixit
duas tribus. Decem vero tribus afflixit rex B
Assur. Porro per ursum intelligitur Assue-
rus rex Persarum atque Medorum, qui post
Nabuchodonosor captos tenebat Judæos, et
Esther iii, 8-13. ad tempus satis afflixit, quando suggeren-
te Aman, præcepit una omnes die inter-
fici. *Et ingrediatur domum, et innitatur*
manu sua super parietem, et mordeat eum
coluber : id est, sic fiet vobis, ut postquam
a captivitate Babylonica reversi fueritis in
propriam terram, et templum construxe-
ritis, atque in eo quiescere cœperitis, sic-
ut quiescit qui lassus manu sua innititur C
muro, tunc mordebit vos coluber, id est
Antiochus rex : qui velut serpens sedit in
Terra sancta, opprimens crudelissime ple-
bem Judaicam, in qua multi fuerunt ex
decem tribubus.

Huic expositioni quidam opponit, quod
reges Juda, sacerdotes ac principes, simul
Jer. xxvi, 7-11 ; xxxviii, 4-6, etc. cum vulgo persequebantur Jeremiam, eo
quod captivitatem instantem prædixit :
non ergo eam desiderabant. Itaque dicit,
quod Propheta hic loquitur contra illuso-
res, qui comminationes propheticas non D
reputabant veras, sed illudendo quasi op-
tando dixerunt : Veniat dies quam præ-
nuntiatis. Sic enim in Isaia dixisse ferun-
Is. xxviii, 10. tur : Manda, remanda ; manda, remanda,
Ezech. xii, 27. etc. ; et in Ezechiele, In tempora longa iste
prophetat ; itemque in Jeremia, Ubi est
Jer. xvii, 15. verbum Domini ? Veniat. Sic ergo est sen-
sus : Væ desiderantibus diem Domini, id
est per modum optantis ironice dicenti-
bus, Veniat tempus vindictæ prænunti-
atum.

Quod autem expositio ista sit frivola,
liquet ex eo quod Propheta per veram ra-
tionem reprobat desiderium adventus diei
Domini, scilicet captivitatis. Veraciter er-
go desideraverunt hanc diem. Instantia de-
mum de Jeremia facillime solvitur, quia
ut patet in libro Jeremiæ, principes quan- *Jer.* xxvi, 16; xxviii, 7 *et seq.*, etc.
doque erant pro Jeremia, et etiam populus,
ne occideretur. Et quamvis non fuissent
pro eo, argumentum tamen præinductum
nil obtineret : quia Propheta non dicit
quod omnes vel multi diem præfatam op-
tabant; sed indeterminate locutus est, Væ
desiderantibus, etc. Imo adhuc ostendit de-
siderabilem non fuisse hanc diem : *Num-* 20
quid non tenebræ dies Domini, et non
lux ? et caligo, et non splendor in ea ? id
est, tempus vastitatis vestræ etiam tempo-
re Antiochi erit prorsus dolorosum, du-
rum, gravissimum, nil habens de luce
prosperitatis vel splendore consolationis :
quemadmodum in libro Machabæorum de- I *Mach.* ii.
scribitur.

Et ne Judæi in suis cærimonialibus spem
haberent, addidit Dominus : *Odi et projeci* 21
festivitates vestras, id est, celebrationes
festorum legalium non acceptavi a vobis,
sed velut opera vitiosa despexi; *et non ca-*
piam odorem cœtuum vestrorum, id est,
sacrificia quæ turbæ vestræ offerunt mihi,
non acceptabo. Unde subjungitur : *Quod* 22
si obtuleritis mihi, holocautomata et mu-
nera vestra non suscipiam, id est, grata
mihi non erunt, nec meritoria ; *et vota*
pinguium vestrorum, id est oblationes vo-
tivas de carnibus pinguium pecorum fa-
ctas, *non respiciam* per approbationem.
Hæc autem idcirco dicuntur, quoniam sa-
crificiis et celebrationibus festivis istorum
tot scelera erant admixta, quod Deo non
placuerunt, sed potius displicuerunt. Opus
enim Dei fecerunt tam irreverenter. Et se-
cundum Hieronymum, etiam cum Deo co-
luerunt et idola. *Aufer a me,* id est, cessa 23
mihi offerre, o popule regni Juda, et qui
ex decem tribubus ei vos copulastis, *tu-*
multum carminum tuorum, id est inde-
votam ac inordinatam decantationem lau-

dum divinarum, quas ex Scripturis mihi A
in templo offertis; *et cantica lyræ tuæ*, id
est musicorum instrumentorum, *non au-*
Eccli. xv, 9. *diam*. Non enim est speciosa laus in ore
Ps. xlix, 16. peccatoris; et, Peccatori dixit Deus, Quare
Prov. xxviii, 9. tu enarras justitias meas? Et, Qui declinat
aurem suam ne audiat legem, oratio ejus
erit exsecrabilis. Hæc tamen non ita dicun-
tur, quod iniqui debeant penitus a divina
laude et persolutione Horarum ac preci-
bus cohiberi, sed ut studeant se emenda-
re, et sciant se per tam imperfecta ob-
sequia non posse salvari. Aliqui quoque B
actus divinæ laudis ac servitutis, ex spe-
ciali mandato requirunt ut in caritate et
devotione persolvantur, ut celebratio, ser-
mocinatio, etc.
24 *Et revelabitur quasi aqua*, id est, om-
nibus clare et copiose ostendetur, *judi-
cium* tuum, id est damnatio seu vindicta
tibi nunc infligenda; *et justitia*, id est
æquitas Dei, *quasi torrens fortis*, id est,
delebit te quemadmodum aqua impetuosa
rapit et aufert ea quæ apprehendit.

Consequenter ostenditur, quod sacrificia C
legalia non erant per se accepta, nec abso-
lute ad salutem necessaria, quia sine illis
25 aliquando placuit Israel Deo. *Numquid
hostias et sacrificium obtulistis mihi in
deserto quadraginta annis, domus Israel?*
quasi dicat, Non. Hoc autem duobus potest
modis intelligi. Hieronymus enim circa
hunc locum sic ait : Ex hoc discimus, om-
nes hostias et sacrificia quæ in deserto
obtulit Israel, non Deo obtulisse, sed Mo-
loch regi suo, id est Lucifero. Dicit de-
mum Hieronymus, et habetur in Glossa : D
Exod. xxxii, 4, 24. Ex quo tempore factum est caput vituli
aurei in deserto, omnia quæ fecerunt vel
obtulerunt filii Israel, non Deo, sed idolis
fecisse monstrantur. Quod si leguntur post-
ea aliqua Deo obtulisse, non voluntate, sed
metu pœnarum offerebant, et ob interfe-
ctionem eorum qui propter idololatriam
sunt occisi. Dominus autem non tam ea
quæ offeruntur, quam voluntatem suscipit
26 offerentium. *Et portastis tabernaculum*
factum a Moyse per manum artificum ele-
ctorum, *Moloch regi vestro*, id est ad hono-
rem idoli vestri. Moloch autem fuit idolum
Ammonitarum : quod interpretatur rex,
significatque Luciferum, seu stellam ma-
tutinam, quam multi Sarracenorum us-
que nunc colunt, quia præ ceteris videtur
splendidior, major et mirabilior. Portastis
quoque *et imaginem idolorum vestrorum*,
videlicet *sidus dei vestri*, id est imaginem
astri seu stellæ matutinæ, quam coluistis
pro Deo, *quæ* idola *fecistis vobis* ad ado-
randum ea, et ad vestram ruinam. Ejus-
dem autem falsi dei habuerunt plures ima-
gines, quilibet scilicet suam.

Præterea huic expositioni alii apparenter
objiciunt, quod idololatræ adoratores vi-
tuli, fuerunt in deserto prostrati, simili- Exod.
ter illi qui adoraverunt Beelphegor. Ideo xxxii, 27, 28; Num. xiv,
non apparet quod alii tanto tempore vene- 36, 37; Hebr.
rabantur idola, vel secum tulerint ea, præ- iii, 17; Num. xxv, 9.
sertim quum nulla inde in libris Moysis
mentio fiat. Rursus, in fabricatione arcæ
et tabernaculi, filii Israel multa Deo devo- Exod.
ta promptaque mente obtulisse leguntur xxxvi, 3-7.
in Exodo. In libro quoque Numerorum ali- Num. vii.
qua Deo immolasse leguntur, videlicet duo-
decim principes in dedicatione tabernacu-
li. Et in consecratione Aaron filiorumque Lev. viii.
ejus sacrificia offerebantur. Hi ergo expo-
nunt prædicta hoc modo, quod filii Israel
in deserto non obtulerunt hostias Deo se-
cundum legis præcepta, sicut nec circum-
cidebantur, quia in utroque Deus per Moy-
sen dispensavit cum eis. Istud vero non
sic intelligitur, quod nullas penitus obtu-
lerint hostias, sed quia tam paucas et ra-
ras, quod non reputatur. Quod enim mo-
dicum est, pro nihilo æstimatur. Huic dicto
videtur favere, quod Dominus ait in Jere-
mia : Non sum locutus cum patribus ve- Jer. vii, 22.
stris, nec præcepi eis in die qua eduxi vos
de terra Ægypti, de verbo holocautoma-
tum, etc. Porro quod subditur, Et portastis
tabernaculum Moloch regi vestro, etc., non
referunt ad verba immediate præcedentia,
nec ad quadraginta annos in solitudine,
sed ad ea quæ paulo ante præhabita sunt
de terrore diei Domini. Ut sit sensus : Quia

tam horribilis erit dies vestræ captivitatis, A
et tanta mala fecistis, ideo et portastis, id
est portabitis, tabernaculum Moloch regi
vestro. Dicunt enim, quod Assyrii posue-
runt idola decem tribuum super collum
earum, quando in captivitatem eas duce-
bant : ut sic appareret, quod dii earum
eis prodesse non poterant contra Assyrios.

27 *Et migrare,* id est in captivitatem duci,
vos faciam trans Damascum, id est ultra
Syriam, cujus metropolis est Damascus,
usque in Babyloniam. Ducebantur enim
per Syriam in Chaldæam. *Dicit Dominus* B
per me Amos prophetam suum, *Deus ex-
ercituum nomen ejus,* id est, Deus cœle-
stium agminum, seu Deus omnipotens est
nomen ipsius.

Hieronymus vero ad suæ expositionis
confirmationem adducit verba Stephani in
Act. VII, 42, 43. Actibus : Convertit autem Deus et tradidit
illos servire militiæ cœli, sicut scriptum
est in libro Prophetarum : Numquid victi-
mas et hostias obtulistis mihi quadraginta
annis in deserto, filii Israel? Et suscepistis
tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri
Rempham, figuras quas fecistis adorare
eas; et transferam vos trans Babylonem.
Pro eo quod Amos disseruit, Trans Dama-
scum ; Stephanus allegavit, Trans Baby-
lonem, ad sensum potius quam ad ver-
ba respiciens. Sensus tamen (ut patuit)
redit ad idem. Solent namque Christus
atque Apostoli, alii quoque majores disci-
puli, allegare Scripturas veteris Testamen-
ti quantum ad veritatis sententiam, magis
quam sequi formam verborum. Per Rem-
pham vero, intelligit præinductum Luci-
ferum.

Postremo, quæ harum expositionum sit
verior, et qualiter concordari possit una
cum alia, sapientis lectoris committo ju-
dicio.

ARTICULUS X

DECLARATIO TROPOLOGICA EJUSDEM CAPITULI QUINTI.

LOQUENS demum sanctus Propheta in C
persona cujuslibet viri perfecti seu vir-
tuosi, Deum proximumque ardenter aman-
tis, et de errore ac vitiis proximorum,
magis autem de divinæ majestatis inhono-
1 ratione, cordialiter contristati, ait : *Audite
verbum istud, quod ego levo super vos,*
o impœnitentes et duri, excæcati, et peri-
culose securi, *planctum :* id est, lamentabi-
lem sermonem, quem de vestra transgres-
sione ac damnatione enuntio, auscultate,
ut et propria pericula attendentes, cessetis
inaniter gloriari, discatisque vos ipsos de- D
II *Cor.* XI, 29. flere. Talis fuit Paulus, qui ait : Quis infir-
matur, et ego non infirmor? Quis scandali-
zatur, et ego non uror? Itemque Psalmista,
Ps. CXVIII, 139. qui profitetur : Tabescere me fecit zelus
meus, quia obliti sunt verba tua inimici
mei. Sic deflentur, qui ignorant cur de-
fleantur : qui tanto miserabiliores sunt,
quo suam infelicitatem minus cognoscunt,
quemadmodum in Apocalypsi alicui dici-
tur : Quomodo dicis, Quia dives sum, et *Apoc.* III, 17.
nescis quia tu es miser, et miserabilis,
pauper, cæcus, et nudus?

Domus Israel, id est Ecclesia, *cecidit,*
peccando, et a primitivo suo fervore mul-
tum deficiendo, ab altitudine perfectionis
ruendo, et quæ sua sunt, non quæ Christi, *Philipp.* II, 21.
quærendo. *Non adjiciet ut resurgat.* Hoc,
quantum ad recidivantes, impœnitentes et
reprobos, certum est : de quibus dicit Apo-
stolus, Impii proficient in pejus. Et hoc II *Tim.* III, 13.
diabolicum est, quia in malo perseverare,
dæmoniacum rite censetur. Ideo dicit Scri-
ptura : Non tardes converti ad Dominum, *Eccli.* V, 8, 9.

et ne differas de die in diem : subito enim A
2 veniet ira illius. *Virgo Israel,* id est ani-
ma quondam contemplativa, vel fide et
caritate Deo sponsata, et animi integritate
præfulgida, *projecta est in terram suam,*
id est in legem peccati, et carne allecta,
in carnales concupiscentias devoluta, et
sensualitati subjecta, dæmonibus subdita.
Is. LII, 2. Tali animæ loquitur Isaias : Excutere de
Coloss. III, 2. pulvere; et Apostolus, Quæ sursum sunt
sapite, non quæ super terram. Denique,
Matth. V, 4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt ter-
ram. *Non est qui suscitet eam* propria po- B
testate a somno peccati, a torpore acediæ,
a gravamine culpæ, nisi ipse Deus eam
medullitus tangat, afficiat, et convertat.
Aliter enim in vanum foris prædicatur, ni-
si Spiritus Sanctus intus per unctionem lo-
Eccle. VII, 14. quatur. Eum quoque quem despicit Deus,
corrigere nullus potest. Quod specialiter
de hæreticis verum est. Propter quod ad
Tit. III, 10, 11. Titum scribit Apostolus : Hæreticum ho-
minem post unam et secundam correptio-
nem devita, sciens quia subversus est, qui
hujusmodi est, et delinquit proprio judi- C
cio condemnatus.

3 *Hæc dicit Dominus : Urbs de qua egre-
diebantur mille, relinquentur in ea cen-
tum ; et de qua egrediebantur centum,
relinquentur in ea decem in domo Israel,*
id est in Ecclesia. Istud cernimus in ea
impletum : quia nunc vix pro decima par-
te tot sunt, qui fide, caritate et opere
egrediantur de Ecclesia, de claustris et
congregationibus, loquendo de bono egres-
su, id est virtuoso processu idoneoque
profectu, quot olim egredi consueverunt, D
quando calor sanguinis Christi adhuc fer-
vebat, et operabatur in cordibus Christi-
anorum.

4 *Quia hæc dicit Dominus domui Israel,*
id est congregationi fidelium : *Quærite
me,* non qualitercumque, sed taliter quo-
modo dignum et æquum est tale ac tan-
tum bonum quæri, desiderari, rogare, ut-
pote jugiter et ferventer, imo pro posse
tanto instantius atque ferventius, quanto
infinitum bonum, omni bono finito desi-
derabilius amabiliusque consistit, *et vive-
tis* per gratiam : de qua vita ait Salvator
in Joanne, Nisi manducaveritis carnem Fi- *Joann.* VI, 54.
lii hominis, non habebitis vitam in vo-
bis. Omnis autem qui petit, accipit ; et *Luc.* XI, 10.
qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.
Et nolite quærere Bethel, id est accedere 5
eos pro informatione, qui se dicunt nosse *Tit.* I, 16.
Deum, factis autem negant, si tamen con-
venienter et aptius possitis accedere alios.
Bethel interpretatur domus Dei, quæ hoc
loco pro sola fide fidelibus sumitur. *Et in
Galgalam,* id est congregationem carna-
lium, *nolite intrare,* communicando eo-
rum infructuosis operibus. Galgala autem
interpretatur volutabrum, vel revelatio.
Quærite Dominum, ne forte comburatur 6
ut ignis domus Joseph, id est, ne Eccle-
sia, quæ dicere potest illud in Psalmo, Im- *Ps.* LXVIII, 10; *Rom.* XV, 3.
properia improperantium tibi ceciderunt
super me, confundatur, vel igne concu-
piscentiæ accendatur, aut flamma damna-
tionis tartareæ torqueatur. Joseph vero
interpretatur opprobrium, vel absque op-
probrio. *Qui convertitis in absinthium ju-* 7
dicium Domini. Hoc juxta sensum præha-
bitum competit omnibus qui vel se ipsos,
vel alios irrationabiliter judicant : quo
amaritudinem sibi infernalem mercantur.

Facientem Arcturum et Orionem. Per 8
Arcturum, qui septem sideribus constat,
et volvitur circa polum, designatur Eccle-
sia septemplici dono Spiritus Sancti orna-
ta. Cujus tota intentio, cursus et actio circa
Deum versatur, tanquam circa immobile
bonum. Per Orionem quoque qui hieme
oritur, et tempestates inducit, martyres fi-
gurantur, qui tempore infidelitatis, quasi
in hieme prædicant : per quod contra se
tempestates persecutionum mox provo-
cant. Hunc ergo Arcturum et Orionem fa-
cit Deus omnipotens, a quo est omne esse
naturæ et gratiæ universorum credentium.
Qui convertit mane in tenebras, dum pro-
speris succedunt adversa, ut illuminationi
et consolationi internæ, excæcatio et af-
flictio cordis : dum scilicet Deus gratiam
subtrahit, quo facto, aurora mentis in vi-

tiorum convertitur nebulas. Et diem in A
noctem mutat, dum viros sapientes et vir-
tuosos sinit cadere, et animi caliginem de-
testandam incurrere. Propter quod monet
I Cor. x, 12. Apostolus : Qui stat, videat ne cadat. *Qui
vocat aquas,* id est gratiam et doctrinam,
maris, id est eorum qui in hoc mundo la-
crimis et pœnitentiæ vacant, vel hominum
perfectorum, qui velut mare abundant un-
da sapientiæ salutaris, et gurgite multifor-
mis gratiæ Sancti Spiritus, *et effundit eas
super faciem terræ,* id est, terrenis carna-
libusque hominibus aquas istas annuntiat B
atque communicat, eos instruendo et con-
vertendo per prædicationes justorum. Quod
præsertim factum est prædicantibus san-
ctis Apostolis, qui aquis his omne sæcu-
lum irrigaverunt in tantum, ut in Isaia
Is. xi, 9. scriptum sit atque prædictum : Repleta est
terra scientia Domini, sicut aquæ maris
9 operientes. *Qui subridet,* id est, cum risu
minatur, *vastitatem super robustum,* id
est potentibus sæculi, de quibus fatetur :
Prov. i, 26. Ego in interitu vestro ridebo; et, Qui ha-
Ps. ii, 4. bitat in cœlis, irridebit eos. C
10 *Odio habuerunt in porta corripientem.*
De duplici porta tractat Scriptura : Una
vocatur porta vitæ ; alia vero, porta mor-
tis ac inferi. Porta mortis, peccatum ; por-
ta vitæ, virtus et gratia seu actio merito-
ria. Odio autem habetur justus consistens
in porta virtutum, si corripit malum qui
est in porta mortis ac vitiorum. Quod ma-
xime competit Judæis persecutoribus Chri-
Sap. ii, 15. sti, quibus gravis erat etiam ad videndum.
Joann. xv, 24. Propter quod ait : Odio habuerunt me et
Patrem meum. D
11 *Pro eo quod diripiebatis pauperem,* id
est, innocentes et simplices subvertistis,
o corruptores animarum, verbo et exem-
plo seu comminatione aut adulatione, *et
prædam electam tollebatis ab eo,* id est,
Prov. xiv, 15. gratia Dei hujusmodi spoliastis (Innocens
Job xii, 4. enim credit omni verbo ; et, Deridetur
justi simplicitas) ; *domos quadro lapide
ædificabitis,* id est, collectionem discipu-
lorum vestrorum, ornatu verborum et sa-
pientiæ vanæ, apparenti quodam decore
firmabitis, *et non habitabitis in eis,* id
est, simul cum illis in æternum peribitis,
nec diu durabit cohabitatio et condelecta-
tio vestra in sæculo isto. *Vineas amantis-
simas,* id est documenta vobis suavia et
prædilecta, *plantabitis* in cordibus vestris
et discipulorum, *et non bibetis vinum ea-
rum,* id est, nullum fructum percipietis
ex illis, et delectatio durans ad horam,
sempiterno commutabitur cruciatu. De ta-
libus dicitur in Jeremia : Ecce ego cibabo Jer. ix, 15.
populum istum absinthio, et potum dabo
ei aquam fellis. Imo pœna pereuntium
discipulorum redundabit in caput infeli-
cium magistrorum, qui pro tot torquebun-
tur, quot seduxerunt.
Ideo prudens in tempore illo tacebit, 13
quia tempus malum est. Unde ad Timo-
theum dicit Apostolus : Veniet tempus in II Tim. iv, 3.
quo sanam doctrinam non recipient, sed
coacervabunt sibi magistros prurientes au-
ribus. Denique tempus loquendi, et tempus Eccle. iii, 7.
tacendi. Dum enim non speratur emen-
datio, sed potius formidatur induratio de-
linquentis, prudens tacebit : maxime, si
non sit prælatus aut judex, nec bonum
commune periclitetur. Ideo dicit Psalmi-
sta : Obmutui et humiliatus sum, et silui Ps. xxxviii, 3.
a bonis. Hinc in Ecclesiastico legitur : Est Eccli. xx, 5, 6.
tacens, qui invenitur sapiens ; et est odi-
bilis, qui procax est ad loquendum. Est
autem tacens, non habens sensum loque-
læ ; et est tacens, sciens tempus aptum.
— *Constituite in porta,* id est in operati- 15
one qua itur ad ultimum finem, *judicium
discretionis,* ut sine consilio nil agatis, et Ibid. xxxii, 24.
proprios actus dijudicetis, atque in om-
nibus pretiosum a vili secernatis. Propter Jer. xv, 19.
quod docet Apostolus : Sine præjudicio I Tim. v, 21.
nihil facias, in alteram partem declinan-
do. Tale quippe judicium diligit honor Ps. xcviii, 4.
regis, estque præparatio sedis ejus, et li- Ps. lxxxviii, 15.
berat a judicio supplicioque gehennæ.
In omnibus plateis, id est latis viis quæ 16
ducunt ad mortem, *planctus :* quia de ta-
libus est plangendum, et ducunt ad plan-
ctum de quo ait Salvator : Ibi erit fletus, Matth. viii, 12; xiii, 42,
et stridor dentium. *Et in cunctis quæ foris* etc.

sunt, id est adulterinis delectationibus, A quæ metas rationis excedunt, *dicetur, Væ, væ :* id est, pœna atque damnatio animæ et corporis pro illis reddentur, quemadmodum scriptum est in Apocalypsi : Quantum in deliciis fuit, tantum date illi luctum et tormentum ; itemque : Væ vobis qui habetis nunc consolationem vestram, quia plorabitis et flebitis. *Et vocabunt agricolam,* id est proprii cordis diligentem custodem ac purgatorem, *ad luctum,* ut lugeat aliorum facinora ; *et ad planctum* piæ compassionis, *eos qui sciunt* B *plangere,* id est homines internos, compunctos, misericordes, gratiam lacrimarum habentes. Hoc fit, dum vir ecclesiasticus sua exhortatione tales inducit ad lacrimandum pro piis causis, videlicet quod Deus a multis tam modice curatur, imo tam vehementer inhonoratur, quod status Ecclesiæ a pristino fervore prolabitur, quod tot mala contingunt quotidie.

Apoc. XVIII, 7. — Luc. VI, 24, 25.

18 *Væ desiderantibus diem Domini,* id est diem mortis vel futuri judicii. Hoc applicandum est incautis, et sanctis in propriis C oculis, qui de sua justitia nimis confidunt, qui divinæ justitiæ rigorem non pensant, nec propriam fragilitatem efficaciter ponderantes, dicunt se mori paratos, velle dissolvi, et ad audiendam sententiam Judicis rite dispositos. Verum justus in omnibus metuit ; et quoniam nescit an amore sit dignus, merito jugiter expavescit. Nec tutum est faciliter tantam securitatem admittere : præsertim quia tunc erunt securi, qui modo non sunt securi ; et iterum tunc timebunt, qui jam timere nolunt. *Dies Domini ista, tenebræ, et non lux,* id est, amaritudine plena est talibus : qui utique fallunt se ipsos, et nequaquam effugere poterunt.

Philipp. I, 23. — Eccli. XVIII, 27. — Eccle. IX, 1.

21 Et *festivitates vestras,* etc. Christianorum qui festis diebus vitiis carnis, ludis et vanitatibus vacant, et plus solito peccant, solennitates despicit Deus. Non enim veraciter solennizant, quoniam Deo reverenter non adstant, nec diem expendunt in actibus sanctis celebriter. *Et non capiam odorem cœtuum vestrorum.* Preces enim et hostiæ atque obsequia talium, fœtore sunt plenæ, quum oriantur ex turpissimo fonte, puta ex anima mortalibus culpis obnoxia. Talium sacrificia et cantica non respicit Deus ex parte offerentium, ut sunt singulares personæ, quamvis sacrificium novæ legis sit per se Deo gratissimum. — Aliorum moralitas innotescit ex præinductis.

ARTICULUS XI

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : VÆ VOBIS, QUI OPULENTI ESTIS IN SION.

CONTRA avaritiam, voluptatem, atque D lasciviam regni Juda ac Israel, loquitur
1 Propheta in hoc capitulo. *Væ* temporalis captivitatis atque æternæ damnationis debetur et imminet *vobis, qui opulenti estis in Sion,* id est divites et divitiarum inordinati seu cupidi amatores in regno Juda : quod nomine Sion significatur, quoniam templum et palatium erant in monte Sion sita, in urbe Jerusalem metropolitana Judææ ; *et confiditis in monte Samariæ,* id est in fortitudine regni Israel seu decem tribuum, cujus metropolis fuit Samaria in monte locata. Interdum enim duo hæc regna pacem habuerunt ad invicem : et tunc unum confidebat in alio. *Optimates capita populorum,* id est principes ac judices vulgi, *ingredientes pompatice domum Israel,* id est, animose ambulantes in populo, ita ut cordis pompa resplendeat in

incessu, quemadmodum in Isaia legitur : A
Is. III, 16. Ambulaverunt collo extento, et gradu composito incedebant pedibus suis.
2 *Transite in Chalanne :* quæ secundum
Hieronymum est civitas Persidis. Aliqui tamen per Chalanne intelligunt Babyloniam. *Et videte* urbem seu patriam illam, *et ite inde in Emath magnam :* quæ nunc Antiochia appellatur, civitas Syriæ ; et addit, Magnam, ad differentiam alterius Emath, quæ minor est, et alio nomine dicta est Epiphania, cujus regio vocatur Reblatha,
IV *Reg.* XXV, 6, 7. in qua, ut quarto Regum describitur, B
Nabuchodonosor interfecit filios Sedeciæ regis Juda, cujus ibidem oculos eruit ; *et descendite in Geth* urbem *Palæstinorum,* id est Philistinorum, *et ad optima quæque regna eorum,* id est ad ceteras electas urbes prædictarum terrarum, quæ præfatis urbibus designantur ; *si latior terminus eorum termino vestro est :* id est, hoc considerate, utrum terra illorum major sit terra vestra. Quasi dicat, Non, ut quidam exponunt, dummodo consideretur terra Judææ secundum illam latitudinem qua C
primo data est filiis Israel tempore Josue, et præfata regna considerentur secundum latitudinem quam habuerunt in principio sui. Postmodum tamen dicuntur magis dilatata et fortificata quam regnum Judæorum, seu duodecim tribuum simul. Et sic ista dicuntur, ad ostendendum magnitudinem beneficii Dei, et ingratitudinem populi.
3 *Qui separati estis,* id est in præscientia
Dei ab electis divisi, et a præcedentibus patribus temporaliter segregati, *in diem* D
malum, id est ad tempus afflictionis, quatenus a Chaldæis et Assyriis dira patiamini tormenta. Unde in Job libro inducitur :
Job XXI, 30, 20. In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur, et de furore Om-
Ps. LIV, 21, 22. nipotentis bibet ; et in Psalmo, Contaminaverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus. *Et appropinquatis solio iniquitatis.* Hoc tripliciter accipi potest : primo, quod regno et terra sibi concessis abusi sunt ; secundo, quod regibus propriis impiis favent in malis, idololatriam et alia vitia exercendo ; tertio, quod a regibus Assyriorum et Babylonis statim opprimendi exstiterint.
Qui dormitis in lectis eburneis, id est 4
pretiosis de ebore factis. In quo patet, quod divitias suas non pauperibus communicabant, sed inutiliter expendere soliti erant. *Et lascivitis in stratis vestris* delicatis et mollibus, somno libidinem copulantes, et actum matrimonii non propter prolem ad Dei cultum educandam, vel ad reddendum debitum, sed ob turpissimam delectationem exercentes, aliisque meretriciis voluptatibus in contactu vacantes : quod prorsus damnabile est. *Qui comeditis agnum de grege,* id est teneras ac delicatissimas carnes agnorum de grege electorum, *et vitulos de medio armenti* acceptos comeditis, non necessitatem naturæ, sed voluptatem sensualitatis quærentes : quia et ista cibaria luxuriæ præbent
materiam. *Qui canitis ad vocem psalterii,* 5
id est, cum modulatione musici instrumenti sic dicti simul cantatis.
Consequenter Propheta mutans personam, et aliis illorum vanitatem demonstrans, adjecit : *Sicut David putaverunt se habere vasa,* id est instrumenta, *cantici,* id est musicarum modulationum : hoc est, quemadmodum David laudatur de hoc,
quod in divino cultu musicis usus est II *Reg.* VI, 15 ; I *Par.* XIII, 8 ; XV, 16, etc.
instrumentis ; sic isti reputabant se laudandos de hoc, quod talia habebant ad oblectandum auditum in suis vanitatibus, ludis atque conviviis. Est autem idiomatis Hebræi proprietas, ut omne illud dicatur vas, quod aliquo modo continet aliud :
juxta quem modum habetur in Psalmo, Et *Ps.* VII, 14.
in eo paravit vasa mortis ; et, Ego con- *Ps.* LXX, 22.
fitebor tibi in vasis psalmi veritatem tu-
am, Deus ; in Jeremia quoque, Aperuit *Jer.* L, 25.
Dominus thesaurum suum, et protulit vasa
iræ suæ. *Bibentes vinum in phialis,* id est 6
in vasis seu scyphis pretiosis, non ad reficiendum, sed deliciandum, *et optimo unguento delibuti,* id est uncti, non contenti oleo puro pro corporalis doloris seu la-

boris mitigatione, sed pretioso unguento A
utentes pro carnis suæ bono odore. Sicque
in omnibus superfluitatem secuti sunt,
divitiis abutendo. *Et nihil patiebantur super contritione Joseph,* id est, vastitati et
destructioni populi decem tribuum non
condoluerunt, vulgum despicientes tan-
Prov. xii, 10. quam jumenta. Viscera enim impiorum
crudelia.

7 *Quapropter nunc migrabunt,* id est, ob
vitia memorata statim captivi ducentur ab
Assyriis seu Chaldæis, optimates princi-
pesque præfati, *in capite transmigrantium,* id est in principio populi capti, qui B
transferentur ad terram alienam : ita quod
principes primi erunt inter captivos, qua-
tenus qui primi fuerunt in culpis, sint
Sap. vi, 7. primi in pœnis, et potentes potenter tor-
menta patiantur ; *et auferetur factio lascivientium,* id est, finem habebit operatio
lascivorum luxuriantium prædictorum.

8 *Juravit,* id est, irrevocabiliter statuit,
*Dominus in anima sua, dicit Dominus
Deus exercituum,* id est in se ipso, seu
affectu et zelo interno. Non quod Deus in C
propria natura habeat animam, sed loqui-
tur more et affectu humano. Nec mirum
si animam habere dicatur, qui corporis
membra, aures, ventrem, oculos, manus
et pedes habere asseritur, per quæ divinæ
efficientiæ diversitas designatur. Sic quo-
Jer. v, 29. que ait per Jeremiam : Numquid super
his non visitabo, et in gente hujuscemodi
non ulciscetur anima mea ? et per Isaiam,
Is. i, 14. Festivitates vestras odivit anima mea. Imo
Jer. li, 14. alibi scriptum est : Juravit Dominus per
animam suam. Jurat autem hoc loco Do- D
minus, ut duros et incredulos terreat. *Detestor ego superbiam Jacob,* id est duode-
Eccli. x, 7. cim tribuum. Odibilis enim coram Deo et
Jacob. iv, 6; I Petr. v, 5. hominibus est superbia ; et, Superbis Deus
resistit, humilibus autem dat gratiam. Pro-
Cf. Is. lxvi, 1, 2. pter quod in Isaia sciscitatur : Super quem
requiescet spiritus meus, nisi super qui-
etum et humilem ? *Et domos ejus,* id est
familiam populi hujus, *odi,* quantum ad
Sap. xiv, 9. culpam. Odio nempe sunt Deo impius et
impietas ejus. *Et tradam civitatem* Jeru-
salem vel Samariam, vel generaliter civi-
tates utriusque regni, *cum habitatoribus
suis* manibus hostium.

Quod si reliqui fuerint, id est reman- 9
serint, *decem viri in domo una,* evadentes
occulte manus Assyriorum, seu Chaldæo-
rum, *et ipsi morientur* in loco suæ abs-
consionis, fame, fumo, seu peste. *Et tollet* 10
eum, id est unumquemque defunctorum
illorum, *propinquus suus,* qui cum eo ha-
bitavit, vel vicinus, *et comburet eum,* id
est cadavera exstincta, *ut efferat ossa de
domo* ad tumulum : quia præ multitudi-
ne morientium, non sibi vacabit integra
corpora ferre ad monumentum. *Et dicet*
combustor *ei qui in penetralibus domus
est,* id est locis interioribus : *Numquid
adhuc est penes te* aliquis mortuus, ut ejus
comburam cadaver ? *Et respondebit : Fi-* 11
nis est corporum mortuorum in domo hac.
Et dicet combustor *ei* qui fuit in pene-
tralibus domus : *Tace* a laude Dei, *et non
recorderis nominis Domini,* id est, Deum
non invoces, laudes, vel exprimas, nec
jures per eum, sed oblivioni trade eum,
qui tanta super nos mala induxit. Per
hoc Propheta insinuat, quod non essent
flagellis emendandi, sed obstinandi, atque
ad impatientiam contra Deum movendi.

Quia ecce Dominus mandavit, id est, 12
prænuntiavit, vel fieri jussit, seu volunta-
tem hostibus inspiravit, *et percutiet,* id
est, Assyriis virtutem percutiendi donabit,
domum majorem, id est populum decem
tribuum, *ruinis,* id est omnimoda demo-
litione, ita quod non reducentur, sed us-
que in finem mundi capti tenebuntur ; *et
domum minorem,* id est regnum duarum
tribuum, percutiet per Chaldæos, *scissionibus,* id est quibusdam fracturis, quæ
post septuaginta annos reparabuntur. Scis-
sio enim recuperatur potius quam ruina.
Per quod distinctio utriusque captivitatis
innuitur.

Numquid currere queunt in petris equi? 13
quasi dicat : Contra naturam hoc est, ut
equi currant in saxis, quia non cedunt
currenti, nec dividuntur faciliter. *Aut ara-*

ri potest in bubalis? id est, boves silvestres, quum sint feroces atque indomiti, non possunt ligari ad arandum in aratro. Cur autem hoc dixerit, subditur: *Quoniam convertistis in amaritudinem judicium:* id est, quum bruta servent suam naturam, vos contra naturam egistis, judicium subvertendo, et ad amaritudinem innocentes perducendo, quemadmodum per Ezechielem Dominus ait (*Ezech.* XIII, 22.): Mœrere fecistis justum, quem ego non contristavi; *et fructum,* id est delectationem seu operationem, *justitiæ,* ex sua natura suavem, convertistis *in absinthium,* id est in magnam amaricationem: quia vos ipsi in vitiis justitiæ contrariis, amaris, et pœnam promerentibus occupati fuistis, et alios propter justitiam persequendo, ad amaritudinem induxistis. Vel sensus est, secundum Hieronymum, quod suis peccatis Deum naturaliter (*Deut.* IX, 18; XXXII, 16.) dulcem et pium ad iracundiam provocaverunt, et ejus judicium contra se exacerbaverunt, quemadmodum scriptum est (*Baruch* IV, 7.): Exacerbastis eum qui fecit vos, Deum æternum.

14 *Qui lætamini in nihili,* id est aureis vitulis seu idolis, de quibus scriptum est in libro Esther (*Esther* XIV, 11.): Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt. Vel, In nihili, id est mendaciis et vana gloria mundi. Hinc in Isaia habetur (*Is.* LIX, 4.): Confidunt in nihili, et loquuntur vanitates. Idolum enim, secundum Apostolum, nihil est (I *Cor.* VIII, 4.): non quoad materiam, sed quantum ad id quod esse putatur. *Qui dicitis* jactanter: *Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* id est, imo propria potestate sortiti sumus excellentiam, potentiam et gloriam mundi, seu reges, quibus ventilavimus hostes. Quod autem per cornua intelligantur reges, patet in Apocalypsi (*Apoc.* XVII, 12; *Dan.* VII, 24; VIII, 21-23.) et Daniele.

15 Ob hanc igitur præsumptionem: *Ecce ego,* qui superbos humilio, *suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus exercituum,* id est, o domus major et domus minor, seu regnum utrumque, *gentem* Assyriorum super decem tribus, et Chaldæorum super duas; *et conteret,* id est destruet, *vos* diversis temporibus, *ab introitu Emath,* id est a principio terræ promissionis ex una parte, *usque ad torrentem deserti,* id est usque ad finem terræ istius ex alia parte. Porro torrens deserti, secundum Hieronymum, est rivus Nili de eremo veniens, et mare intrans in Emath. Per Emath vero Glossa intelligit Antiochiam, quæ est in principio Terræ sanctæ.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM CAPITULI SEXTI.

1 V*Æ vobis, qui opulenti estis,* id est avariter divites, *in Sion,* id est populo christiano, qui speculando divina dicitur Sion, quod interpretatur speculatio. Istis, nisi pœniteant, imminet væ æterni supplicii, Christo testante (*Matth.* XIX, 24; *Luc.* XVIII, 25.): Possibilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Quod certum est dici de avaris divitibus, terrena magis quam cœlestia quærentibus atque amantibus. Affectus ergo, non ipsa res, reprobatur. Qui enim volunt divites fieri (I *Tim.* VI, 9.), incidunt in tentationes et laqueum diaboli. Ceterum in utroque Testamento multi electi et justi opulenti fuerunt, quemadmodum de se ipso Job ait (*Job* XVI, 13.): Ego quondam ille opulentus. Sed hi impleverunt illud Psalmistæ (*Ps.* LXI, 11.): Divitiæ si affluant, nolite cor apponere; et illud Apostoli ad Timotheum (I *Tim.* VI, 17, 18.): Divitibus hujus sæculi præ-

cipe, non sublime sapere, nec sperare in A
incerto divitiarum, sed in Deo vivo, divi-
tes fieri in operibus bonis, facile tribuere.
—Denique alia quædam opulentia est, non
vera, sed præsumpta, qua vani, arrogan-
tes et præsumptuosi arbitrantur se ceteris
justiores ac sapientiores, gratia plenos,
Ps. LI, 9. meritis abundantes; qui sperant in mul-
titudine divitiarum suarum, quum tamen
re vera sint pauperrimi atque miserrimi,
semetipsos fallentes ac pereuntes, quibus
sub persona unius dicitur in Apocalypsi:
Apoc. III, 17. Dicis, Quia dives sum, et nullius egeo; et B
nescis quia tu es miser et miserabilis,
Philipp. III, 13. pauper, cæcus et nudus. Non ergo arbi-
Galat. II, 6; VI, 3. tremur nos apprehendisse, nec putemus
nos aliquid esse; sed cum metu, timore
Philipp. II, 12. et tremore nostram operemur salutem.

Optimates capita populorum, id est præ-
lati ac principes populi christiani, religiosi
et sæculares, *ingredientes pompatice do-
mum Israel,* id est animose inter inferio-
res et subditos conversantes, imo et ma-
terialem ecclesiam cum tumore superbiæ
ingredientes, magis ut videamini quam C
Deum devote precemini. O quam multi
sunt jam tales, qui se in cogitatione sua
Eccli. VI, 2. extollunt velut taurus, nec attendunt quod
Ibid. X, 9. scriptum est: Quid superbit terra et cinis?
Verum quid de unoquoque tali ait Scri-
Job XX, 6, 7. ptura? Si ascenderit, inquit, usque ad cœ-
lum superbia ejus, et caput ejus nubes
tetigerit, quasi sterquilinium in fine per-
detur.

2 *Transite in Chalanne,* etc., id est, om-
nium sectarum et superstitiosarum re-
ligionum terras et regna adspicite; et D
videte si fuit aliquando secta aliqua in
tantum divulgata, dilatata, et confortata,
Ps. XVIII, 5. sicut religio christiana. Non utique: in
omnem enim terram exivit, et in fines or-
bis terræ processit. Unde in Isaia induci-
Is. XXIV, 16. tur: A finibus terræ audivimus laudes
Dan. VII, 14. et gloriam Justi; et in Daniele, Omnes
populi, tribus et linguæ servient ei.

3 *Qui separati estis in diem malum,* id
est ab electis divisi, ita quod in die infer-
nalis vindictæ, sempiterna recipietis tor-
menta. Hoc omnibus reprobis competit,
qui non manent in ecclesiastica unitate
mystici corporis Christi; sed a Christo ca-
pite per culpam divisi, non recipiunt vi-
tam gratiæ et motum virtutum ab eo. Qui
in die judicii separabit electos a reprobis *Matth.* XXV, 32.
loco et præmio, sicut separat pastor agnos
ab hœdis. Denique alia est separatio bona
ac appetenda, de qua ad Hebræos dicit
Apostolus, loquens de Christo, Segregatus *Hebr.* VII, 26.
a peccatoribus; et de se ipso Paulus, Se- *Rom.* I, 1.
gregatus in Evangelium Dei. *Et appropin-
quatis* per consensum et opera mala, *solio
iniquitatis,* id est diabolo, qui est rex su- *Job* XLI, 25.
per omnes filios superbiæ: de quo dicit
Salvator, Venit ad me princeps mundi *Joann.* XIV, 30.
hujus.

Qui dormitis in lectis eburneis, et lasci- 4
vitis in stratis vestris. Hoc plane cum ver-
su sequenti de luxuriosis atque gulosis,
qui bestiis decies millies turpiores dete-
rioresque sunt, convenienter accipitur. Et
maxime competit magnatibus sæculi, car-
nalibusque prælatis, qui quanto abundant
divitiis, tantum se exponunt deliciis. Quo-
contra dicit Apostolus: Non in comessa- *Rom.* XIII, 13, 14.
tionibus et ebrietatibus, non in cubilibus
et impudicitiis; sed induimini Dominum
Jesum. *Qui canitis ad vocem psalterii.* 5
Hoc convenit his qui musicis instrumentis
utuntur in choreis et epulis, ut carnalis
affectus et vanitas inflammetur in eis. De
quibus scriptum est in Job: Tenent tym- *Job* XXI, 12.
panum et chorum, et gaudent ad vocem
psalterii. Verum, ut in Ecclesiastico legi-
tur: Vinum et musica lætificant cor; et *Eccli.* XL, 20.
super utraque dilectio sapientiæ. Et ite-
rum: Tibiæ et psalterium suavem faciunt *Ibid.* 21.
melodiam; et super utraque lingua suavis.

Bibentes vinum in phialis, et optimo 6
*unguento delibuti; et nihil patiebantur
super contritione Joseph.* Hoc de pastori-
bus verificatur, qui pascunt se ipsos, non *Ezech.* XXXIV, 2-6.
gregem dominicum, operientes se lana
ovium, et lac earum edentes, ipsas vero
oves Christi non custodientes ab invisi-
bilium hostium morsibus. Imo videntes
quod sibi commissi quotidie peccant, de-

teriorantur, et a dæmonibus absorbentur, A
non dolent nec auxiliantur, quum et ipsi
similiter pereant. Quocontra Salomon ait :
Prov. xxvii, 23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tu-
II Cor. xii, 15. osque greges considera; et Paulus, Ego,
inquit, libentissime impendam, et super-
impendar ipse pro animabus vestris. Sed
Joann. x, 14, 15. et princeps pastorum : Ego, inquit, sum
pastor bonus; et cognosco oves meas, et co-
gnoscunt me meæ; et animam meam pono
pro ovibus meis. Insuper multi sunt prin-
cipes et prælati, pleni privato amore, qui
subditorum suorum temporalibus perse- B
cutionibus, corporalibus nocumentis atque
penuriis ac prædationibus non compatiun-
tur, sed voluptatibus et vanitatibus æqua-
liter vacant, quasi contritio domus Joseph
(id est Ecclesiæ Christi per Joseph signi-
ficati) non pertineret ad eos. Et tamen de
manu pastorum requiret Dominus sangui-
Ezech. iii, 20; xxxiv, 2 et seq. nem pereuntium subditorum. Contra hu-
jusmodi præsidentes loquitur Dominus co-
piose per Ezechielem.
7 *Quapropter nunc migrabunt,* id est,
statim ad infernum ducentur, *in capite* C
transmigrantium, id est in principio dam-
natorum qui per eorum negligentiam per-
ierunt. Tales enim præsidentes sunt primi
in pœnis, et omnium damnatio retorque-
tur in eos. *Et auferetur factio lascivien-
tium,* id est, voluptas lubricorum mox
finietur, atque gehennali ardore ulciscetur.
8 *Juravit Dominus : Detestor ego super-
biam Jacob,* id est omnium Christianorum,
quorum est vitia supplantare, *et domos
ejus odi,* id est, congregationes arrogan-
tium sperno. Ideo Tobias jubet filio suo : D
Tob. iv, 14. Superbiam nunquam in tuo sensu aut in
tuo animo dominari permittas : in ipsa
I Petr. v, 6. enim sumpsit initium omnis perditio. Hu-
miliemur igitur sub potenti manu Dei,
Is. ii, 12. quia ut dicitur in Isaia, Dies Domini super
omnem superbum, et excelsum, et arro-
gantem; et humiliabitur. Hinc in Numero-
Num. xv, 30, 31. rum libro fertur : Anima quæ per superbi-
am aliquid commiserit, quoniam adversus
Dominum rebellis fuit, peribit de populo
suo : verbum enim Domini contempsit. *Et
tradam civitatem,* id est ecclesiam hujus-
modi superborum, *cum habitatoribus suis,*
id est his qui manent in vitiis, manibus
dæmonum. *Quod si reliqui fuerint decem* 9
viri superbi *in domo una, et ipsi morien-
tur* morte culpæ in via, et morte miseriæ
in gehenna. Nullus enim talium manus
Omnipotentis potest evadere. *Et tollet eum* 10
propinquus suus : unus enim perversus,
malo exemplo interimit alium. Et qui vir-
tuosum pertrahit ad peccata, comburit ossa
ipsius : virtutes enim significantur per os-
sa. Quidam interea ita incorrigibiles sunt,
et ita indurantur dum castigantur a Deo,
ut vix possent nomen Dei audire, vel ejus
honorationem videre, cupiuntque omnes
averti ab ipso, sicut ipsi aversi sunt. Qui-
bus convenit quod subjungitur : *Dicet :* 11
Tace, et non recorderis nominis Domini.
Ecce Dominus percutiet et *domum ma-* 12
jorem, id est multitudinem prælatorum ac
principum injuste præsidentium, *ruinis,*
id est, penitus deseret eos perire, gratiam
subtrahendo in via, et gloriam in patria.
Talium enim peccata quum sint gravissi-
ma, extrema ultione plectuntur frequen-
ter. *Et domum minorem,* id est, subditos
percutiet, *scissionibus,* id est plagis pater-
næ correctionis, ne penitus pereant, sed
per flagella temporalium tribulationum in
æternum salventur. Tales enim interdum
purgantur per adversitates et damna quæ
eis a superioribus, potentibus ac divitibus
infliguntur. Exiguo quippe conceditur mi- Sap. vi, 7, 6.
sericordia; sed judicium durissimum in
his qui præsunt, peragitur. Vel domus ma-
jor, sunt reprobi; domus vero minor, ele-
cti. Reprobi autem prorsus intereunt, electi
vero per multas tribulationes ac tentatio-
nes exercitati, reformantur et beatitudinem
sortiuntur.
Numquid currere queunt in petris equi? 13
id est, prædicatores velut equi per fervo-
rem caritatis veloces ac agiles, in cordibus
induratis habere non possunt processum.
Unde oportet ut Deus auferat cor lapi- Ezech. xi, 19; xxxvi, 26.
deum, præstetque carneum. *Aut arari po-
test in bubalis?* id est, per crudeles rebel-

lesque homines, corda aliorum disponi non
Luc. VIII, 11. possunt ad receptionem seminis, quod est
verbum Dei. Tales enim magis obesse
quam prodesse consueverunt. Idcirco ne-
cesse est prælatum atque doctorem esse
benignum, et Deo subjectum. Potest quo-
que trahi ad sensum oppositum, ita quod
equi, id est adversariæ potestates indomi-
tæ, non possunt currere seu proficere in
petris, id est in cordibus per virtutes fir-
Rom. VIII, 38, 39. matis, quæ dicere valent cum Paulo : Ne-
que mors, neque vita, neque creatura ali-
qua poterit nos separare a caritate Dei.
*Quoniam convertistis in amaritudinem
judicium.* De hoc dicta sunt multa. Omnes
autem iniqui, Deum naturaliter dulcem,
14 faciunt sibi ipsis severum. *Qui dicitis :
Numquid non in fortitudine nostra as-
sumpsimus nobis cornua?* Hoc dicunt, qui
se propria industria, potestate aut studio
jactant ad magna promotos, et aliis sapien-
tiores, potentiores, ditiores, aut sublimio-
res effectos : qui non attendunt quod om-
Jacob. I, 17. ne bonum a Deo donetur, et quod ex se
ipsis non habeant nisi defectibilitatem et
vitia ; quod item nihil periculosius est,
majusque reprobationis indicium, quam
in hac vita in omnibus bonis sæculi pro-
sperari, a Deo non castigari, nec humiliari.
Quæ si pensarent, nequaquam præsume-
rent, sed timerent, scientes quod cui plus Luc. XII, 48.
donatum est, plus requiretur ab eo.
Ecce ego suscitabo super vos, dicit Do- 15
minus, gentem. Gens ista, sunt dæmones,
quos Deus permittit tentando prævalere
superbis et præsumptuosis, in suis viribus
inaniter infeliciterque sperantibus. Unde
de diabolo ait Salvator in Evangelio : Ini- Matth. XIII, 28.
micus homo hoc fecit. *Et conteret vos ab
introitu Emath,* id est ab exordio iniqui-
tatis vestræ, quæ velut murus inter Deum
et vos separat, et bonum a vobis prohibet :
Emath enim murus seu murata interpre-
tatur; *usque ad torrentem deserti,* id est
aquas tribulationis inferni ab omni gratia
derelicti. A culpa enim, quæ tollit esse
gratiæ, usque ad pœnam, quæ aufert esse
gloriæ, pertrahuntur iniqui.

ARTICULUS XIII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : HÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS DEUS.

QUOD superius dixit Propheta de Isra-
eliticæ plebis vastitate sine velamine,
1 nunc metaphorice exprimit. *Hæc* quæ se-
quuntur, *ostendit mihi Dominus Deus* in
visione imaginaria, et insuper in revela-
tione intellectuali, qua clare cognovi quid
Dan. X, 1. imaginaria illa visio prætendebat. Intel-
ligentia enim est opus seu principale in
visione prophetali. *Et ecce fictor locustæ,*
etc. Primo exponam hunc locum secun-
dum Hieronymum, quem Glossa et alii
antiqui ac sancti doctores communiter as-
sequuntur. Deinde videbitur de expositio-
ne aliorum.

Ait ergo beatus Propheta : *Et ecce fictor
locustæ,* id est, Deus omnipotens formator
locustarum, venit seu per ultionem visi-
tavit populum regni Juda, vel Israel, aut
utrumque, *in principio germinantium,* id
est terræ nascentium, florentium et fru-
ctum producentium, *serotini imbris,* id est
terræ nascentium quæ serotina pluvia ir-
rigantur. Dicitur autem serotinus imber,
qui fructus ad maturitatem deducit; tem-
poraneus vero seu matutinus, qui semina
jactata in terra coalescere facit. Porro Pro-
phetæ huic in prædicta imaginaria visione
apparuit, quod Deus in principio germi-
nantium, secundum sensum jam dictum,
id est verno tempore, dum omnia virent

atque fructificant, locustas condidit et ad- A
duxit super terram Hebræorum. *Et ecce*
serotinus post tonsorem regis. Littera ista
est intricata, dumque Propheta brevitati
studuit, obscuritatem reliquit. Sic ergo or-
dinanda sunt verba : *Et ecce :* per quod
significatur magnum et considerabile esse
quod subditur; *post tonsorem regis,* id est
post adventum prædictæ locustæ fictæ a
Deo regnante, vel significante exercitum
regis Assyriorum seu Chaldæorum, sicut
dicetur : quæ locusta venit in principio
imbris serotini, et velut tonsor seu rasor B
bona terræ consumpsit; venit *serotinus,*
id est tonsor sequens tonsorem præfatum.
Quem tonsorem serotinum, Septuaginta in-
terpretes nominant bruchum : qui venit
post principium imbris serotini, et ea vo-
ravit quæ non devoravit locusta. Per lo-
custam vero ad litteram, non intelliguntur
bestiolæ, sed exercitus Assyriorum, qui
decem tribus devoravit pro magna parte;
per bruchum autem sequentem, exercitus
Chaldæorum, qui postea duarum tribuum
demolitus est regnum. Qui vero locustam C
et bruchum vellet ad idem regnum redu-
IV *Reg.* cere, faciliter invenit modum, quia Senna-
XVIII, XIX; XXIV, XXV. cherib rex Assyriorum, deinde Nabucho-
donosor rex Chaldæorum duas tribus est
persecutus. Regnum vero decem tribuum
*Ibid.*XV,19, cœpit vastari a Phul rege Assyriorum, de-
29; XVII,3-6. inde a Theglathphalasar, postremo a Sal-
manasar.

Alius quidam hanc improbat expositio-
nem, quia prædicti exercitus populum
utriusque regni vastarunt. Sed de prædi-
vers. 3. ctis plagis statim subjungetur : Misertus D
est Dominus super hoc : Non erit, dixit
Dominus Deus. Exponit ergo præhabita de
multitudine locustarum, ita quod Deus
monstravit Prophetæ se velle locustas su-
per terram inducere ad terræ nascentia
destruenda. Tamen non fecit propter pre-
cem Prophetæ. — Sed huic dicto repugnat
quod immediate subjungitur : Et factum
est, quum consummasset comedere her-
bam terræ, dixit : Domine Deus, propitius
esto. Non ergo fuit comminatio tantum,
sed et veritas seu effectus, post quem se-
cuta est Prophetæ oratio. Rursus innotescit
ex dictis, et idem ait Hieronymus, quod
Amos et Joel eodem tempore prophetave-
runt. Quod autem apud Joelem de locusta *Joel* I, 4.
et brucho annuntiatur, iste non solum de
bestiolis, sed et de hominibus per illas
significatis, exponit. Ergo et hoc loco idem
poterit dici. Præterea Joel dicit terram Is- *Ibidem.*
rael a bestiolis dictis corrosam : quomodo
ergo nunc dicitur, quod comminatio præ-
inducta non venit ad rem?

Et factum est, quum consummasset co- 2
medere herbam terræ, id est, postquam in
spiritu vidi et intellexi quid dicta visio
significaret, et præcognovi quod prædictæ
gentes vastaturæ essent utriusque regni
terram ac populum, prout in visione mihi
fuerat notificatum, *dixi* orando : *Domine*
Deus, propitius esto, obsecro, id est, noli
totum populum utriusque regni hostibus
tradere, sive destruere, sed reliquiæ ali-
quæ salvæ fiant. Et merito oro te : nam,
quis suscitabit Jacob? id est, quis præter
te poterit filios Israel ab imminente pressu-
ra eripere? *quia parvulus est,* id est, sæpe
jam minorati sunt potestate ac numero, ab
hostibusque dejecti : idcirco sua virtute
non valent resistere. *Misertus est Dominus* 3
super hoc, id est, plagam præfatam miti-
gavit placatus precibus meis ac lacrimis.
Non erit, dixit Dominus Deus, id est, to-
tum utriusque regni non destruam popu-
lum, sed reliquiæ salvabuntur. Translatis
enim decem tribubus, multi ex tribubus
illis remanserunt in terra Israel. Quod ve-
ro translatis duabus tribubus, quidam eva-
serunt Chaldæos, patet quarto Regum et IV *Reg.* XXV,
in Jeremia. 12, 22; *Jer.* LII, 16.

Sequitur visio alia. *Hæc ostendit mihi* 4
Dominus Deus, secundum sensum præta-
ctum. *Et ecce vocavit* Dominus *judicium,*
id est sententiam suæ æquitatis, vel exse-
cutorem suæ justitiæ, per quem alios ju-
dicavit, puta Nabuchodonosor regem, *ad*
ignem, dando ei voluntatem comburendi
urbes Juda et Jerusalem; *et devoravit abys-*
sum multam, id est populum copiosissi-

mum, qui ob suam multitudinem pelago A
comparatur. Vel sensus est, quod Chaldæi
cum tanto tumultu ac strepitu terram Ju-
da ingressi sunt, velut si ipsum mare ab-
sorberent. Sicque videtur locutio hyperbo-
lica. *Et comedit simul partem,* id est, ignis
IV *Reg.* xxv, 9. iste incendit atque destruxit templum Je-
rusalem : quod fuit pars Domini, tanquam
5 ejus deputatum obsequio. *Et dixi,* devote
orando : *Domine Deus, quiesce, obsecro,* id
est, cessa a pœnis istis propter sanctam
tuam bonitatem ac pietatem. Dicendo au-
tem, Quiesce, innuit quod plaga ista, sic- B
ut præcedens, fuit incepta. *Quis suscita-*
6 *bit Jacob, quia parvulus est? Misertus*
est Dominus super hoc; sed et istud non
erit, ait Dominus Deus. Omnia verba ista
jam semel exposita sunt; et impleta fue-
runt quando Chaldæos evaserunt multi ex
Ibid. xxv, 22-26; *Jer.* xl, 5-7. regno Juda, qui ad tempus habitaverunt
cum Godolia, et post cum Jeremia intro-
ierunt Ægyptum.
7 Sequitur alia visio. *Hæc ostendit mihi*
Dominus Deus. Et ecce Dominus stans
super murum litum, id est linitum, pla- C
stratum, et fortiter junctum. Apparuit au-
tem Prophetæ in visu imaginario, quod
Dominus staret supra hujuscemodi mu-
rum; sed visio ista formata fuit ministerio
angeli, qui apparuit in persona Domini.
Propter quod Dominus apparuisse narra-
tur, sicut et in visione imaginaria qua
Is. vi, 1. Isaias vidit Dominum sedentem super so-
lium excelsum et elevatum. Ibi enim an-
gelus apparuit in persona Dei, secundum
Dionysium. *Et in manu ejus* dextera *trul-*
la cæmentarii. Per murum litum intelli- D
gitur Judaicus populus, multiplici benefi-
cio Dei olim roboratus et adornatus; per
trullam vero seu linitionem, auxilium Dei.
8 *Et dixit Dominus ad me* allocutione in-
terna per angelum : *Quid tu vides, Amos?*
Nomine tenus exprimit sanctum Prophe-
tam, quasi amicum, familiarem ac notum
per approbationem et prædestinationem,
Exod. xxxiii, 17. quemadmodum ait ad Moysen in Exodo :
Te ipsum novi ex nomine. Novit enim
II *Tim.* ii, 19. Dominus qui sunt ejus. Interrogat autem

Dominus, non quasi ignorans, sed ut eru-
diat, et ad responsionem convenienter ad-
jiciat. *Et dixi : Trullam cæmentarii.* Vi-
dit enim similitudinem trullæ, et utebatur
similitudine quasi re ipsa. Est autem trul-
la instrumentum quo murus calce linitur.
Et dixit Dominus : Ecce ego ponam, id
est deponam, *trullam in medio populi mei*
Israel, id est, auxilium meum et protecti-
onem tollam ab eo. *Non adjiciam ultra*
superinducere eum, id est adornare atque
defendere populum istum, ducendo trul-
lam meam prædictam super eum. *Et de-* 9
molientur excelsa idoli, id est, loca subli-
mia et profana in quibus idola colebantur,
ab Assyriis destruentur; *et sanctificationes*
Israel, id est obsequia quibus idola hono-
rabant, seque sanctificari putabant, *deso-*
labuntur, id est, punientur et finem jam
obtinebunt, quoad hoc quod in terra pro-
pria decem tribus ista ultra non facient.
Et consurgam super domum Jeroboam IV *Reg.* xiv, 16.
filii Joas regis Israel *in gladio,* id est,
posteritatem et familiam ejus gladio ad-
versariorum exponam. Unde quarto Regum
habetur, quod Sellum interfecit Zachariam *Ibid.* xv, 10.
filium hujus Jeroboam pronepotis Jehu,
cui Dominus dixit quod filii ejus usque *Ibid.* x, 30.
ad quartam generationem sederent in so-
lio Israel. Quod in Zacharia prædicto im-
pletum est : quo occiso, Sellum regnavit.
Jeroboam vero non fuit occisus.
Et misit Amasias sacerdos Bethel, id 10
est urbis sic dictæ, et aurei vituli in ea III *Reg.* xii, 29.
repositi, *ad Jeroboam regem Israel.* Erat-
que Amasias iste, secundum Hieronymum,
pontifex sacerdotum idololatrarum, ideo
audenter mittit legatos ad regem. *Dicens :*
Rebellavit contra te Amos, id est, tibi
inobediens est, idololatriam reprobando
quam jubes exerceri, *in medio domus Is-*
rael, id est in medio decem tribuum, quas
pro viribus suis avertit ab idolis. Amasias
iste cupidus oblationum quæ vitulis im-
molabantur, suam malitiam dissimulat, de
injuria regi oblata principaliter dolere se
fingens, et regem ad persequendum Pro-
phetam provocare desiderans. Forte enim

non audebat per se malum facere Amos, A
quoniam multi de populo confluxerunt ad
eum. Unde pro eo quod nostra translatio
continet, Rebellavit contra te Amos, Sep-
tuaginta transtulerunt, Congregationes con-
tra te facit Amos, id est, populum contra
te incitat. *Non poterit terra sustinere uni-
versos sermones ejus,* id est, tanta minatur
et vaticinatur, quod populus regni Israel
non poterit ea tolerare, nisi per violentiam
compellatur : quemadmodum Salomon ait,
Prov. IX, 8. Non arguas derisorem, ne oderit te. Et te-
ste Chrysostomo, odium incurrit, qui cri- B
minosos redarguit. Hinc Amasias videns
se argui, succensus est odio contra Pro-
11 phetam. *Hæc enim dicit Amos : In gladio
morietur Jeroboam.* In hoc mentitus est
Amasias. Amos enim non dixit, Jeroboam,
sed domum ejus gladio dandam. Et in hoc
Amasias tenet speciem invidorum et calli-
dorum discordiam seminantium, imo et
adulatorum. Hi enim recitando verba alio-
rum, aliquid miscent de proprio, et aliter
repetunt quam dictum est : per quod mu-
tuam amantium caritatem inficiunt, quem- C
Ibid. XVII, 9. admodum scriptum est : Qui alio sermone
repetit, separat fœderatos. *Et Israel,* id
est populus decem tribuum, *captivus mi-
grabit de terra sua,* id est, ad Assyrios
perducetur. Verum est quod Amos præ-
dixit hoc.
12 *Et dixit Amasias ad Amos.* Utrum ver-
ba sequentia dixerit Amasias ad Amos ex
parte Jeroboam, an ex se ipso, non habeo
certum. Hieronymus tamen manifeste te-
statur, quod Jeroboam nihil ad verba Ama-
siæ respondit, vanissima legationis suæ D
verba contemnens. Sic ergo nihil respon-
dit, quia aliunde agnovit quod Amasias
falsa mandavit, vel quia ipsum Amos re-
putavit quasi arrepticium et insanum, et
verba ejus frivola, reputatione indigna. *Qui
vides,* id est tu Amos, videns, id est pro-
I Reg. IX, 9. pheta. Qui enim nunc appellatur Propheta,
olim dicebatur Videns, ut legitur primo
Regum. Vocat itaque Amasias Amos pro-
phetam, vel irrisorie, quemadmodum quar-
to Regum servi Ochoziæ dixerunt Eliæ :
Homo Dei, hæc dicit rex. Vel propter mul- IV Reg. I, 11.
titudinem populi audientis sanctum Amos,
non audet apertam irrogare injuriam. Vel
loquitur blande, quatenus facilius inclinet
ipsum Amos ad ea quæ suggerit. *Grade-
re,* id est, vade hinc, *fuge in terram Juda,*
id est ad populum duarum tribuum, ubi
Prophetæ Dei libentius audiuntur, quum
ibi sit templum et cultus Dei. Vel ideo di-
cit hoc, quoniam natus fuit hic Amos de
terra Juda, ad quam pertinuit Thecue civi- Amos I, 1.
tas Amos. *Et comede ibi panem :* ibi enim
datur a populo sustentaculum vitæ Pro-
phetis; vel, pasce ibi pecora tua, et vive.
Quasi dicat : Rex tibi minatur, ideo con-
sulo tibi ut fugias. *Et prophetabis ibi* po-
pulo tuo. *Et in Bethel non adjicies ultra* 13
ut prophetes, quia sanctificatio regis est,
id est urbs electa a rege ad vacandum cul-
tui dei nostri, quo sanctificamur, videlicet
aurei vituli, *et domus regni est,* id est re-
giam domum seu palatium habens.
Et respondit Amos, et dixit ad Ama- 14
siam : Non sum propheta. Hoc, secundum
Hieronymum et Glossam, est humilitatis,
quod se negat prophetam. Sed quum hu-
militas non in falsitate, sed in veritate
fundetur, sicut amor in cognitione, quo-
modo intelligendum est hoc, præsertim
quum nequaquam sit mentiendum? Ad
hoc Glossa respondet, quod non semper
Spiritus Sanctus administrat prophetiam
Prophetis, sed ad tempus. Et tunc recte
dicuntur prophetæ, quum illuminantur.
Quod ergo ait, Non sum propheta, intel-
lexit *modo,* ut sit sensus : Non sum pro-
pheta, id est, actualiter tactus non sum
spiritu prophetiæ.

Huic autem dicto alii quidam objiciunt :
primo, quia in utroque Testamento Pro-
phetæ vocantur, non solum qui actu tan-
guntur, sed etiam qui tangi consueverunt
spiritu prophetiæ; secundo, quia ut subdi-
tur, Amos quando hæc verba protulit, sta-
tim prædixit Amasiæ per spiritum prophe-
tiæ, quid esset passurus. Hi itaque dicunt,
quod sicut Amasias ironice dixit ad Amos,
Qui vides, sic Amos respondet ironice, vel

ironiæ sibi illatæ, Non sum, inquiens, pro-
pheta, videlicet talis qualem me reputas,
qui putas me falsum prophetam, pro tem-
porali commodo prophetantem.—Sed istis
objicitur, quod Amos sub eadem serie
sermonis et uno verborum contextu adje-
cit, Et non sum filius Prophetæ, etc., quod
utique seriose assertiveque dicitur. Præ-
terea præinductæ duæ instantiæ fieri pos-
sent contra verba Joannis Baptistæ, qui
Joann. I, 21. sacerdotibus et Levitis quærentibus, Pro-
pheta es tu? respondit : Non sum.

Est itaque respondendum, quia ut Tho-
mas et alii dicunt, prophetia non dicit do-
num habituale, sed actuale. Ideo responsio
Glossæ jam assignata, conveniens est, et
quod primo objicitur, faciliter solvitur.
Propheta enim dicitur dupliciter, scilicet
ab actu et usu seu habitu. Sed Amos lo-
quitur de Propheta primo modo. Rursus
verba Sanctorum, quibus se ipsos profunde
humiliant, pie interpretanda sunt, et suf-
ficit quod secundum aliquam considera-
tionem verificentur, quamvis absolute vera
non sunt, ut quum ait Salvator in Psalmo :
Ps. XXI, 7. Ego autem sum vermis, et non homo; Pau-
I *Cor.* XV, 9. lus quoque, Ego sum minimus Apostolo-
rum, qui non sum dignus vocari Aposto-
lus. Ad secundum argumentum dicendum,
quod homo actualiter non intelligit nisi
unum, secundum Philosophum. Ideo quan-
do Amos dicebat, Non sum propheta, non
in eodem momento actualiter intuebatur
quod postea dixit. Et forte jam dudum
audivit a Domino quod post verba hæc
prænuntiavit Amasiæ. Postremo, translatio
Septuaginta interpretum habet : Non eram
propheta. Et tunc facilius solvitur dubium
istud, quia refertur ad tempus præcedens
revelationes sancto Amos infusas.

Et non sum filius Prophetæ. Unde nec
pater hujus Amos ponitur in principio seu
titulo libri præsentis. Qui enim in titulis
Prophetarum ponuntur ut patres vel avi,
erant prophetæ secundum regulam He-
bræorum. *Sed armentarius ego sum,* id
est pastor pecorum, scilicet ovium. Secun-
dum Hieronymum, et secundum Glossam,

A fuit pastor pecorum aliorum : in quo patet
paupertas Prophetæ. *Vellicans sycomoros,*
id est frondes sycomori discerpens ad pe-
corum pastum. Sycomorus vero est arbor
quæ dicitur rubus, afferens mora quæ
famem pastorum depellunt, et folia esu-
riem pecorum. *Et tulit me Dominus,* id 15
est, in prophetam clementer assumpsit,
atque ad loca hæc destinavit, *quum seque-
rer gregem,* quem in deserto Thecue pavi;
*et dixit Dominus ad me : Vade et prophe-
ta ad populum meum Israel.* Quasi dicat
B Amos : Quum ego ex tam vili servitio ad
tam sublime officium Deo miserante pro-
motus sum, obedire debeo Deo magis
quam tibi aut alicui homini. In quibus
verbis humilitas et obedientia Prophetæ
commendatur, qui ad altiora promotus, non
erubuit prioris status declivitatem.

Et nunc audi verbum Domini tu, Ama- 16
sia, qui vetas me vaticinari hoc loco. *Tu
dicis* mihi : *Non prophetabis super Israel,*
id est populo decem tribuum, *et non stil-
labis super domum idoli,* id est, verba pro-
C phetiæ non fundes, sicut nubes stillat
guttas, Israeliticæ plebi idola veneranti.
Propter hoc, hæc dicit Dominus, id est, 17
propter hanc tuam prohibitionem mereris
audire ac pati quæ dicam : *Uxor tua in
civitate* Bethel *fornicabitur,* non sponte,
sed ab Assyriis urbem ingressis violabitur,
atque invita stuprabitur, te cernente, nec
prohibere valente; *et filii tui et filiæ tuæ
in gladio cadent,* id est, ab Assyriis truci-
dabuntur, et gravius punientur quam alii,
quia et tuis consenserunt peccatis gravis-
D simis. *Et humus tua,* id est terra quam
possides, *funiculo metietur,* id est, ab ho-
stibus mensurabitur, et alienis in certas
partes dividetur ac dabitur. Rex enim As-
syriorum, translatis decem tribubus, misit
ad terram earum gentiles, qui eam posse- IV *Reg.* XVII,
derunt, ut legitur quarto Regum. *Et tu in* 24.
terra polluta morieris, id est in regione
Assyriorum vitiis idololatriæ plena; *et Is-
rael captivus migrabit de terra sua :* ut
dictum est sæpe.

Dicit hoc loco Hieronymus : Non est

tantus dolor in filia stuprata, quantus in uxore polluta; nec tantus dolor in uxore violata, quantus in filiis trucidatis. Maritus uxorem mallet interfici, quam pollui. Grandis dolor incredibilisque ignominia, quando maritus in media civitate, cunctis præsentibus, uxoris injuriam prohibere non potest. — Denique ex his patet insuperabilis fortitudo, justitia, fiducia atque constantia sancti Prophetæ, qui pontificem tam districte tamque audacter corripuit,
Matth. x, 28. implens quod jubet Salvator : Nolite timere eos qui corpus occidunt.

Moraliter docemur ex isto capitulo, quod Dominus ad instantiam servorum suorum A minas remittit, miseretur et salvat eos pro quibus oratur. Et sicut Amasias correptus, studuit regem contra corripientem incitare; sic multi impatientes dum corripiuntur, contra correptores faciunt querelas, apud prælatos vel principes diversa crimina objicientes, et correptores a se repellentes. Horum uxor, id est caro, fornicatur, dum rationi reluctans, sensualitati substernitur, concupiscentiisque deservit. Filii quoque eorum et filiæ, id est actus et passiones, in gladio tentationis cadunt, B damnationem promerendo; et ipsi in terra polluta, id est corpore vitioso ac sordido, moriuntur.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : HÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS DEUS.

RURSUS ostendit Dominus proximum
esse tempus captivitatis populi Israel.
1 *Hæc* quæ sequuntur, *ostendit mihi Dominus Deus* in visione imaginaria : prout in
præcedenti dicebatur articulo. *Et ecce uncinus pomorum,* id est lignum curvum seu
uncus, quo rami arborum remotiores attrahuntur, ut poma dependentia, quæ cum
2 manu attingi non poterunt, colligantur. *Et
dixit* Dominus : *Quid tu vides, Amos? Et
dixi : Uncinum pomorum.*

Et dixit Dominus ad me, declarando mihi intellectualiter quid visio illa imaginaria designaret : *Venit finis super populum meum Israel :* id est, quemadmodum unco rami trahuntur, et proximi fiunt trahenti, sic proximum feci tempus captivitatis Israeliticæ plebis. *Non adjiciam ultra ut pertranseam eum,* id est, impunitum eum diutius non relinquam, sed vindicans stabo, donec dispereat. Vel sensus est, quod non consolabor eum de cetero, redimendo
3 decem tribus a captivitate. *Et stridebunt
cardines templi in die illa, dicit Dominus*
C *Deus,* id est, fragorem quemdam facient, quum destruentur, quemadmodum ædificia cadentia. Vel per stridorem templi, metaphorice insinuatur molestissima anxietas populi. Quidam per templum hoc loco intelligunt fanum in quo aureus vitulus adorabatur : et hi dicunt Prophetam jam loqui ad decem tribus dumtaxat. Hieronymus vero exponit de templo Domini in Jerusalem : ideo secundum eum, ista dicuntur contra utrumque regnum. *Multi morientur.* Assyrii enim multos ex decem D tribubus occiderunt, et multos transtulerunt. Simili modo fecerunt Chaldæi populo Juda. *Et in omni loco projicietur silentium,* id est, habitatoribus occisis vel reclamare non audentibus, erit silentium in locis et domibus duodecim tribuum. Hæc autem præsertim impleta sunt in populo Judæorum, propter Christi occisionem a Romanis dejecto : qui finaliter sunt relicti, nec habent quod rationabiliter Christianis respondeant.

Audite hoc quod minando prædico, *qui* 4

conteritis pauperem, id est vos, pauperum A
oppressores, *et deficere facitis,* id est, ad
*egenos penuriam perducitis, *pauperes* terræ* ve-
stræ, quum tamen in Deuteronomio jusse-
Deut. xv, 4. rit Deus : Omnino indigens et mendicus
non erit inter vos. Tales sunt, qui tempora
cara inducunt, et necessaria carius ven-
5 dunt. *Dicentes : Quando transibit messis*
Israel? id est, optamus ut tempus messio-
nis et abundantiæ transeat, *et venundabi-*
mus merces, id est, blada atque similia,
quæ tempore messis pro parvo pretio dan-
tur, care vendemus; *et sabbatum* quando B
transibit, in quo secundum legem non fit
venditio? *et aperiemus frumentum,* id est,
blada clausa deducemus ad publicum tem-
pore caristiæ. Hoc faciunt cupidi, qui fru-
menta reservant, ut postmodum pretiosius
venundentur : de quibus scriptum est in
Prov. xi, 26. Proverbiis, Qui abscondunt frumentum in
tempore, maledicentur. *Ut imminuamus*
mensuram, id est, mensurando aliquid
fraudulenter subtrahamus ementibus, *et*
augeamus siclum, id est pretium, venden-
do carius quo poterimus, *et supponamus* C
stateras dolosas : quemadmodum fertur in
Ps. LXI, 10. Psalmo : Mendaces filii hominum in state-
ris, ut decipiant de vanitate in id ipsum.
Hæc faciunt avari et injusti mercatores.
Contra quos Dominus in Levitico jussit :
Lev. XIX, 35. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in
6 regula, in pondere, in mensura. *Ut possi-*
*alias *possideamus* *deatis* in argento egenos,* id est, inopes
per usuram in vestram potestatem rediga-
tis, vel in tantam deducatis penuriam, quod
cogantur se vobis in servos vendere et an-
cillas, *et pauperes pro calceamentis,* id est, D
pro rebus vilibus acquiramus, possidea-
mus, vendamus; *et quisquilias frumenti,* id
est purgamenta, paleas et pulverem, *ven-*
damus una cum tritico, talia fraudulenter
miscendo cum bladis, quum tamen Jere-
Jer. XXIII, 28. mias dicat : Quid paleis cum tritico?
7 *Juravit Dominus in superbiam Jacob,* id
est contra arrogantiam populi Israel : *Si*
oblitus fuero usque in finem, id est, nun-
quam tradam oblivioni, *omnia opera eo-*
rum mala. Deus enim tamdiu recordari
dicitur peccatorum, quamdiu ulciscitur vel
non dimittit ea. Hi vero indurati erant in
vitiis, ideo æternaliter puniuntur. Vel sen-
sus est, quod Deus usque in finem mundi
deseret decem tribus, et etiam duas, et
tunc indulgebit ac miserebitur eis. Huic
quoque simile est illud in Jeremia : Pec- Jer. XVII, 1.
catum Juda scriptum est stilo ferreo in
lapide adamantino. *Numquid super isto* 8
non commovebitur terra? id est, nonne
pro tantis peccatis habitatores terræ Israel
turbabuntur? *Et lugebit omnis habitator*
ejus, id est omnes populi tribuum Israel
captivitate jam ingruente, *et ascendet* in
captivitatem et debitam pœnam, *quasi flu-*
vius, id est copiose atque celeriter, *uni-*
versus habitator seu populus Israel. Non
quod nullus evasit, sed quia comparatione
aliorum paucissimi evaserunt. Hinc in Je-
remia habetur : Numquid super his non Ibid. v, 9, 29.
visitabo, et in gente tali non ulciscetur
anima mea? In Ezechiele quoque : Terra Ezech. XIV, 13.
quum peccaverit, interficiam de ea homi-
nem et jumentum. Et in Psalmo : Hæc Ps. XLIX, 21.
fecisti, et tacui : existimasti inique quod
ero tui similis; arguam te, et statuam con-
tra faciem tuam. *Et ejicietur et defluet*
quasi rivus Ægypti.

Et erit in die illa, dicit Dominus, id 9
est in die captivitatis populi Israel : *Occi-*
det sol in meridie, id est, omnia prospera
et jucunda vertentur eis in adversa ac tri-
stia; *et tenebrescere faciam terram,* id est,
habitatores terræ Israel operiam tenebris
calamitatis, *in die luminis,* id est, quum
aliis prospera succedent. Iste quippe est
modus loquendi Scripturæ, ut dictum est Joel II, 10.
plenius Joelis secundo. *Et convertam fe-* 10
stivitates vestras in luctum, et omnia can-
tica vestra in planctum. Venientibus nam-
que Chaldæis atque Assyriis, cessaverunt
festa et cantica duodecim tribuum, et aliud
non noverunt nisi contristari et lamentari.
Et inducam super omne dorsum vestrum
saccum. Hoc dicitur, vel quia in afflictio-
ne positi, induerunt se sacco sive cilicio,
quemadmodum Ninivitæ, vel quia in capti- Jonæ III, 5.
vitatem ducebantur sacco induti. *Et super*

omne caput vestrum inducam *calvitium.* Consuetudo enim veterum fuit, ut in tristitia positi raderent capita, sicut et Job, qui tonso capite sedit in sterquilinio. Vel hoc ideo dictum est, quoniam captorum capita ab hostibus radebantur, juxta illud Deuteronomii : De captivitate nudati inimicorum capitis. *Et ponam eam,* videlicet terram Juda ac Israel, *quasi luctum unigeniti,* id est habitatores ejus in tanto mœrore et planctu, quantus est planctus matris unici filii mortem deflentis, *et novissima ejus,* id est extremam populi hujus captivitatem et punitionem, ponam *quasi diem amarum,* id est similem amaritudini mortis.

Job I, 20; II, 8.

Deut. XXXII, 42.

11 *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et emittam famem in terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini,* Christo testante : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Desiderium autem audiendi verbum Dei ad emendationem, est esurire et sitire justitiam : hoc ergo non prædicitur per modum comminationis. Quod autem nunc dicitur, est comminatio dura. Quidam igitur exponunt hæc de decem tribubus, quæ frequenter spreverunt verba Dei per Prophetas prolata. Idcirco imminente earum captivitate, quando a Prophetis quærebant consilium, meruerunt
12 privari verbo Dei per Prophetas. *Et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem circumibunt,* id est, a mari Mediterraneo usque ad mare Galilææ, et a plaga terræ suæ aquilonari usque ad partem terræ suæ orientalem, videlicet per omnes partes territorii sui pergent, *quærentes verbum Domini,* id est consilium a Prophetis, *et non invenient* consolationem. — Alii autem exponunt ista pro tempore Christi, quando Judæis ablata est spiritualis intelligentia Scripturarum, ita quod famem habent audiendi spiritualem sensum paginæ sanctæ. Quod non est intelligendum, quasi ipsi vere cupiant spiritualem hunc sensum, sed quod habent defectum hujus spiritualis cibi et potus

Matth. V, 6.

A quibus reficitur anima, quamvis ipsi ignorent se tam defectuosos et vacuos : et hic defectus vocatur nunc fames et sitis. Certum est etiam quod Judæi a tempore captivitatis suæ a Romanis, desideraverunt audire verbum consolatorium per Prophetas, sed nullus interim missus est eis. Moventur ergo a mari Britannico usque ad mare Atlanticum, id est ab occidente ad meridiem, et ab aquilone usque ad orientem; sed nihil proficiunt, quoniam unigenitum Filium Dei, Verbum quod erat in principio, obstinato corde repellunt.

Joann. I, 1.

B

In die illa deficient virgines pulchræ et adolescentes in siti. Hoc dupliciter explanatur. Primo, quod tempore captivitatis Israel ab Assyriis, vel duarum tribuum a Chaldæis, virgines et adolescentes corporali siti afflicti sunt. Secundo, quod synagogæ, quæ significantur per virgines, sicut Ecclesia dicitur virgo et sponsa, et adolescentes, id est doctores Synagogæ, olim per sapientiam floridi, defecerunt in siti verbi Dei. Primæ vero expositioni magis videntur consonare verba sequentia : *Qui jurant in delicto Samariæ,* id est per vitulos aureos, in quibus provincia tota decem tribuum gravissime deliquit, *et dicunt : Vivit dominus deus tuus, Dan,* id est vitulus aureus positus in Dan, cui vitulo divinitatem adscripserunt, *et vivit via Bersabee,* id est deus seu idolum, ob cujus adorationem imus usque ad locum Bersabee, ubi idola colebantur. Quemadmodum enim cultores veri Dei jurabant dicendo, Vivit Dominus ; sic isti per idola vitulosque jurabant. *Et cadent* coram hostibus, *et non resurgent ultra* ad pristinum statum.

13

C

14

III *Reg.* XII, 29.

I *Reg.* XIV, 39, 45; XIX, 6; XXVI, 10; II *Reg.* II, 27; III *Reg.* I, 29; II, 24; XVII, 1, etc.

D

MYSTICE *sol* occidit *in meridie,* dum tempore gratiæ vel in dimidio dierum nostrorum non illuminamur a Christo, qui est sol intelligentiæ atque justitiæ. Unde in Sapientiæ libro perditi conqueruntur : Sol intelligentiæ non est ortus nobis. *Et tenebrescere faciam* permissive, id est vitiis obcæcari, *terram,* id est homines carnales

Expositio mystica.
9

Sap. V, 6.

terrenis immersos, *in die luminis,* id est,
dum electi ac spirituales gratiæ perfun-
duntur fulgore. Super horum carnalium
10 dorsum inducitur saccus, id est contem-
ptibilis ac deformis vitiorum amictus. De
Ps. LXXII, 6. quibus cantamus : Operti sunt iniquitate
et impietate sua. Sicut enim est amictus
virtutum, ita et vitiorum. *Et super om-
ne caput calvitium.* Per caput ratio desi-
gnatur : cui infertur calvitium, dum sep-
tiformi donorum Spiritus Sancti decore
privatur, et nuda, bonoque virtutum co-
lore spoliata conspicitur. *Et ponam eam*
quasi luctum unigeniti, quoniam maxi-
me deploranda est miseria hujuscemodi
rationis.

11 *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et*
emittam famem in terram, etc. Hæc pœna-
lis atque damnosa missio famis est, dum
A Christiani optant audire verbum Dei, sed
exigente justitia Dei, non merentur illud
sortiri, quoniam ex timore pœnarum, ex
pressura adversitatum, ex privato prorsus
amore, non ordinato affectu, hoc appetunt,
et aptum tempus audiendi verbum Dei
spreverunt. Unde et quidam instante jam
hora mortis, quærunt inducias vel unius
diei, nec exaudiuntur. *In die illa deficient* 13
virgines pulchræ, id est animæ vel parti-
culares Ecclesiæ, olim gratiarum pulchri-
tudine adornatæ, quæ per negligentiam
B suam a gratia exciderunt, *et adolescentes,*
id est, qui dudum fortiter vicerunt mali- I *Joann.* II, 13, 14.
gnum, quorum renovabatur juventus ut *Ps.* CII, 5.
aquilæ, *in siti,* id est in carentia et defectu
verbi Dei, quo ex sua ruina, inconstantia
atque ignavia qua prolapsi sunt, merentur
non refici.

ARTICULUS XV

ELUCIDATIO CAPITULI NONI : VIDI DOMINUM STANTEM SUPER ALTARE.

VATICINATUR præsenti capitulo san-
ctus Propheta specialiter contra duas
tribus, seu regnum Juda, per quas et tri-
1 bus Levitica designatur. *Vidi,* in visione
imaginaria per species in sensu interiori
formatas ministerio angeli, *Dominum,* id
est angelum in persona Domini apparen-
tem, *stantem super altare* in templo Jeru-
salem; *et dixit* mihi : *Percute,* id est, a
rege et populo Chaldæorum percutiendum
prænuntia, *cardinem* templi ; vel, Dixit
angelo, Percute, id est, percuti sine cardi-
nem, non defendendo Synagogam ; vel, Di-
xit, id est, regi et exercitui Chaldæorum
inspiravit seu jussit, percutere cardinem,
in quantum hoc erat opus justitiæ, non ut
erat opus voluntatis perversæ; *et commo-
veantur,* id est cadant, *superliminaria*
IV *Reg.* XXV, 9, 13. proxima cardini : per quod destructio de-
signata est templi a Nabuchodonosor tem-
C pore Sedeciæ. *Avaritia enim in capite
omnium,* id est in corde, vel in principi-
bus Judæorum, quemadmodum in Isaia
habetur : Omnes diligunt munera; et ibi- *Is.* I, 23.
dem, Omne caput languidum, et omne cor *Ibid.* 5.
mœrens. Quod dicitur ad insinuandum
multitudinem cupidorum. Vel est distri-
butio pro generibus singulorum, non pro
singulis generum. Aliqui enim, quamvis
paucissimi, justi fuerunt in populo Juda
tempore Sedeciæ, ut Jeremias et Baruch,
et Æthiops ille qui speravit in Deo, et filii *Jer.* XXXIX, 16-18; XXXV, 18, 19.
D Rechab. *Et novissimum eorum,* id est in-
feriores ac minimos regni Juda, *in gladio*
Chaldæorum *interficiam.* Chaldæi enim
tam magnos quam parvos magna ex parte
interfecerunt.

Non erit fuga eis a facie Chaldæorum,
præsertim tempore obsidionis, et quia pau-
cissimi effugerunt; *et qui fugerit ex eis,*

IV Reg. xxv, 5, 6. *non salvabitur :* quia et Sedecias fugiens, A
et multi cum eo, a Chaldæis persequentibus
comprehensi fuerunt, et graviter tribulati,
ut patet quarto Regum. Loquitur autem
Propheta hyperbolice, secundum Hierony-
mum, ad designandum quod pauci salvati
sunt de manibus Chaldæorum : quia et
illi qui cum Johanan Ægyptum ingressi
sunt, perierunt. Verumtamen quidam ex
Jer. xliv, 28. eis salvati fuerunt, et in Judæam redie-
runt, quemadmodum Jeremias prædixit.
2 *Si descenderint usque ad infernum,* id
est, licet hoc possibile esset, quod infer- B
num intrarent ad occultandum se; vel per
infernum intelliguntur profundissimæ fo-
veæ terræ; *inde manus,* id est potestas,
mea educet eos, tradendo eos in manus
hostiles. *Et si ascenderint usque ad cœlum,*
id est, licet illuc ascenderent, *inde detra-
ham eos,* ita quod hostibus suis traden-
tur. Vel per cœlum designantur cacumi-
na montium, in quibus Chaldæi persecuti
scrutatique sunt et apprehenderunt fugi-
3 entes Judæos. *Et si absconditi fuerint in
vertice Carmeli,* montis densissimam sil- C
vam habentis, *inde scrutans,* id est, per
Chaldæos inquirens, *auferam eos,* ut ad-
versariorum incidant manus. Est autem
III Reg. xviii, 19 et seq. duplex Carmelus : unus, in quo oravit Elias,
inter Phœnicen et terram promissionis si-
I Reg. xxv, 2. tus; alius, in tribu Juda, in quo habitavit
Nabal. *Et si celaverint se ab oculis meis in
profundo maris,* id est, quamvis hoc pos-
sent, *ibi mandabo serpenti,* id est serpen-
tibus, quorum aliquod genus propter sui
caloris refrigerium commoratur in aquis,
et mordebit eos, id est, vulnus infliget. D
Quocumque ergo se verterint, non prode-
Ps. cxxxviii, 7, 8. rit eis. Propter quod dicit Psalmista : Quo
ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fu-
giam? Si ascendero in cœlum, tu illic es;
si descendero in infernum, ades, etc.
4 *Et si abierint in captivitatem coram
inimicis suis,* id est in conspectu Chaldæ-
orum, vel ante eos : solebant enim capto-
res captivos suos ante se minare ut gre-
gem ; *ibi mandabo gladio, et occidet eos*
per Chaldæos. Omnes creaturæ animatæ et
inanimatæ, rationales et irrationales, Deo
omnipotenti obediunt : non quod ejus jus-
sionem agnoscant, sed quia parent tam
prompte velut si intelligerent, et quia in
omni creatura ponitur obedientialis poten-
tia, per quam voluntati Creatoris subjici-
tur. Unde et Christus in Evangelio legitur Matth. viii, 26.
imperasse ventis et mari. *Et ponam oculos
meos super eos in malum* pœnæ, id est ad
puniendum, et oculo districtæ æquitatis
respiciam eos, *et non in bonum* consola-
tionis, id est non ad succurrendum.
Et Dominus Deus exercituum, qui tan- 5
git terram, et tabescet, id est, qui tantæ
est potestatis, ut eo jubente terra tremat, Eccli. xvi, 19.
et concutiantur fundamenta ipsius. Unde
habetur in Psalmo : Qui respicit terram, et Ps. ciii, 32.
facit eam tremere; qui tangit montes, et
fumigant. Et in libro Job : Qui commovet Job ix, 6.
terram de loco suo, et columnæ ejus con-
cutientur. Loquitur autem Propheta ad lit-
teram de terra Judæorum, quam tetigit
virga justitiæ suæ, dum omnia terræ na-
scentia a Chaldæis et Assyriis vastaban-
tur : quam et tempore Oziæ fecit sensibi- Amos i, 1; Zach. xiv, 5.
liter tremere in certo loco. Propter quod
subditur : *et lugebunt omnes habitantes
in ea,* id est Judæi ab hostibus opprimen-
di. Quod si terra insensibilis suum quo-
dammodo sentit creatorem, et ad nutum
illius concutitur : quanto magis homo fra-
gilis, cujus thesaurus seu anima in labili II Cor. iv, 7.
vase est fictilis corporis? Propterea in Ec-
clesiastico habetur : Ecce cœlum et cœli Eccli. xvi, 18-20.
cœlorum, abyssus et universa terra, et om-
nia quæ in eis sunt, in conspectu Dei com-
movebuntur, montes simul et colles; et
quum conspexerit illa Deus, tremore con-
cutientur : et in omnibus his insensatum
est cor hominis. *Et ascendet sicut rivus
omnis* consummatio ejus, id est, terra seu
populus Judæorum ibit in manus adver-
sariorum copiose, cito, et universaliter,
quemadmodum rivus, quo consummatio
ista significatur, ascendit ex fonte; *et de-
fluet,* id est deficiet, *sicut fluvius Ægypti,*
id est Nilus currens in mare.
Qui ædificat in cœlo empyreo *ascen-* 6

sionem suam, id est Sanctos ipso fruen- A
tes, quos in cœlo isto constituit. Et in eis
ascendit per beatitudinis gloriam et con-
templationem altissimam, sicut cum am-
bulantibus ambulat, cum quiescentibus
Ps. cii, 19. conquiescit. Hinc fertur in Psalmo : Domi-
nus in cœlo paravit sedem suam. In Deu-
Deut. teronomio quoque : Ascensor cœli auxili-
xxxiii, 26, 27. ator tuus ; magnificentia ejus discurrunt
nubes ; habitaculum ejus sursum, et sub-
ter brachia sempiterna. Vel sic : Qui ædi-
ficat, id est, firmiter ponit, in cœlo jam
dicto, ascensionem suam, id est habitatio- B
nem suam sublimem. Quamvis enim ubi-
que sit, tamen in cœlo isto specialiter esse
et habitare asseritur, eo quod ibi subli-
mius operetur, et clarius videatur. Deni-
que quotidie ædificat in cœlo ascensionem
suam, quum Sanctos suos de imis ad cœ-
lestia elevat, quibus ipse præsidet, atque
in eis ascendit. In viatoribus quoque de-
Philipp. iii, 20. votis, quorum conversatio est in cœlis, as-
cendit, dum corda eorum sublimiter et
clementer inhabitat. *Et fasciculum suum,*
id est parvulum gregem electorum, de quo C
Luc. xii, 32. ait : Nolite timere, pusillus grex, quia com-
placuit Patri dare vobis regnum ; *super*
terram fundavit, id est, per fidem, cari-
tatem et gratiam in militanti Ecclesia ro-
boravit. Vel si expositio ista videtur nimis
spiritualis, potest per fasciculum intelligi
collectio Judæorum in terra promissionis
olim fundata, quæ parva fuit comparatione
hominum aliorum. Quidam vero nomine
fasciculi intelligunt regionem elementa-
rem, quæ parva est respectu cœlestium
corporum. Sed quum aqua, aer et ignis, D
sint naturaliter leviora quam terra, non
proprie dicuntur super terram fundata.
Porro, quod homines nomine fasciculi de-
signentur, constat ex eo quod Christus in
Matth. xiii, 30. Evangelio de reprobis loquitur : Colligite
primum zizania, et alligate ea in fascicu-
los ad comburendum. In Isaia quoque de
malis angelis et reprobis hominibus scri-
Is. xxiv, 22. ptum est : Congregabuntur in congregatio-
ne unius fascis.

Qui vocat aquas maris, id est, vapores
de mari levatos concludit in nubibus, *et*
effundit eas super faciem terræ. Dominus
nomen ejus. Hoc supra expositum est. *Amos* v, 8.

Consequenter Dominus reprimit præ-
sumptionem et inanem gloriationem Ju-
dæorum, qui se aliis præferebant propter
generis nobilitatem et de Ægypto eductio-
nem. Dominus ergo ostendit quod ipse sit *Act.* x, 36,
omnium Deus, et sine personarum acce- 34 ; *Galat.* ii, 6 ; *Gen.* ii,
ptione provisor, et omnes ex eodem luto 7.
formavit, atque de loco uno in alium trans-
tulit. *Numquid non ut filii Æthiopum vos* 7
estis mihi, filii Israel? ait Dominus : id
est, imo sicut Æthiopes pertinent ad me
jure creationis et gubernationis, ita et vos,
o Israelitæ. *Numquid non Israel ascende-*
re feci de terra Ægypti (ut patet in Ex- *Exod.* xii-
odo)? *et Palæstinos,* id est Philistæos, quos xiv.
Septuaginta communiter nominant alieni-
genas, quum tamen alienigena sit nomen
commune ad omnes gentiles, a populo Dei
et Deo extraneos, *de Cappadocia* adduxi in
terram in qua nunc demorantur ? quasi
dicat, Hoc feci, ut legitur in Deuteronomio. *Deut.* ii, 23.
Et Syros, qui nunc habitant in Damasco
et urbibus ejus, ascendere feci *de Cyrene*
civitate Libyæ ultra Ægyptum?

Ecce oculi Domini super regnum pec- 8
cans, id est, peccata regis et servorum ejus
considerat, ut inferat debitam pœnam. Om-
nium enim regnorum est Deus justus ju- *Ps.* vii, 12.
dex. Propter quod in libro Job dicitur :
Ipse novit hominum vanitatem ; et videns *Job* xi, 11.
iniquitatem, nonne considerat ? *Et conte-*
ram illud a facie terræ, id est, peccatores
regionum delebo a terra per mortem, ca-
ptivitatem, seu aliam ultionem. Propter
quod in Daniele habetur : Ipse transfert *Dan.* ii, 21.
regna atque constituit ; et alibi, Sedes du- *Eccli.* x, 17.
cum superborum destruxit Deus, et sedere
fecit mites pro eis. *Verumtamen conte-*
rens, id est, alia regna peccantia destru-
ens, *non conteram domum Jacob,* id est,
populum duodecim tribuum Israel non
totaliter destruam ; sed reliquiæ salvabun-
tur, et remanebunt ex eis usque in finem
sæculi. In veteri enim Testamento semper
exhibuit Deus aliquid specialis pietatis et

gratiæ populo huic. Unde scribitur quarto
IV *Reg.* XIV, 27. Regum, quod Dominus non fuit locutus ut
penitus deleret Israel de terra.
9 *Ecce enim ego mandabo,* id est, præcipiam fieri, quod subditur, scilicet : *et concutiam in omnibus gentibus domum Israel,* id est, plebem Israeliticam seu duodecim tribus, hinc inde per diversas nationes ac terras dispergam et affligam, ut per flagella purgentur, *sicut concutitur triticum in cribro,* id est, quemadmodum triticum ventilatur seu agitatur in cribro, ut grana purgentur; *et non cadet lapillus super terram :* id est, purum granum, seu pœnitens, qui in adversis patientiam conservando, est lapillus per animi firmitatem, non excidet neque peribit; sed qui non emendantur, de quibus subjungitur.
10 *In gladio morientur omnes peccatores populi mei,* id est mali et obstinati Judæi, qui flagellis non emendantur, sed tanquam paleæ labuntur de cribro : idcirco in area Dei non reponuntur. Huic parabolicæ locutioni simile est illud Præcursoris, quod
Matth. III, 12; *Luc.* III, 17. ait de Christo in Evangelio : Cujus ventilabrum in manu ejus, et permundabit aream suam; et triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili. *Qui* peccatores *dicunt : Non appropinquabit, et non veniet super nos malum,* id est, punitio quam Prophetæ nobis minantur, non infligetur nobis. Non enim credebant Prophetarum sermonibus.

Postquam Propheta comminatus est duro populo Judæorum, nunc secundum consuetudinem Prophetarum promittit ei ju-
11 cunda ac prospera. *In die illo suscitabo tabernaculum David quod cecidit.* Non oportet jam immorari aut deliberare quomodo exponenda sit præsens scriptura, quum ipse beatissimus frater Domini S. Jacobus, primus Jerosolymorum episcopus, eam exponat de reparatione Ecclesiæ Christi et conversione gentilium. Nempe, ut
Act. XV, 5 *et seq.* in Actibus legitur, quum quidam ex Judaismo credentes, tamen hæretici, dicerent contra Paulum et Barnabam, oportere

A servare legalia cum Evangelio, Paulus et Barnabas ceterique Apostoli convenerunt videre de verbo hoc. Quumque Petrus probasset quomodo Deus per suam prædicationem convertisset quosdam gentilium, dans eis in signo visibili Spiritum Sanctum sicut Apostolis, qui tamen gentiles circumcisi non erant, nec servabant legalia; Jacobus, verba Petri approbans, ait : Viri fratres, audite me. Simon narravit *Act.* XV, 13 *et seq.* quemadmodum primum Deus visitavit ex gentibus sumere populum nomini suo. Et B huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est : Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David quod cecidit, etc. Allegatque Jacobus hanc scripturam secundum translationem Septuaginta interpretum, quæ fuit tunc solita atque authentica.

Est igitur sensus : *In die illo,* quando videlicet populus Israel dispersus fuerit per omnes gentes : quod maxime fuit in Christi adventu. Unde in Actibus habetur, quod *Ibid.* II, 5. in Jerusalem erant habitantes Judæi viri C religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Itaque, tempore novæ legis, seu in exordio evangelicæ prædicationis per Christum ante passionem suam, et præcipue per Apostolos post resurrectionem et Spiritus Sancti missionem, *suscitabo,* id est, a ruina peccati levabo, et per Apostolorum prædicationem ac gratiæ infusionem vivificabo, *tabernaculum David,* id est Ecclesiam Christi, intelligendo per Ecclesiam hanc, universitatem fidelium a principio mundi usque ad finem ipsius. De qua in D Evangelio dicitur : Simile est regnum cœ- *Matth.* XX, 1. lorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane, videlicet in prima mundi ætate, conducere operarios in vineam suam. De hoc tabernaculo scriptum in Apocalypsi est : Ecce tabernaculum Dei cum homini- *Apoc.* XXI, 3. bus, et habitabit cum eis. Quod autem per David intelligatur ad litteram Christus, patet in multis locis Scripturæ. Scriptum est enim in Ezechiele : Salvabo gregem me- *Ezech.* XXXIV, 22, 23. um ; et suscitabo super eum pastorem unum, qui pascat eum, David servum me-

Jer. xxx, 9. um. In Jeremia quoque : Servient Domino A
Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis. *Quod* tabernaculum *cecidit* in his
qui ad idololatriam aliaque diversa peccata declinaverunt ante legem et sub lege.
Apostoli quoque multos Judæorum peccato collapsos suscitaverunt, et in tabernaculo isto quasi vivos lapides posuerunt.

Et reædificabo aperturas murorum ejus, id est, errores et vitia utriusque populi,
scilicet gentilis et Hebræi, sanabo, dando omnibus unam fidem, unam spem, unamque caritatem, ut sint unum in Christo, B
nec habeant scissuras sectarum, vel deos
Act. iv, 32. diversos. Multitudinis enim credentium
erat cor unum et anima una. Prædicti autem duo populi sunt muri seu parietes Ecclesiæ, ex quibus in Christum lapidem angularem concurrentibus, resultat una domus Ecclesiæ, quemadmodum ad Ephe-
Ephes. ii, 14. sios dicit Apostolus : Ipse est pax nostra,
Ibid. 21, 22. qui fecit utraque unum; et rursus : In quo
omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino; in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spi- C
ritu Sancto. *Et ea quæ corruerunt, instaurabo,* id est, membra Ecclesiæ vitiis lapsa, per gratiam reformabo, ut domus militantis Ecclesiæ sit perfecta ac integra merito ac numero. *Et reædificabo illud sicut in diebus antiquis,* id est, tabernaculum istud ad tantam spiritualium gratiarum abundantiam, virtutum perfectionem, et mysticam unitatem perducam, ut comparetur perfectioni ac statui quos habuit præteritis temporibus, quando in majori gratiæ excellentia fuit, sive ante diluvium, sive post, D
tempore Patriarcharum, Prophetarum, vel regum Juda, præsertim David et Salomonis : imo multo eminentior fuit gratia Ecclesiæ tempore novæ legis, quam unquam ante. Ideo enim tempus Evangelii dicitur tempus gratiæ.

12 *Ut possideant* per spiritualem præsidentiam sancti Apostoli et discipuli, ac successores eorum : de quibus dictum est,
Ps. xliv, 17. Constitues eos principes super omnem ter-
Ps. xlvi, 10. ram; et, Principes populorum congregati
sunt cum Deo Abraham : *reliquias Idumææ,* id est electos Idumæorum, quos converterunt ad fidem. Verumtamen nomine Idumææ, quæ interpretatur sanguinea vel terrena, designatur gentilitas, quæ operibus carnis et sanguinis erat polluta. *Et omnes nationes,* quibus fidem Christi nuntiaverunt, et apostolicis fecerunt obedire
mandatis. In omnem enim terram exivit *Ps.* xviii, 5.
sonus eorum ; et dici non potest, quam prompte atque humillime innumerabiles gentes conversæ Apostolis obedierunt. *Eo quod invocatum sit nomen meum super eos :* id est, ego ipse ab Apostolis invocatus ac deprecatus sum super gentes, seu pro gentibus, ut illis misererer; vel ipsæ gentes conversæ me invocaverunt pro gratia obediendi apostolicis documentis. De
hoc nomine ait Christus ad Patrem : Mani- *Joann.* xvii, 6.
festavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Denique Idumæi specialiter exprimuntur, quia et Isaac dixit ad Esau
patrem Idumæorum : Dominum tuum il- *Gen.* xxvii, 37.
lum (scilicet Jacob patrem Apostolorum) constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi. Quæ promissio seu benedictio impleta fuit in posteris fratrum illorum. Vel ideo, quoniam Judæi et Idumæi ex Isaac descenderunt per duos fratres.

Insuper, pro eo quod nostra translatio habet, Reædificabo illud, ut possideant reliquias Idumææ et omnes nationes, Septuaginta transtulerunt : Instaurabo ea, ut requirant me reliqui hominum et omnes gentes. Sicque Jacobus allegavit. Judæi vero carnales omnia carnaliter intelligentes, præstolantur ista implenda in adventu sui Messiæ, a quo asserunt pulcherrimum templum construendum, et omnes nationes sibi subjiciendas.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et 13
comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen. Ista, secundum Glossam, ad litteram contigerunt Judæis a Babylonica captivitate reversis, quia tunc arationi successit messio; et vindemiæ, jactatio seminis in terram. Sicque arator comprehendit messorem, ad segetum mes-

sionem perveniendo, ita quod qui aravit,
adeptus est fructus, et messor effectus.
Et simile est de calcatore uvæ seu vindemiatore, et seminatore. *Et stillabunt montes dulcedinem,* id est, dulces fructus producent : Judæa enim montuosa est ; *et omnes colles culti erunt,* id est ad fructificandum parati. Per quod terræ fertilitas designatur.

14 *Et convertam captivitatem populi mei
Israel,* id est duarum tribuum : de quibus in isto capitulo principaliter agitur, quæ de Babylone in Judæam reversæ sunt. *Et ædificabunt civitates desertas, et habita-
I *Esdr.* II, 1, 70. *bunt in eis.* Hoc in libro Esdræ satis describitur adimpletum. Chaldæi enim urbes Juda destruxerunt, quas isti reparaverunt. *Et plantabunt vineas, et bibent vinum earum; et facient hortos, et comedent fru-
15 ctus eorum,* videlicet poma. *Et plantabo
eos super humum suam,* id est in propria terra; *et non evellam eos ultra de terra sua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* Hoc intelligendum est conditionaliter, scilicet, si legem Dei tenuissent, et Christum fideliter recepissent. Sic enim communiter intelliguntur promissiones propheticæ, ut dictum est plenius. Vel ideo dicitur hoc, quoniam per tempus notabiliter longum in Judæa demorati sunt.

Alii exponunt hunc passum spiritualius et satis catholice, sequentes (ut apparet) S. Hieronymum, qui locum istum exponit
13 multum obscure. *Ecce dies veniunt, dicit
Dominus,* id est tempus evangelicæ legis, *et comprehendet arator messorem,* id est, prædicatores novi Testamenti, præsertim Apostoli, cito ad conversionem aliorum pertingent, et conversos in horreum Ecclesiæ, quasi optima blada constituent. Unde
Coloss. I, 23. ad Colossenses dicit Apostolus, prædicatum esse Evangelium in omni creatura quæ sub cœlo est. Et Lucas dicit in Actibus,
Act. II, 47. quod Dominus quotidie addidit qui salvarentur : quod ibi dicitur de Judæis. *Et calcator uvæ,* id est martyr Christi, mortem ac dæmonem calcans (unde calcator uvæ, est interpretator seu propinator sacræ Scri-

A pturæ), comprehendet *mittentem semen,* id est, seminator erit, alios verbo et exemplo convertendo. Vel sensus est, quod tales facient discipulos, potentes semen verbi Dei aliis prædicare : qualis fuit sublimis Dionysius eruditus a Paulo, Polycarpus et Ignatius docti a Joanne. *Et stillabunt montes dulcedinem,* id est, majores doctores Ecclesiæ, puta Apostoli, in omni gratia eminentes, suavitatem evangelicæ legis, doctrinæ seu gratiæ aliis exhibebunt ; *et omnes colles,* id est inferiores fideles, *culti*
B *erunt,* id est adornati charismatibus Spiritus Sancti.

Et convertam captivitatem populi mei 14
Israel, id est omnium fidelium, eruendo eos a jugo diaboli, et servitute peccati. *Et ædificabunt civitates desertas,* id est, congregationes lapsas ac steriles, a Deo olim relictas, prædicando convertent, ut fide et caritate imbutæ, sint templum, civitas, seu Ecclesia Dei, *et habitabunt in eis,* id est, cum talibus conversabuntur. *Et plantabunt vineas,* id est, sapientes ac gratiosos
C facient discipulos, qui tanquam vinea poterunt alios potare, reficere, lætificare, inebriare, *et bibent vinum earum,* id est, de fructuosa conversatione et copiosa doctrina illorum cordialiter exsultabunt ; *et facient hortos,* id est claustrales, sub regula quasi infra sepem constrictos, *et comedent fructus eorum,* id est, de fecunda vita illorum reficientur in spiritu. *Et plantabo eos* 15
super humum suam. Nunc enim in terra peregrinationis hujus conservantur a Deo, et usque ad finem mundi durabit fides ca-
D tholica ; postmodum autem plantabuntur in terra viventium, in regno cœlorum, in patria triumphantis Ecclesiæ, a qua nunquam evellentur. Hæc demum expositio vult litteralis esse, quia frequenter loquuntur Prophetæ de spiritualibus bonis per similitudinem corporalium rerum.

POSTREMO, tropologia hujus capituli pro majori parte elucescit ex præinductis ; pauca tamen verba moralizanda sunt. *Dominus Deus qui tangit terram,* id est, cor

Expositio tropologica.
5

peccatoris compungit, et timore judicii ac A
pœnarum configit, *et tabescet,* id est, stu-
pidum fiet in se præ admiratione enormi-
tatis vitiorum suorum, et præ horrore in-
cidendi in manus Dei viventis, *et ascendet*
sicut rivus consummatio, id est, cito pro-
ficiet, et a timore ad amorem tendendo
perficietur, *et defluet* a se ipso, ac resol-
Ps. LXXXIII, 3. vetur in Deo, ut dicere queat : Concupiscit
et deficit anima mea in atria Domini.
7 *Numquid non ut filii Æthiopum vos es-*
tis mihi, filii Israel? Quando gentiles vitiis
denigrati, Christi Baptismate loti sunt, et B
fide ac gratia resplenduerunt, tunc similes
fuerunt in Ecclesia Judæis ad Christum
Rom. x, 12. conversis. Non enim est distinctio Judæi
Galat. VI, 15; V, 6. et Græci, secundum Apostolum; et in Chri-
sto Jesu neque circumcisio est aliquid, ne-
que præputium, sed nova creatura, et fides
8 quæ operatur per dilectionem. *Verumta-*
men conterens non conteram domum Ja-
cob, id est, Ecclesiam Christianorum sup-
plantantium vitia, quamvis peccet, non
totaliter destruam.
9 *Concutiam in omnibus gentibus domum* C
Israel, id est, electos ubique inter repro-
bos conversantes, nunc per diversa flagel-
Act. XIV, 21. la corripiam et purgabo, quia per multas
tribulationes oportet nos ingredi regnum
cœleste, *sicut concutitur triticum in cri-*
bro : secundum sensum jam positum; *et*
non cadet lapillus super terram, id est,
nullus electorum peribit, quemadmodum
ait Salvator : Pater, quos dedisti mihi, ego Joann. XVII, 12.
servabam, et nullus ex eis periit. Hinc
rursus testatur : Simile est regnum cœlo- Matth. XIII, 47.
rum sagenæ missæ in mare; et post pau-
ca : Bonos, inquit, elegerunt in vasa sua, Ibid. 48.
malos autem foras miserunt. *In gladio* 10
morientur omnes peccatores populi mei, id
est impœnitentes Christiani, hoc est, per
sententiam Christi damnabuntur, quod est Apoc. XXI, 8.
mors secunda. De quo gladio scriptum est
in Apocalypsi : Ex ore ejus procedit gla- Ibid. I, 16.
dius ex utraque parte acutus. Et in Isaia
Christus fatetur : Posuit os meum quasi Is. XLIX, 2.
gladium acutum. *Qui dicunt : Non appro-*
pinquabit, et non veniet super nos malum,
id est vindicta divinæ justitiæ. Tales sunt
vane securi, intimorati, improvidi, præ-
sumptuosi. Multi quoque Christiani vocan-
tur, et tamen vix credunt vera esse, quæ
de futuro sæculo, de judicio Dei, de pœnis
inferni ipsis prænuntiantur.
In die illo suscitabo tabernaculum Da- 11
vid quod cecidit. Utinam Deus Ecclesiam
Christi, quæ nunc ad magnum lapsum
devenit, ad pristinum dignetur reducere
statum, ad nostram salutem, et sui ipsius
honorem, laudem, ac gloriam, qui est su-
per omnia Deus sublimis et benedictus.
Amen.

ENARRATIO

IN ABDIAM PROPHETAM

PROŒMIUM

DICUNT doctores Hebræi atque catholici, hunc esse Abdiam qui fuit dispensator domus Achab regis Israel. Qui Abdias, quum Jezabel occideret prophetas Domini, internecioni subtraxit et in speluncis abscondit centum prophetas, quinquagenos et quinquagenos, pavitque eos. Unde et spiritum prophetiæ accipere meruit. Sepultus est autem in civitate Sebaste, quæ olim Samaria vocabatur. Vaticinatur vero contra Idumæos, qui tanto gravius peccaverunt, persequendo populum Judæorum, quanto amplius tenebantur eos diligere, eo quod de duobus fratribus descenderunt. Denique teste Hieronymo, Abdias quo brevior, eo profundior.

III *Reg.* XVIII, 3, 4.

ENARRATIO

IN ABDIAM PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

VISIONIS ABDIÆ PROPHETÆ LITTERALIS EXPOSITIO : VISIO ABDIÆ. HÆC DICIT DOMINUS AD EDOM.

1 PRÆMITTIT Abdias hic titulum duo A verba continentem, dicendo : *Visio Abdiæ,* id est, prophetica revelatio, intellectualisque visio ostensa seu facta Abdiæ, est quæ consequenter describitur, scilicet : *Hæc dicit Dominus Deus ad Edom,* id est, ad Idumæos pertinent quæ sequuntur. Non enim ad eos Deus locutus est ista immediate per Prophetam, ita quod ipsi verba hæc audierunt ; sed de eis, et ad eos, quamvis absentes, loquitur per Abdiam. *Auditum,* id est prophetalem revelationem, et sermonem internum ministerio B angeli subministratum, Idumæorumque populum concernentem, *audivimus,* præsertim auribus cordis, angelis sanctis in nobis loquentibus, *a Domino,* tanquam a principali illuminatore, qui per angelos aperit et informat animos Prophetarum. Ait autem pluraliter, Audivimus, quia de ista materia factæ sunt revelationes multis Prophetis : imo pene omnia quæ in visione Abdiæ scribuntur, in Jeremia loco quodam habentur. In Ezechiele quoque, et in Malachia, itemque in Isaia de puni- C tione Idumæorum fit sermo. Et hoc sciendum, quod sicut frater Jacob trinomius fuit, quoniam dictus est Esau, et Edom ob corporis sui ruborem. Edom enim interpretatur sanguineus. In Genesi autem legitur Edom vocatus propter lenticulam, de qua dixit ad Jacob : Da mihi de coctione hac rufa. Tertio appellatus est Seir, id est pilosus, quia in modum pellis hispidus fuit. Simili modo posteri ejus, seu populus de ejus semine propagatus, tribus his vocatur nominibus, scilicet Edom, Seir, et Esau, sicut posteri Jacob frequenter nomine Jacob et Israel designantur.

Jer. XLIX, 7-22. *Ezech.* XXXV; *Malach.* I, 2-4; *Is.* XXXIV, 5, 6.

Gen. XXV, 30.

Ibid. 25.

Et legatum ad gentes misit. Per hunc legatum Hieronymus intelligit Jesum Christum mediatorem Dei ac hominum, de quo ait Aggæus : Veniet Desideratus cunctis gentibus. Et ne putemus hoc mystice dictum, Glossa apertius protestatur : Legatus est homo Christus Jesus, qui mittitur ad Nabuchodonosor et exercitum ejus, ut veniant ad destructionem Idumæorum. Unde et Beda : Legatum, inquit, misit Deus ad gentes, id est, Filium suum ac Verbum direxit ad Nabuchodonosor. Sed quomodo intelligenda sunt hæc, quum Filius tempore illo nondum fuerat incarnatus, et secundum divinam naturam suam non est inferior Patre ? Et respondendum, quod duplex est missio Filii Dei. Una spiritualis ac invisibilis, quæ competit ei secundum divinitatem, ut mitti dicatur a Patre ad eos quibus Deo Patre volente et dante aliquid inspiravit. De qua missione Verbi

Agg. II, 8.

Dei, seu increatæ ac genitæ sapientiæ Pa-
Sap. ix, 10. tris, scriptum est in Sapientiæ libro : Mit-
te illam de cœlis sanctis tuis, et a sede
magnitudinis tuæ. Alia autem est missio
ejus visibilis et humana, quæ convenit ei
ratione naturæ assumptæ. — Denique qui-
dam per legatum istum, intelligunt divi-
num instinctum, qui excitavit inimicos
Idumæorum ad præliandum contra eos. Po-
test quoque per legatum istum intelligi
angelus Dei, vel bonus vel malus. In quan-
tum enim Idumæi per sua facinora meru-
erunt hostibus tradi, et in quantum Deus
præordinavit eos a Chaldæis vastari, sic
angelus bonus instigavit gentem Chaldai-
cam contra Edom. In quantum vero Chal-
dæi fecerunt hoc mala intentione, crudeli-
que animo, sic angelus malus provocavit
eos adversus Idumæos. Vel certe legatus
fuit ipse Nabuchodonosor, quem Deus per
Jer. xxv, 9. Jeremiam nominat servum suum : qui,
Deo volente, gentibus sibi subjectis præ-
cepit aggredi Idumæos.

Præfatus ergo legatus quocumque modo
intelligatur, dixit per inspirationem occul-
tam, vel externam allocutionem : *Surgite,*
id est, ad præliandum vos præparate, *et
consurgamus adversus eum,* id est contra
populum Edom seu Idumæorum, *in præ-
lium.* Quasi dicat : Ne timeatis, quia ad-
sistam vobis, et ero in acie. Vel verba ista
dicuntur ex persona gentium, ad desi-
gnandum confœderationem earum contra
Edom, ita quod se cohortantur ad præ-
lium.

Deinde Dominus ait ad populum Idu-
2 mæorum : *Ecce parvulum,* id est numero
modicum, *dedi te in gentibus,* id est inter
gentes in circuitu tuo commorantes, ita
quod nationes aliæ multitudine et pote-
state te excedunt. Ideo subditur : *contem-
ptibilis tu es valde,* id est vilior et impoten-
tior aliis. Verumtamen in libro Numerorum
Num. xx, 20. habetur, quod rex Edom cum infinita mul-
titudine egressus est obviam filiis Israel,
quando petierunt proficisci per terram il-
lius. Unde non videtur certum, quod Idu-
mæi erant numero pauciores aliis gentibus.

A Ideo alii exponunt hoc modo : Ecce par-
vulum dedi, id est, dabo te, ita quod tot
occidentur de tuis, quod reliqui erunt pau-
cissimi. Sicque more prophetico ponitur
præteritum pro futuro. Quo facto, contem-
ptibiles facti sunt Idumæi.

Superbia cordis tui extulit te, id est, 3
tumenter erexit ultra vires tuas et pro-
priam conditionem, *habitantem in scis-
suris petrarum,* id est in cavernis seu
speluncis saxorum, ita quod tecta domo-
rum non habes. Terra quippe Idumæo-
B rum, secundum Glossam, sub nimio solis
calore est sita, idcirco in cavernis petra-
rum morantur. Alii tamen per cavernas
petrarum intelligunt ædificia difficiles ac-
cessus habentia. *Exaltantem solium tu-
um,* id est regiam vel judiciariam tuam
potestatem, in qua nimis confidis. *Qui
dicis in corde tuo : Quis detrahet me in
terram?* id est, quæ gens poterit me su-
perare et conculcare? ac si fortior omni-
bus esses. Hanc elationem Deus retundit,
subdendo : *Si exaltatus fueris ut aquila,* 4
C id est, quantumcumque erexeris atque
prætuleris te aliis, sicut aquila omnibus
avibus altius volat, *et si inter sidera po-
sueris nidum tuum,* id est, quamvis hoc
posses aut faceres ; *inde detraham te, di-
cit Dominus,* id est, nihilo minus humi-
liarem et hostibus darem te. Aquila, ut
refert Hieronymus, cunctis avibus altius
volat ; tamque acutissimi visus est, ut
quum super mare immobili penna fera-
tur, nec humano visu possit intueri, de
tanta sublimitate pisciculos videt natare :
D qui quum juxta littus fuerint, descen-
dit, raptamque prædam ad littus pertrahit
pennis.

Deinde prædicitur omnimoda spoliatio
Idumæorum. *Si fures introissent ad te,* 5
o popule Idumææ, *si latrones per noctem*
habitacula tua intrassent, *quomodo conti-
cuisses?* id est, non tacuisses, si vigilas-
ses, et illos adesse novisses. *Nonne furati
essent sufficientia sibi?* id est, tantum abs-
tulissent, quantum potuissent portare, et
cetera reliquissent, vel quædam omnino

dimisissent, eo quod non auderent omnia
loca, præsertim secretiora, intrare. Sunt
enim timidæ tales personæ. *Si vindemia-*
tores introissent ad te, id est ad vineam
tuam, ut deponerent uvas, *numquid sal-*
tem racemum reliquissent tibi ? id est,
imo quosdam racemos inter folia latitan-
tes, vel sibi superfluentes, stare permi-
sissent. Hæc dicuntur, ad insinuandum
cupiditatem et crudelitatem Chaldæorum,
qui nihil de substantia Idumæorum dimi-
serunt, sed omnia diripuerunt, sicut sub-
6 jungitur : *Quomodo scrutati sunt Esau ?* id
est, tam populum quam divitias ejus di-
ligentissime quæsierunt, ad occidendum
vel deprædandum. *Investigaverunt abs-*
condita ejus, id est subterranea tuguria,
quibus Idumæi utuntur, vel bona posses-
sa, quæ absconderunt in secretissimis an-
tris aut loculis.

7 *Usque ad terminos emiserunt te,* id
est, de propriis te finibus ejecerunt. *Om-*
nes viri fœderis tui, id est, qui tibi paulo
ante confœderati erant, ut Moabitæ, Am-
monitæ, vel alii, *illuserunt tibi,* id est
deceperunt : quoniam rege atque exercitu
Chaldæorum veniente exterriti, non au-
debant tibi adstare, sed illis se conjunxe-
runt adversum te. Et in hoc aggravatur
calamitas tua, quod ab his impugnaris
de quorum amicitia præsumebas. Gravius
enim est ab amicis affligi, juxta illud in
Ps. LIV, 13. Psalmo : Quoniam si inimicus meus ma-
ledixisset mihi, sustinuissem utique, etc.
Job XII, 4. Propterea scriptum est in libro Job : Qui
deridetur ab amico suo, invocabit Domi-
num, et exaudiet eum. *Invaluerunt ad-*
versum te viri pacis tuæ, id est, prædicti,
cum quibus dudum pacem habebas, una
cum Chaldæis te superaverunt, et occidi
seu captivari te adjuverunt. *Qui comedunt*
tecum panem, ponent insidias subter te,
id est, qui erant commensales tui, jungent
se adversariis tuis, dabuntque eis consi-
lium quomodo facilius capiaris ac decipi-
aris. Hoc nempe fecerunt partim timore,
et partim ut per hoc favorem Chaldæorum
obtinerent. Et quoniam amici et commen-
A sales Idumæorum fuerunt, melius noverant
modum circumveniendi et obsidendi co-
arctandique eos. Propter quod posuerunt
eis insidias. Omnia hæc a Jeremia descri- Jer. XLIX, 7-22.
buntur. *Non est prudentia in eo,* id est,
nulla providentia et circumspectio inest
populo Edom, qui tam incaute confisus
est in infidelibus amicis, nec aliquem mo-
dum evadendi invenit.

Numquid non in die illa, id est tem- 8
pore vastitatis Idumæorum, *dicit Domi-*
nus, perdam sapientes de Idumæa, id
B est, sapientes hujus terræ ostendam fuisse
insipientes, et sapientiam eorum esse stul-
titiam, *et prudentiam* perdam *de monte*
Esau, id est de habitantibus in terra fi-
liorum Esau montuosa ? Non quod popu-
lus iste habuerit veram sapientiam atque
prudentiam, sed quia putabant se pruden-
tes ac sapientes, intenti divinationibus,
auguriis ceterisque superstitionibus. Quo-
rum stultitia innotuit, dum imminentia
pericula nec prænoscere neque effugere
potuerunt. *Et timebunt,* o Edom, *fortes tui* 9
C *a meridie,* id est ad meridianam terræ
tuæ partem manentes, quando per illam
partem adversarii terram tuam ingressi
sunt, *ut intereat vir de monte Esau,* id
est, timorem illorum consequetur occisio
virorum habitantium in locis montanis, in
quibus Esau et posteri ejus habitaverunt.
Quoniam enim territi erant robusti Idu-
mææ, non potuerunt resistere : quoniam
excessivus timor actum rationis ac forti-
tudinis impedit. Propter quod scriptum
est : Pavor ejus non me terreat ; neque Job IX, 34, 35.
D enim possum metuens respondere. Deni-
que fortissimus Judas Machabæus, quando I Mach. IX, 7.
confractus est corde, occisus est.

Propter interfectionem, et propter ini- 10
quitatem in fratrem tuum Jacob, id est,
quoniam occidisti Judæos, et persecutus
es eos qui sunt fratres tui, quia tu et illi
de duobus fratribus, scilicet Jacob et Esau,
descendistis, *operiet te confusio,* id est, ex
omni parte confunderis et destrueris, *et*
peribis in æternum, id est æterna capti-
vitate, videlicet absque regni reparatione,

quemadmodum in Jeremiæ prophetia ha-
Jer. XLIX, 13. betur : Per memetipsum juravi, dicit Domi-
nus, quod in solitudinem, et in opprobrium,
et in desertum, et in maledictionem erit
Bosra, et omnes civitates ejus erunt in
solitudines sempiternas. Quemadmodum
Gen. XXVII, 41. autem Esau odivit et persecutus est Jacob
pro benedictione quam sibi præripuit ;
sic Idumæi prosperitati filiorum Israel ju-
giter inviderunt ac restiterunt, plura mala
inferendo eisdem. De hoc quoque dictum
Amos I, 11. est supra ab Amos : Super tribus scele-
ribus Edom, et super quatuor non con-
vertam eum, eo quod persecutus sit in
gladio fratrem suum, et violaverit miseri-
cordiam suam, et tenuerit ultra furorem
suum. Unde jam subditur :
11 *In die quum stares adversus eum,* id
est populum Judæorum, *quando capiebant
alieni,* id est Chaldæi, *exercitum ejus,* vi-
delicet Joakim regem Juda, et multos cum
eo, inter quos fuerunt Daniel atque Eze-
chiel, *et extranei,* id est Chaldæi jam di-
cti, *ingrediebantur portas ejus,* puta Jeru-
salem, aliarumque civitatum Judææ, *et
super Jerusalem,* id est spolia civitatis,
mittebant sortem quis quid tolleret ; *tu
quoque eras quasi unus ex eis,* id est, in
scelere similis fuisti Chaldæis, partem præ-
dæ quæ tibi sorte exiit, diripiendo. Quasi,
hoc loco dicit veritatem, non similitudinem
tantum.
12 *Et non despicies in die fratris tui,* id
est, quum populo Judæorum præter præ-
dictam, captivitas alia evenerit, non despi-
cies eum *in die peregrinationis ejus,* id
est, quum ad alienam terram transferetur
captivus ; *et non lætaberis super filios Ju-
da,* id est, de vastitate et pressuris dua-
rum tribuum non gaudebis, *in die perdi-
tionis,* id est captivitatis *eorum ; et non
magnificabis os tuum,* id est, non lato ore
ridebis, nec superba loqueris, *in die an-*
13 *gustiæ* Judæorum. *Neque ingredieris por-
tam populi mei,* id est urbem Jerusalem,
in die ruinæ eorum, id est, quando coram
adversariis suis cadent Judæi, quemadmo-
IV *Reg.* XXV. dum factum est tempore Sedeciæ regis Ju-

A da. Causa vero istorum est, quia et ipsi
Idumæi interim a Chaldæis oppressi sunt,
et propriam cladem sic deplorabant, quod
de negotio aliorum non intromiserunt se
quemadmodum ante. Aliqui etiam exposi-
tores affirmant, quod ante destructionem
Jerusalem et templi combustionem, Idu-
mæi a Chaldæis capti fuerunt. Quod non
videtur omnifarie certum, quum in Psal-
mo dicatur : Memor esto, Domine, filiorum *Ps.* CXXXVI, 7.
Edom in die Jerusalem, qui dicunt, Exi-
nanite, exinanite, usque ad fundamentum
B in ea. *Neque despicies et tu* populum Juda
in malis, id est afflictionibus *ejus, in die
vastitatis illius,* id est tempore suæ per-
secutionis. *Et non emitteris,* id est, de
terra tua non destinaberis, *adversum exer-
citum ejus,* id est contra populum Judæo-
rum, *in die vastitatis illius. Neque stabis* 14
in exitibus viarum, id est in abditis locis
ubi declinatur a solita via, per quæ fu-
gientes solent excurrere, *ut interficias eos
qui fugerint,* id est Judæos fugientes a
facie Chaldæorum, vel aliorum, a quibus
C post reditum a Babylone vexati sunt ; *et
non concludes reliquos ejus,* id est, non
valentes effugere non claudes in carcere,
non comprehendes neque ligabis, *in die
tribulationis* Judæorum. Hæc ergo non fa-
cies de cetero, sicut fecisti frequenter.
Quoniam juxta est dies Domini, id est, 15
tempus ultionis divinæ imminet, *super
omnes gentes,* id est super universas na-
tiones terrarum climatis tui, inter quas et
tu una es. Hoc, secundum Hieronymum,
intelligendum est de vastitate et dejectio-
D ne gentium, quas primo ab Assyriis, dein-
de a Chaldæis perpessæ sunt. Assyrii enim
et Chaldæi universas regiones illas de-
moliti sunt, sicut in diversis patet histo-
riis. *Sicut fecisti* Judæis, o Edom, *fiet tibi*
a Chaldæis ; *retributionem tuam convertet
in caput tuum,* id est, pœnam quam me-
ruisti, Dominus tibi infliget per Chaldæos.
Quocirca asserit Glossa : Sicut cum Baby-
loniis lætabaris de destructione Jerusalem
ubi erat templum et altare ; ita lætabun-
tur de effusione sanguinis tui gentes illæ

quas tecum habebat Babylonius in præsidio, id est, quæ tecum adjuverunt Chaldæos contra Jerusalem. Ex quo sequi videtur, quod Idumæi interfuerunt destructioni Jerusalem tempore Nabuchodonosor, et postea puniti fuerunt. Quod utique Scripturis
Is. xxxiv; *Ezech.* xxxv; *Jer.* xlix. canonicis amplius consonat : imo Isaias diversis in locis, et Ezechiel, Jeremias quoque, hoc in suis libris insinuant.

16 *Quomodo enim bibisti super montem sanctum meum,* id est, de Jerusalem et templi in monte Sion siti destructione gavisus et epulatus es, atque de spoliis Judæorum potasti ; *bibent omnes gentes jugiter,* id est, prædictæ nationes Chaldæis junctæ, de tua vastitate gaudebunt et bona tua consument jugiter, quousque in terra tua permanserint, *et bibent et absorbebunt,* id est, te occident, et tuas divitias devorabunt ; *et erunt quasi non sint,* id est, Idumæi quasi in nihilum redigentur. Vel gentes illæ erunt quasi non sint, quia et ipsæ peribunt. Persæ enim ac Medi destruxerunt Chaldæos cum adjutoribus suis. Macedones vero, seu Græci, Persas ac Medos vicerunt, et Romani Græcos. Vel sic : Quomodo bibisti super montem sanctum meum, id est, quemadmodum calicem vindictæ potasti propter iniquitatem tuam factam contra Jerusalem et templum (de
Ps. lxxiv, 9. quo calice habetur in Psalmo : Calix in manu Domini, bibent omnes peccatores terræ), sic et ceteræ gentes bibituræ sunt calicem istum. Unde per Jeremiam loqui-
Jer. li, 7. tur Dominus : Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnes gentes. Et absorbebunt, id est, usque ad fæcem bibent hunc calicem.

Consequenter describitur prosperitas Judæorum. Quæ autem sequuntur, difficiliora sunt præcedentibus. Unde duplicem ponam expositionem illorum. Prima est secundum Hieronymum et eum sequentes.

17 *Et in monte Sion erit salvatio,* id est, Idumæis et ceteris gentibus modo præfato vastatis, in monte Sion erit salvatio, id est, templum et civitas reædificabuntur in monte quo steterant prius. Una enim pars A civitatis erat in monte jam dicto. Vel, In monte isto erit salvatio, id est, reliquiæ Judæorum a manibus Chaldæorum, aliorumque hostium liberatæ, et per gratiam Dei sanctificatæ, venient et consistent in monte Sion, ut templum et urbem restau- I *Esdr.* v, 2; vi; II *Esdr.* ii-vi; *Eccli.* xlix, 13-15.
rent in eo. *Et erit sanctus* mons Sion, id est ad divinum obsequium deputatus, propter templum in eo constructum, vel propter sanctitatem eorum qui fuerunt et Domino servierunt in ipso, inter quos fuerunt Aggæus, Zacharias, Esdras, Nehe- B mias, Zorobabel, etc. *Et possidebit domus Jacob,* id est Judæi a Babylonica captivitate reducti, seu posteri filiique eorum, *eos qui se possederant,* id est nationes in gyro manentes, a quibus ante Babylonicam captivitatem, vel postea, vastabantur. Quod maxime fuit impletum tempore Machabæorum, quemadmodum primo et secundo I *Mach.* v; II *Mach.* xii.
Machabæorum copiose describitur : ubi triumphi Judæ et fratrum ejus contra Idumæos, Syros, Philistæos ac ceteras nationes feruntur. Scriptum est etiam in Ma- C chabæorum libris, quod Judas efficiebatur II *Mach.* viii, 5; I *Mach.* iii, 3, 5.
intolerabilis gentibus, et dilatavit gloriam populo suo, et persecutus est iniquos.
18 *Et erit domus Jacob,* id est duæ tribus, *ignis,* per proprietatem et similitudinem quoad destructionem hostium, ut patebit; *et domus Joseph,* id est familia decem tribuum, erit *flamma* similitudinarie. Dicuntur autem decem tribus, domus Joseph, quoniam primus rex earum erat de tribu Ephraim filii Joseph. Eratque tribus Joseph principalior inter decem, quia et D Joseph data sunt primogenita, eo quod Ru- I *Par.* v, 1; *Gen.* xxxv, 22.
ben violasset torum proprii genitoris, ut dicitur primo Paralipomenon libro. *Et domus Esau,* id est populus Idumæus, erit *stipula,* id est similis stipulæ : quoniam ut stipula ab igne cito consumitur, sic Idumæi a Judæis, secundum quod subditur : *Et succendetur,* id est, Idumæa igne tribulationis destruetur, *in eis,* id est a duabus decemque tribubus. *Et devorabunt eos,* id est, vincent et interficient Idumæos; *et non erunt reliquiæ domus*

Esau, id est, nulli aut pauci Idumæorum
effugient. Quamvis autem decem tribus fu-
erunt translatæ et captæ ante duarum tri-
buum captivitatem, et post earum libe-
rationem captæ manserunt, et nunc us-
que permanent captæ; nihilo minus, ut
IV *Reg.* xxiii, 22, 23; II *Par.* xxxv, 17, 18; xxx, 5-11. patet ex libris Regum et Paralipomenon,
multi de decem tribubus evaserunt ma-
nus Assyriorum, et duabus tribubus se
junxerunt ante captivitatem Babylonicam
et post, qui nunc dicuntur domus Joseph.
Ezech. xxxiv, 23; xxxvii, 24. De quibus Jeremias, Ezechiel et Zacharias
prædixerunt, quod constituerent sibi ca-
put unum. Hi ergo ad invicem congregati,
demoliti sunt Idumæos. *Quia Dominus lo-
cutus est.*

19 *Et hereditabunt,* post reditum a Babylo-
ne, *hi qui ad austrum sunt,* id est Judæi
ad partem australem sive meridiem habi-
Josue xv, 1, 21-32. tantes (ibi enim erat sors Juda, ut scribitur
in libro Josue), *montem Esau,* id est loca
montana Idumæorum, quos superaverunt;
et qui in campestribus, id est illi qui ex
duabus tribubus in locis campestribus mo-
rabantur, quorum civitates Hieronymus
exprimit, hereditabunt *Philistiim,* id est
I *Mach.* v; II *Mach.* xii. terram Philistinorum. De hoc multa ha-
bentur in libris Machabæorum. *Et pos-
sidebunt regionem Ephraim et regionem
Samariæ,* vel dominando seu prævalendo
Samaritanis, aut aliquid de terra eorum
obtinendo. *Et Benjamin possidebit Ga-
laad,* id est, filii Benjamin a captivitate
reversi, plagam Arabiæ nomine Galaad ob-
tinebunt. Dilataverunt enim terminos suos
circumquaque omnes Judæi jam nominati,
20 quantum valebant. *Et transmigratio ex-
ercitus hujus filiorum Israel,* id est Ju-
dæi seu filii Israel a Chaldæa reversi, ad
quam erant translati, propter quod trans-
migratio nuncupatur, possidebit *omnia lo-
ca Chananæorum usque ad Sareptam,* id
est terras et loca quæ possederunt Chana-
næi, antequam Deus introduxit filios Israel
III *Reg.* xvii, 9 *et seq.* in terram illam. Sarepta vero est urbs Si-
doniorum, in qua vidua pavit Eliam. *Et
transmigratio Jerusalem quæ in Bosphoro
est,* id est Judæi de Jerusalem translati in
A locum qui dicitur Bosphorum : quod est
nomen loci in regno Babyloniæ, ut aliqui
dicunt; alii vero putant, quod sit nomen
loci in quem Adrianus imperator transtu-
lit Judæos; *possidebit civitates austri,* id
est urbes suas sitas, ut dictum est, in plaga
australi. Oppida enim ibi destructa repa-
raverunt.

Et ascendent salvatores, id est Esdras, 21
Zorobabel, Jesus filius Josedec sacerdos I *Esdr.* ii, 1, 2; vii, 1.
magnus, quorum ducatu et ope salvati sunt
filii Israel a Babylonica captivitate : unde
B in libro Judicum dicitur Deus misisse sal- *Judic.* ii, 16; iii, 9, 15.
vatores, qui liberarent Israelem de manu
vastantium; *in montem Sion :* ibi enim
frequenter convenerunt; *judicare montem
Esau,* id est Idumæos tanquam subjectos
et victos. *Et erit Domino regnum,* id est,
his factis, Judæi servient Deo, non idolis.

Denique, circa prædicta dicit gloriosus
et sanctus Hieronymus : Hæc utrum facta
sint, Deus viderit. Possunt enim ex parte
per annos quingentos a Babylonica capti-
vitate usque ad Christi adventum esse
C completa. Et iterum ait in fine expositio-
nis hujus Prophetæ : In hoc Propheta, et
adolescentuli lusimus, et senes præsumpsi-
mus. Qui veriora melioraque dixerit, in
illius sententiam, o Pammachi, transgre-
dere. Exposuit autem Hieronymus hunc
Prophetam bis. Primo, in adolescentia sua,
secundum tropologicum intellectum. Quam
expositionem nominat lusum, quoniam lit-
teralem sensum omisit. Sicut enim in ludo
est libera quædam evagatio, ita in tropolo-
gica expositione, secundum Hieronymum.
D Secundo, in senectute sua. Ex quibus Hie-
ronymi verbis constat, quod præinducta
expositio non habet certitudinem absolu-
tam : præsertim, quum nec ex Scriptu-
ris canonicis, nec ex authenticis historiis
queant probari omnia quæ in hujus Pro-
phetæ explanatione sunt dicta, præsertim
ab eo loco quo dicitur, Et erit domus vers. 18.
Jacob ignis.

Porro Hebræi intelligunt ista de tempo-
rali dominio, quod sibi in adventu Messiæ
inaniter repromittunt, ita quod tunc in

Judæam reducentur, et omnibus mundi A
regnis ac gentibus principabuntur. Pro-
missiones enim Prophetarum carnaliter
carnales intelligunt.

Quidam vero doctores catholici, quantum
ad hoc assequuntur Hebræos, quod præin-
ducta exponunt pro tempore Christi. Se-
17 cundum quos iste est sensus : *In monte
Sion erit salvatio,* id est salus et gratia
Christi, seu electæ reliquiæ, scilicet pri-
mitiva Ecclesia ex Judaismo conversa, quæ
Act. II, 1-4. in cœnaculo sito in monte Sion Spiritum
Sanctum recepit. Et ipsa, recepto Spiritu
Sancto, primo orsa est evangelicæ legis
doctrinam prædicare in monte Sion, et
deinde in aliis locis, quemadmodum Isaias
Is. II, 3. prædixit : De Sion exibit lex, et verbum
Domini de Jerusalem. Christus quoque per
Luc. XIX, 47; XXI, 37; *Joann.* VII, 14, 28; *Matth.* XXI, 14. se ipsum frequenter docuit et miracula
maxima fecit in templo. De quo Malachias
locutus est : Statim veniet ad templum
suum Dominator, quem vos quæritis, et
Malach. III, 1. Angelus testamenti, quem vos vultis. Ideo
Ps. XLVII, 10. dixit Psalmista : Suscepimus, Deus, mise-
ricordiam tuam in medio templi tui. *Et* C
erit sanctus : quia tunc sanctissima opera
fiebant in monte Sion; et sicut Isaias præ-
Is. II, 2. nuntiavit, tunc fuit mons domus Domini
in vertice montium. *Et possidebit domus
Jacob,* id est sancti Apostoli filii Jacob
patriarchæ, *eos qui se possederant,* id est
gentes universas, quæ aliquando populum
Israel vexaverunt ac subjecerunt. Hoc in-
telligendum est de spirituali dominio, non
de temporali imperio. Tunc enim consti-
Ps. XLIV, 17. tuti sunt Apostoli principes super omnem
Ps. XLVI, 10. terram ; et dii fortes terræ elevati sunt D
vehementer.

18 *Et erit domus Jacob ignis, et domus
Joseph flamma,* id est, Apostoli ceterique
discipuli Christi ex duodecim tribubus Is-
rael nati, igniti fuerunt et ignei valde, ita
ut ignis vocentur, quia et Spiritum San-
Act. II, 3, 4. ctum in igneis linguis receperunt. *Et do-
mus Esau* erit *stipula,* id est, per prædica-
tionem Apostolorum, corda Idumæorum
igne Spiritus Sancti inflammabuntur cito
et efficaciter, fidem et caritatem Christi

recipiendo. Ideo sequitur : *et succendetur
in eis,* id est, populus Idumææ per filios
Jacob igne Sancti Spiritus succendetur; *et
devorabunt eos,* id est, Idumæos consu-
ment quantum ad esse peccati, et Christo
eos incorporabunt. *Et non erunt reliquiæ
domus Esau,* id est, tales non remanebunt
quales fuerunt, quemadmodum in Prover-
biorum libro legitur : Verte impios, et *Prov.* XII, 7.
non erunt. Expositio ista satis faciliter ca-
lumniari posset. Non enim universi con-
versi sunt Idumæi. Et sensus iste evidenter
B ad mysticum intellectum festinat.

Potest ergo litteralius hoc modo exponi,
quod præmemorati filii Jacob et domus
Joseph, dicti sunt ignis, propter virtutem
sententiæ excommunicationis, quam in ad-
versarios veritatis ac fidei exercere va-
lebant, imo et rebelles poterant tradere
Satanæ in interitum carnis. In Apocalypsi I *Cor.* V, 5.
quoque de duobus Christi testibus scri-
ptum est, quod de ore ipsorum exivit ignis *Apoc.* XI, 5.
in adversarios eorum. Domus autem Esau
sunt stipula, quia prædictæ sententiæ re-
sistere non potuerunt, sed protinus latæ
sententiæ percussæ sunt fulmine: quod de
rebellibus est sumendum. Possunt autem
per Idumæos intelligi cuncti gentiles :
imo, secundum Hebræos et Hieronymum
in primo suo prologo super istum Prophe-
tam, quoniam Esau persecutus est fratrem *Gen.* XXVII, 41.
suum Jacob, et Idumæi filii Esau Israelitas
filios Jacob, propterea omnes adversarii
Judæorum communiter nomine Edom de-
signantur. Unde Judæorum doctores, qui
post Christi passionem fuerunt et incredu-
li permanserunt, per Edom quasi semper
intelligunt Romam, et per Idumæos Ro-
manos, a quibus finaliter destructum est
dominium Judæorum, captivitasque gra-
vissima introducta. Et devorabunt eos, id
est, Apostoli præfatos rebelles damnationi
fecerunt, vel potius ostenderunt, obnoxios,
imo apostolica auctoritate condemnare po-
terant eos. Quod utique Apostoli maxime
facient in die judicii, quando sedebunt in *Matth.* XIX, 28.
duodecim soliis Christo assidentes et con-
judicantes.

19 *Et hereditabunt hi qui ad austrum* A
sunt, id est Apostoli et cooperatores eorum
ex Judaismo conversi, et in parte australi
Judææ conversati, *montem Esau et Phili-
stiim; et possidebunt regionem Ephraim
et Samariæ.* Per hoc aliud nihil designa-
tur, nisi quod Apostoli et adjutores eorum,
populos terrarum istarum converterent, et
fidei subderent, sempiternosque obedien-
tiæ facerent filios. *Et Benjamin possidebit*
Philipp. III, 5. *Galaad.* Paulus apostolus de tribu Benja-
min ortus est, multosque convertit de con-
sanguineis suis, qui simul cum eo evan- B
Rom. IX, 3; XVI, 7, 11, 21. gelizaverunt. Unde in epistolis suis sæpe
efficit mentionem de suis cognatis, quo-
20 rum et nomina exprimit. *Et transmigratio
exercitus hujus filiorum Israel,* id est fi-
deles Israelitæ primitivæ Ecclesiæ, quos
Christus transmigrare fecit de terra Ju-
Marc. XVI, 15. dææ, dicendo : Euntes in mundum univer-
sum, prædicate Evangelium omni creatu-
Act. I, 8. ræ; et eritis mihi testes usque ad ultimum
terræ. De quibus et per Isaiam loquitur :
Is. LXVI, 19. Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gen-
tes, in mare, in Africam et Lydiam, in C
Græciam et Italiam, ad insulas longe; et
annuntiabunt gloriam meam gentibus. Pos-
sidebunt *omnia loca Chananæorum usque
ad Sareptam* et ultra, id est, harum ter-
rarum habitatores, fecerunt suos discipu-
los et Christi ministros, ita quod spiritu-
aliter eis præsidebant.
21 *Et ascendent salvatores,* id est Apostoli
instrumentaliter Christo cooperantes in
conversione electorum, *in montem Sion :*
ibi enim frequenter convenerunt ad tra-
ctandum de necessariis statum Ecclesiæ
concernentibus; *judicare montem Esau,*
id est discernere gentilitatem judicio dis-
cretionis, ad providendum eisdem : quem-
admodum in Actibus fecisse leguntur,
quando et conversis scripserunt gentilibus *Act.* XV, 22
per manum Pauli ac Barnabæ, cum quibus *et seq.*
miserunt Judam, Barsabam atque Silam
viros primos in fratribus et prophetas, ver-
bo dicentes : Visum est Spiritui Sancto et *Ibid.* 28, 29.
nobis, nihil imponere vobis oneris, quam
ut abstineatis ab immolatis simulacrorum,
et sanguine, et suffocato, et fornicatione.
Et erit Domino Christo *regnum* militantis
Ecclesiæ ubique terrarum, ita quod omnis *Dan.* VII, 14.
tribus, gens, et linguæ servient ei, juxta
illud in Psalmo : Adorabunt in conspectu *Ps.* XXI, 28,
ejus universæ familiæ gentium : quoniam 29.
Domini est regnum, et ipse dominabitur
gentium. Et in Isaia : Multiplicabitur ejus *Is.* IX, 7.
imperium, et pacis non erit finis. De quo
et Jeremias locutus est : Regnabit rex et *Jer.* XXIII, 5.
sapiens erit. Postremo, nomine regni in-
telligi potest vel ipse populus subjectus
seu subditi, vel gubernatio eorumdem. So-
let quoque per regnum Domini, designari
regnum Christi.

Hæc autem secunda loci istius expositio,
consonat his quæ in ultimis capitulis Jo- *Joel* II, 32;
elis ac Amos exposita sunt. III, 21; *Amos* IX, 11 *et seq.*

ARTICULUS II

EXPLANATIO MORALIS SEU MYSTICA VISIONIS ABDIÆ.

1 V*ISIO Abdiæ.* Abdias interpretatur ser- D
vus Domini. Qui autem servit Deo non
servili timore, sed spirituali amore, visio-
nes Altissimi, id est illuminationes inter-
nas, a Spiritu Sancto meretur suscipere.
Hæc dicit Dominus ad Edom, id est con-
tra carnales, cruentos et vitiosos. Edom
namque terrenus vel cruentus interpreta-
tur. *Auditum audivimus* nos viri spiri-
tuales, Domino caritative ministrantes, *a
Domino; et legatum,* id est Christum ma-
gni consilii Angelum : de quo in Genesi *Is.* IX, 6, juxta LXX.
loquitur Jacob, Salutare tuum exspectabo, *Gen.* XLIX,
Domine; *ad gentes misit,* quemadmodum 18.

Act. xxviii, 28. in Actuum libro Paulus testatur : Notum A
sit vobis, quia gentibus missum est hoc
salutare Dei. De quo in Genesi legitur :
Gen. xlix, 10. Ipse erit exspectatio gentium. Non quod
Christus in propria persona gentibus uni-
Matth. xv, 24. versaliter prædicavit, quum dicat, Non sum
missus nisi ad oves quæ perierunt domus
Israel; sed quod per Apostolos ad gentiles
delata est notitia Christi, secundum illud
Ps. xcvii, 2. in Psalmo : Notum fecit Dominus salutare
suum, in conspectu gentium revelavit ju-
stitiam suam. Propter quod Pater ait ad
Is. xlix, 6. Christum apud Isaiam : Dedi te in lucem B
gentium, ut sis salus mea usque ad extre-
mum terræ.

Porro, quod legatus iste locutus sit gen-
tibus per inspirationem occultam, Apo-
stolis quoque doctrinam evangelicamque
theoriam, subjungitur : *Surgite* a morte
peccati, a somno acediæ, a conversatione
ignobili et perversa, *et consurgamus ad-
versus eum in prælium,* id est, tentatio-
nibus mundi, persecutionibus carnalium,
operibusque terrenis viriliter repugnate
per clypeum patientiæ, per consideratio- C
nem damnationis æternæ, et maxime divi-
næ caritatis intuitu. Et ne cœlestis patriæ
gaudia propter delectationes momentaneas
amittatis, et ne pusillanimiter formidetis,
ego pugnabo vobiscum, et ero dux prælii,
ita ut vere dicatis illud secundi Paralipo-
II *Par.* xiii, 12. menon : In exercitu nostro Deus dux est;
Ps. xliii, 6. et illud in Psalmo : In te inimicos nostros
ventilabimus cornu, et in nomine tuo sper-
nemus insurgentes in nobis. Hoc est quod
Ephes. v, 14. dicit Apostolus : Surge, qui dormis, et ex-
surge a mortuis, et illuminabit te Christus. D
Quoniam secure pugnat, cum quo Christus
Job xvii, 3. sic pugnat. Ideo sanctus Job : Pone me,
inquit, juxta te, et cujusvis manus pugnet
Rom. viii, 31. contra me. Nempe si Deus pro nobis, quis
contra nos? De hoc prælio dicit etiam Sal-
Matth. x, 34, 35. vator : Non veni pacem mittere in terram,
sed gladium; veni enim separare filium a
Sap. x, 12. patre, etc. Unde et alibi legitur : Certa-
men forte dedit illi Dominus, ut vinceret.
Non ergo vincamur a mundo, a concupi-
scentiis carnis, ab operibus malis. Qui
autem ad impatientiam concitatur, qui ma- *Rom.* xii, 17, 21.
lum reddit pro malo, vincitur a semetipso.

Ecce parvulum dedi te in gentibus, id 2
est præ aliis defectuosum ac vilem, o homo
terrene atque carnalis, propter spiritua-
lium bonorum carentiam. Dicitur autem
aliquis parvulus in Scripturis tripliciter.
Primo, corporis quantitate : sicque de Chri-
sto Isaias inducit, Parvulus natus est no- *Is.* ix, 6.
bis. Secundo, propria reputatione : et sic
humiles præcipue parvuli nuncupantur.
De quibus fertur in Psalmo : Testimonium *Ps.* xviii, 8.
Domini fidele, sapientiam præstans par-
vulis; et, Custodiens parvulos Dominus. Et *Ps.* cxiv, 6.
apud Lucam Dominus : Abscondisti hæc *Luc.* x, 21.
a sapientibus et prudentibus, et revelasti
ea parvulis. Talibus patet ad Deum acces-
sus, dicente Sapientia : Si quis est parvu- *Prov.* ix, 4.
lus, veniat ad me. Tertio, parvulus appel-
latur spiritualis perfectionis seu magnitu-
dinis destitutione : vel, quia penitus caret
ea, ut rancorosus, de quo in Job asseritur,
Parvulum occidit invidia; vel, quia parum *Job* v, 2.
habet de ea quoad id quod merito haberet,
quemadmodum illi quibus scripsit Apo-
stolus : Quasi parvulis in Christo lac dedi, I *Cor.* iii, 1, 2.
non escam. Terrenum ergo et vitiosum, per
Edom significatum, nominat Deus parvu-
lum tertio modo. Imo quanto quis propria
reputatione fuerit major, tanto Deus repu-
tat eum viliorem; et quanto quis propria
reputatione fuerit minor, tanto a Deo ma-
jor censetur : quemadmodum ipsemet Ju-
dex testatur, Quod hominibus altum est, *Luc.* xvi, 15.
abominatio est ante Deum. Ideo subditur :
Contemptibilis tu es valde, non ratione
naturæ, sed culpæ, quoniam relictis divi-
nis, æternis atque cœlestibus bonis, inhæ-
res terrenis : quod prorsus præposterum
est. Unde de viro justo cantatur in Psal-
mo : Ad nihilum deductus est in conspectu *Ps.* xiv, 4.
ejus malignus; timentes autem Dominum
glorificat. Sic et Aristoteles in Ethicis di-
cit : Magnanimum esse contemptivum, non
quia homines spernit propter naturales de-
fectus, sed quoniam impios, secundum
quod tales, non reputat.

Superbia cordis tui extulit te : id est, 3

extra tuæ conditionis mensuram mendaci- A
ter te erexisti, ut putes te majorem quam
es, et oculo per superbiam obturato, pro-
priam defectibilitatem et culpam non cer-
nas : secundum quod in Job scriptum est,
Job xi, 12. Vir vanus in superbiam erigitur, et tan-
quam pullum onagri, se liberum natum
putat. Avaros autem, quum fuerint locu-
Eccli. x, 9. pletati, solet concomitari elatio. Sed quid
Job xxv, 6. superbit terra et cinis? Quid superbit ho-
mo putredo, et filius hominis vermis? Præ-
I *Petr.* v, 5. sertim quum superbis resistat Omnipotens,
Eccli. x, 7. et coram Deo atque hominibus odibilis sit B
* alias *petrarum* superbia. *Habitantem in scissuris petræ*,*
id est in erroribus cordis tui lapidei, in
evagationibus seu divisionibus animi, quo-
niam corde integro Deo non adhæres, nec
Ps. cx, 1. dicere potes : Confitebor tibi, Domine, in
toto corde meo. Sed de illorum es nume-
Osee x, 2. ro de quibus legitur in Osee : Divisum
est cor eorum; nunc interibunt. Verumta-
men est quædam utilis scissio cordis, ad
mollitiem obstinationi contrariam perti-
Joel ii, 13. nens : de qua loquitur Joel, Scindite corda
vestra, et non vestimenta vestra. Porro, C
III *Reg.* xviii, 21. qui claudicat in duas partes, vir duplex
Jacob. i, 8. animo, habitat in scissuris petræ. Quocon-
I *Cor.* i, 10. tra monet Apostolus : Id ipsum dicatis
omnes, et non sint in vobis schismata. Ni-
hilo minus sunt quædam scissuræ petræ,
in quibus saluberrimum est habitare, hoc
est in vulneribus Christi : de quibus ac-
Cant. ii, 14. cipi potest illud in Canticis, Columba mea
in foraminibus petræ. Ad quod mystice
Is. ii, 10. attinet illud Isaiæ : Ingredere in petram,
abscondere in fossa humo a facie timoris
Domini, hoc est, virtuti et gratiæ dominicæ D
passionis innitere, seu in Christi vulneri-
I *Cor.* x, 4. bus requiesce. Petra equidem erat Christus.

Exaltantem solium tuum, id est, qui
aliis optas præponi aut præfici : sicut de
Scribis et Pharisæis dicit Salvator, quod
Matth. xxiii, 6. ament primas cathedras in synagogis, pri-
mosque recubitus in cœnis. Quocontra
Luc. xiv, 10. Christus hortatur : Quum invitatus fueris,
vade, recumbe in novissimo loco; et ite-
Matth. xxiii, 11. rum, Qui major est vestrum, sit vester
minister. *Qui dicis in corde tuo,* inaniter
præsumendo : *Quis detrahet me in ter-
ram?* id est, quis a potestate et sublimi-
tate mea dejicere poterit me? Superbia
namque facit hominem immoderatæ fi-
duciæ, et periculorum suorum improvi-
dum. Sapiens autem in omnibus metuit; *Eccli.* xviii, 27;
et, Beatus homo qui semper est pavidus. *Prov.* xxviii, 14.
Hinc in Jeremia habetur : Superbia tua *Jer.* xlix, 16.
et arrogantia tua decepit te.

Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter 4
*sidera posueris nidum tuum, inde detra-
ham te, dicit Dominus,* id est, quantum-
cumque magnificaveris te, humiliaberis a
me. Propter quod in libro Job legitur : Si *Job* xx, 6, 7.
ascenderit usque ad cœlum superbia ejus,
et caput ejus nubes tetigerit, quasi ster-
quilinium in fine perdetur. Isaias quoque
ait : Dominus exercituum cogitavit hoc, ut *Is.* xxiii, 9.
detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad
ignominiam deduceret universos inclytos
terræ. Insuper Deo hoc proprium est, ut
universos humiliet contrahatque pompo-
sos, secundum quod ait ad sanctum Job :
Si habes brachium ut Deus, et si simili *Job* xl, 4, 6, 8, 9.
voce tonas, disperge superbos in furore
tuo, et respiciens omnem arrogantem hu-
milia; absconde eos in pulvere simul, et
faciem eorum demerge in foveam : et ego
confitebor quod salvare te possit dextera
tua. Possunt autem per aquilam viri con-
templativi, per sidera vero, docti et exem-
plares intelligi, qui inter alios velut lumi-
naria lucent nunc verbo et opere, et quasi
stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt. *Dan.* xii, 3.
Si ergo inter istos superbus se computet,
justum et sapientem se arbitrans, detrahet
eum Christus usque ad fundamenta laci. *Is.* xiv, 15, 19.

Si fures introissent ad te, si latrones, 5
id est, si invisibiles hostes, bona gratiæ
auferentes et animam strangulantes, cor-
dis tui habitaculum fuissent ingressi, *per
noctem,* id est per consensum illicitum vel
ignorantiæ cæcitatem, *quomodo conticuis-
ses?* id est, merito non tacuisses, sed per
veram confessionem, orationem et fletum
expulisses eosdem : quemadmodum scri-
ptum est : Dixi, Confitebor adversum me *Ps.* xxxi, 5.
injustitiam meam Domino. Et Job ait : Vias *Job* xiii, 15, 16.

meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit A
salvator meus. *Nonne furati essent suffi-*
cientia sibi? id est, utique omnes spiritua-
Jacob. II, 10. les divitias tuas abstulissent a te. Qui enim
offendit in uno, omnium reus est, Jacobo
Eccle. IX, 18. teste. Cui consonat illud Ecclesiastæ, Qui
in uno peccaverit, multa bona perdet: quia
qui agit contra caritatem, omnes habitus
virtuosos, secundum quod sunt meritorii
et formati, amittit. Certum est autem, quod
non sufficit dæmoni invidissimo nostro
hosti, nisi totum gratiæ bonum abstulerit,
ad mortale peccatum nos pertrahendo. B
Si vindemiatores introissent ad te, id
est homines pestilentes, animarum corru-
Jer. XII, 10. ptores, qui vineam Domini Sabaoth demo-
liuntur, uvas virtutum et vinum sapientiæ
Matth. VII, 15. præscindentes, quos Christus nominat lu-
Cant. II, 15. pos rapaces, vulpesque parvulas, *numquid*
saltem racemum reliquissent tibi? id est,
non tantum nocuissent ut invisibiles ho-
stes. Pauci namque vel nulli homines sunt
quorum invidia æqualis sit invidiæ dæmo-
num. Nihilo minus contingere potest, ut
homo homini magis noceat, quam diabo- C
lus, qui non nocet quantum potest et cu-
pit, sed quantum permittitur. Quamvis
Ps. XVII, 27. itaque aliquis cum perverso homine per-
vertatur, non tamen solet per eum totali-
ter a divino obsequio retrahi, ideo relin-
quuntur ei racemi. Dæmon vero satagit
hominem ab omni bono avertere. Ideo se-
6 quitur : *Quomodo* invisibiles hostes, *scru-*
tati sunt Esau, id est terrenos et impios?
Investigaverunt abscondita ejus: quia non
solum opera exteriora et verba, sed natu-
rales inclinationes, cogitationes, secreta- D
que studia observant et pensant, ut sciant
7 quomodo gravius lædant. *Usque ad termi-*
nos emiserunt te, id est, a regno et finibus
Ecclesiæ evulserunt te, deducendo te usque
ad terminos sui dominii, ita quod eorum
II Petr. II, 19. miseræ subjectus es servituti. A quo enim
quis superatus est, hujus et servus est.
Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi;
invaluerunt adversum te viri pacis tuæ.
Hoc generaliter fit, dum alter eorum qui
confœderati erant in malo et concordantes

in vitiis, ad Deum convertitur, et rupto
illicito fœdere, et pace carnali relicta, eum
zelo justitiæ et pia intentione subsannat,
confundit et reprobat, qui in perversita-
tibus perseverat, ut vel sic revertatur ad
Deum. Frequenter etiam contingit opposito
modo, ut scilicet alter eorum qui consen-
tiebant in bono, subversus, persequatur
manentem in actibus virtuosis, juxta illud
in Psalmo : Qui laudabant me, adversum Ps. CI, 9.
me jurabant. Unde et Christus de prodito-
re conqueritur : Etenim homo pacis meæ, Ps. XL, 10.
in quo speravi, qui edebat panes meos,
magnificavit super me supplantationem.
Non est prudentia in eo, id est in hujus-
modi Idumæo cruento atque terreno; sed
est in eo prudentia carnis, quæ juxta Apo- Rom. VIII, 6, 7.
stolum, mors est et inimica Deo, de qua
scriptum est : Non est ista sapientia de- Jacob. III, 15.
sursum descendens, sed terrena, animalis
et diabolica. Denique etiam, secundum Phi-
losophum, prudentia quæ est virtus mora-
lis ac cardinalis, non est sine virtutibus
ceteris, nec inest vitiosis. Unde Baruch ait:
Filii Agar, qui exquirunt prudentiam quæ Baruch III, 23.
de terra est, viam sapientiæ nescierunt.
Numquid non in die illa, puta in die 8
judicii universalis seu particularis, vel
tempore divinæ ultionis in hoc sæculo,
perdam sapientes de Idumæa? id est, sa-
pientes hujus mundi damnabo, qui a sa-
pientia et scientia sua decepti sive inflati
sunt. Quibus minatur sermo divinus : Væ Is. V, 21.
qui sapientes estis in oculis vestris, et co-
ram vobismetipsis prudentes. Hinc ad Co-
rinthios dicit Apostolus : Nonne stultam I Cor. I, 20.
fecit Deus sapientiam hujus mundi? Non
quod naturalis scientia seu philosophia, in
se mala aut vitanda consistit, sed quoniam
male utentes, et utiliora ac necessariora ne-
gligentes, reprobari merentur. *Et timebunt* 9
fortes tui, o congregatio terrenorum, *a me-*
ridie, id est in calore concupiscentiæ con-
versantes : quum enim venerit super eos
ultio Dei, timebunt; *ut intereat vir de mon-* Ps. LI, 8.
te Esau, id est, omnes in superbia terrenæ
opulentiæ permanentes, damnentur. Dives Job XXVII, 19, 20.
enim quum dormierit, nihil secum aufe-

ret; apprehendet eum quasi aqua inopia.

10 *Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et peribis in æternum.* Hoc de omnibus impiis Christianis sumendum est, qui proximos suos vitiis reluctantes, nomine Jacob designatos, persequuntur, vexant, lædunt aut perimunt. Hi nisi pœniteant, æternaliter damnabuntur, secundum
Luc. xviii, 8. quod Christus ait in Evangelio : Amen dico vobis, quia cito faciet Deus vindictam
Marc. xi, 26. illorum; et denuo, Si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra;
Matth. vii, 12. rursusque : Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, eadem facite illis. Præter-
Jacob. ii, 13. ea judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam. In Ecclesiastico
Eccli. xxviii, 1. etiam inducitur : Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam; et peccata il-
Ibid. 6, 8. lius servans servabit. Propterea memento novissimorum, et desine inimicari; et ne irascaris proximo tuo. Unde in Levitico
Lev. xix, 18. Moyses jubet : Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Præterea ista specialiter accipi possunt de obstinatis incredulisque Judæis, qui rite per Esau designantur, et fratrem suum Jacob, id est primitivam Ecclesiam ex Judaismo conversam, persecuti sunt. Propter quod, et præcipue ob Christi fratris sui interfectionem, confusione operti sunt, et æternaliter perierunt, a Romanis destructi, ab inferisque absorpti, quemadmodum a Da-
Dan. ix, 26, 27. niele prædictum conspicitur : Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio.

11 *In die quum stares,* o injuste Christiane, *adversus eum,* id est Christum tuum justum, *quando capiebant alieni exercitum ejus,* id est, invisibiles seu visibiles hostes, pagani, hæretici, etc., filios Ecclesiæ devastabant, *et extranei ingrediebantur portas ejus,* id est loca fidelium; vel portæ, sunt sensus exteriores, per quos mala et nocumenta introeunt animam; *et super Jerusalem,* id est Ecclesiam militantem, vel animam christifidelem, quæ pacem amando ac contemplando, Jerusalem nuncupatur, *mittebant sortem* quis quid tolleret in direptione bonorum ipsius; *tu quoque,* qui defensor esse debueras propter unitatem fidei, spei ac Baptismi, *eras quasi unus ex eis,* consentiendo vel cooperando malignitati illorum, et de istorum calamitate gaudendo.

Et non despicies in die fratris tui, in 12
die peregrinationis ejus : id est, tot mala, divina exigente justitia, tibi infligentur, totque adversitatibus quatieris, quod de proximi tui tribulatione amplius non gaudebis, oppressus pondere miseriæ propriæ; *et non lætaberis super filios Juda,* id est de persecutione Christianorum : qui corde, ore et opere Domino confitendo confessione laudis divinæ, nomen Judæ recte sortiti sunt, quum Judas interpretetur confessio. Nato equidem quarto filio Liæ, ipsa,
Modo (inquit) confitebor Domino; et ob id *Gen.* xxix, 35.
vocavit eum Judam. *In die perditionis eorum,* id est, quum Deo permittente, ab impiis occidentur : quod cedit in gloriam eorum, et purgationem, si indigebunt. Quomodo autem verba sequentia usque ibi, Neque stabis, ad hunc valeant sensum applicari, facillime innotescit ex litterali expositione hujus Prophetæ in præcedenti
articulo introducta. *Neque stabis in exiti-* 14
bus viarum, *ut interficias eos qui fugerint.* Exitus viarum sunt errores et vitia, quæ non sunt nisi obliquitates et devia quibus a medio rationis, a via justitiæ, a lege divina, ab increata æquitate recedi-
tur. Unde in Evangelio : Ite ad exitus via- *Matth.* xxii, 9.
rum. In his exitibus stant perseverantes in malo, qui tenebris ignorantiæ et peccati caligine obtenebrantur. Fugientes vero hoc loco dicuntur, recedentes a pravo, resistentes diabolo, exeuntes de sæculo, ut Christo ministrent in claustro: quorum sanctæ conversationi insidiantur iniqui. Quum vero manus Dei inciderint, et justas receperint pœnas, non amplius stabunt in exitibus viarum jam dictis, ut interficiant, id est, a
vita gratiæ separent, fugientes et odientes *Judæ* 23.
eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.

15 *Quoniam juxta est dies Domini,* id est A
Jacob. v, 9. hora judicii, *super omnes gentes.* Judex si-
quidem ante januam adsistit, qui in Apo-
Apoc. xxii, 12. calypsi fatetur : Ecce venio cito, et merces
mea mecum est, dare unicuique secundum
opera sua. *Sicut fecisti, fiet tibi,* id est,
quod meruisti recipies. Deum sprevisti,
inhonorasti, neglexisti, et contra ejus vo-
luntatem fecisti; ipse quoque te spernet,
confundet, obliviscetur, invitumque sine
Luc. vi, 38. fine torquebit. Eadem ergo mensura qua
mensus es, remetietur tibi. *Retributionem*
tuam, id est debitam pœnam, *convertet* B
Dominus *in caput tuum :* quemadmodum
Is. iii, 11. in Isaia fertur : Væ impio in malum; retri-
butio manuum ejus fiet ei. Et apud Joelem
Joel iii, 4. loquitur Dominus : Cito velociter reddam
16 vicissitudinem super caput vestrum. *Quo-*
modo enim bibisti super montem sanctum
meum, id est, sicut de persecutione Eccle-
siæ, in quam sicut in magnum montem
crevit lapis de monte sine manibus abscis-
sus, gavisus es, *bibent omnes gentes,* etc., id
est, de tua damnatione gloriabuntur. Quod
de gentibus justis, divinæ justitiæ recto ze- C
lo congaudentibus, certum est, secundum
Job xxii, 19. illud in Job : Videbunt justi et lætabun-
tur, et innocens subsannabit eos; et alibi,
Ps. lvii, 11. Lætabitur justus, quum viderit vindictam.
17 *Et in monte Sion,* id est in Ecclesia
Christi seu anima speculativa, *erit salva-*
tio, id est salus et gratia Salvatoris. Extra
Ecclesiam enim nemini salus reponitur.
I Cor. iii, 17. *Et erit sanctus.* Templum enim Dei san-
ctum est, quod estis vos. *Et possidebit do-*
mus Jacob, id est Ecclesia Christi peccata
supplantans, fidem quoque et simplicita- D
tem sancti patriarchæ Jacob sequens, *eos*
qui se possederant. Jam enim gentiles, qui
olim gravissime opprimebant Ecclesiam,
fidei sunt subjecti, impletumque est illud
Mich. v, 9. Michææ : Exaltabitur manus tua super ho-
18 stes tuos. *Et erit domus Jacob ignis, et*
domus Joseph flamma, et domus Esau sti-
Gen. xxv, 25. *pula, et succendetur in eis.* Jacob inter-
pretatur supplantans ; Joseph vero, addi-
tamentum, quoniam nato eo locuta est
Ibid. xxx, 24. Rachel : Addat mihi Dominus alium fili-
um. Per domos autem istorum significatur
Ecclesia conculcans peccata, Christo suo
capiti addita. Domus insuper Esau, est con-
gregatio adversariorum Ecclesiæ, qui fre-
quenter velut stipula ab Ecclesia velut ab
igne consumpti sunt, secundum diversos
modos in præcedenti articulo positos.
Et hereditabunt hi qui ad austrum 19
sunt, id est, in lumine gratiæ conversan-
tur, *montem Esau,* id est principes et sa-
pientes gentilium, quorum multi ad fidem
conversi sunt; *et qui in campestribus,* id
est qui in planitie humilitatis ac sinceri-
tatis versantur, possidebunt *Philistiim,* id
est potione cadentes, dum carnales atque
gulosos convertunt, et suæ gubernationi
subjiciunt. Philistiim autem interpretatur,
potione cadentes. *Et regionem Ephraim,*
id est avaritiæ deditos, qui sibi jugiter ter-
rena accumulant. Ephraim quippe inter-
pretatur, crementum seu dilatatio. Unde
nato eo, dixit Joseph : Crescere me fecit Gen. xli, 52.
Deus in terra paupertatis meæ. *Et regio-*
nem Samariæ, id est eos qui legem Chri-
sti custodiunt, humiliter obedientes præla-
tis Ecclesiæ. Samaria autem interpretatur
custodia. *Et Benjamin,* id est populus
christifidelis, qui est filius dexteræ, id est
benignitatis fortitudinisque divinæ, *possi-*
debit Galaad, id est eos qui juste vivendo,
veritati dant testimonium. Galaad namque
tumulus testis, vel acervus testimonii in-
terpretatur.
Et ascendent salvatores, id est digni pa- 21
stores, judices et rectores, qui subditorum
saluti, prece, doctrina et exemplo coope-
rari non cessant, *in montem Sion,* id est
Ecclesiam, *judicare montem Esau,* id est
superbiam terrenorum atque carnalium re-
probare. *Et erit Domino* Christo *regnum,*
cujus regni non erit finis. Pater enim dili- Luc. i, 33.
git Filium, et omnia dedit in manus ejus. Joann. iii, 35.
Qui etiam ait : Data est mihi omnis pote- Matth. xxviii, 18.
stas in cœlo et in terra. Ipse equidem est,
qui habet in vestimento et in femore suo Apoc. xix, 16.
scriptum, Rex regum et Dominus domi-
nantium : qui est super omnia Deus subli-
mis et benedictus. Amen.

ENARRATIO
IN JONAM PROPHETAM

PROŒMIUM

JONAS propheta, cujus nunc elucidandus est liber, secundum Hebræos (ut refert Hieronymus) eisdem prophetavit temporibus quibus Isaias, Osee et Amos. Porro, quod prophetaverit tempore Jeroboam filii Joas regis Israel, innotescit ex eo quod scriptum est quarto Regum libro : Ipse (videlicet Jeroboam) convertit fines Israel ab introitu Emath usque ad mare Solitudinis, juxta verbum Domini quod locutus est per servum suum Jonam filium Amathi prophetam, qui fuit de Geth, quæ est in Ophir. Erat autem hic Jonas, secundum Hebræorum ac Latinorum doctores, filius viduæ quem suscitavit Elias in Sarepta, quemadmodum tertio Regum scriptum est.

IV *Reg.* XIV, 25.

III *Reg.* XVII, 9, 17-23.

ENARRATIO

IN JONAM PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JONAM, ETC.

1 IPSE Jonas, cui quæ subsequuntur contigerunt, eadem scripsit, et ait : *Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens.* In exordio ponit conjunctionem, Et, quæ poni consuevit in medio eorum quæ jungit. Sed idcirco nunc in principio ponitur, quoniam Jonas more prophetico multa in spiritu videns, et quod aliis Prophetis suo tempore et ante multa revelata essent cognoscens, his quæ vidit in spiritu, et quæ ab aliis visa fuerunt, conjungit quæ in isto descripsit volumine. Denique quod ait, Filium Amathi, secundum Hieronymum et Hebræos, ita exponitur, id est, filium veritatis : ita quod Amathi, est hic nomen commune seu appellativum, significans veritatem. Quum enim Elias defunctum puerum suscitasset,
III *Reg.* XVII, 24. mater locuta est : Nunc in isto cognovi quia vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est. Ideo pro signo veritatis verborum divinorum in ore Eliæ, puer ille post suscitationem dictus est filius veritatis.

Verumtamen aliqui dicunt, quod Amathi sit nomen proprium patris Jonæ. Quod quidam improbans, arguit : Mater Jonæ erat gentilis, quia de ea Christus loquitur
Luc. IV, 25, 26. apud Lucam : Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel; et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ. Ergo et vir ejus fuit gentilis. Talibus autem non datur spiritus prophetiæ. Si autem Amathi est nomen patris Jonæ, oportet fateri quod erat propheta, quum regula sit Judæorum, quod omnes illi prophetæ fuerunt, qui in principio librorum prophetalium exprimuntur tanquam patres Prophetarum. — Sed quidquid sit de veritate conclusionis, argumentum istud non reputatur idoneum, et præmissæ ejus non carent errore. Non enim sequitur : mater fuit gentilis, ergo et pater. Personæ namque Hebrææ illo in tempore per mundum dispersæ, interdum cum gentilibus matrimonium contraxerunt. Unde et Lucas refert in Actibus Apostolorum : Timotheus filius *Act.* XVI, 1.
erat mulieris fidelis (haud dubium quin Hebrææ), patre gentili. Idem patet de Hi- III *Reg.* VII, 13, 14.
ram, quem rex Tyri misit ad Salomonem pro templi structura, ut scribitur tertio Regum. Quod autem gentilibus datus est spiritus prophetiæ, patet in Job viro sancto et vero propheta; et item in Balaam vero propheta, quamvis viro perverso. Prophetia namque est donum gratiæ gratis datæ, quæ virtuosis vitiosisque communis est.

Surge, et vade in Niniven civitatem grandem : cujus magnitudo infra describitur, quoniam continebat iter trium die- 2 *Jonæ* III, 3.

Gen. x, 8, 11. rum. Hanc Nemrod legitur ædificasse in Genesi. *Et prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me :* id est, Ninivitis aperte denuntia, quod peccata eorum tam multa et magna sunt quod requirunt vindictam ; et ipsi taliter prævaricantes, digni sunt obrui seu subverti, id est ab hostibus superari, vel aliunde plagari, seu divinitus destrui. Quemadmodum autem peccata dicuntur coram Deo clamare, ita dicuntur
Ibid. iv, 10; xviii, 20; xix, 13. ascendere. Unde vox sanguinis Abel et peccata Sodomorum dicuntur clamare ad Dominum.

3 *Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis,* id est in Tarsum urbem Ciliciæ, secundum Josephum et alios multos. De qua civitate fuit Paulus, de quo in Actibus
Act. ix, 11. Apostolorum dicitur : Quære Saulum nomine Tarsensem. Judæi autem nomine Tharsis intelligunt generaliter mare. Quod secundum Hieronymum huic loco amplius congruit, scilicet, ut fugitivus et timidus non in certum locum, sed quocumque eum mare deferret, intelligatur fugisse. Quidam nihilo minus per Tharsis intelligunt urbem Indiæ. *A facie Domini,* id est a præsentia seu jussione divina, quasi locum mutando, posset conspectum seu potestatem Dei effugere, æstimans quod iram Dei vitare posset in alieno loco, scilicet, si Judæam relinquat, in qua solummodo Deum notum putavit. Sed mirum videtur, si vir sanctus, qui non solum revelationes in hoc libro descriptas sortitus est, sed etiam, sicut nunc tactum est, de regno Israel prophetavit, adeo simplex fuit, quod nescivit Deum esse ubique per essentiam et omnipotentiam, nec manum ejus quemquam effugere posse : quod in Scripturis veteris Testamenti tam ubertim habetur,
Ps. cxxxviii, 7. ut quum ait Psalmista : Quo ibo a spiritu
Ps. xciv, 4. tuo ? et quo a facie tua fugiam ? et, Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ ; et,
Ps. xxiii, 1. Domini est terra et plenitudo ejus. Ad quod dicendum opinor, quod utique novit Deum ubique præsentem et æque potentem, sed fugit ut Deus haberet eum de injuncto obsequio supportatum, dum cer-

A neret eum tam invite exsequi quod sibi impositum fuit. Vel forte putavit quod propter inobedientiam suam tolleretur ab eo spiritus prophetiæ. Aliqui autem affirmant, quod fugit quia pro tunc non fiebant revelationes propheticæ, nisi in terra duodecim tribuum Israel : quod modice valet, præsertim quum Eliæ factæ sint III Reg. xix, 8-18.
multæ revelationes in monte Dei Horeb.

Finaliter ergo dicendum, quod Jonas nescivit an revelatio sibi facta de subversione Ninive, pertineret ad prophetiam
B prædestinationis, quæ semper impletur, an potius ad prophetiam comminationis, quæ aliquando non impletur. De quo duplici genere prophetiæ dictum est supra. Sciens ergo immensitatem divinæ clementiæ, et verisimiliter æstimans quod Ninivitæ pœniterent ad suam prædicationem, noluit exsequi jussionem divinam, ne falsus probaretur propheta. In quo passus est aliquid humanum. Prophetæ enim non fuerunt omnes æque perfecti. Imo, secundum Hieronymum, Jonas fugiendo a
C facie Domini, imitatus est Cain. Dicitur au- Gen. iv, 16.
tem fugisse a facie Domini, vel quia Deus in terra Israel specialiter, magis quam in aliis terris habitavit; vel quia fugit a loco in quo Dominus per angelum ei ista præcepit. Quod autem ista fuerit causa fugæ sancti Jonæ, constat ex eo quod ipsemet ait infra. Videns enim quod Dominus parceret civitati, dixit : Obsecro, Domine, num- Jonæ iv, 2.
quid non hoc est verbum meum, quum adhuc essem in terra mea ? Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis. Scio
D enim quia tu es Deus clemens, et misericors, et patiens. Denique, secundum Augustinum, viri sancti sæpe aliquid dixerunt ex nimia familiaritate et confidentia ad Deum, quod metas rationis videbatur excedere, et interdum non statim acquieverunt jussioni divinæ. Quod venit non ex rebellione aut cordis duritia, sed humilitate aut alia pia ratione, ut quum Moyses precabatur : Aut dimitte populo hanc no- Exod. xxxii, 31, 32.
xam, aut dele me de libro quem scripsisti.
Et quum Dominus apparuit ei in rubo, ju-

bens ut iret ad Pharaonem et filios Israel, A
satis frequenter et diu se excusavit. Sic (*Exod.* III, IV.)
potest opinari de Jona, qui tamen non excusatur in toto.

Et descendit in Joppen, id est urbem sic dictam. Venit enim ad portum civitatis illius, in qua est portus Judææ, ubi intratur ad Mediterraneum mare. Terra quoque de qua venit Jonas, fuit altior situ quam Joppe : ideo pergendo Joppen, scribitur descendisse. *Et invenit navem euntem in Tharsis,* id est in mare, vel civitatem sic dictam, ut habitum est; *et dedit* magistro B
navis *naulum ejus,* id est pretium pro sua deportatione in navi, *et descendit in eam, ut iret,* id est navigaret, *cum eis* qui erant in navi, *in Tharsis a facie Domini,* ut cessaret alloqui fugientem de causa propter quam fugit. Verumtamen Dominus non sine multiplici ratione permisit Prophetam suum sic fugere, ut patebit.

4 *Dominus autem misit ventum magnum in mare,* supernaturaliter concitando hanc commotionem ac tempestatem. *Et facta est tempestas magna in mari,* ita quod C
undæ aquarum omniquaque exsurgebant circa hanc navem repente ac vehementer, *et navis periclitabatur conteri,* id est, periculum destructionis et submersionis imminebat propter concussionem aquarum ad navem, quæ fluctibus terribiliter
5 jactabatur. *Et nautæ timuerunt* instans
periculum, *et clamaverunt viri ad deum suum.* Dicunt aliqui, quod in navi erant homines diversorum territoriorum ac rituum, diversos deos colentium, sicque unusquisque suum invocavit deum. Huic D
dicto consonat translatio Septuaginta interpretum, quæ talis est : Et clamaverunt unusquisque ad deum suum. Quamvis enim veritatem Dei summi ignorarent, credebant tamen esse providentiam, et mundum inferiorem gubernari a diis, quorum auxilio æstimabant mare posse sedari. Sicque sub errore religionis noverant aliquid venerandum. *Et miserunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur* navis *ab eis,* ut scilicet pondere vasorum ejecto,

navis facilius transiliret, quam arbitrabantur solito onere prægravari.

Et Jonas descendit ad interiora navis, id est ad secretiora ejus latibula, *et dormiebat sopore gravi,* id est dure seu fortiter. Cur ad interiora navis ingressus est atque dormivit? Dici potest, quod videns tempestatem oriri, et de peccato fugæ conscius sibi, agnovit eam propter se concitari : ideo jam mœstus ac pavens, et instans malum intueri non audens, intravit latibulum, et præ tristitia tædioque dormivit, sicut Apostoli tempore passionis. Et Psalmista : Dormitavit, inquit, anima mea præ tædio. (*Matth.* XXVI, 40, 43. *Ps.* CXVIII, 28.) Alii dicunt, quod in tanta tempestate tranquillus fuit atque securus, aliisque turbatis placido somno quievit. Sed mirum apparet, si tempestatem videns insurgere, et agnoscens eam propter suam culpam accidere, non potius dedit se ad orandum corde timorato atque sollicito somnum excludente, quam ad dormiendum : maxime, ne occasione ipsius omnes perirent qui erant in navi. Potius igitur reor, quod statim postquam navis ingressa est mare, tempestate nondum exorta, Jonas ad interiora navis descendit, tanquam lassus de via, et tristis propter commissionem sibi factam. Et quia cum illis gentilibus non delectabatur misceri, idcirco dedit se repausationi soporis. Somnus enim naturaliter mitigat cordis tristitiam.

Et accessit ad eum gubernator, id est 6
rector navis, qui tanquam superior alios habuit consolari, et de remedio principaliter sollicitari, *et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris?* id est, cur tantæ temeritatis atque ignaviæ es, ut in tanto discrimine dormias? *Surge, invoca Deum tuum,* ut cujus commune exstat periculum, sit et communis oratio. Vidit enim gubernator quod vasa jactando et idola implorando nihil proficerent : idcirco alloquitur Jonam, quem vidit hucusque non exorasse, præsertim quum naturale sit, unumquemque in suo periculo plus de alio quam in se ipso confidere. *Si forte recogitet Deus* tuus *de nobis,* quibus nostri dii non auxi-

liantur, id est, quatenus Deus tuus subveniendo ostendat se memorem nostri, quorum videtur oblitus, *ut non pereamus,* id est, ne mergamur.

7 *Et dixit vir ad collegam suum,* id est, viri isti inter se loquebantur. Non dubium quin Jonas surgens invocaverit Deum, sed quum nec ejus oratio præberet subsidium, dixerunt quod subditur : *Venite, mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum* pœnale, id est ista afflictio, *sit nobis.* Nautæ et viri isti naturam ventorum ac tempestatum frequenter experti, pensabant tempestatem hanc non esse naturalem ac solitam, sed propter alicujus in navi consistentis maleficium contigisse. Aliter non sorte quærerent auctorem naufragii, nec per rem incertam, certum periculum conarentur vitare. *Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam.* Sortes enim mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur, ut dicitur in Proverbiorum libro. *Prov.* XVI, 33.

Quæritur, an liceat sortibus uti. Videtur quod imo, auctoritate Salomonis nunc posita. Josue quoque per sortem deprehendit Achan. Apostoli etiam usi sunt sorte in electione Matthiæ. *Josue* VII, 14, 16, 18. *Act.* I, 26. Præterea Moyses ait in Numerorum libro, ut terra promissionis per sortes divideretur : Sicut, inquit, unicuique sors ceciderit, tribuetur hereditas. *Num.* XXXIII, 54. Oppositum autem arguitur, quoniam Glossa ait hoc loco (estque Glossa hæc sumpta ex verbis Hieronymi) : Quod Matthias sorte eligitur, et hic fugitivus, scilicet Jonas, sorte deprehenditur, non agitur virtute sortium, sed voluntate Dei, qui sortes regebat incertas. Nec hoc exemplo debemus uti vel credere sortibus, quoniam privilegia singulorum non possunt legem facere communem : sicut nec ubique credendum est somniis, quamvis voluntate Dei Pharao et Nabuchodonosor indicio somniorum futura cognoscunt, videlicet per interpretationem Joseph et Danielis. *Gen.* XLI; *Dan.* II, IV.

Et respondendum secundum Thomam in secunda secundæ, quod sortes dicuntur, dum aliqua fiunt, ex quorum eventu aliquid occultum innotescit. Triplex ergo est
A sors, scilicet divisoria, consultoria, ac divinatoria. Divisoria appellatur, quia per missionem seu indicium sortium quæritur quid sit alicui exhibendum de re possessa, dignitate, honore vel pœna, hoc est, ut cognoscatur quis quam partem accipiat. Si autem quæritur quid sit agendum vel dimittendum, vocatur sors consultoria. Quod si investigetur quid sit futurum, erit sors divinatoria. Actus autem humani qui requiruntur ad sortes, non sunt subjecti influxioni stellarum. Non ergo licet effe-
B ctum seu ostensionem sortium exspectare a corpore cœlesti seu astris, nec a spirituali substantia mala, scilicet dæmone. His autem causis remotis, oportet sortialium actuum effectum præstolari a fortuna, vel ex substantia spirituali directiva bona, puta a Deo vel angelis. Si itaque exspectetur a fortuna : quod in sorte divisoria tantummodo locum habet, ut dum aliqui nequeunt rem concorditer dividere, sorte utuntur, totum committentes fortunæ; tunc (ut aliqui dicunt) nullum est peccatum. Alii
C tamen asserunt quod sit vitium vanitatis. Porro si effectus sortis exspectetur a Deo vel ab angelis, non est in se malum, secundum Augustinum. Sed potest in hoc quadrupliciter peccatum incidere. Primo, si fiat sine necessitate, quia hoc pertinet ad tentationem Dei. Secundo, si etiam in necessitate fiat sine debita reverentia. Unde Apostoli cœtu fratrum collecto, et oratione præmissa, sortes miserunt. *Act.* I, 15 *et seq.* Tertio, si divina oracula ad terrena convertantur negotia. Quarto, si in ecclesiasticis electioni-
D bus, quæ ex Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, sortibus quis utatur. Unde Beda dicit, Matthiam sorte electum seu factum apostolum, quando Spiritus Sanctus nondum erat datus; sed Spiritu Sancto recepto, septem diaconi non sorte sed fratrum electione sunt ordinati. *Ibid.* VI, 5.

Ex quibus patet ad argumenta responsio. Verumtamen isti exsistentes in navi cum Jona, fuerunt gentiles, ideo superstitiosis sortibus usi creduntur. Unde nec excusantur in toto. Deus tamen qui de ma-

lis elicit bona, taliter temperavit has sor- A
tes, quod Jonas est deprehensus.
8 *Et dixerunt ad eum : Indica nobis cu-*
jus causa, id est pro quo peccato, *malum*
istud pœnæ, puta tempestas, *sit nobis* om-
nibus propter te solum. Deprehensum per
sortem, cogunt propria voce confiteri quod
verum est, ut certiores reddantur. Et forte
specialiter mirabantur quod sors cecidit
super Jonam, qui ex vultu et habitu, ver-
bis et gestibus, videbatur homo virtutis.
Ideo sciscitantur : *Quod est opus tuum?*
id est, quid habes præ manibus? quid fe- B
cisti? cujus officii es? Primo quærunt de
opere, quoniam propter opus efficitur ho-
mo dignus pœna vel laude. *Quæ terra tua?*
id est, de qua regione es oriundus? *et quo*
vadis? vel ex quo populo es tu, id est, cu-
jus religionis et cultus? Quatuor ergo mira
brevitate interrogant, ut ex his cognosca-
tur causa periculi. Aliquando enim quis
punitur, propter malitiam terræ natalis,
vel quia tendit ad locum prohibitum, vel
propter peccata parentum. Quibus Jonas
9 plane breviterque respondet : *Et dixit ad* C
eos : Hebræus ego sum. Descendentes enim
de genere Abrahæ per Isaac et Jacob, vo-
Gen. xi, 14-26. cantur Hebræi ab Heber, de cujus semine
natus est Abraham. *Et Dominum Deum*
cœli ego timeo, id est, colo et vereor. Quum
enim Jonas hæc dixit, timuit utique Deum,
et de suo peccato (ut reor) pœnituit. Si ve-
ro dicatur peccasse mortaliter, fugiendo et
non obediendo, amisit filialem timorem,
quem pœnitendo recuperavit. *Qui fecit*
mare et aridam : de quo in Apocalypsi le-
Apoc. xiv, 7. gitur : Adorate eum qui fecit cœlum et D
terram, mare et fontes aquarum.
10 *Et timuerunt viri timore magno :* ta-
men servili. Timuerunt enim majestatem
Creatoris, cujus omnipotentiam visibiliter
Hebr. x, 31. sentiebant; et viderant quam horrendum
esset manum illius incidere. *Et dixerunt*
ad eum : Quid hoc fecisti? Quod intelligi
potest dupliciter : Primo increpatorie, tan-
quam dicant : Cur tanto Deo non paruisti?
et cur Creatoris manum putasti effugere?
Secundo interrogative, ut sit sensus : Quod
est mysterium fugæ tuæ? Cur vir tantus,
tam religiosus et divinarum revelationum
conscius fugit, nec studuit ire in Niniven
ad prædicendum ejus subversionem? Cur
cultor unius summi Dei recessit a Deo
suo? *Cognoverunt enim viri quod a fa-*
cie Domini fugeret, quia indicaverat eis,
quando dixit, Hebræus ego sum : tunc
enim adjecit, quod fugeret a facie Domini,
et idcirco oriretur tempestas.
Et dixerunt ad eum : Quid faciemus 11
tibi, et cessabit mare, id est commotio ma-
ris, *a nobis?* tanquam dicant : Videmus te
virum esse magnum, sapientem et san-
ctum, cum quo loquitur Deus, cui sua se-
creta revelat, cui magna committit : ideo
tibi cuncta committimus, et ut tui ipsius
judex consistas. Tuum est imperare, no-
strumque exsequi; et qui auctor es culpæ,
demonstra remedium. Non audemus culto-
rem summi Dei proprio condemnare con-
silio, ne Dei ejus iram gravius incurramus.
Quia mare ibat et intumescebat. Et dixit 12
ad eos : Tollite me, et mittite in mare. In
quo patet constantia et justitia Jonæ, qui
contra se ipsum tam promptum pronun-
tiavit judicium, maluitque submergi, quam
alios secum periclitari, paratus etiam mor-
tem tolerare pro suo peccato, ad satisfa-
ciendum honori divino. *Et cessabit mare*
a vobis, quum fuero mersus. Culpa enim
ulta, pœna finitur. *Scio enim quod pro-*
pter me tempestas hæc grandis est super
vos, id est, idcirco condoleo vobis, et opto
vos erui, me pereunte.
Et remigaverunt viri, ut reverterentur 13
ad aridam. In quo patet, quam invitissi-
me ejecerunt Jonam propter reverentiam
personæ, cui cum proprio periculo defere-
bant. *Et non valebant* reverti ad terram,
quia mare ibat, id est, impetuose fereba-
tur, *et intumescebat super eos,* quasi non
potens ultionem injuriæ sui Creatoris dif-
ferre. Et quo viri illi plus tardabant sub-
mergere Jonam, eo altius irruit super eos
fluctuum impetus. Dicunt quoque Hebræ-
orum doctores nonnulli, quod aliæ naves
vicinæ sine tempestatis concussione pro-

cedebant, sed huic navi ex omni latere im-
minebat tempestas, ita quod nec reverti
14 valebant. *Et clamaverunt ad Dominum :*
jam enim ex effectu noverant causam, vi-
delicet quod esset unus omnium Domi-
nator summus atque omnipotens, cujus
tantam experiebantur in mari virtutem ;
*et dixerunt : Quæsumus, Domine, ne perea-
mus in anima viri istius,* id est, ne ob in-
terfectionem cultoris tui puniamur a te, *et
ne des super nos sanguinem innocentem,*
id est, nobis non imputetur mors Prophetæ
sancti innoxii. Non quod fuerit penitus in-
nocens, imo hanc meruit pœnam ; sed ali-
unde erat vir sanctus et innocens, et co-
gnoverunt eum esse meliorem eis : ideo
metuebant manus peccatrices in vatem ex-
tendere. *Quia tu, Domine, sicut voluisti,
fecisti.*
15 *Et tulerunt Jonam,* id est, spontaneum
cum reverentia et timore portabant, non
renitentem rapuerunt, *et miserunt in ma-
re ; et stetit,* id est, cessavit et conquie-
vit, *mare a fervore suo,* id est impetuosa
commotione simili iræ atque furori. *Et* 16
timuerunt viri timore magno Dominum.
Naturale est enim, ut insolitis ac mirabi-
libus rebus visis, homo formidet. Unde in
Evangelio frequenter habetur, quod turbæ *Matth.* IX,
visis miraculis Christi, timuerunt. Viri au- 8; *Marc.* IV,
tem prædicti multa mirabilia sub una hora 40 ; V, 15 ;
viderunt, videlicet supernaturalis tempe- *Luc.* V, 26;
statis ortum, et ejusdem subitaneam cessa- VII, 16.
tionem. *Et immolaverunt hostias Domino,*
vel hostias laudis et spiritum contribula-
tum ac precem devotam, vel etiam hostias
corporales de rebus suis quas secum ha-
bebant, *et voverunt vota,* id est, plura
se oblaturos promiserunt. Imo, secundum
Hieronymum, voverunt se amplius non re-
cessuros a Deo, quem cœperant colere.
Sicque timuerunt eum nunc timore magno
et initiali seu filiali, ita quod pœnitendo
et bonum propositum concipiendo, fece-
runt quod in ipsis est, moxque gratiam
gratum facientem sortiti sunt.

ARTICULUS II

DE MYSTICA EXPLANATIONE EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

JONAS in multis tenet figuram Christi,
sicut in sequenti patebit capitulo. Unde
quæ litteraliter de Jona inducta sunt, de
Christo allegorice exponuntur. Jonas autem
interpretatur columba, seu dolens. Et per
utrumque intelligitur Christus ab omni
felle amaritudinis alienus, purus, et sim-
Matth. III, 16. plex : super quem Spiritus Sanctus in spe-
cie columbæ descendit. Ipse quoque est
Ps. LXVIII, 30. de quo cantatur in Psalmo : Ego sum pau-
Is. LIII, 4. per et dolens. Et in Isaia dicitur : Vere
Ibid. 5. dolores nostros ipse portavit ; et, Vulnera-
tus est propter iniquitates nostras.
1 Itaque, *Factum est verbum,* id est præ-
ceptum, *Domini* Dei Patris, *ad Jonam,* id
est Christum, secundum quod homo est.
Propter quod ait in Joannis evangelio : Sic- *Joann.* XIV,
ut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. 31.
Filium Amathi, id est Patris æterni, qui
est veritas prima. Amathi nempe veritas
interpretatur. *Surge* a quiete contempla- 2
tionis, vel, a Nazareth urbe permodica, *et
vade in Niniven civitatem grandem,* id
est ad mundum seu populum universum.
Ninive autem interpretatur speciosa : qua
mundus designatur, quo oculis carnis nil
pulchrius intuemur. Unde in Græco ab
ornatu seu pulchritudine nomen accepit,
quoniam Græce dicitur κόσμος, id est de-
corus sive ornatus. Hinc etiam Plato dis-
seruit, quod mundus iste sensibilis, dicitur
mundus, id est purus, quoniam a mundo

mundissimo, qui est in mente divina, vi-
delicet a mundo ideali atque archetypo,
fluxit. *Et prædica in ea, quia ascendit*
malitia ejus. Hoc Christus prædicavit, di-
Luc. xiii, 5. cendo : Nisi pœnitentiam egeritis, omnes
Matth. xviii, 7. similiter peribitis; et, Væ mundo a scan-
Joann. vii, 7. dalis. Propter quod ait in Joanne : Me odit
mundus, quia ego testimonium perhibeo
de illo, quia opera ejus mala sunt. Hoc et
Is. xi, 4. Isaias prædixit : Percutiet, inquiens, ter-
ram virga oris sui. — Denique in hoc quod
3 Jonas fugit a facie Domini, non tenet pro-
prie typum Christi.

Et descendit in Joppen. Per Joppen, quæ
Cant. iv, 7. interpretatur decora, virgo Maria tota pul-
chra et penitus immaculata exprimitur,
cujus dulcissimum virginalemque uterum
ingressus est Filius Dei; *et invenit navem,*
id est, carnem humanam sumpsit ex ea,
euntem in Tharsis, id est in mare sæculi
hujus. Procedens namque de Virginis ute-
ro, processit ad persecutiones mundi is-
tius. *Et dedit naulum ejus,* id est, corpori
assumpto largitus est præmium pro mini-
sterio quo ministravit Verbo æterno, cujus
erat instrumentum animatum, conjunctum,
immediatum et proprium. *Et descendit in*
eam : divinitas quippe latebat et habitavit
in carne assumpta; *ut iret in Tharsis,* id
Baruch iii, 38. est, visibiliter conversaretur cum homini-
bus et prædicaret in mundo.

4 *Dominus autem misit ventum magnum*
in mare, id est, multas persecutiones per-
misit excitari in Christum ; *et facta est*
tempestas magna in mari, id est in Judæa
vitiorum fluctibus plena et amarissima,
quando videlicet Scribæ ac Pharisæi cum
aliis multis persecuti sunt Christum. Unde
Matth. xxi, 10. in Evangelio legitur, quod Christo ingre-
diente Jerusalem, commota est universa
civitas, dicens : Quis est hic? *Et navis*
periclitabatur conteri, secundum exterio-
rem apparentiam, quando Judæi voluerunt
Luc. iv, 29; *Joann.* viii, 59; x, 31. Jesum præcipitare et lapidare. Per navem
autem, ut dictum est, intelligitur caro Chri-
sti, quæ erat quasi vehiculum deitatis, præ-
sertim quum nobis quoque dicat Aposto-
I Cor. vi, 20. lus : Portate Deum in corpore vestro. Et

A alibi scriptum est : Currus Dei decem mil- *Ps.* lxvii, 18.
libus multiplex. In die vero Parasceves
contrita est navis ista, quantum ad hoc
quod humanam vitam amisit, et a planta
usque ad verticem non erat sanitas in ea. *Is.* i, 6.
Quumque comprehensus esset Christus a
Judæis, *nautæ,* id est Apostoli navem Ec- 5
clesiæ postea gubernantes, *timuerunt,* fu- *Matth.* xxvi, 56.
gientes a Christo, *et clamaverunt ad Deum,*
eo quod dulcissimum atque carissimum
amiserunt magistrum.

Et Jonas descendit ad interiora navis,
B *et dormiebat sopore gravi.* Sic et Christus
dormivit in navi super cervical, secundum *Marc.* iv, 38.
Marcum. *Et accessit ad eum gubernator.* 6
Petrus enim, princeps Apostolorum, et
condiscipuli tunc suscitaverunt Jesum. Ve- *Ibidem.*
rumtamen per soporem Jonæ, aptius in-
telligitur torpor et negligentia peccatoris :
qui quum in medio laqueorum ambulet,
et infinitis valletur periculis, vana securi-
tate resolvitur, nec cum timore et tremo- *Philipp.* ii, 12.
re propriam operatur salutem. Unde in
Ecclesiaste habetur : Sunt impii qui ita *Eccle.* viii, 14.
C securi sunt, quasi justorum facta habeant.
Tales ergo accedat gubernator, id est præ-
latus vel pius hortator atque director (uni- *Eccli.* xvii, 12.
cuique enim mandavit Deus de proximo
suo), et dicat : *Quid tu sopore deprimeris?*
Surge, invoca Deum tuum. Ambrosius :
Tempus enim est nos a somno surge- *Rom.* xiii, 11.
re, quoniam non dormientibus, pigritanti-
bus, acediosis, sed vigilantibus et laboran-
tibus, provenit regnum cœlorum. Ideo ait
Salvator : Vigilate itaque, omni tempore *Luc.* xxi, 36.
orantes, ut digni habeamini fugere omnia
D quæ ventura sunt, et stare ante Filium
hominis; et alibi, Vigilate itaque, quia *Matth.* xxv, 13.
nescitis diem neque horam. Hinc in Pro-
verbiis Salomonis dicitur : Usquequo, pi- *Prov.* vi, 9.
ger, dormies? Usquequo dormitabis? *Si*
forte recogitet Deus de nobis, ut non per-
eamus. Ita in omni tribulatione et angustia
facere nos oportet, confugiendo ad Deum,
et alios admonendo ut invocent Deum :
quia quum ignoramus quid facere debea- *II Par.* xx, 12.
mus, hoc solum habemus residui, ut oculos
nostros et corda levemus ad Creatorem.

12 *Dixit* Jonas : *Tollite me, et mittite in* A
mare. Sic Christus videns totum genus hu-
manum periclitari, et pro magna parte
damnari, voluit in hunc mundum descen-
dere, hominesque moriendo salvare a tem-
pestate dæmonis et peccati : præsertim,
quoniam Pater zelans pro Filio, damnavit
angelicos spiritus protoplastosque homi-
nes, eo quod similitudinem Dei, quæ Filio
appropriatur vel propria est, inordinate
appetierunt. Hinc Filius zelans pro Patre,
ut ejus honorem in hominibus recupera-
ret, dignatus est in mare sæculi destinari B
Ps. LXXXVII, 8. et opprimi, prout fatetur in Psalmo : Su-
per me confirmatus est furor tuus, et om-
nes fluctus tuos induxisti super me. *Et*
cessabit mare a vobis. Christo enim pro
nobis occiso, mitigata est rabies dæmo-
num in nos : non quod illi minus crude-
les effecti sint, sed quia eorum potestas
arctata est.
Et timuerunt viri timore magno. Sic et 16
nos videntes indesinenter magnalia Dei,
rapidum motum cœlorum, cursus stella-
rum, etc., quæ in universo geruntur a Deo,
quæ utique incomparabiliter majora sunt
quam quæ viri prædicti viderunt circa
Jonam, debemus Deum filialiter revereri,
multumque timere, et cordialiter concuti
ex consideratione majestatis omnipotentiæ
Dei, hostias quoque obedientiæ, laudis ac
precum Deo offerre, et vota vovere, juxta
illud : Vovete et reddite Domino Deo ve- *Ps.* LXXV, 12.
stro. Hoc enim est actus latriæ.

ARTICULUS III

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : ET PRÆPARAVIT DOMINUS PISCEM GRANDEM, ETC.

CONSEQUENTER describuntur mirabilia C
1 Dei circa Jonam peracta. *Et præpara-*
vit, id est, ad deglutiendum Jonam ad-
duxit, *Dominus piscem grandem,* id est
cetum. Sic enim Christus allegat in Evan-
Matth. XII, 40. gelio : Sicut fuit Jonas in ventre ceti, etc.
Sic quoque transtulerunt Septuaginta. *Ut*
deglutiret Jonam. Poterat utique Deus con-
servare vitam Jonæ extra ventrem ceti in
pelago; sed ad præfigurandum dominicam
sepulturam, voluit eum esse in medio ce-
ti, cujus venter figuravit Christi sepul-
crum. Præparavit autem Dominus piscem D
hunc, vel de novo eum producendo, vel
de alio loco ad navem ducendo : quod for-
te ministerio angeli factum est, quanquam
et solo nutu Deus hoc potuit. *Et erat Jo-*
nas in ventre piscis, vivus atque incolu-
Dan. III, 49, 50. mis potestate divina, sicut tres pueri in
medio æstuantis incendii, *tribus diebus et*
tribus noctibus, propter mysterium seu
mysticam rationem, ad præfigurandum tri-
duum sepulturæ Christi, quod per synec-
dochen sumitur.
Et oravit Jonas ad Dominum Deum 2
suum de ventre piscis, et dixit : Clamavi, 3
vel solo cordis affectu verbisque mentali-
bus, vel clamore vocali, quia in ventre
piscis potuit vox formari, *de tribulatione*
mea, id est, in tribulatione exsistens, et ab
ea eripi cupiens, *ad Dominum,* qui ait :
Invoca me in die tribulationis ; *et exaudi-* *Ps.* XLIX, 15.
vit me de ventre inferi, id est, de utero
piscis, qui inferus similitudinarie appel-
latur, propter horrorem et capacitatis lati-
tudinem. Erat enim perhorrendum, esse
in medio ceti. Sic et nos in tribulatione
facere opus est, exemplo dicentis : Ad Do- *Ps.* CXIX, 1.
minum, quum tribularer, clamavi, et ex-
audivit me. Hinc in Deuteronomio habe-
tur : Quum quæsieris Dominum Deum *Deut.* IV, 29.
tuum, invenies eum ; si tamen toto corde
quæsieris eum, et tota tribulatione animæ
tuæ. Et Baruch ait : Anima quæ tristis est *Baruch* II, 18.

super magnitudine mali, et incedit curva A
et infirma, et oculi deficientes, et anima
esuriens dat gloriam et justitiam tibi Do-
mino. *Clamavi, et exaudisti vocem meam.*
Clamavit enim Jonas, secundum Hierony-
mum, saltem interno clamore, quando vi-
dit super se venire atque hiare immanem
belluam. Et tunc Dominus misericors fuit
ei, ita quod non lædebatur ab ea. Cogno-
vit quoque in spiritu se liberandum, et
egressurum de ventre ceti, ut aliqui dicunt.
4 *Et projecisti me in profundum in corde
maris,* id est in cetum, qui quum sit ma- B
ximæ quantitatis inter pisces, descendit
ad profundiora pelagi loca, ut posset na-
tare. Hoc loco dicit Hieronymus, quod in-
fernus esse perhibetur in medio terræ. *Et
flumen circumdedit me,* id est fluens aqua
abyssi, antequam glutiretur; et etiam in
ventre ceti fuit aqua Jonam circumdans
pro aliqua corporis sui parte. *Omnes gur-
gites tui et fluctus tui* a te creati et mihi
inflicti, *super me transierunt.* Operuerunt
enim piscem, et ex consequenti eum qui
5 fuit in medio piscis. *Et ego dixi : Abjectus* C
sum a conspectu oculorum tuorum, id est
ab intuitu miserationis pietatisque tuæ.
Hoc dixit dolentis affectu : et quantum ad
hoc, verum fuit quod Deus rigorose cœpit
inobedientiam ejus punire per tempesta-
tem, projectionem, et deglutitionem. *Ve-
rumtamen rursus videbo templum san-
ctum tuum :* quia (ut tactum est) spiritu
prophetali prævidit se exiturum de pisce,
et templum Dei in Jerusalem conspectu-
Ps. LXIV, 5, 6. rum, de quo fertur in Psalmo : Sanctum
est templum tuum, mirabile in æquitate. D
6 *Circumdederunt me aquæ usque ad ani-
mam* meam, id est, usque ad vitæ pericu-
lum, nisi divinitus præservatus fuissem.
Substantiam vero animæ incorporalem ac
simplicem aquæ non possunt contingere
vel intrare. *Abyssus vallavit me, pelagus
operuit caput meum,* operiendo piscem in
quo eram conclusus, et antequam glutirer.
7 *Ad extrema montium,* id est ad profunda
loca abyssi, ubi montium fundamenta, ra-
dices seu pedes terminantur (quod accipi
potest de magnis montibus in littore vel
in mari locatis), *descendi; terræ vectes,* id
est bassiora loca terræ super quam currit
abyssus, quibus quasi vectibus et colum-
nis globus terræ dicitur sustentari, vel,
profunda terrarum tanquam vectes et se-
ræ, *concluserunt me in æternum,* secun-
dum hominum æstimationem, vel quia
humana virtute nunquam egredi potui :
quamvis nullum corpus humanum sit æter-
naliter permansurum in pelago, sed in die
novissimo suscitandum, quando mare da-
bit mortuos suos, secundum Joannem in *Apoc.* XX, 13.
Apocalypsi. *Et sublevabis,* id est eripies,
de corruptione, id est morte et digestione
seu manducatione a bellua ista, *vitam me-
am,* ne manducer a ceto, *Domine Deus
meus :* qui licet sis omnium Deus, tamen
specialiter es Deus meus, circa quem tam
pie ac mirabiliter operaris.
Quum angustiaretur in me anima mea, 8
id est, omni humano esset solatio desti-
tuta, et in horrido tenebrosoque ceti alvo
consisterem, *Domini recordatus sum,* ejus
misericordiam implorando, qui ait : Cum *Ps.* XC, 15.
ipso sum in tribulatione ; *ut veniat ad te,*
Domine, *oratio mea,* id est, tibi accepta
sit, *ad templum sanctum tuum,* id est ad
te in templo tuo specialiter habitantem.
Dominus enim in templo sancto suo : sive *Ps.* X, 5.
per templum intelligatur quod erat in Je-
rusalem, sive templum triumphantis Ec-
clesiæ, quod est patria cœlestis, vel cœlum
empyreum. Quod autem in Apocalypsi ha-
betur, Templum non vidi in ea, intelli- *Apoc.* XXI, 22.
gitur quantum ad aliquem actum templi,
qui convenit viatoribus, non comprehen-
soribus.
Qui custodiunt vanitates, id est, rebus 9
vanis, mendaciis et peccatis diligenter in-
hærent, et velut carum thesaurum con-
servant, lætantes quum malefecerint, et *Prov.* II, 14.
perseverantes in malis, *frustra misericor-
diam suam derelinquunt,* id est, gratia et
misericordia Dei se indignos inaniter fa-
ciunt, quia nec in illis aliquid veræ bea-
titudinis reperiunt, et veram felicitatem
amittunt. Et in hoc patet magnanimitas

Jonæ, quod in tanto constitutus horrore,
contra mundanam prosperitatem invehi-
10 tur. *Ego autem in voce laudis,* id est cum
cantico et divino præconio, *immolabo tibi*
hostias spirituales atque legales, et in pri-
mis me ipsum, tibi de cetero in omnibus
Eccli. xxxv, 2. obediendo. Salutare enim sacrificium est,
attendere in mandatis, et discedere ab
omni iniquitate, ut dicitur in Ecclesiasti-
co. *Quæcumque vovi, reddam.* Unde pa-
tet, quod Jonas more afflictorum promisit
certas Deo hostias immolare, vel obsequia
exhibere, vel pro gratiarum actione, quod
Deus eum tam clementer custodivit in
mari, vel ut tantum discrimen evaderet,
nec fieret belluæ cibus. *Pro salute mea*
Domino, ut ab eo æternam merear beati-
tudinem consequi.
11 *Et dixit,* id est jussit, *Dominus,* cui
cuncta creata obediunt, *pisci,* movendo et
afficiendo appetitum piscis ad id quod
subditur ; *et evomuit Jonam in aridam,*
projiciendo eum super littus maris. Et mi-
raculosum videtur fuisse, quod tantus pi-
scis potuit terræ eatenus propinquare, quia
in modica aqua natare non valet. Potest
tamen cum impetu venire ad littus, de-
ferendo ante se aquam, sicut dum capi-
tur; sed si tunc aliquid extra se projicit,
hoc cadit in aquam.

Expositio allegorica. PRÆTEREA, juxta allegoricum intelle-
ctum, quemadmodum Jonæ triduana in
pisce habitatio, fuit sepulturæ dominicæ
typus, sic ejus oratio fuit figura orationis
Domini Salvatoris, qui secundum Aposto-
Hebr. v, 7. lum, cum clamore valido et lacrimis sup-
3 plicationes fudit ad Deum. *Clamavi de*
tribulatione mea ad Dominum. Sic et Chri-
Matth. xxvi, 39. stus passione instante precatus est : Pater,
si fieri potest, transeat a me calix iste. Et
Ps. xxi, 2; *Matth.* xxvii, 46. in cruce extentus : Deus, Deus meus, re-
spice in me. *Et exaudivit me de ventre*
inferi, id est, de limbo animam meam
eduxit, et corpori reunivit ; vel, De ventre
inferi, id est de monumento. *Clamavi, et*
exaudisti vocem meam : juxta quod ait in
Joann. xi, 41, 42. Joanne : Pater, gratias ago tibi, quoniam
audisti me ; ego autem sciebam quoniam
semper me audis. Quidquid enim Christus
oravit ratione deliberata et voluntate ra-
tionali simpliciter dicta, obtinuit.
Projecisti me in profundum in corde 4
maris. Hoc est quod ait in Psalmo : Infi- *Ps.* lxviii, 3.
xus sum in limo profundi ; et, Veni in *Ibidem.*
altitudinem maris. Istud ergo profundum,
est, vel caro mortalis assumpta, vel infe-
riores partes terræ, in quas (Paulo teste) *Ephes.* iv, 9.
descendit Salvator. Porro cor maris est Ju-
dæa, in medio terræ habitabilis sita, quem-
admodum cor est in medio animalis. Ibi
enim operatus est nostram salutem. *Cir-* *Ps.* lxxiii, 12.
cumdedit me flumen tentationum, perse-
cutionum et passionum. Tota enim con-
versatio Christi in sæculo isto, quasi in
abundantia tribulationum fuit, præsertim
quum toties compassus fuerit mundo, et
in paupertate præcipua vixit. *Omnes gur-*
gites tui et fluctus tui super me transie-
runt, id est, prædictis adversitatibus sum
afflictus, opertus, probatus : quemadmo-
dum dicit Apostolus, Non habemus ponti- *Hebr.* iv, 15.
ficem qui non possit compati, sed proba-
tum per omnia. Hinc Christus fatetur in
Psalmo : Tempestas demersit me ; et, Re- *Ps.* lxviii, 3.
pleta est malis anima mea ; ibidemque, *Ps.* lxxxvii, 4.
Super me confirmatus est furor tuus, et *Ibid.* 8.
omnes fluctus tuos induxisti super me.
Hoc quoque aliquo modo dicere possunt
in magnis et multis afflictionibus consti-
tuti, et cum Apostolo dicere possunt : Su- II *Cor.* i, 8.
pra modum gravati sumus, supra virtu-
tem. De talibus demum aquis et fluctibus
scriptum est in Threnis : Inundaverunt *Thren.* iii, 54.
aquæ super caput meum.
Et ego dixi in cruce : *Abjectus sum a* 5
conspectu oculorum tuorum, quum dixi :
Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti *Ps.* xxi, 2; *Matth.* xxvii, 46.
me ? Unde in Isaia legitur : Nos putavimus
eum quasi leprosum, et percussum a Deo, *Is.* liii, 4.
et humiliatum. Non quod absolute relictus
fuit a Deo, sed quoniam inferiori parti
animæ subtracta fuit solita consolatio, et
natura assumpta potestati tenebrarum et
manibus impiorum exposita fuit, in tan-
tum quod satiati sunt pœnis ejus. Sicque *Job* xvi, 11.

videbatur Christus homo abjectus a Deo. A
Matth. xxvii, 42, 43; Luc. xxiii, 35. Ideo enim dixerunt : Si rex Israel est, vel,
Si hic est Christus Dei electus, descendat
nunc de cruce ; confidit in Deo, liberet
eum nunc, si vult. *Verumtamen rursus*
videbo templum sanctum tuum, id est
Apostolos et Ecclesiam militantem ac tri-
Joann. xvi, 22. umphantem. Hinc apud Joannem ait : Ite-
rum autem videbo vos, et gaudebit cor
Ps. xxxiv, 18. vestrum. Unde cantatur in Psalmo : Con-
Ps. xxi, 23. fitebor tibi in Ecclesia magna ; et, In me-
dio Ecclesiæ laudabo te.

6 *Circumdederunt me aquæ* tribulationum B
usque ad animam, id est usque ad cor-
poralis vitæ exstinctionem : juxta illud in
Ps. lxviii, 2. Psalmo, Salvum me fac, Deus, quoniam
intraverunt aquæ usque ad animam me-
7 am. *Ad extrema montium descendi* se-
cundum animam in puncto mortis, id est
ad inferiora terræ loca ; *terræ vectes con-*
cluserunt me, ita quod infra portas inferni
fui detentus spontanee, non arctatus, nec
Ps. cvi, 16. captus, aut proprie clausus ; imo portas
æreas contrivi, et vectes ferreos confregi.
Judæi vero putabant eum una cum impiis C
in æternum damnatum, secundum quod
Ps. lxxxvii, 7. Christus fatetur in Psalmo : Posuerunt me
in lacu inferiori, in tenebrosis et in um-
bra mortis. Ideo subditur, *in æternum. Et*
sublevabis de corruptione vitam meam :
quoniam non dedisti Sanctum tuum vide- Act. ii, 27; Ps. xv, 10.
re corruptionem, et ad immortalem vitam
suscitasti me tertio die.

Quum angustiaretur in me anima mea, 8
dum dixi, Tristis est anima mea usque ad Matth. xxvi, 38.
mortem : quando et facto me in agonia, Luc. xxii, 43, 44.
factus est sudor meus sicut guttæ sangui-
nis decurrentis in terram ; *Domini recor-*
datus sum; prolixius orando (quæ oratio
non est descripta), et dicendo : Pater, si Matth. xxvi, 39;
possibile est, aufer a me calicem istum ; Luc. xxii, 42.
verumtamen non mea voluntas, sed tua
fiat. *Ego autem in voce laudis immolabo* 10
tibi sacrificium laudis, secundum quod ho-
mo sum. Obtulit etiam Christus Patri vel
Trinitati prædam quam de inferis rapuit,
dum eam in ascensione Patri præsentavit
in patria. Denique, quando in passione
immolavit se ipsum, nunquam anima ejus,
quoad partem suam superiorem, cessavit
a laude divina. *Quæcumque vovi, reddam.*
Sic et nos agere par est. Displicet enim Eccle. v, 3.
Deo stulta et infidelis promissio, ut Salo-
mon ait.

ARTICULUS IV

DECLARATIO CAPITULI TERTII : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JONAM SECUNDO.

1 Et factum est verbum Domini ad Jo- D
2 *nam secundo, dicens : Surge, vade in*
Niniven civitatem magnam, et prædica
in ea prædicationem quam ego loquor ad
te, videlicet quod post quadraginta dies
mox subvertetur. Post liberationem Jo-
næ a mari et ceto, non dicitur ei, Cur
non fecisti quod imperavi ? sed sufficit ei
naufragii et devorationis sola correptio.
Superfluum namque est, delinquenti ser-
vo post plagas imputare quod fecit, quum
hujuscemodi correptio non tam emendatio
sit, quam exprobratio, secundum Hiero-
nymum. *Et surrexit Jonas* eruditus fla- 3
gellis. Vexatio enim dat intellectum. Unde Is. xxviii, 19.
in Jeremia habetur : Castigasti me, Domi- Jer. xxxi, 18.
ne, et eruditus sum. *Et abiit in Niniven*
juxta verbum Domini.

Et Ninive erat civitas magna itinere
dierum trium, quantum ad ambitum mu-
rorum, secundum Hieronymum : ita quod
tanta fuit amplitudo civitatis, quod infra
tres dies vix potuit circumiri, secundum
Glossam. Sed contra hoc quidam opponit,

quia secundum sacram Scripturam et hi-
storiographos, Babylon excessit omnes alias
civitates in magnitudine. Unde secundum
Aristotelem, potius videbatur regio muris
clausa, quam civitas. Et tamen circuitus
murorum ejus non erat nisi viginti qua-
tuor leucarum, quæ non continent tres
dietas complete. Objectio ista videtur mihi
in multis deficere. Primo enim non ap-
paret, ubi sacra Scriptura affirmet Baby-
lonem omnibus civitatibus mundi fuisse
majorem. Secundo, quia secundum Hiero-
nymum, Babylon ædificata fuit in quadran-
gulo, et quælibet pars muri illius quadran-
gularis habuit octo leucas, sicque circuitus
Babylonis fuit triginta duarum leucarum.
Tertio, quia (ut dicitur) decem leucæ ha-
bent dietam. Quarto, quia secundum hoc
etiam Babylon non ostenditur fuisse mi-
nor quam Ninive, sed Ninive probatur ha-
buisse in gyro circa triginta leucas. Iste
autem sic arguens, dicit quod tres dietæ
itineris Ninive, sint sumendæ procedendo
per vicos civitatis ubique : sic enim (ut
dicit) habebat Jonas procedere denuntian-
do civibus destructionem urbis. Sed non
videtur consuetudo, describere magnitudi-
nem loci vel urbis per talem processum.

4 *Et cœpit Jonas introire civitatem itine-
re diei unius :* id est, primo die processit
in urbem, conficiendo seu perambulando
spatium unius dietæ. Vel sensus est, quod
primo ingressu sic festinavit, quod statim
unam confecit dietam pergendo per ur-
bem. Hieronymus autem videtur hæc ver-
ba sic intelligere, quod Jonas divinæ jus-
sionis et superioris naufragii memor, viam
trium dierum unius diei festinatione com-
plevit ; alii vero, quod in tertia parte urbis
tantummodo prædicavit, et ad reliquos
confestim prædicationis ejus rumor per-
venit. Verumtamen intuendo seriem tex-
tus, videtur sic intelligendum, quod Jonas
unam dietam confecit, antequam prædica-
vit. Et sic forte circa medium civitatis, vel
in principaliori ejus parte deveniens præ-
dicavit, sicut subjungitur.

Et clamavit, et dixit : Adhuc quadra-
A *ginta dies* erunt seu defluent, *et Ninive
subvertetur,* id est, ab inimicis suis, seu
plaga subita, aut simili modo destruetur,
tam in ædificiis quam in civibus. Ista fuit
prophetia comminationis, per quam ali-
quid prænuntiatur futurum, non ut est in
notitia mentis divinæ, sed secundum dis-
positionem et ordinem secundarum cau-
sarum, quæ possunt impediri atque muta-
ri. Peccata autem Ninivitarum exigebant
urbem et habitatores subverti : et sic Jo-
nas prædixit futurum. Et tamen, ut aliqui
B adstruunt, nec ipse Jonas scivit prophe-
tiam suam ad comminationem magis quam
ad prædestinationem pertinere, quia hoc
sibi revelatum non fuit. Denique Glossa
dicit hoc loco : Non est prophetia ista de-
scendens de præscientia Dei, ubi omnia
sicut sunt, ita permanent ; sed est commi-
natio ad correctionem, proponens justam
ultionem, secundum præsentia Ninivita-
rum peccata. *Et crediderunt viri Ninivi-* 5
tæ in Domino, pristinos deos abjiciendo,
nec amplius in idolis confidendo. *Et præ-*
C *dicaverunt jejunium,* id est, aliis, scilicet
pueris, puellis, uxoribus, et familiis præ-
ceperunt penitus abstinere, *et vestiti sunt
saccis a majore usque ad minorem* inclu-
sive. Saccus enim et jejunium sunt arma
pœnitentium : ut qui victu et vestibus,
luxu et ambitione Deum offenderant, abs-
tinentia et humiliatione eumdem placa-
rent. Contraria enim curantur contrariis ;
et per quæ quis peccat, per hæc et pu- *Sap.* xi, 17.
nitur.

Et pervenit verbum Jonæ *ad regem* 6
D *Ninive,* ab his qui audierunt a Jona. Talia
enim solent præsidenti in primis annun-
tiari, ad quem specialiter pertinet cura
boni communis. *Et surrexit de solio suo,
et abjecit vestimentum suum,* id est regii
decoris ornamenta seu regalia insignia (un-
de Septuaginta interpretum translatio ha-
bet, Abjecit stolam suam), *a se ; et indu-
tus est sacco, et sedit in cinere :* ut qui
per superbiam meruit iram, per eximiam
humilitatem mereretur et veniam. Simile III *Reg.* xxi,
aliquid legitur de Achab rege Israel, quum 27.

7 audisset comminationem Eliæ. *Et clamavit, et dixit,* id est, per præconem unum, vel ut amplius puto, per plures annuntiari fecit celeriter : quoniam fervens affectio nescit tardantia opera ; *in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens,* ut scilicet nuntii dicerent verba sequentia ex parte regis et principum :

Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam, nec pascantur ad certum tempus, et quantum possibilitas naturæ permittit, *et aquam non bibant.* Per aquam et panem, Scriptura significat quemlibet cibum et potum : alioqui parva afflictio esset hominum, in civitate tam opulenta non bibere aquam. Inter jumenta et pecora hæc potest esse distinctio, quod jumenta proprie nuncupantur, quæ hominibus obsequuntur in exercitiis necessariis : dicuntur enim jumenta, quasi juvamenta. Pecora vero sunt aliæ bestiæ. Jumentum quoque est genus ad bovem. Unde posito genere, descendunt ad speciem, dum dicunt, Jumenta et boves. Quamvis autem jumenta nullum peccatum habuerint, et infantes nullum actuale commiserint, jubentur tamen affligi, in quantum sunt aliquid eorum qui peccarunt, scilicet possessio seu posteritas. Sicque eorum afflictio in dominos et parentes redundat, et provocat misericordiam Dei considerantis fervidam pœnitentium contritionem, cujus signum fuit bestiarum atque infantium afflictio.

8 *Et operiantur saccis homines et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine,* id est efficaciter seu magno affectu, et cum necessitate ingenti. Homines autem rationabiliter intellectualiterque clamabant, sua crimina profitendo, et misericordiam implorando. Jumenta vero clamasse scribuntur, in quantum ex fame emittebant mugitus : qui erant clamores ad Dominum, in quantum homines ordinabant famem et mugitum jumentorum ad mitigandum judicem Deum. Rursus irrationabilia dicuntur clamare ad Deum, in quantum ex divina providentia sortiuntur affectum ad necessaria victus. Unde in Job inducitur : Quis præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagientes, eo quod non habeant cibos ? (Job xxxviii, 41.) *Et convertatur vir,* id est unusquisque virorum Ninive, *a via sua mala,* id est a vitiosa affectione et impia cogitatione, *et ab iniquitate quæ est in manibus eorum,* id est a malis operibus quæ sunt in viribus operativis, seu membris per quæ exercentur, præsertim in manibus virorum Ninivitarum.

9 *Quis scit si convertatur* a rigore justitiæ ad effectum clementiæ, licet in sua nunquam mutetur natura, *et ignoscat nobis Deus, et revertatur a furore iræ suæ,* id est, ab horrenda sua comminatione et parata nobis ultione desistat, *et non peribimus,* id est, non subvertemur eo converso atque placato ? Denique dubitative loquuntur, dicendo, Quis scit ? quoniam certi non erant an eorum opera pœnitentialia essent Deo accepta. Imo nemo scit an sit dignus amore : idcirco certus non est an pœnitentia sua sit placans Deum, (Eccle. ix, 1.) quamvis certum sit quod ex caritate pœnitentibus Deus ignoscat. Unde et spes certitudinem habet ex parte misericordiæ Dei, cui innititur ; non autem ex parte sperantium, quum certi non sint an eorum opera sint meritoria.

10 *Et vidit Deus* oculo pietatis et approbationis, *opera eorum* pœnitentialia non ficta, *quia conversi sunt de via sua mala,* qua itur ad infernum ; *et misertus est Deus super malitia,* id est afflictione seu pœna, *quam locutus fuerat ut faceret eis,* id est, pœnam comminatam misericorditer relaxavit, *et non fecit.* Nec tamen mentitus est, quoniam prophetia comminationis intelligenda fuit conditionaliter, scilicet, nisi pœniterent. Et in hoc Deus monstravit verum esse quod ait apud Jeremiam : Repente loquar adversus gentem et regnum, ut eradicem et destruam illud ; si pœnitentiam egerit gens illa, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. (Jer. xviii, 7, 8.) Hoc nempe de prophetia comminationis et malo pœnæ, de quibus lo-

quitur Jonas, intelligendum censetur. De tali autem malo seu malitia, dictum est in Amos : Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit ?

Amos III, 6.

Allegorice, per hoc quod factum est verbum Domini ad Jonam secundo, quando de ventre ceti eductus est, datur intelligi quod ad Christum, postquam de sepulcro surrexit, factum est verbum Dei Patris, ut pergat ad Niniven civitatem magnam, id est, ad gentilitatem convertendam mittat discipulos, qui nomen Christi portaverunt ad gentes. Hoc autem fecit Christus, dicendo Apostolis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Quumque gentiles audissent prædicationem Apostolorum, æternam condemnationem minantium, crediderunt in Christum, et pœnitentiam fecerunt condignam. Pervenit quoque prædicatio verbi cœlestis ad regem Ninive, id est ad principes, sapientes, divites et nobiles hujus mundi, quorum aliqui omni ornatu mundano, vano, superbo abjecto, conversi sunt, et subditos ad fidem ac pœnitentiam provocaverunt, in tantum ut homines, id est doctiores, et jumenta, id est stolidi et obtusi boves, per quos intelliguntur prædicatores, pecora quoque, id est simpliciani, concorditer pœniterent. Dicit hoc loco Hieronymus, quod homines eloquentes difficillime convertuntur ad fidei humilitatem, et difficilius quam potentes, divites et nobiles. Quidam tamen illorum conversi sunt, ut Cyprianus martyr, qui antea idola coluit, atque Carthagine rhetoricam legit.

Marc. XVI, 15.

Dantur præterea Ninivitis quadraginta dies ad pœnitendum : primo, ut vulnera animæ inveterata, inolita, radicata et usitatissima, longo pœnitentiæ tempore corrigerentur; secundo, quoniam quadragenarius numerus est pœnitentiæ competens. Unde Moyses et Elias quadraginta leguntur jejunasse diebus : similiter Christus pro nobis dolens, seque affligens et exemplum proponens. Insuper, Ninive spiritualiter dicitur subversa, quando habitatores ejus vita et moribus tam mirabiliter sunt mutati, et quodammodo esse desierunt, juxta illud : Verte impios, et non erunt. Hoc tamen improprie nominatur subversio, quoniam fuit salutaris conversio. Verumtamen postmodum redierunt ad vomitum pristinaque peccata, etiam satis cito. Unde Tobias dixit : Video quod propter iniquitatem suam subvertenda sit Ninive. Fuit autem destructa tempore Josiæ regis a rege Medorum, ut refert Hieronymus.

Exod. XXXIV, 28 ; III *Reg.* XIX, 8 ; *Matth.* IV, 2.

Prov. XII, 7.

Ibid. XXVI, 11.

Tob. XIV, 13.

Quæritur, quomodo Ninivitæ in vitiis maxime habituati, tam cito crediderunt et pœnituerunt, quum nullum viderint miraculum in Jona propheta. Ad quod responderi potest, quod Deus gratiam hanc clementissime infudit indignis, eos pie præveniens, ad præfigurandum magnitudinem pietatis et gratiæ dandæ Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, quæ per Apostolorum prædicationem conversæ sunt. Conversio enim Ninivitarum, fuit figura conversionis totius gentilitatis, Judæis in sua perfidia obstinatis. Jonas autem primo prædicavit (ut dictum est) Israelitis, a quibus auditus non fuit; postea gentibus, a quibus susceptus est. Sic Christus primo prædicavit Judæis, qui eum non receperunt; postea gentibus per Apostolos, quæ ad ipsum conversæ sunt. — Verumtamen habeo circa hæc quamdam imaginationem, quam scribo non affirmando, sed quia sic fieri potuit. Opinor ergo quod forte aliqui virorum qui cum Jona in navi fuerunt, ejusque in mare projectionem viderunt, et prorsus putaverunt mersum ac mortuum, venerunt in Niniven. Quumque vidissent Jonam ibi venire, et prædicantem audirent, vehementissime mirabantur, retuleruntque Ninivitis universa quæ acciderant. Quibus auditis, territi sunt Ninivitæ, agnoscentes quod vir ille esset vere missus a Deo omnipotenti, qui tanta mirabilia circa eum monstravit in pelago. Sicque crediderunt et pœnituerunt.

IV *Reg.* XIV, 25.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : ET AFFLICTUS EST JONAS AFFLICTIONE MAGNA.

1 ET *afflictus est Jonas afflictione magna,*
id est vehementer contristatus. Dicit
autem Hieronymus et eum sequentes, quod
non sit afflictus ob id quod gentium multitudo,
videlicet Ninive cum habitatoribus
suis, salvatur; sed quia videt gentem
suam, videlicet populum Israel, perire, et
se præ ceteris Prophetis electum, qui per
salutem aliorum, proprii populi nuntiaret
ruinam : ita quod Jonas agnovit pœnitentiam
Ninivitarum esse indicium indurationis
Israelitarum. Alii dicunt, quod idcirco
afflictus sit quoniam vidit civitatem adhuc
manere post tempus quadraginta dierum.
Propter quod timuit diffamari, contemni,
et sic falsus propheta haberi : quod
erat sibi gravissimum. Et istud magis consonat
textui secundum superficiem seriemque
verborum. Jonas enim non excusatur
omniquaque a culpa in isto negotio, ut
patebit et patuit. Unde verbis et flagellis
a Deo corripitur. *Et iratus est,* id est
commotus propter suum, ut sibi apparuit,
infortunium. Verumtamen non puto quod
contra Deum iratus exstiterit, vel de Ninivitarum
conversione et conversorum conservatione
doluerit absolute. Hoc enim nimis
enorme fuisset. Sed de sua confusione,
et ex quodam, quamvis indiscreto, justitiæ
zelo contra Ninivitas commotus est. Et forte
optavit ut non obstante eorum pœnitentia,
sua impleretur prophetia, quatenus
illi per præsentis vitæ flagella et destructionem
purgarentur, atque æternam beatitudinem
consequerentur.
2 *Et oravit ad Dominum, et dixit : Obsecro,
Domine, numquid non hoc est verbum
meum,* id est, nonne istud quod nunc ad
oculum apparet, videlicet quod urbs ista
non subvertitur, sed tuam misericordiam
A obtinet, est quod dixi, *quum adhuc essem
in terra mea,* scilicet in terra nativitatis
meæ seu Israel? Tunc enim Jonas æstimavit,
et conjecturaliter dixit coram Domino,
quod timeret verba sua non esse complenda.
Propter hoc, quia sic putavi et dixi, et
ne falsus viderer propheta, *præoccupavi
ut fugerem in Tharsis :* secundum intel- *Jonæ* I, 3.
lectum expositum. *Scio enim quia tu
Deus clemens* in effectu, *et misericors* in
natura *es, et patiens,* id est longanimiter
exspectans ac sustinens, *et multæ misera-*
B *tionis, et ignoscens super malitia,* id est
culpam dimittens, pœnamque relaxans, et
comminationem sæpe non implens. Ideo
nolui prædicare te rigorosum, vel vindicaturum,
sciens proprium tibi esse, misereri
et parcere. Nolui quoque prædicare te
misericordem, ne peccatores de tua bonitate
præsumentes, perseverarent in vitiis.
Hinc præoccupavi ut fugerem. *Et nunc,* 3
Domine, tolle, quæso, animam meam, et
pone eam in limbo patrum sanctorum,
quia melior est mihi mors quam vita.
C Maluit ergo mori, quam in tali vivere statu
: in quo Dominus juste et vere redarguit
eum. Aliquando tamen viri sancti ex
nimia afflictione vitæ præsentis desideraverunt
mortem, non ex impatientia, sed
quietis amore, nec ipsam mortem quasi
terminum optaverunt, sed quasi ingressum
ad vitam meliorem, in qua Deo vacarent
perfectius. Hinc Moyses ait in Numeris :
Obsecro ut interficias me, ne tantis afficiar *Num.* XI, 15.
malis. Et Paulus : Supra modum, inquit, II *Cor.* I, 8.
gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere.
D Tobias quoque : Præcipe, Domine, in pace *Tob.* III, 6.
recipi spiritum meum; expedit enim mihi
mori magis quam vivere.
Et dixit Dominus, increpando importu- 4

nitatem Prophetæ : *Putasne bene,* id est
juste, *irasceris tu?* quasi diceret, Non.
5 *Et egressus est Jonas de civitate.* Hoc se-
cundum expositores quosdam, per recapi-
tulationem hic dicitur. Prædictam namque
orationem Jonas fudit, finitis quadraginta
diebus a sua prædicatione, quando conspe-
xit verba sua non adimpleri. Et ante illam
orationem exiit urbem, ut videret quid ei
accideret. *Et sedit contra orientem,* id est
orientalem plagam, *civitatis. Et fecit si-
bimet umbraculum ibi,* id est tugurium
parvum, quo operiretur contra solis ar-
dorem, qui ibi multum intensus est. Non
dubium quin Ninivitæ in magna reveren-
tia habuerint Jonam, cujus tam cito credi-
derunt sermonibus, et de victualibus ei
copiam ministrabant, si tamen recipere
voluit. Et puto quod oraverunt Prophe-
tam, quatenus pro ipsis intercedere di-
gnaretur. *Et sedit subter illud in umbra,
donec videret quid accideret civitati.*

Præterea ad reprehendendum impatien-
tiam Jonæ, adduxit Dominus exemplum
6 sensibile. *Et præparavit,* id est, repente
ac miraculose de terra pullulare fecit, *Do-
minus Deus hederam,* id est virgultum
sive arbusculam quamdam habentem folia
lata, quæ facit densissimam umbram. Ori-
tur autem crebro in partibus Palæstinæ,
secundum Hieronymum, præcipue in locis
arenosis; et cito crescit in altum, si tamen
habeat aliquid solidum sibi infixum, vide-
licet stipitem, per quod ascendat, alioqui
per terram reptat sive diffunditur. Domi-
nus autem fecit hederam istam sine admi-
niculo tali statim una nocte in altum con-
surgere : in quo potestatem suam ostendit.
Et ascendit hedera *super caput Jonæ, ut
esset umbra super caput ejus, et prote-
geret eum* contra solis calorem : sicque
duplici fuit umbraculo coopertus. *Labora-
verat enim,* sustinendo æstum solis, et
irascendo seu ambulando. *Et lætatus est
Jonas super hedera,* id est de ejus produ-
ctione et umbra, *lætitia magna :* quoniam
7 fecit sibi suave refrigerium. *Et paravit
Deus,* cujus providentia universa disponit,

A *vermem,* vel de novo producens, vel ad
corrodendum adducens et applicans, *as-
censu diluculi in crastinum, et percussit
hederam,* id est, radicem ejus corrosit; *et
exaruit* hedera, quoniam radix non attra-
xit humorem.

Et quum ortus fuisset sol, id est dilu- 8
culo, *præcepit Deus,* cujus ditioni cuncta *Esther* XIII,
subduntur, cujus quoque nutui tam prom- 9.
pte obediunt, quasi ejus intelligerent jus-
sionem, *vento calido et urenti,* qui auxit
solis æstum, et duplicavit calorem sola-
B rem. *Et percussit sol super caput Jonæ,*
per reflexionem radiorum suorum : ex qua
repercussione calor causatur, quamvis sol
non sit in se ipso formaliter calidus, sed
causaliter tantum; *et æstuabat,* id est, præ
calore quodammodo arsit. *Et petiit animæ
suæ,* id est, ad sublevamen afflictionum
animæ suæ oravit Deum, *ut moreretur* ipse
Jonas, non anima quæ immortalis est, *et
dixit* ad Dominum : *Melius est mihi mori
quam vivere.* In quo erravit, quantum ad
motivum suum, ut dictum est : quamvis
C viris sanctis aliquo modo melius sit mori
in Christo, quam vivere in carne, quem-
admodum Paulus optavit dissolvi et esse *Philipp.* I,
cum Christo. Nec mirum si Jonas jam po- 23.
stulet mori, quando aucta est afflictio ejus
ex arefactione hederæ et solis æstuatione,
qui paulo ante quærebat mortem præ do-
lore, quod verbum suum videbatur cas-
satum.

Et dixit Dominus ad Jonam : Putasne 9
bene irasceris tu super hederam? id est,
estne ira tua rationabilis, qua propter ar-
D busculæ subversionem irasceris? Hoc Deus
interrogat, ut Prophetam ex propria re-
sponsione redarguat et informet. *Et dixit*
Jonas : *Bene,* id est rationabiliter, *irascor
ego usque ad mortem,* id est vehementis-
sime. Potest autem contingere, ut homo
ex nimia iræ commotione letalem infirmi-
tatem et mortem incurrat : quoniam passio
iræ, propter accensionem et ebullitionem
sanguinis circa cor, est corruptiva.

Et dixit Dominus : Tu doles super he- 10
deram, id est de ejus arefactione, *in qua*

non laborasti, plantando, colendo seu ir- A rigando, *neque fecisti ut cresceret; quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit.* Non dicit an eadem nocte utrumque sit factum, vel noctibus contiguis, aut certe magis distantibus. Puto autem quod non sit factum utrumque eadem nocte. Tempore enim nocturno non indiguit Jonas umbraculo hederæ. Nunc autem prædictum est, quod facta fuit hedera ut protegeret
11 Jonam contra solis fervorem. *Et ego non parcam,* etc.? Quærit, et quærendo insinuat, quod multo amplius indulgendum et B condolendum erat a Creatore civitati Ninive, quam dolendum de hederæ destructione. Ideo Dominus loquitur : *Et ego non parcam Ninive civitati magnæ?* id est, rationabilius est ut ego parcam Ninivitis, quam ut tu de hederæ destructione tristeris. *In qua* civitate *sunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit* distinctionis *inter dexteram et sinistram suam.* Quod intelligi potest de pueris atque infantibus nondum annos discretionis sortitis, vel de rudibus et in- C doctis, qui ante prædicationem Jonæ inter bona et mala discernere non valebant. Si primo modo accipiatur, datur intelligi quanta fuerit ibi multitudo hominum provectioris ætatis. *Et jumenta multa :* quibus propter possessores conversos parcendum est, quemadmodum propter injustos dominos aliquando trucidantur.

Consideranda est autém compendiositas Jonæ, quam brevis in verbis, quam fructuosus in sensu, quam planus in descriptione propriæ culpæ : in quo multorum est redarguta loquacitas. — Denique habuit Jonas alias revelationes propheticas ad regnum Israel pertinentes, ut patet quarto Regum libro, et nunc partim commemoratum est. Illas autem brevitati studens, non descripsit, sed istam tanquam principaliorem. (IV *Reg.* XIV, 25.)

Præterea, mystice per hederam significatur Synagoga, quæ se in altum erexit per apparentem religionem, et sancta sæcularia habuit, radicem vero non profundavit in terra. (*Hebr.* IX, 1.) Vermis autem corrodens hanc hederam, fuit exercitus Romanorum, vel Christus, qui ait : Ego autem sum vermis et non homo. (*Ps.* XXI, 7.) Qui propter peccata Judæorum dedit eos in manus Romanorum, juxta quod ait in Isaia : Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea. (*Is.* LXIII, 3.) Ipse enim est omnium justissimus judex, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO

IN MICHÆAM PROPHETAM

ENARRATIO

IN MICHÆAM PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : VERBUM DOMINI QUOD FACTUM EST AD MICHÆAM.

MICHÆAS sanctus Dei propheta, cujus A liber mysteriis et pulchritudine sensuum plenus est, sextus est in ordine duodecim Prophetarum. Qui libro suo prologum brevem præmittens, tempus suæ
1 vaticinationis ostendit, dicendo : *Verbum Domini quod factum est ad Michæam Morasthiten,* id est, sermo prophetalis a Deo per angelum dictus Michææ, oriundo de Morasthi viculo parvo, apud urbem Palæstinæ Eleutheropolim sito, *in diebus Joathan, Achaz et Ezechiæ regum Juda.* Non ponit nomina regum Israel seu decem tri- B buum sub quibus prophetavit, quia expressis regibus Juda quibus in regnando contemporanei erant, faciliter intelliguntur. Superius quoque dictum est, quod Osee et Amos, imo et Isaias sub Ozia, Joathan, Achaz et Ezechia, prophetarunt. (*Osee* I, 1; *Amos* I, 1; *Is.* I, 1.) Hic autem Michæas non legitur prophetasse sub Ozia patre Joathan. Ex quo elicitur, quod Michæas cœpit sub Joathan vaticinari : et pro parte prophetavit eodem tempore quo Osee, Isaias et Amos, quamvis post illos incepit. Ex his insuper constat, quod C iste Michæas sit alter ab illo de quo tertio Regum habetur, qui sub Achab prophetavit, (III *Reg.* XXII, 8-28.) de quo Achab dixit ad Josaphat : Ego odi eum, quia non prophetat mihi nisi malum. (*Ibid.* 8.) Ille itaque diu præcessit istum Michæam : et dictus fuit Michæas filius Jemla.

Quod vidit, id est, spiritualiter intellexit in repræsentatione visionis imaginariæ : intelligentia siquidem opus est in visione; (*Dan.* X, 1.) *super Samariam,* id est de populo decem tribuum, quæ nomine Samariæ designantur, quia Samaria fuit in regno illo metropolis. Posset tamen Samaria accipi pro ipsa provincia. *Et Jerusalem,* id est de populo duarum tribuum, scilicet Juda et Benjamin : sub quibus comprehenditur tribus sacerdotalis atque Levitica, quæ a tempore separationis decem tribuum a domo David, adhæsit regno David, in quo fuit templum et cultus divinus. (II *Par.* XI, 13, 14.) Decem enim tribus fecerunt sibi sacerdotes de extremis populorum. (III *Reg.* XII, 31.) Per Jerusalem ergo metropolim regni Juda, signantur hæ tribus. Denique Michæas de utroque regno prophetavit : et primo de decem tribuum populo, ideo exprimit Samariam ante Jerusalem.

Hoc ergo verbum Domini ostensum Michææ, est quod subjungitur. Antequam tamen verbum istud describitur, excitat Propheta auditores ad diligentissimam advertentiam dicendorum. Verba enim altissima cum multa sunt reverentia auscultanda.
Audite auribus cordis et corporis, 2
populi omnes, et attendat terra et plenitudo ejus. Ad litteram Propheta loquitur hoc ad duodecim tribus. Et per terram intelligit

habitatores utriusque regni ; plenitudo autem intelligi possunt meliores aut ditiores. Vel repetit idem sub aliis verbis, sicut frequenter fit in Scripturis ad ampliorem attentionem excitandam. *Et sit Dominus Deus vobis in testem,* id est, Deus sit vobis testis veritatis eorum quæ dico, scilicet testificando seu demonstrando quod vera sint quæ loquor. Unde Symmachus transtulit, Testificans; et Septuaginta transtulerunt, In testimonium. Vel sensus est, quod Deus attestetur Prophetæ quod annuntiavit populo quæ Deus præcepit : quatenus populus si non obedierit, nullam habeat excusationem, Deo contra ipsum testimo-
Jer. xxix, 23. nium perhibente, qui ait in Jeremia : Ego sum judex et testis. Hoc modo Moyses ait
Deut. xxxi, 28. in Deuteronomio : Contestabor contra vos cœlum et terram. *Dominus de templo sancto suo,* id est, de cœlo ita testetur, puta de cœlo empyreo, in quo specialiter esse et habitare asseritur : ideo quoque dicitur inde operari. Vel templum Dei sanctum, vocatur electorum fidelis collectio, in quibus gratiose habitat.

Deinde ponitur verbum Dei propheti-
3 cum huic vati ostensum. *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo,* id est, de sublimi cœlorum habitaculo descendet ad terram, non in se, vel per aliquam sui motionem aut loci mutationem, sed per operationem seu ultionem, atque potentiæ suæ declarationem. Ibi enim Deus esse asseritur, ubi evidenter operatur. Dum ergo non ostendit potestatem suam in impiis, eorum ulciscendo peccata, videtur deesse ; dum vero vindicat, dicitur visitare, venire, sive accedere. Unde habetur in Psalmo:
Ps. cxlii, 5. Domine, inclina cœlos tuos et descende. In Genesi quoque Dominus ait de Sodomitis :
Gen. xviii, 21. Descendam, et videbo si juxta clamorem qui venit ad me, faciant. Vel locus immensi Dei, est ipsemet Deus. Infinitum enim fulcit se ipsum, nec aliquid extra se con-
I *Tim.* vi, 16. tinet illud. Deus quoque lucem habitat inaccessibilem. Dum ergo Deus omnipotens se ipsum non manifestat, quasi in proprio permanet loco. Dum vero suam virtutem

A vel sapientiam sive justitiam manifestat per effectus, egredi fertur de loco suo, id est de sui ipsius abscondito. De quo loquitur Isaias : Vere tu es Deus absconditus. *Is.* xlv, 15.
Rursus, quum natura Dei sit bonitas, proprium ei est et connaturale, esse propitium seu misereri et parcere : sicque locus Dei est misericordia ejus. Dum ergo a dulcedine pietatis transit ad æquitatis rigorem, et durum atque severum se exhibet propter nostra delicta (quod quasi alienum ab eo est), egreditur de loco suo.

B *Et descendet,* per ultionis effectum, *et calcabit super excelsa terræ,* id est, colla terrenorum et impiorum suppeditabit, tradendo idololatras filios Israel manibus et pedibus adversariorum, puta Assyriorum
et Chaldæorum. *Et consumentur montes* 4
subter eum, id est, majores, utpote reges seu principes, sacerdotes et judices, occidentur divina virtute ab hostibus jam præfatis; *et valles,* id est inferiores, *scindentur,* id est, destruentur ab inimicis valde velociter, *sicut cera a facie,* id est præsenti C calore, *ignis* consumitur, *et sicut aquæ quæ decurrunt in præceps,* id est, a loco altiori fluunt in bassiorem. Tales enim aquæ dividuntur in guttas seu rivulos.

In scelere Jacob, id est propter idolola- 5
triam decem tribuum, quæ nomine patris sui Jacob exprimuntur, *omne istud,* id est, tota punitio ista infligitur, *et in peccatis domus Israel,* id est etiam propter alias iniquitates populi Israel, seu decem tribuum, quæ dicuntur Jacob et Israel, quemadmodum pater earum dictus est Jacob et D Israel. *Num.* xxiv, 5; *Ps.* lxxx, 5; *Gen.* xxv, 25; xxxii, 28.
Vel Jacob et Israel, possunt referri ad regnum Juda et Samariæ. *Quod scelus Jacob* præcipuum ? *nonne Samaria,* id est idololatria quæ in metropoli illa vigebat, vel majores qui alios ad vitia induxerunt, fueruntque peccatum, id est causa inductiva peccati, subjectis. *Et quæ excelsa Judæ,* id est fana seu loca sublimia, in quibus duæ tribus idololatriam exercebant? *nonne Jerusalem,* id est excelsa quæ in metropoli Juda, puta Jerusalem, exstiterunt, vel circa eam ? Exemplo enim re-

gum qui in Jerusalem idololatriam com- A
miserunt, ceteri de regno Juda inducti
fuerunt ad idem sub pluribus regibus Ju-
IV *Reg.* XVI, XXI. da, præsertim sub Achaz et Manasse, ut
patet in libro Regum.

6 *Et ponam Samariam quasi acervum*
lapidum in agro, id est, metropolim de-
cem tribuum per Assyrios destruam, ita
quod ædificia corruentia, erunt velut con-
geries saxorum positorum in agris, *quum*
plantatur vinea circa agrum. Tunc enim
lapides de loco vineæ colliguntur, et in
unum cumulum projiciuntur. *Et detra-* B
ham per Assyrios *in vallem lapides ejus,*
id est structuras lapideas Samariæ, quæ
sita fuit in montibus, *et fundamenta ejus*
revelabo, id est, funditus destruetur, in
tantum ut fundamenta cernantur sub terra.

7 *Et omnia sculptilia ejus,* id est idola
sculpta, *concidentur,* id est, ab Assyriis
destruentur, ut quidquid pretiosum fuerit
in idolis, tollant, sive aurum sive argen-
tum. *Et omnes mercedes ejus,* id est pos-
sessiones, quas cives Samariæ putabant
sibi dari ab idolis pro præmio servitutis C
exhibitæ idolis : de quibus dictum est in
Osee II, 12. Osee, Mercedes hæ meæ, quas dederunt
mihi amatores mei, id est dii quibus amo-
rose servivi; *comburentur igni,* illæ vide-
licet quas Assyrii non consumpserunt, nec
asportare quiverunt. *Et omnia idola ejus*
ponam in perditionem : ita quod destruen-
tur ab hostibus, nec se, nec suos cultores
valebunt defendere; *quia de mercedibus*
meretricis, id est de divitiis Samariæ spiri-
tualiter fornicantis cum diis (vel tota gens
duodecim tribuum, idolorum cultrix, dici- D
tur meretrix, recedendo a Deo vero, et
cum idolis fornicando), *congregata sunt,* id
est, conflata atque collecta sunt idola. Ex
pretiosis namque materiis fabricati sunt
Is. XLVI, 6; *Osee* II, 8; VIII, 4. idola. Unde per Isaiam et Osee Deus con-
queritur, quod ex auro et argento suo,
quod scilicet ipse concessit filiis Israel,
ipsi deos seu idola perfecerunt. *Et usque*
ad mercedem meretricis, id est Ninive seu
gentis Assyriæ corporaliter et spiritualiter
fornicantis, *revertentur,* id est, in potesta-
tem Assyriorum redigentur : qui quidquid
pretiosum et placitum invenerunt in ido-
lis Samariæ, secum tulerunt in Niniven,
quasi pro mercede pugnæ suæ contra de-
cem tribus. Imo Deus talia dedit eis pro
obsequio quo sibi contra decem pessimas
tribus servierunt, eo modo quo ad Eze-
chielem ait, quod regi ac populo Babylonis *Ezech.*
dabit bona Ægypti pro mercede obsequii XXIX, 18-20.
quo sibi contra Tyrum servierunt, quia in
Tyro pauca repererunt. Hæc omnia conti-
gerunt decem tribubus maxime tempore
Osee regis Israel, ut legitur quarto Regum. IV *Reg.* XVII, 6.
Nomine quoque Samariæ urbis metropoli-
tanæ, aliæ urbes decem tribuum intelli-
guntur.

Super hoc, id est de tanta miseria et 8
pressura decem tribuum, *plangam et ulu-*
labo ex magna compassione. *Vadam spo-*
liatus societate populi mei, vel propriis
bonis. Assyrii enim etiam justorum bona
diripiebant. *Et nudus,* id est pauper. Vel
hoc ideo dicit, quoniam secundum consue-
tudinem Judæorum, tempore tantæ tribu-
lationis vestimenta propria laceravit; vel
ad placandum Dominum, captivitate in-
stante, per nuditatem se ipsum afflixit in
pœnitentia pro aliis. *Faciam planctum vel-*
ut draconum, id est altum atque horri-
bilem, quemadmodum dracones, quum ab
elephantis vincuntur, terribili perstrepunt
sibilo, *et luctum quasi struthionum,* id
est valde miserabilem. Struthio autem, sic-
ut in Job dicitur, duratur ad fetus suos, *Job* XXXIX
et ovorum suorum immemor, relinquit ea 13-16.
in arena, transeuntium pedibus concul-
canda. Nihilo minus orta occasione pluri-
mum dolens, suo modo luctum emittit.

Quia desperata est plaga ejus : id est, 9
iniquitas decem tribuum, quæ est animæ
vulnus, insanabilis est, ob suam radicatio-
nem in cordibus impiorum, et obduratio-
nem ac incorrigibilitatem peccantium, qui
abjecerunt Prophetas, et converti spreve-
runt, quamvis absolute loquendo, non fue-
rit incurabilis. Vel, Plaga ejus, id est pu-
nitio seu captivitas populi hujus, desperata
est, id est inconvertibilis et irrevocabilis,

ita quod veniam non meretur, et usque in A
finem mundi durabit. Hoc modo scriptum
Jer. xxx, 15. est apud Jeremiam : Quid clamas ad me?
Osee ix, 15. insanabilis est dolor tuus; et in Osee, Non
addam ut diligam eos. Hæc est una ratio
tanti ploratus. Alia est, *quia venit usque*
ad Judam, id est, culpa et pœna decem
tribuum, usque ad regnum duarum tri-
buum venit : quia similia crimina operan-
tes duæ tribus, quæ decem, talia passæ
IV *Reg.* xvii, 6; xxv, 1 *et seq.* sunt a Chaldæis, qualia decem ab Assyriis.
Tetigit portam populi mei, id est, perse-
cutio Chaldæorum portas urbium Juda de- B
struxit, *usque ad Jerusalem* inclusive, quia
Ibid. xxv, 9, 10. illam quoque destruxerunt Chaldæi. Vel,
Usque ad Jerusalem exclusive : et tunc de
Sennacherib rege Assyriorum et ejus ex-
Ibid. xviii, 13; *Is.* xxxvi, 1. ercitu intelligendum est, qui ascendit su-
per omnes urbes Juda, et obtinuit eas,
sicut habetur in Isaia.

10 *In Geth* urbe Philistinorum, *nolite an-*
nuntiare plagam populi Israel, ne vitiose
lætentur Philistæi, qui semper oderunt
Israeliticam plebem. Unde occisis Saul et
II *Reg.* i, 20. Jonatha, David cecinit : Nolite nuntiare C
in Geth, ne exsultent incircumcisi. *Lacri-*
mis ne ploretis, id est, plangendo nolite
interioris tristitiæ signa ostendere, nec in
singultibus dolor erumpat, ne rumor ad
Philistæos deveniat. *In domo pulveris,* id
est occulte in domibus ad luctum aptis, in
quibus solent pulveres lugentium capiti-
bus superjactari; vel per domum pulveris
intelligit habitacula ruinosa, quæ quilibet
ingredi potest, ut lugeat in secreto; *pul-*
vere vos conspergite, id est, pulveres su-
perponite capiti vestro : quemadmodum D
consuetudo fuit Judæis tempore angustiæ,
superjactare capitibus pulveres, in signum
doloris et humilitatis, juxta illud in Psal-
Ps. xliii, 25. mo : Quoniam humiliata est in pulvere
anima nostra.

11 *Transite vobis,* id est, ad vestram con-
fusionem in captivitatem transibitis, *habi-*
tatio pulchra, id est, Samaritani seu decem
tribus habitantes in Samaria, quæ sita fuit
in pulcherrimo atque uberrimo loco Ju-
dææ : habitatio, inquam, *confusa igno-*
minia, id est, ignominiosis confusionibus
impleta. Confusibiliter enim Assyrii tracta-
verunt hanc gentem. *Non est egressa,* id
est nondum de terra sua translata, *quæ ha-*
bitat in exitu, plebs hæc exsistens in fori-
bus captivitatis, seu quasi in janua exeun-
di, quia jam protinus capietur. Vel sensus
est, quod non est egressa sponte, sed vio-
lenter et tracta. *Planctum domus vicinæ*
accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet. Iste
est sensus et ordo verborum : *Quæ stetit*
sibimet, id est, domus regni Juda, quæ,
destructa Samaria, sub Ezechia adhuc ste- IV *Reg.*
tit firma sub protectione divina, quoniam xviii, 9, 10.
tempore Ezechiæ Deo servivit, *accipiet ex* II *Par.*
vobis, id est vestro exemplo, o decem tri- xxix-xxxi.
bus, *planctum domus vicinæ,* id est cau-
sam lugendi taliter ut vos luxistis. Domus
enim vicina dicitur regnum decem tri-
buum, quod proximum fuit regno Juda.
Regnum vero Juda tempore Manassæ imita- IV *Reg.* xxi;
batur peccata et idololatriam decem tri- II *Par.* xxxiii.
buum : sicque sumpsit ex eis causam suæ
punitionis a Chaldæis, quam sustinendo,
deplanxit. Vel est sensus, quod aliqui ex
duabus tribubus audientes decem tribuum
captivitatem, condoluerunt, et sibimetipsis
metuebant plangentes.

Quia infirmata est in bonum, id est, a 12
bono et cultu divino dejecta est, *quæ ha-*
bitat in amaritudinibus, id est domus re-
gni Juda insistens peccatis, Deum ad ama-
ritudinem provocantibus; vel, habitans in
pœnis, quas propter sua peccata incurrit.
Quia descendit malum a Domino, id est,
punitionem Deus adduxit per Assyrios seu
Chaldæos, *in portam Jerusalem,* quam de- IV *Reg.* xxv,
struxerunt Chaldæi. Unde Dominus ait per 9, 10.
Jeremiam : Ecce ego assumam servum *Jer.* xxv, 9;
meum Nabuchodonosor; et convocabo re- i, 15.
gna Babylonis, et venient, et ponent unus-
quisque solium suum in portis Jerusalem.
Rex quoque Assyriorum de Lachis misit IV *Reg.*
Rabsacen cum manu gravi ad Jerusalem. xviii, 17.

Tumultus quadrigæ stuporis, id est stre- 13
pitus quadrigarum seu curruum hostilium,
ad stuporem mentis inducentium, incu-
tiendo magnum timorem, venit *habitanti*

Lachis, id est habitatoribus civitatis sic A
IV *Reg.* xix, 8. dictæ, quam vastavit Sennacherib, qua ca-
pta, perrexit contra Lobnam. Et sic ista
exponuntur de Assyriis et Lachis urbe
Juda. Alii vero exponunt de Chaldæis et
* Lais Lachis*, quæ alio nomine dicta est Dan,
Judic. xviii, 29. fuitque sita in termino aquilonari terræ
Cf. *Is.* x, 30. promissionis, per quam Chaldæi cum cur-
ribus et equitibus intraverunt contra Ju-
dæam. *Principium peccati est filiæ Sion.*
Hoc secundum primam præcedentis clau-
sulæ expositionem ita accipitur : Lachis
quæ fuit in regno Juda, fuit principium B
peccati et idololatriæ filiæ Sion, id est urbi
Jerusalem et Judææ, seu populo Juda com-
muniter, *quia in te,* o Lachis, *inventa sunt*
scelera Israel, id est idololatria vitiaque
annexa decem tribuum, et ita per te, vel-
ut per portam, intraverunt regnum Juda.
Quoad secundam præcedentis clausulæ in-
terpretationem, iste est sensus, quod Lachis
quæ dicta est Dan, fuit principium idolo-
Judic. xviii, 7-29. latriæ regno Juda, quoniam in Lachis a
tempore judicum fuit idolum Michæ, ut
dicitur in libro Judicum : et ita ex Lachis C
derivata est idololatria ad decem tribus, a
quibus ultra processit ad duas. Hæc tamen
expositio videtur ambigua, quia Jeroboam
III *Reg.* xii, 2, 28 *et seq.* filius Nabat, rediens ex Ægypto, cœpit
idololatriam in decem tribubus : quam non
didicit in Lachis seu Dan. Verumtamen in
Ibid. 29. Dan fuit unus vitulorum aureorum, sicque
quodammodo fuit decem tribubus princi-
pium hujus facinoris.
14 *Propterea,* id est propter vitia nunc ex-
pressa, aut similia, *dabit* rex Assyriorum,
vel Deus per illum mittet, *emissarios,* id D
est pugnatores sive latrunculos, vel sagit-
tarios, *super hereditatem Geth,* id est con-
tra urbem metropolim Philistinorum no-
mine Geth, et contra divitias ejus : quæ
urbs et cujus habitatores fuerunt *domus*
mendacii in deceptionem regibus Israel, id
est, reges Israel mentiendo deceperunt, sic-
que meruerunt hanc pœnam. *Adhuc he-* 15
redem, id est alienos heredes seu hostes
Assyrios, bona tua rapientes ac possiden-
tes, *adducam tibi,* plebs Israel, *quæ habi-*
tas in Maresa, id est urbe sic appella-
ta. *Usque ad Odollam,* id est habitatores
civitatis illius ad terram promissionis per-
tinentis, *veniet gloria Israel,* id est igno-
miniosa captivitas decem tribuum, quia et
ipsi ab Assyriis capti sunt. Loquitur autem IV *Reg.* xvii, 6.
Propheta ironice, intelligendo per gloriam
Israel, confusionem ipsius, quemadmodum
Michol ait ad David : Quam gloriosus fuit II *Reg.* vi, 20.
rex Israel hodie!
Decalvare et tondere, id est, o Samaria 16
et Israel, cui tanta confusio imminet, de-
pone ornatum, et more captivorum radere
ignominiose, in signum calamitatis tuæ
atque tristitiæ, *super filios deliciarum tua-*
rum, id est propter captivitatem filiorum
tuorum, qui aliquando deliciosi fuerunt et
delicate nutriti; *dilata calvitium tuum,* id
est, magna sit decalvatio tua tonsioque
præfata, *sicut aquila,* cui excidunt plumæ
ob vetustatem; *quoniam captivi ducti sunt*
ex te, id est, filii tui mox in captivitatem
ducentur. Imo tempore hujus prophetiæ
jam multi fuerunt capti et pressi seu in-
terfecti sub regibus Assyriorum Phul et IV *Reg.* xv, 19, 29.
Theglathphalasar. — Postremo hanc expo-
sitionem litteralem atque consimiles dicit
se ab Hebræis didicisse S. Hieronymus.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO MORALIS EJUSDEM PRIMI CAPITULI.

MICHÆAS interpretatur humilitas; Mo- A
rasthi vero, heres. Qui igitur humi-
litate ornatur, discens semper a Christo
Matth. XI, 29. quoniam mitis est et humilis corde, et ad
cœlestis pertinet hereditatis sortem, cui
Is. LXIV, 4; I *Cor.* II, 9. præparavit Deus quæ oculus non vidit, nec
auris audivit, nec ratio comprehendit : hic
talis illustratur a Spiritu Sancto, fitque ad
1 eum *verbum Domini,* et audit quid loqua-
Ps. LXXXIV, 9. tur in ipso Dominus Deus, quoniam divino
instinctui acquiescit. Hinc Salomon ait :
Prov. XI, 2. Ubi humilitas, ibi et sapientia. Nempe, quo
homo se ipsum Deo profundius humilius- B
que supponit, eo Deus gratiosius ad ipsum
convertitur, et vacuitatem ejus liberalius
implet, quia humilitas in veritate funda-
tur. Et quanto se aliquis verius perfectius-
que dignoscit, eo se declivius, timoratius,
atque intimius deprimit, ac per hoc æter-
næ et increatæ Veritati carior fit atque
propinquior. Propter quod ait Salvator :
Luc. XIV, 11; XVIII, 14. Qui se humiliat, exaltabitur. In libro Job
Job XXII, 29. quoque inducitur : Qui humiliatus fuerit,
erit in gloria. Itaque, si virtute et gratia
radicari, si radio sapientiæ illustrari, si C
Deo dilecti, vicini ac intimi esse optamus,
I *Petr.* V, 6. humiliemur ex toto corde sub potenti ma-
nu Dei, cujus comparatione est totus mun-
Is. XL, 15. dus tanquam pulvis exiguus.

Denique humilis jam præfatus videt
verbum Domini *super Samariam,* id est
fictos et reprobos Christianos, qui dicunt
Tit. I, 16. se nosse et diligere Christum, factis autem
negant. Samaria vero interpretatur custo-
dia : per quod designantur virtuosi in pro-
priis oculis, simulatores vani atque hypo-
critæ, qui se Christi legem jactant servare. D
Quid ergo de istis dicat Dominus, audit et
noscit humilis a Deo instructus, quoniam
Job XXXVI, 13. de talibus novit scriptum : Simulatores et
callidi provocant iram Dei; et, Non veniet *Job* XIII, 16.
in conspectu Dei omnis hypocrita. De qui-
bus ait Salvator : Væ vobis, qui similes *Matth.* XXIII, 27, 28.
estis sepulcris dealbatis, quæ a foris pa-
rent hominibus speciosa, intus vero plena
sunt ossibus mortuorum et omni spurci-
tia : sic et vos quidem a foris paretis ho-
minibus justi, intus vero pleni estis hypo-
crisi et omni iniquitate. Proinde simulata
æquitas non est æquitas, sed duplex ini-
quitas. *Et Jerusalem :* id est, talis quoque
intelligit quid de electorum Ecclesia Deus
pronuntiet, scilicet, quod omnes qui vo- II *Tim.* III, 12.
lunt pie vivere in Christo, persecutionem
patientur; et quod omnes qui placuerunt *Judith* VIII, 23.
Deo, per multas tentationes transierunt fi-
deles. Talibus quippe ait Salvator : Si me *Joann.* XV, 20.
persecuti sunt, et vos persequentur, quia
non est servus major domino suo. Et de-
nuo ait : Mundus gaudebit; vos autem con- *Ibid.* XVI, 20, 22.
tristabimini, sed tristitia vestra vertetur in
gaudium, et gaudium vestrum nemo tollet
a vobis.

Audite, populi omnes, et attendat terra, 2
id est Ecclesia militans degens in isto ex-
silio, *et plenitudo ejus,* id est gratiæ spiri-
tuales concessæ fidelibus, scilicet virtutes,
et dona Spiritus Sancti : quatenus pro-
cedant ad actum, dum verbum Dei pro-
ponitur. *Et sit Dominus Deus vobis in*
testem, id est, Christus, qui est testis fide- *Apoc.* I, 5.
lis, sit testificans contra vos, si male ege-
ritis; et pro vobis, si bene.

Quia ecce Dominus Christus *egredietur* 3
de loco suo, id est de summo cœlo in die
judicii ; *et descendet* secundum naturam
assumptam, *et calcabit super excelsa ter-*
ræ, id est, superba hujus mundi dejiciet.
Unde in Ecclesiastico : Omnium, inquit, ex- *Eccli.* XXIV, 11.
cellentium et sublimium colla* calcavi; et * corda

Prov. VIII, 13. in Proverbiis, Arrogantiam et superbiam, A
viam pravam et os bilingue detestor. Hinc
Jer. XIII, 15, 16. in Jeremia præcipitur : Nolite elevari; sed
date gloriam Domino Deo vestro, antequam
contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos. Præterea,
intra bonos et humiles calcat Deus, quoniam in illorum cordibus habitat, ambulat,
epulatur; sed supra superbos et malos
calcat, quoniam deprimit, spernit, et damnat ejusmodi. Nec solum intra electos et
humiles calcat Deus, sed insuper quasi
supponit se eis, dicente Psalmista de ele- B
Ps. XXXVI, 24. cto : Quum ceciderit, non collidetur, quia
Dominus supponit manum suam; et Moy-
Deut. I, 31. se in Deuteronomio, Portavit te Dominus
Deus tuus, sicut portare solet homo filium
suum. O quanta unio atque communio Dei
4 sublimis, et servuli humilis! *Et consumentur montes, et valles scindentur :* id est,
universi superbi, et terrenis rebus immersi, qui valles dicuntur (de quibus loquitur
Jer. XVII, 13. Jeremias, Recedentes a te, in terra scribentur), peribunt.

5 *In scelere Jacob,* id est propter peccata C
fidelium, *omne istud :* propter culpam
enim infligitur pœna. Propter quod scri-
Job IV, 7-9. ptum est in Job : Recordare, obsecro, quis
unquam innocens periit? Quin potius vidi
iniquos Domino flante periisse. *Quod scelus Jacob,* id est ecclesiasticorum et electorum virorum? *nonne Samaria,* id est id
ad quod a perversis inducuntur? a quibus
frequenter pertrahuntur ad vitia, dicente
Ps. XVII, 27. Scriptura : Cum perverso perverteris; et,
Eccli. XIII, 1. Qui tetigerit picem, inquinabitur. Unde in
Num. XVI, 26. Numeris Moyses loquitur : Recedite a ta- D
bernaculis hominum impiorum, et nolite
tangere quæ ad illos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Hinc gratulabun-
Ps. LXIII, 3. dus et gratus concinit Psalmista : Protexisti
me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem. *Et quæ excelsa
Judæ,* id est animositates et vanitates confitentium Deo, seu Christianorum bonorum? Qui licet sint perseverantes in gratia, tamen subinde superbiæ vanitatisque
sentiunt motus. *Nonne Jerusalem,* id est
illæ ad quas exemplo superiorum ac prælatorum inducuntur, qui in Ecclesia sortiuntur primatum, sicut Jerusalem erat in
Judæa metropolis? Dum enim subjecti conspiciunt tales pompatice ingredi, vanitatibus occupari, et intimorate coram Altissimo conversari; tunc et ipsi ad aliqua mala
labuntur, vel superiores incaute judicando,
vel eos in illicitis imitando, vel ex ignorantia prævaricando, quia non erant a suis
edocti prælatis.

Et ponam Samariam, id est reprobos, 6
quasi acervum lapidum : quando in fine
sæculi ligabuntur fasciculi et fasciculi, et Matth. XIII, 30.
congregati congregatione unius fascis, si- Is. XXIV, 22.
mul projicientur in tartarum, ibique recludentur in carcere. *Et detraham in vallem*
infernalis laci *lapides ejus,* id est duritiam
cordis, vel fortitudinem de qua præsumpsit; aut certe virtutes quas se jactavit aut
simulavit habere, quæ non erant veræ virtutes, sed lutum et fæces. Idcirco, quum
veniens Christus illuminaverit abscondi- I Cor. IV, 5.
ta tenebrarum, et manifestaverit consilia
cordium, cognoscentur vere ab omnibus;
tuncque clarissime comprehendentur astu- Job V, 13.
ti in astutia eorum. *Et fundamenta ejus,*
id est vanitates in quibus se fundavit, *revelabo,* id est, omnibus notificabo, ut agnoscant æquitatem judicii mei. Hi siquidem
tanquam stulti, ædificant domum suam Matth. VII, 26, 27.
super arenam : idcirco veniente fluvio,
ventoque flante, cadit structura.

Et omnia sculptilia ejus, id est verba 7
composita, ornatus superfluus, excogitatæ
doctrinæ fallaces, *concidentur. Et omnes
mercedes ejus,* id est divitiæ contra jus
acquisitæ per artificia prava, laudes quoque et honores ab hominibus exhibiti eis,
comburentur igni, id est, damnationi facient eos obnoxios. Opera enim illorum Apoc. XIV, 13.
sequuntur illos. Propterea scriptum est in
Isaia : Erit fortitudo impiorum ut favilla Is. I, 31.
stuppæ, et opus quasi scintilla; et succendetur utrumque simul. *Et omnia idola
ejus,* id est simulacra : de quibus ait Joannes, Custodite vos a simulacris, scilicet I Joann. V, 21.
vanis cogitationibus, inutilibus phantasiis,

formis imaginibusque nocivis, quæ men- A
tem depingunt et maculant, atque a stabili
divinorum contemplatione præpediunt; *po-
nam in perditionem,* id est, condemnabo
ac puniam. *Quia de mercedibus meretri-
cis,* id est animæ a cœlesti Sponso aversæ,
congregata sunt. Anima enim meretur gra-
tia privari : quo facto, incidit et colligit
sibi plurima mala, quæ sunt culpa et pœ-
na culpæ. *Et usque ad mercedem mere-
tricis,* id est diabolicæ ac infernalis congre-
gationis incessabiliter a Deo se avertentis,
revertentur: id est, operatores iniquitatum B
istarum a dæmonibus possidebuntur velut
mercedes, quas diu tentando et impugnan-
do adepti sunt.
8 *Super hoc plangam et ululabo,* pereun-
tibus cordialiter condolendo, et iniquorum
Rom. IX, 2, 3. duritiam deplorando : sicut Apostolo tri-
stitia magna fuit et dolor continuus, pro
fratribus suis impœnitentibus incredulis-
II Cor. XI, 29. que Judæis. Qui iterum loquitur : Quis
infirmatur, et ego non infirmor ? Quis
scandalizatur, et ego non uror ? *Vadam
spoliatus et nudus,* id est frustratus spe C
mea de illorum salvatione, vel in pauper-
tate ac nuditate pœnitentiam agens. *Fa-
ciam planctum velut draconum.* Quanto
enim anima est nobilior corpore, et quan-
to æterna damnatio gravior est omni tem-
porali supplicio, tanto vehementius dolen-
dum ac flendum est de animarum periculo
et damnatione perpetua, quam de corpo-
rum ægrotatione, seu quacumque tempo-
9 rali afflictione. *Quia desperata est plaga
ejus.* Hoc de peccatis in Spiritum Sanctum
specialiter accipi potest, quæ in tantum D
desperata sunt, quantum et irremissibilia.
Prov. XVIII, 3. Nam et impius quum in profundum vene-
rit peccatorum, contemnit. Et Apostolus
Tit. III, 10, 11. ait : Hæreticum hominem post unam et
secundam correptionem devita, sciens quia
subversus est, et delinquit proprio judicio
condemnatus. Quum ergo homines carita-
te flagrantes viderint quempiam durum et
incorrigibilem, maxime dolent, nec ces-
sant. Sed dum desperant se posse in illo
proficere, jugi supplicatione convertun-

tur ad Deum, ut cor lapideum auferat, et
mentem immutet. *Quia venit usque ad Ju-
dam,* id est, quosdam de Ecclesia infecit
pravitas malignorum ; *tetigit portam po-
puli mei,* id est prælatos, qui esse debent
aliis via et janua introeundi ad Christum,
tanquam mediatores inter Deum et nos,
usque ad Jerusalem, id est supremos pa-
stores, in tantum ut sicut populus sic Is. XXIV, 2; Osee IV, 9.
sacerdotes.
In Geth, id est persecutoribus Christia- 10
norum, *nolite annuntiare* plagas Ecclesiæ,
ne Christum blasphement, et de fidelium
adversitatibus glorientur. Geth autem in-
terpretatur torcular : quo oppressores ju-
storum significantur. *Lacrimis ne ploretis*
in publico, ne illi percipiant et exsultent.
In domo pulveris, id est locis abditis et
humilibus, *pulvere vos conspergite,* id est,
in secreto vos humiliate, flete, et pœni-
tentiam agite, præsertim de peccatis oc-
cultis, ut cum Psalmista dicatis : Similis Ps. CI, 7.
factus sum pelecano solitudinis ; factus
sum sicut nycticorax in domicilio.
Transite vobis, habitatio pulchra : id 11
est, qui in mundo isto floretis ac prospe-
ramini, in damnationem transibitis, nisi
pœniteatis : idcirco transite de vitiis ad
virtutes, de terrenis ad divina, de multis Luc. X, 42.
ad unum, de creaturis ad Creatorem ; *con-
fusa ignominia,* id est, qui nunc a dæ-
monibus turpiter fallimini, et ignominio-
sis peccatis subdimini. *Non est egressa,
quæ habitat in exitu :* id est, congregatio
iniquorum, quæ statim de sæculo isto ad
aliud perget, non egreditur de pristina
conversatione injusta, et de amore sensi-
bilium ad contemplationem cœlestium, nec
novissima sua perpendit ; sed sic vivit,
quasi moritura non esset, sola præsentia
atque mundana curando. *Planctum domus
vicinæ accipiet ex vobis, quæ stetit sibi-
met :* id est, virtuosi in virtutibus perma-
nentes, ex ruina et damnatione proximo-
rum suorum perversorum lugebunt. *Quia* 12
infirmata est in bonum, id est, a bono
defecit, nec in opera virtuosa viriliter for-
titerque processit, *quæ habitat in amari-*

tudinibus, id est peccatis seu afflictioni-
Job xiii, 26. bus, de quibus loquitur Job : Scribis enim
contra me amaritudines.

13 *Tumultus quadrigæ stuporis,* id est mul-
titudo tentationis diabolicorum spirituum
I Cor. ii, 14. obstupefacientium corda, ne sentiant ea
quæ sunt Spiritus Dei, veniet *habitanti*
Lachis, id est vagis et intimoratis, qui
Ephes. iv, 17. ambulant in vanitate sensus sui, nec sta-
biliuntur in Deo : de quibus fertur in Psal-
Ps. xi, 9. mo, In circuitu impii ambulant ; et, Deus
Ps. lxxxii, 14. meus, pone illos ut rotam. Lachis autem
interpretatur ambulatio. Hinc ad cordis
stabilitatem ubertim hortatur nos divinus
Apostolus, secundum quod ait ad Corin-
I Cor. xv, 58. thios : Stabiles estote et immobiles, abun-
dantes in omni opere bono ; alibi quoque,
Hebr. xiii, 9. Optimum, inquit, est gratia stabiliri cor.
Hinc secundum Philosophum, ad sapien-
tes et virtuosos præcipue spectat stabilitas
mentis. Instabilitas vero, insipientiæ si-
gnum est : et competit his qui passioni-
bus agitantur atque vincuntur, debilesque
consistunt in judicio rationis. Debemus er-
go rationem divina lege instructam immo-
biliter sequi, passionumque inhonestissi-
mis impulsionibus dominari. Nec tamen
esse debemus duri et pertinaces, ut illi qui
suam pertinaciam asserunt stabilitatem.
Denique Lachis, id est instabilitas ista et
evagatio cordis, *principium peccati est fi-*
liæ Sion, id est animabus fidelibus : quæ
nisi omni diligentia enitantur figi in Deo,
plurima crimina illabuntur. Propter quod
Prov. iv, 23. scriptum est in Proverbiis : Omni custodia
custodi cor tuum, quia ex ipso vita pro-
Eccli. v, 11, 12. cedit ; et in Ecclesiastico : Non ventiles te
in omnem ventum ; esto firmus in via Do-
mini, et in veritate sensus tui, et prose-
quatur te verbum pacis.

14 *Propterea dabit* Dominus *emissarios,* id
est diabolos impugnatores, *super heredi-*
tatem Geth, id est incircumcisos corde,
qui velut torcular opprimunt bonos, et
meliores se vexant : quum hi qui in gra-
vioribus culpis sunt, non debeant accu-
sare, punire, vel judicare eos qui minus

A culpabiles sunt, secundum Ambrosium,
præsertim quum in Evangelio dicat Sal-
vator : Hypocrita, ejice primum trabem de Matth. vii, 5.
oculo tuo, et tunc perspicies ut ejicias
festucam de oculo fratris tui. Hi autem
Gethitæ sunt *domus mendacii,* id est filii
falsitatis, agentes contra veritatem vitæ,
justitiæ, atque doctrinæ, *in deceptionem*
regibus Israel, id est prælatorum Eccle-
siæ, vel hominum virtuosorum, qui regunt
se ipsos in omnibus secundum divinæ le-
gis directionem ac normam. Tales namque
B interdum falluntur et subvertuntur ab il-
lis. *Adhuc heredem adducam tibi, quæ* 15
habitas in Maresa. Dum aliquis a malis
conversus, Deo adhæret, fit Christus heres
seu possessor ipsius ; si vero ad vomitum
redeat, et peccatis subjiciatur, possidetur
a dæmone. *Usque ad Odollam,* id est hau-
rientes mala et observatores malorum, *ve-*
niet gloria Israel (ironice), id est confusio
Christianorum injustorum. Qui enim ob- Prov. xi, 27.
servator est malorum, opprimetur ab eis.
Odolla autem interpretatur, testimonium
C hauritionis eorum. Et in Proverbiis legi-
tur : Fili, si malus fueris, solus hauries Ibid. ix, 12, juxta LXX.
mala.

Decalvare et tondere super filios deli- 16
ciarum tuarum : id est, o Ecclesia vel
prælate, cujus filii olim spiritualibus gra-
tiis abundabant, et nutriebantur in cro- Thren. iv, 5.
ceis, pane filiorum vescentes, signa doloris
assume, et lugubri habitu vesti te, propter
spiritualem ruinam, recidivationem, et sub-
versionem filiorum tuorum, qui nunc in
terrenis volutantur, stercora amplexantur, Ibidem.
D carnalibus vitiis inquinantur, et a diabo-
lo capiuntur ac vinciuntur vinculis vani-
tatis, elationis et incorrigibilitatis. Quem-
admodum enim maximum gaudium boni
prælati est, gregis sibi commissi profe-
ctus (secundum quod ait Joannes in tertia
sua Canonica : Majorem horum gratiam III Joann. 4.
non habeo, quam ut audiam filios meos
in veritate ambulantes) ; ita præcipuus
mœror ejusdem esse debet gregis sui per-
versitas.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : VÆ QUI COGITATIS INUTILE.

1 V*Æ qui cogitatis inutile.* Quidam asserunt loqui Prophetam ad decem tribus ; alii vero, ad duas. Sed ad totum duodecim tribuum populum referri hæc possunt. *Væ* temporalis captivitatis et æternæ damnationis imminet vobis, nisi pœnitueritis, *qui cogitatis inutile,* id est nociva, seu aliis infligere nocumenta. Quorumdam enim pœna hic incipit, et in futuro continuatur. Constat autem ex isto, quod in cogitatione consistat peccatum. *Is.* I, 16. Propter quod Dominus ait in Isaia : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. *Et operamini malum in cubilibus vestris,* exercendo luxuriæ vitia. *Amos* VI, 1, 4. Unde in Amos præhabitum est : Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. *In luce matutina,* id est cito, festinanter, et mane in ipso diluculo, dum lux solis incipit emicare, *faciunt illud,* id est, male cogitata in nocte ad effectum deducunt ; *quia contra Deum,* id est divinæ voluntati ac jussioni contraria, *est manus,* id est operatio *eorum,* vel potestas quam a Deo sortiti sunt, qua abutuntur. *Job* XV, 26. Unde apud Job dicitur : Cucurrit impius adversus Deum. Et in Levitico Dominus ait frequenter : *Lev.* XXVI, 21, 40. Si ambulaveritis ex adverso mihi.

2 Deinde specificat mala istorum. *Et concupierunt agros* aliorum. In quo patet avaritia horum, quum Dominus jusserit in *Exod.* XX, 17. Exodo : Non concupisces rem proximi tui, non agrum, non servum, etc. *Et violenter tulerunt,* id est, per potentiam abstulerunt, tanquam raptores et inferiorum oppressores. *Et domos* alienas concupiscendo, *rapuerunt* eas vel contenta in eis. De *Is.* V, 8. talibus dicitur in Isaia : Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro

A copulatis. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ ? *Et calumniabantur virum,* id est viros egenos, vel subditos aut quietos, *et domum ejus,* id est posteritatem, prolem, seu familiam, *virum et hereditatem ejus,* id est possessiones, nec ætati virili nec juvenili parcentes, et proximos suos persequentes in personis et filiis ac rebus eorum. De hac violentia et crudelitate, præsertim quantum ad decem tribus, dictum est plenius super Osee et *Osee* IV, IX, XII ; *Amos* VIII. Amos. Illos enim præcipue persequebantur B ac spoliabant, qui relictis aureis vitulis, pergebant ad templum Jerusalem adorare Dominum. *Osee* V, 1 ; VI, 9. Prophetæ autem, quantum ad materiam, in multis coincidunt, quamvis in forma verborum atque metaphoris distinguantur. Nec mirum, quoniam multi eorum eodem tempore et ad eosdem vaticinabantur.

Idcirco, id est propter hæc mala culpæ, 3 *hæc dicit Dominus : Ecce ego cogito super familiam istam,* id est tribus Israel, *malum,* id est justam punitionem seu ultionem C : quæ non est mala in se, sed patientibus nocet seu dura est, et mala apparet ; *unde non auferetis colla vestra,* id est, illud non effugietis, sed portare cogemini, eique subdemini, quemadmodum collum subjicitur oneri. Solent enim circa collum pondera deferenda locari : ideo nomine colli totum, videlicet homo puniendus, signatur. *Et non ambulabitis superbi,* id est collo erecto in signum interioris tumoris, sed inimicis eritis subditi ac depressi. Cordis namque superbia in incessu solet lucere. D *Quoniam tempus* captivitatis vobis instantis, *pessimum est,* id est plenum adversitatibus et vindicta : quamvis tempus in se ipso malum non sit, sed secundum

ea quæ in ipso fiunt, dicitur bonum vel
malum, melius sive deterius. Hæc autem
IV *Reg.* XV, 29; XVII, 6; XXIV, 14; XXV, 11. impleta sunt tempore captivitatis decem
tribuum ab Assyriis, et duarum a Chal-
dæis : imo et a Romanis, quia tempore
Christi prædicta peccata in populo Judæo-
rum fuerunt. Et post Christi ascensionem
bona primitivæ Ecclesiæ partim diripu-
erunt, atque ex Judaismo in Christum cre-
dentes multipliciter calumniabantur, se-
Hebr. X, 34. cundum quod dicit Apostolus : Rapinam
bonorum vestrorum cum gaudio susce-
pistis.

4 *In die illa* captivitatis vestræ, *sumetur*
super vos parabola : id est, de vobis seu
vestra calamitate accipietur atque dicetur
ab adversariis vestris proverbium quod-
dam derisorium. Unde per Jeremiam Do-
Jer. XIX, 8; XXV, 9, 18. minus ait frequenter : Ponam locum istum
in sibilum et in parabolam omnibus trans-
euntibus per eum. *Et cantabitur* ab æmu-
lis vestris *canticum cum suavitate,* id est
dulci melodia, *dicentium,* id est carmen
vestrum seu de vobis compositum, qui di-
citis : *Depopulatione,* id est cum magna
direptione et oppressione, *vastati sumus*
ab hostibus. Itaque miseriæ vestræ verten-
tur illis in canticum. De talibus enim re-
bus solent carmina fieri. *Pars populi mei*
commutata est. Hoc Hieronymus exponit
de templi destructione, eritque sensus :
Pars populi mei, id est templum meum,
quod solum in populo Judæorum habe-
bam, *commutata est,* id est ad ruinam
mutatum, seu demolitum a Chaldæis. Alii
ita exponunt : Pars populi mei, id est de-
cem tribuum, commutata est, id est deje-
cta. Antequam enim Salmanasar rex Assy-
riorum decem tribus vastavit, jam partim
IV *Reg.* XV, 29, 19. captæ occisæque erant a Theglathphalasar
et Phul regibus Assyriorum. *Quomodo re-*
cedet a me, id est a terra mea vastator
illius (et sic verba istorum dicuntur in
persona Dei), *quum revertatur, qui regio-*
nes nostras dividat, id est, extraneis tra-
dat ac mensuret ad possidendum? Salma-
Ibid. XVII, 3-6, 24. nasar enim rex Assyriorum vastavit decem
tribus, et tunc Osee rex Israel fecit pacem
cum eo solvendo tributum. Postea vero
conatus est rebellare, quærendo a rege
Ægypti auxilium. Quo audito, Salmanasar
rediit, et decem tribuum regnum destru-
xit, atque in terra illa alienas constituit
gentes, ut legitur quarto Regum. Simile
est de Nabuchodonosor, quantum ad duas
tribus. Capto enim Joachin, constituit Se- IV *Reg.* XXIV, 12-17; XXV, 1 *et seq.*; II *Par.* XXXVI, 10 *et seq.*
deciam in regem. Quem quum audisset
velle rebellare, reversus est, et duarum
tribuum demolitus est regnum, et in suam
potestatem regionem illam redegit. Ideo
subditur :

Propter hoc non erit tibi, o familia Is- 5
rael, super quam cogito malum, *mittens*
funiculum sortis, id est dans tibi partem
hereditatis, *in cœtu Domini,* id est in ter-
ra promissionis, in qua sancti Domini ha-
bitaverunt, et quam Josue sorte divisit *Josue* XIII-XXI.
filiis Israel. Vel sic : Non erit mittens fu-
niculum sortis in cœtu Domini, id est,
nullus de populo Judæorum, qui erant ex-
ercitus Dei, mittet tibi mensuram heredita-
tis per sortem : quoniam terra promissionis
aliis dabitur. Decem enim tribus usque in
præsens privatæ sunt terra paterna. Et
duæ tribus sub Chaldæis septuaginta an-
nis fuerunt translatæ, a Romanis vero fi-
naliter sunt expulsæ.

Consequenter reprimitur vana spes seu
præsumptio Judæorum. *Ne loquamini lo-* 6
quentes, id est, nolite loqui verba ista se-
quentia : *Non stillabit super istos* malum,
id est, super tribus Israel partem ac popu-
lum Dei non irruet pœna quam minantur
Prophetæ, *non comprehendet* istos *confu-*
sio, id est ignominiosa captivitas, et sub
hostibus dejectio, *dicit domus Jacob,* id 7
est familia Judæorum. *Numquid abbrevia-*
tus est spiritus Domini? Ista sunt verba
quibus sibi inanem spem mutuo tribue-
bant, præsumendo de misericordia Dei, nec
tamen cessando a vitiis, sicque peccantes
in spem. Et est sensus : Numquid abbre-
viatus est spiritus Domini? id est, bonitas
seu voluntas Dei, aliis larga ac benefacti-
va, non est utique minorata. De quo spiri-
tu scriptum est in libro Sapientiæ : O quam *Sap.* XII, 1.

bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus A
in omnibus ! *aut tales sunt cogitationes ejus,* ut scilicet cogitet super nos mala, et vetera vitia ulciscatur, tanquam severus et iracundus, qui omnibus clemens est, et maxime populo suo peculiari ?

Huic præsumptioni Deus respondet : *Nonne verba mea bona sunt,* id est pia et consolatoria bonique promissiva, *cum eo qui recte graditur,* id est justo seu pœnitenti qui in semitis justitiæ ambulat, non autem impœnitentibus et præsumptuosis ? quasi dicat : Bonus sum bonis, et severus B
iniquis non pœnitentibus. Secundum quod
Rom. xi, 22. dicit Apostolus ad Romanos : Vide bonitatem et severitatem Dei : severitatem quidem in eis qui ceciderunt ; in te autem bonitatem, si tamen permanseris in bonitate. Quod itaque Deus non parcit, non contingit ex abbreviatione spiritus ejus, sed ex duritia præsumptioneque nostra,
Is. LIX, 1, 2. juxta illud Isaiæ : Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat ; sed iniquitates vestræ diviserunt inter Deum C
vestrum et vos, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.

8 *Et econtrario populus meus in adversarium consurrexit :* id est, quum verba mea sint bona rectis, tamen vice versa populus Israel, qui debuit mihi per caritatem servire et amicabiliter consentire, factus est mihi resistens et inobediens, atque in adversarium commutatus, idola colens, et alia mala exercens. Unde Symmachus transtulit : Populus meus quasi inimicus restitit. *Desuper tunicam palli-* D
um sustulistis, id est, vestimenta inferiorum seu impotentium violenter rapuistis. *Et eos qui transibant simpliciter,* id est innocentes et simplices, *convertistis in bellum,* eos impie impugnando, et ad resistentiam concitando, vel contra alios excitando. Potest quoque per pallium, Dei auxilium accipi ; et per bellum, inobedientia seu rebellio contra Deum. Sacerdotes ergo et principes, per hoc quod quosdam bonos ac simplices a cultu Dei ad idololatriam aliaque piacula induxerunt, privaverunt eos auxilio Dei, et contra Deum incitaverunt quasi in bellum. Sic exponit
Hieronymus. *Mulieres populi mei ejeci-* 9
stis, id est, captivas ire fecistis vel expulistis, *de domo deliciarum suarum,* id est a propriis habitaculis, in quibus cum viris et liberis suis lætanter vixerunt ; *a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum,* avertendo filios earum a cultu divino, vel occidendo, vel in captivitatem
mittendo, ita ut dicant : Quomodo canta- Ps. cxxxvi, 4.
bimus canticum Domini in terra aliena ?

Surgite, et ite, id est, propter tanta fa- 10
cinora surgentes coacte, in captivitatem transibitis, *quia non habetis hic requiem,* id est, in propria terra non meremini quietam habere mansionem. *Propter immunditiam ejus,* id est culpam terræ seu plebis hujus, *corrumpetur putredine pessima,* id est captivitate et vastitate gravissima per Chaldæos sive Romanos.

Deinde Propheta ostendit se ista non dicere congratulando de imminentibus Judæorum periculis, sed vehementissime con-
dolendo. *Utinam non essem vir habens* 11
spiritum. Hoc dupliciter accipi potest. Hieronymus enim exponit sic : Utinam verus propheta non essem, sed pseudo, et Spiritu Sancto carerem, *et mendacium potius loquerer,* id est, falsa essent quæ futura prædico, quatenus multitudo Judæorum converteretur, et crederet in Filium Dei. Secundo exponitur sic : Utinam non essem vir habens spiritum, id est gratiam prophetiæ, et mendacium potius loquerer, id est non eveniret quod dico. Sed primæ expositioni potest opponi, quod homo non debet eatenus affici et compati aliis, ut velit caritate et gratia gratum faciente privari et pseudo consistere, quum dicat Sal-
vator : Quid proficit homo, si lucretur Luc. ix, 25.
universum mundum, se ipsum autem perdat ? Ordo quippe caritatis cadit sub præcepto. Secundæ quoque expositioni obviare videtur, quod homo non debeat veniale peccatum committere, ut liberet alium a mortali, vel quocumque tormento, quum

peccatum sit infinitæ fugibilitatis. — Et A
respondendum, quod verba hujus sanctissimi Michææ, secundum expositionem primam accipi possunt per hyperbolen seu
Rom. IX, 3. excessum, quomodo ait Apostolus : Optabam anathema esse a Christo pro fratribus
Exod. XXXII, 31, 32. meis Judæis ; et Moyses, Aut dimitte populo hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti. Talia nempe per excessum dixerunt, quoniam aliter plene exprimere non valebant caritatis suæ fraternæ fervorem. Porro, juxta secundam exposi-
tionem, mendacium sumitur materialiter, B non formaliter, scilicet pro sermone qui aliunde ab effectu rationabiliter impeditur, et tamen sine intentione fallendi implendus asseritur.

Considerandum est in his, quantus erat in sancto hoc vate zelus salutis fraternæ, caritatisque fervor, qui maluit absolute gratia prophetiæ, quæ est gratia gratis data, et sine peccato potest amitti, carere et mendax quodammodo apparere, quam populum suum perire. Non talis videtur
Jonæ IV, 3, 8. fuisse Jonas, qui petivit animæ suæ ut mo- C
reretur, quoniam prophetia ejus non implebatur : quamvis inter Prophetas non oporteat facere comparationem in talibus,
Prov. XVI, 2. quum spirituum ponderator sit Dominus ; comparationes quoque odibiles sint.

Sed quia Propheta agnovit vaticinium suum certissime adimplendum, tanquam ad prædestinationis pertinens prophetiam, subjungit : *Stillabo,* id est, verba futuræ punitionis per modum pluviæ fundam, dicamque *tibi in vinum et in ebrietatem,* id
est, illa tibi per modum poculi propinabo D
tam copiose, quod afflictionibus inebriaberis; *et erit super quem stillatur,* id est, qui effectum comminationis meæ patietur, ita quod stillatio verborum meorum cadet in eos de quibus subjungitur : *populus iste,* id est plebs Judæorum. Solet autem pœna abundans, potus vocari, et nomine calicis designari.

Præterea, post austeritatem instantis periculi, describit Propheta consolationem beneficii exhibendi, loquens in persona
Dei : *Congregatione congregabo Jacob to-* 12
tum te; in unum conducam reliquias Israel, etc. Locus iste multipliciter explanatur. Quidam enim exponunt hæc de reditu Judæorum a Babylonica captivitate : ex qua licet omnes Judæi reversi non sint, majores tamen et principaliores redierunt
cum aliis plurimis; et universis data fuit *Esdr.* I, 2-4.
a Cyro rege Persarum licentia redeundi. Videtur quoque expositio ista non dissona, si superiora de Babylonica captivitate elucidentur.

Alii vero exponunt de Judæorum generali conversione in fine sæculi, ut sit sensus : *Congregatione,* id est spirituali unione in fide catholica, individua caritate, speque divina, *congregabo Jacob totum te,* id est omnes duodecim tribus. Tunc enim omnes credent in Christum per prædica-
tionem Eliæ, Christo testante : Elias quum *Marc.* IX, 11.
venerit, restituet omnia. *In unum conducam reliquias Israel pariter,* id est electos Judæos qui tunc superstites erunt, ut om-
nium sit cor unum et anima una : quod et *Act.* IV, 32.
post Babylonicam captivitatem aliquo mo-
do impletum est, juxta illud Jeremiæ, Da- *Jer.* XXXII, 39.
bo eis cor unum et animam unam. *Ponam illum quasi gregem in ovili* Ecclesiæ, id est, in militanti Ecclesia eos constituam sub imperio Christi, sub cujus directione obedienter procedent, sicut grex ovium
sub virga pastoris. Tunc enim perfecte fiet *Joann.* X, 16.
unum ovile, et unus pastor. *Quasi pecus in medio caularum,* id est, in domibus et pascuis dominici ovilis collocabuntur, sicut jumenta in stabulis. *Tumultuabuntur,* id est, in maxima multitudine erunt, atque communi laude in Dei venerationem erumpent. Per hanc igitur tumultuationem non designatur commotio veræ quieti contraria, sed credentium inæstimabilis copia. Propter quod subditur : *a multitudine hominum,* præ nimia pluralitate fi-
delium. *Ascendet enim,* id est, Christus, de 13
quo ista dicuntur, sicut patebit, in cordibus illorum erit, eosque docebit ac ducet, *pandens iter ante eos :* id est, viam salutis
illis ostendet ad dirigendum pedes eorum *Luc.* I, 79.

in viam pacis, ut impleatur in illis illud A
Ps. LXVII, 25. in Psalmo : Viderunt ingressus tuos, Deus,
ingressus Dei mei, regis mei, qui est in
sancto. *Dividet, et transibunt portam,* id
est rectam et arctam januam ducentem ad
Matth. VII, 13. vitam : de qua scriptum est, Intrate per
Ibid. 14. angustam portam; et denuo, Quam angu-
sta porta et arcta via quæ ducit ad vitam,
et pauci inveniunt eam! Vel porta est fides
Ecclesiæ, vel Baptismus, seu Christus, qui
Joann. X, 9, 1. ait : Ego sum ostium. Qui autem non in-
trat per ostium in ovile ovium, sed ascen-
dit aliunde, ille fur est et latro. *Et egre-* B
dientur per eam, transeundo de via ad
patriam, de fide ad speciem, de merito ad
Ibid. 9. præmium. Christus etiam protestatur : Si
quis per me intraverit, ingredietur et egre-
dietur, et pascua inveniet. *Et transibit rex*
eorum coram eis : id est, Christus ductor
erit eorum per gratiosam illustrationem,
Ps. LXXXV, 11. sicut ait Psalmista : Deduc me, Domine, in
via tua. Unde in Exodo Moyses loquitur
Exod. XXXIII, 15, 16. Domino : Si non tu ipse præcedas nos, non
educas nos de loco isto : in quo enim scire
poterimus invenisse nos gratiam in con- C
spectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum?
Et Dominus in capite eorum, id est in
principio tanquam dux sui exercitus. Ipse
Matth. XVIII, 20. quoque disseruit : Ubi fuerint duo vel tres
congregati in nomine meo, ibi in medio
illorum sum.

Præterea, secundum Hieronymum, pas-
sus iste exponi potest pro tempore primi
adventus Christi : qui tunc per se et Apo-
stolos, electos Judæorum infra ecclesiasti-
Rom. IX, 27; XI, 5. cam unitatem collegit, et reliquias Israel
per gratiam salvas fecit. Soli autem electi D
Judæi, qui fidem et mores Patriarcharum
Ibid. IX, 8. sequuntur, reputantur in semine : non
enim qui filii carnis, hi filii. Illis quoque
Christus præmemorata beneficia præstitit,
Act. II, 41-47; IV, 4, 32, etc. et fideles valde auxit merito et numero, ut
patet in Actibus. — Postremo, quidam ex-
ponit hæc de congregatione electorum Ju-
dæorum in limbo inferni, in quo quasi in
ovili custodiebantur a Deo, donec Christus
venit pandens illis iter ad regnum cœle-
ste, in quod eos præcessit ac introduxit.

Verum expositio ista videtur impertinen-
tior aliis, nec ad præcedentia aut conse-
quentia condependentiam habet.

INSUPER moralitas hujus capituli patet Expositio moralis.
ex præinductis frequenter. Quod enim in
exordio scriptum est, *Væ qui cogitatis in-* 1
utile, et operamini malum in cubilibus ve-
stris, referendum est ad Christianos qui
mala cogitant cum rationis consensu; et
ex deliberatione, non ex subita passione
agunt inique, mala intra se proponentes,
et vias callidas fallendi, seu cogitata exse-
quendi excogitantes, seu carnis libidini
insistentes : quibus æternum væ imminet.
In luce matutina faciunt illud, quorum
pedes festinant ad mala; et totum diem Is. LIX, 7.
infructuose, illicite et criminaliter expen-
dentes, quum econtrario deberent totum
tempus in pœnitentiæ exercitiis occupare.
Unde de singulis talium scriptum est in
libro Job : Dedit illi Deus locum pœniten- Job XXIV, 23.
tiæ, et ille abutitur eo in superbiam. *Et* 2
concupierunt agros, etc., *et calumniaban-*
tur virum. Hæc contra avaros, violentos et
injuriatores dicuntur, quorum gravissima
erit damnatio, quia directe agunt contra
caritatem atque justitiam; et judicium si- Jacob. II, 13.
ne misericordia fiet his qui non faciunt
misericordiam : quanto magis his qui in-
ferunt crudelitatem, nocumentum, seu vio-
lentiam?

Super talem pessimam familiam cogitat 3
Deus malum tartareæ ultionis, quod nun-
quam evadent. Super hos quoque *sumetur* 4
parabola, quia lætabitur justus quum vi- Ps. LVII, 11.
derit vindictam. Et qui tribulant nos dia- Ps. XII, 5.
boli, exsultabunt, si moti fuerimus rece-
dendo a Deo, et pœnas inferi incidendo.
Propter quod orat vir sanctus : Neque Ps. XXIV, 3.
irrideant me inimici mei. Et Ecclesiasti-
cus ait : Domine, pater et dominator vitæ Eccli. XXIII, 1, 3.
meæ, ne derelinquas me in cogitatu et con-
silio illorum, et incidam in conspectu ad-
versariorum meorum, et gaudeat inimicus
meus. *Et cantabitur canticum cum suavi-*
tate. Tunc enim Sancti jucundissime ca-
nent : Laqueus contritus est, et nos liberati Ps. CXXIII, 7.

sumus. *Depopulatione vastati sumus.* Hoc A
competit his qui invisibilium hostium ten-
tationibus victi sunt, et funibus vitiorum
constricti. *Pars populi mei commutata est:*
quia nunc multi Christianorum summo et
invariabili bono relicto, mutantur et con-
vertuntur ad ista terrena et vana, ac per-
5 eunt. *Propter hoc non erit tibi mittens fu-*
niculum sortis in cœtu Domini : id est,
tibi qui talis es, non erit sors inter electos,
nec Christi eris coheres, neque in cœtu
Sanctorum erit tibi participatio bonorum
Domini in terra viventium. B
6 *Ne loquamini : Non stillabit super istos,*
etc. Hoc dicitur contra eos qui peccant in
spe, et de misericordia Dei periculose con-
fidunt, imo non vere confidunt, sed stulte
præsumunt. Quibus advertendum est quod
Ps. XLIX, 21. Dominus ait in Psalmo : Hæc fecisti, et ta-
cui. Existimasti inique quod ero tui simi-
lis : arguam te, et statuam contra faciem
Eccli. V, 5-7. tuam. Unde Ecclesiasticus inducit : Non
adjicias peccatum super peccatum, et di-
cas, Miseratio Domini magna est : mise-
ricordia enim et ira ab illo cito proxi- C
8 mant, et in peccatores respicit ira illius. *Et*
econtrario populus meus in adversarium
consurrexit. Hoc dicit Christus adversus
ingratos atque rebelles : quibus quum ipse
tanta largitus sit atque spoponderit bona,
Ps. XXXIV, 12. illi econtra reddunt mala pro bonis. Et ne-
dum propria corda, sed alios quoque a
Deo avertunt, et divinæ legis jussionibus
contraire non metuunt. Unde *a parvulis* 9
quos in vitiis fovent ac instruunt, tollunt
laudem Altissimi. *Surgite, ite, quia non* 10
habetis hic requiem. Isti enim modo non
pertinent ad mysticam unitatem fidelium.
Et de eis ait Scriptura : Tollatur impius, *Is.* XXVI, 10, juxta LXX.
ne videat gloriam Dei. Ibunt ergo in ignem *Matth.* XXV, 41, 46.
æternum.
Utinam non essem vir habens spiritum, 11
etc. Exemplo hujus beatissimi vatis disce-
re debent prælati, prædicatores, doctores,
omnesque fideles, subditis et proximis
suis errantibus, seu afflictis atque tenta-
tis cordialiter condolere, succurrere, sem-
perque adstare, et omne bonum terrenum
saluti illorum postponere, quia et ordo ca-
ritatis id exigit. Et secundum Joannem, de- I *Joann.* III, 16.
bemus pro fratribus animas ponere. *Con-* 12
gregatione congregabo Jacob totum te, id
est omnes Christianos electos vitia concul-
cantes : quos colligam in regno cœlorum
in ovili triumphantis Ecclesiæ, sicut pro-
misi dicendo : Vado parare vobis locum ; *Joann.* XIV, 2, 3.
et iterum veniam et assumam vos ad me
ipsum. Itemque : Pater, quos dedisti mihi, *Ibid.* XVII, 24.
volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut
videant claritatem meam. Triticum enim *Matth.* III, 12.
Christus congregabit in horreum suum,
paleas vero comburet igne inexstinguibili.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : ET DIXI : AUDITE, PRINCIPES JACOB.

PROPHETA præsenti capitulo arguit D
eminentiores populi Israel de diversis
1 excessibus. *Et dixi : Audite, principes Ja-*
cob, et duces domus Israel, id est, reges,
sacerdotes, principes, et judices totius Is-
raeliticæ plebis, seu duodecim tribuum :
Numquid vestrum est scire judicium ? id
est, indigni estis doceri a Deo, ad scien-
dum judicium discretionis inter bonum et
malum, verum et falsum ; vel judicium
retributionis, quo quisque recipit quod
meretur. Et tamen tenemini ratione officii
vestri ad hoc, sed propter peccata vestra
privamini veritatis notitia, sicut subjungi-
tur. *Qui odio habetis bonum,* id est virtu- 2
tes et veritatem, seu bonos ac justos, *et*

diligitis malum prædictis bonis opposi-
tum. Quamvis enim appetitus objectum sit
bonum, videlicet verum sive apparens,
multi tamen virtutes et veritatem seu ju-
stos odiunt per accidens, prout eorum affe-
ctionem impediunt a consecutione eorum
Joann. III, 20. quæ appetunt. Unde qui male agit, odit
lucem; et qui cupit delectari illicite, odit
justitiam corripientem ac punientem. *Qui
violenter tollitis pelles eorum desuper eis,*
id est, bona inferiorum diripitis, eosque
depauperatis atque nudatis rebus ac vesti-
bus, quibus velut pelle tegebantur, *et car-*
nem eorum desuper ossibus eorum, id est,
etiam necessaria victui subripitis eis, ut
3 macerentur. *Qui comederunt carnem po-
puli mei,* id est, labores et possessiones
eorum consumunt, juxta illud in Psalmo :
Ps. XIII, 4; LII, 5. Qui devorant plebem meam sicut escam
panis; *et pellem eorum desuper excoriave-
runt. Et ossa eorum confregerunt et con-
ciderunt sicut in lebete,* id est in olla, *et
quasi carnem in medio ollæ,* id est, igne
tribulationis et persecutionis subditos quo-
dammodo excoquebant, quemadmodum
carnes in olla coquuntur.

Per hæc autem nil aliud designatur, nisi
quod superiores multipliciter atque cru-
deliter nimis vexaverunt subjectos, spo-
liando, contristando, cædendo, lædendo vel
occidendo. — Hoc quoque spiritualiter per-
egerunt, subditos subvertendo, seu bonis
gratiæ destituendo, dum vel minis vel blan-
dimentis, aut alio modo mihi ignoto, eos
ad peccata inducunt. Sicque tollunt ab eis
cutem, id est virtutes circa exterioris ho-
minis decorem spectantes; carnem quo-
que, id est virtutes interiorum affectionum
inordinationem frenantes, quæ sunt magis
intrinsecæ homini quam prædictæ; et ossa,
id est virtutes intellectuales et theologica-
les, ac dona, quæ sunt firmissima animæ
munimenta ac arma, quibus et ceteræ
virtutes sustentantur, quemadmodum ossi-
bus caro. Itaque prædicta gratiarum cha-
rismata subditis condonata, pessimi præsi-
dentes devoraverunt ac confregerunt, imo
in nihilum redegerunt, dum directe vel
A indirecte ad culpam mortalem induxerunt
subjectos. — Moraliter quoque hæc re-
feruntur ad crudeles Christianorum prin-
cipes, et immisericordes atque avaros
prælatos Ecclesiæ, qui in spiritualibus ac
temporalibus nocent subjectis, et oppri-
munt subditos. Qui potius sunt perempto-
res quam pastores : in quibus passiones
ac vitia rationis lucem obtenebrant, ita
quod verum non contuetur judicium, sed
in judicando sequitur passionatos affecti- *Rom.* XIV, 5.
onum motus, amorem, cupiditatem, vel
B odium.

Tunc, puta in die afflictionis et captivi- 4
tatis Judæorum ab Assyriis vel Chaldæis,
clamabunt ad Dominum, non ex caritate,
sed necessitate servilique timore; *et non
exaudiet eos,* quum nihil sit Deo acce-
ptum, gratum aut meritorium, nisi ex ca- I *Cor.* XIII, 1-3.
ritate emanet. *Et abscondet faciem suam,*
id est piam et gratiosam opem sive præ-
sentiam, *ab eis in tempore illo, sicut ne-
quiter egerunt,* id est malitiose fecerunt, *in
adinventionibus suis,* id est peccatis, quæ
C ex prævia quadam deliberatione, non ex
impellente passione, fecerunt. Unde per
Isaiam Dominus loquitur : Quum extende- *Is.* I, 15.
ritis manus vestras, avertam oculos meos
a vobis; et quum multiplicaveritis oratio-
nem, non exaudiam : manus enim vestræ
sanguine plenæ sunt. Quod de omnibus
generaliter accipi potest qui tempore an-
gustiæ invocant Dominum ex necessitate,
non pura intentione, quem in prosperis
contempserunt, quemadmodum in Prover-
biis testatur : Tunc invocabunt me, et non *Prov.* I, 28, 29.
D exaudiam; mane consurgent ad me, et non
invenient me, eo quod exosam habuerint
disciplinam. Qui vult ergo exaudiri, agat
quod instruit Isaias : Quærite Dominum *Is.* LV, 6.
dum inveniri potest, invocate eum dum
prope est.

Insuper Propheta loquitur contra pseu-
doprophetas seu mendaces doctores. *Hæc* 5
*dicit Dominus super prophetas qui sedu-
cunt populum meum,* pacem et prospera
promittendo ex parte Dei, quum propria
mente talia confinxerint ad acquirendum

ab hominibus temporale emolumentum ; A
qui mordent dentibus suis, id est, irratio-
nabiliter loquuntur, dura annuntiando his
qui eis nihil præstant, et sanctis vatibus
detrahendo, *et prædicant pacem* dandam a
Jer. vi, 14; viii, 11. Deo, ut lucrum obtineant, dicentes : Pax,
pax; et non est pax. De talibus Dominus
Ibid. xxiii, 21; xxix, 9. ait per Jeremiam : Ipsi currebant, et ego
non misi eos. *Et si quis non dederit in
ore eorum quidpiam*, id est aliquid cibi
aut potus, vel similis rei, *sanctificant*, id
est, quasi divino oraculo nuntiant, et pro-
phetica auctoritate affirmant, *super eum* B
prælium esse venturum, id est, quod ho-
stibus suis tradetur. Tales namque dice-
bant contemptores veri Dei ac Propheta-
rum, magnamque mereri vindictam.

6 *Propterea nox*, id est caligo erroris,
vobis pro visione erit, id est, non veram
illuminationem, o pseudo, habebitis, sed
animæ cæcitatem; *et tenebræ* adversitatis
seu justæ punitionis, *vobis pro divinatio-
ne* erunt, id est pro vaticinatione vestra
conficta, quæ non est prophetia, sed divi-
natio, id est usurpata futurorum prænun- C
tiatio. Itaque propter culpam confictæ pro-
phetationis sustinebitis ultionem divinam.
Et occumbet sol intelligentiæ, id est divinæ
veritatis notitia : de quo fertur in Psalmo,
Ps. lvii, 9. Supercecidit ignis, et non viderunt solem;
super prophetas mendaces, ita quod veri-
tas deerit eis. Vel sol materialis atque sen-
sibilis eis occumbit, dum claritas diurna
non est eis in consolationem, eo quod de-
bitis pœnis afficiantur. *Et obtenebrabitur
super eos dies*, id est, omnia convertentur
eis in materiam adversitatis, tempusque lu- D
cis tenebris adversitatis implebitur, quum
7 Deus peccata eorum ulcisci inceperit. *Et
confundentur, qui vident visiones* tales,
falsas ac deceptorias. Quum enim mendosi
fuerint inventi, et pœnis addicti, confusi-
onibus suffundentur. *Et confundentur di-
vini*, qui sibi usurpant prænuntiare futura
contingentia proprio spiritu, vel diabolica
revelatione. Qui dicuntur divini, quia quod
Domini est proprium, scilicet futura præ-
Is. xli, 23. dicere (juxta illud in Isaia : Quæ futura
sunt annuntiate, et sciemus quia dii estis
vos), sibi usurpant. *Et operient vultus suos
omnes*, id est, præ rubore optabunt latere,
quia non est responsum Dei, id est, Deus
eis veritatem non revelavit, neque revelat.
— Hæc autem moraliter contra illos di-
cuntur, qui in Ecclesia Christi divitibus
adulantur, et hominibus placentia prædi-
cant, ex avaritia, ambitione, aut simili tem-
poralis commodi affectione. Quibus conve-
nit illud in Isaia : Et erunt, qui beatificant Is. ix, 16.
populum istum, seducentes; et qui beati-
ficantur, præcipitati.

Verumtamen ego repletus sum fortitu- 8
dine spiritus Domini, id est constantia da-
ta a Spiritu Sancto, et dono Spiritus quod
fortitudo vocatur, estque unum de septem Ibid. xi, 2.
donis Spiritus Sancti. Sum quoque reple-
tus *judicio* discretionis ac rectæ sententia-
tionis : quod est actus prudentiæ, tanquam
habitus actum elicientis; et justitiæ, tan-
quam habitus in judicando regulantis ; *et
virtute*, id est efficacia in loquendo, vel
sanctitate in operando, quam decet prædi-
catori inesse, ne et ipse reprehensibilis sit.
Ut annuntiem Jacob, id est Judæis, *scelus
suum*, id est idololatriam; *et Israel*, id est,
eidem populo annuntiem, *peccatum suum*,
sine timore corripiendo iniquos de quo-
cumque peccato, ita ut eos qui corpus oc- Matth. x, 28.
cidunt non timeam, sed pro veritatis de-
fensione mori paratus sim. Simile est quod
de se loquitur Jeremias : Misit Dominus Jer. i, 9, 10.
manum suam, et tetigit os meum, et dixit :
Ecce dedi verba mea in ore tuo ; ecce con-
stitui te super gentes et regna. Christus
quoque in Evangelio suis promisit : Ego Luc. xxi, 15.
dabo vobis os et sapientiam, cui non pote-
runt resistere et contradicere omnes ad-
versarii vestri. Qui itaque taliter confor-
tatur et informatur a Deo, verba ignea
profert, quibus audientium corda moven-
tur ac immutantur. Multi vero proprio
sensu loquuntur : et nec sibi nec aliis
prodest.

Audite hæc, principes domus Jacob, id 9
est familiæ regni Juda, seu duarum tribu-
um, *et judices domus Israel*, id est ejus-

dem populi vel decem tribuum. Potius ta- A
men ista dici videntur ad duas tribus, quia
mox subditur : Qui ædificatis Sion in san-
guinibus. *Qui abominamini judicium,* id
est, æquitatem et discretionem abhorretis,
vel juste judicari seu corripi spernitis, de-
testantes judicia Prophetarum ; *et omnia
recta,* id est justas causas, *pervertitis,* ju-
dicando injuste. Hinc scriptum est apud
Jer. II, 8. Jeremiam : Sacerdotes non dixerunt, Ubi
est Dominus? Et tenentes legem nescie-
runt me, et pastores prævaricati sunt in
Is. I, 23. me. Et apud Isaiam : Pupillo non judicant, B
10 et causa viduæ non ingreditur ad eos. *Qui
ædificatis Sion,* id est domus vestras in
Jerusalem, *in sanguinibus,* id est de rapi-
nis pauperum, cæde insontium, occisione
sanctorum, quorum substantiam diripien-
tes, construitis habitacula vestra; *et Jeru-
salem,* id est urbem ipsam, ædificatis *in
iniquitate,* id est de rebus illicite acquisi-
tis, quas a subditis extorquetis, et exinde
ruinas urbis reparatis.

11 *Principes ejus in muneribus judica-
bant,* id est, propter dona dabant injustas C
sententias ; vel si juste judicabant, ma-
gis adspexerunt ad commodum temporale
quam ad bonum spirituale, vendebantque
sententiam, nec stipendio sui laboris erant
recta intentione contenti. *Et sacerdotes ejus
in mercede docebant* populum, id est, pro-
pter lucrum directe, spirituale pro tem-
porali exhibentes : quum tamen ex officio
haberent instruere plebem gratis, ad Dei
honorem et animarum salutem; temporalia
non quærentes, nisi secundario tanquam
stipendium vitæ. *Et prophetæ ejus in pe-* D
cunia divinabant, id est, pseudo propter
nummos mendosa vaticinia protulerunt.
Ibidem. Propter quod dicitur in Isaia : Omnes dili-
gunt munera, sequuntur retributionem; et
Jer. VI, 13. in Jeremia, A propheta usque ad sacerdo-
tem cuncti faciunt dolum. *Et super Do-
minum requiescebant,* id est, divinæ au-
ctoritati innitebantur; vel potius se inniti
simulabant, quia ut eis a populo crederetur
et copia rerum daretur, jactabant se mini-
stros ac nuntios Dei. Vel, Super Dominum
requiescebant, id est, de ejus bonitate præ-
sumentes, dixerunt quietem, non impu-
gnationem, esse futuram. *Dicentes : Num-
quid non Dominus in medio nostrum?* id
est imo Deus vere in nobis est : quum ta-
men Salomon dicat, Longe est Dominus ab *Prov.* XV, 29.
impiis. *Non venient super nos mala* pœ-
næ, id est, hostibus non trademur, nec ca-
piemur, sed a Deo tanquam populus ejus
protegemur.

Propter hoc, id est propter præscripta 12
peccata, *Sion,* id est illa pars Jerusalem
in qua fuit templum atque palatium, *qua-
si ager arabitur,* id est, in solitudinem
redigetur, ita ut possit arari, ædificiis de-
structis, habitatoribusque occisis; *et Jeru-
salem quasi acervus lapidum erit,* id est,
penitus dejicietur; *et mons templi,* id est
mons Sion, in quo steterat templum, erit
et convertetur *in excelsa silvarum,* id est,
fruteta et arbores altæ crescent in eo. Quæ
omnia impleta sunt tempore Babylonicæ *II Par.* XXXVI, 21.
captivitatis, quæ septuaginta annis dura-
vit. Quoniam tamen præmemorata facinora
erant in populo Judæorum tempore Chri-
sti, quemadmodum Christus in Evangelio *Matth.* XXIII.
docet, redarguendo sacerdotes, Scribas ac
Pharisæos de simulatione et hypocrisi, de
superstitione et ambitione, præsertim de
avaritia et pauperum devoratione ; ideo
aliqui referunt ista ad primum Christi ad-
ventum, et captivitatem Judæorum a Ro-
manis inflictam : præcipue, quoniam bona
primitivæ Ecclesiæ diripientes principes *Hebr.* X, 34.
sacerdotum ac judices, ædificabant Sion in
sanguinibus, et in Jerusalem sanguinem
Christi discipulorumque ejus fuderunt.

Denique hujus prophetiæ atque Michææ
istius mentionem efficit Jeremias. Quum
enim sacerdotes et fallaces vellent Jere- *Jer.* XXVI, 7 *et seq.*
miam occidere, quia Jerusalem dixit jam
capiendam, surrexerunt quidam de senio-
ribus, et dixerunt ad omnem cœtum popu-
li : Michæas de Morasthi fuit propheta in *Ibid.* 18, 19.
diebus Ezechiæ regis Juda, et ait ad om-
nem populum : Hæc dicit Dominus : Sion
quasi ager arabitur, et Jerusalem in acer-
vum lapidum erit, et mons domus Domini

in excelsa silvarum. Numquid morte con- A
demnavit eum Ezechias et omnis Juda?
Numquid non timuerunt et deprecati sunt
Dominum, et pœnituit eum mali quod lo-
cutus fuerat contra eos? Hæc verba tam
prolixe nunc allegavi, quia secundum al-
legantes hæc verba, præfatos videlicet se-
niores quorum allegationem Jeremias con-
firmare videtur, prophetia Michææ de de-
structione Jerusalem dicta fuit ad litteram
pro tempore Ezechiæ, tanquam tunc adim-
plenda. Et secundum hoc, fuisset prophe-
tia comminationis; postea tamen impleta B
fuit, ut dictum est.

Expositio tropologica. INSUPER, secundum tropologicum intel-
lectum, prælatis, sacerdotibus, doctoribus
9 atque principibus Ecclesiæ dicitur : *Au-
dite, principes domus Jacob,* id est Chri-
stianorum, qui sunt templum et domus
I Tim. III, 15. Dei (de qua dicit Apostolus Timotheo : Sci-
as quomodo oporteat te conversari in do-
mo Dei), *et judices domus Israel,* id est
militantis Ecclesiæ, Deum fide conspicien-
tis. *Qui abominamini judicium, et omnia* C
recta pervertitis. Hoc non omnibus, sed
indignis atque nocentibus competit : qui
in judicando sequuntur amorem et odium,
non rationem et æquitatem; nec dignan-
tur redargui, sed dicunt implicite illud
Sap. II, 11. Sapientiæ, Sit autem fortitudo nostra lex
10 justitiæ. *Qui ædificatis Sion,* id est Eccle-
siam, *in sanguinibus,* sacras Scripturas
Ps. I, 1. depravando, in cathedra pestilentiæ resi-
dendo, indignos ordinando, pusillos scan-
dalizando; et de eleemosynis pauperum,
de patrimonio Christi pretiosas structuras
levando. Et hoc est ædificare Jerusalem
in peccatis.

Postremo, quomodo principes in mune- 11
ribus judicent, sacerdotes quoque in mer-
cede doceant, et fallaces quidam ac super-
stitiosi divinent, non est meæ parvitatis
describere, quum (proh dolor!) ista nunc
ad oculum pateant : dum omnes quæ sua Philipp. II, 21.
sunt quærunt, et temporalia spiritualibus
præferunt; et hi qui alios ad salutarem ti-
morem inducere obligantur, se ipsos ac
alios vana promissione et periculosissima
securitate decipiunt, dicentes : *Numquid
non Dominus in medio nostrum? Non ve-
nient super nos mala.*

Propter hoc Sion quasi ager aratur, quia 12
status Ecclesiæ hinc decrescit, et corda fi-
delium a dæmonibus arantur, ac pessimo
semine seminantur. *Jerusalem* quoque *qua-
si acervus lapidum* est, dum caritate fri-
gescente, dura atque lapidea fiunt fidelium
corda. *Et mons templi* vertitur *in excelsa
silvarum,* dum virtuosi et contemplativi
labuntur, in superbiam eriguntur, et mun-
di dignitatibus atque opibus gaudent. Quod
præcipue referri potest ad quosdam spe-
cie tenus religiosos, regulam suam non
observantes, et ad sæcularia adspirantes.
Dicit autem Glossa circa hunc locum : Non
debent ministri Ecclesiæ officia sua admi-
nistrare propter pecuniam : non tamen
prohibentur, quod ex officio debetur, ac-
cipere ad necessitatem, non ad luxuriam.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : ET ERIT IN NOVISSIMO DIERUM MONS DOMUS DOMINI, ETC.

DESCRIPTA Judaicæ plebis ultione, sub- D
jungitur ejusdem consolatio, de pro-
1 ximo adimplenda per Christum. *Et erit in
novissimo dierum,* id est in ultima mundi
ætate, quæ a Præcursore incepit : de qua
dicit Joannes, Novissima hora est; et Pau- I Joann. II, 18.
lus, Nos, inquit, sumus in quos fines sæ- I Cor. X, 11.
culorum devenerunt; *mons domus Domi-*

ni, id est mons Sion, in quo templum erat
constructum : de quo in fine præcedentis
Mich. III, 12. capituli dicebatur, quod esset in excelsa
silvarum ; *præparatus,* id est sublimiter
honoratus, *in vertice montium,* non per
locorum mutationem aut corporalem ere-
ctionem, sed per divinorum miraculorum
excellentiam : quoniam ipsemet Christus
Matth. XXVI, 55 ; Luc. XXII, 7-20 ; Joann. XX, 26 ; Act. II, 1-4 ; Matth. XXI, 14. in hoc monte conversatus est, prædicavit,
ultimam Cœnam fecit, corpus suum et san-
guinem consecravit, ad discipulos clausis
januis introivit, Spiritum Sanctum misit,
multa quoque fecit prodigia in templo si-
to in monte isto. Idcirco mons iste subli-
matus est ultra montem Sinai et Thabor,
vel quemlibet alium : præsertim ob Chri-
sti corporalem in eo præsentiam, propter
Agg. II, 10. quam, ut in Aggæo dicitur, major fuit glo-
ria secundi templi quam primi. *Et subli-
mis* erit *super colles,* id est montes mi-
nores, in quibus tamen aliqua eminentia
opera facta sunt. *Et fluent ad eum populi :*
id est, conversi ad fidem, locum hunc ex
devotione visitabunt, propter opera Chri-
sti in eo patrata, et quoniam ibi congrega-
Act. II, 1-4. ta fuit et Spiritum Sanctum recepit pri-
2 mitiva Ecclesia. *Et properabunt* ad eum
gentes multæ, id est gentiles conversi, *et
dicent,* se mutuo cohortando : *Venite, as-
cendamus ad montem Domini.* Consueve-
runt enim ex gentilitate conversi, omnia
loca in quibus Christus conversatus fuit
ac passus, devotissime ac frequenter invi-
sere. *Et ad domum Dei Jacob,* id est Ec-
clesiam in Jerusalem congregatam.

Secundo, locus iste exponitur secundum
Hieronymum, intelligendo per montem,
Christum, Sanctum Sanctorum, in omni
gratia eminentem secundum formam as-
sumptam, qui *præparatus,* id est factus
seu declaratus est, *in vertice montium,* id
est omnibus Sanctis esse sublimior. Pro-
Joann. I, 15, 30. pter quod ait Baptista : Qui post me venit,
ante me factus est, id est mihi prælatus.
Philipp. II, 9. *Et sublimis* est *super colles.* Dedit enim
illi Pater nomen quod est super omne no-
Joann. III, 34. men ; et sine mensura Spiritum contulit
ei. *Et fluent ad eum populi :* id est, tam

A ex Judaismo quam ex gentilitate conversi,
per fidem, dilectionem et obedientiam ac-
cesserunt ad Christum, sicut ad caput,
quatenus de plenitudine ejus accipiant, di- Joann. I, 16.
cente Apostolo : Accedamus cum fiducia Hebr. IV, 16.
ad thronum gratiæ ejus ; et Psalmista, Ac- Ps. XXXIII, 6.
cedite ad eum, et illuminamini. — Ter-
tio exponitur passus hic, intelligendo per
montem domus Domini, militantem Chri-
sti Ecclesiam : quæ præparata est in verti-
ce montium, quoniam major et excellen-
tior fuit gratia data Ecclesiæ Christi, quam
B Synagogæ, vel congregationi quæ fuit ante
legem. Propter quod tempus evangelicæ
legis, seu novi Testamenti, per excellen-
tiam appellatum est tempus gratiæ. Paulus
quoque de se et coapostolis suis testatur :
Nos ipsi primitias Spiritus habentes. De- Rom. VIII, 23.
nique ad Ecclesiam omnes electi a prin-
cipio evangelicæ prædicationis confluxe-
runt, quoniam extra illam nemo salvatur.

Et docebit nos Christus *de viis suis,* id
est evangelica documenta atque præcepta,
quibus itur ad regnum cœleste. Hæc do-
C cuit Christus per Apostolos et adjutores
ac successores eorum, per illuminationem
quoque occultam et angelicam submini-
strationem. *Et ibimus,* credendo, sperando,
amando, et bene agendo, adversa quoque
æquanimiter tolerando, *in semitis ejus,* id
est consiliis et doctrinis, sequendo vesti-
gia Salvatoris. Viæ enim ejus, viæ pul- Prov. III, 17.
chræ, et omnes semitæ ejus pacificæ. Ipse
etiam est via ac janua. *Quia de Sion egre-* Joann. XIV, 6 ; X, 9.
dietur lex : id est, Evangelium Christi pri-
mo ab Apostolis publice et aperte prædi-
D cabitur in templo sito in monte Sion ; et
deinde promulgabitur ad omnia climata
orbis ; *et verbum Domini,* id est prædica-
tio Evangelii, *de Jerusalem* procedet ad
alia loca. Quum enim in die Pentecostes
recepissent Apostoli Spiritum Sanctum, Act. II, 4.
mox ingressi sunt templum, Christi Evan-
gelium constantissime prædicantes, quod
postmodum in toto mundo prædicaverunt.
Unde eis dixerat Christus : Eritis mihi te- Ibid. I, 8.
stes in Jerusalem, et in omni Judæa et Sa-
maria, et usque ad ultimum terræ.

3 *Et judicabit,* id est, discernet Christus, A
inter populos multos, quosdam vocando ad
fidem et gratiam, quosdam autem derelin-
quendo; *et corripiet gentes fortes usque
in longinquum.* Omnium enim gentium
vitia per discipulorum suorum prædica-
tionem redarguit. Christus quoque proprio
ore, conversando inter homines, corripuit
eos. Denique duplex est judicium, scilicet
discretionis, quo inter electos et reprobos
Christus secernit; et remunerationis, quo
singulis quod merentur retribuit. Christus
autem in primo suo adventu non fecit in B
sæculo isto judicium remunerationis seu
damnationis. Propter quod ait apud Joan-
Joann. III, 17. nem : Non misit Deus Filium suum ut ju-
dicet mundum, sed ut salvetur mundus
Luc. IX, 56. per ipsum; et apud Lucam, Filius hominis
non venit animas perdere, sed salvare.
Istud autem judicium faciet in secundo
suo adventu generaliter ; facitque illud
quotidie particulariter in decedentibus a
sæculo isto. Porro in primo suo adventu
fecit judicium discretionis : de quo ait in
Joann. XII, 31. Joanne, Nunc judicium est mundi. Fecit et C
tunc judicium justæ increpationis. Propter
Is. XI, 4. quod scriptum est in Isaia : Judicabit in
justitia pauperes, et arguet in æquitate
pro mansuetis terræ. Jeremias quoque ait:
Jer. XXIII, 5. Faciet judicium et justitiam in terra.

*Et concident gladios suos in vomeres, et
hastas suas in ligones :* id est, tanta pax
erit in Christi adventu et circa evangelicæ
prædicationis exordium, quod arma belli-
ca in instrumenta agriculturæ vertentur.
Tunc enim omnia regna mundi sub uno
erant principe obedientia, scilicet sub Ro- D
mano imperatore, ad cujus imperium de-
Luc. II, 1. scriptus est universus orbis, ut patet in
Ps. XLV, 10. Luca. Unde in Psalmo cantatur : Arcum
conteret et confringet arma, et scuta com-
buret igni. *Non sumet gens adversus gen-
tem gladium,* id est, una natio non prælia-
bitur contra aliam, quoniam omnes subditæ
erunt Romano imperio; *et non discent ul-
tra belligerare,* id est, non erit eis neces-
sitas exercendi se ad modum pugnandi,
quum ubique sit pax. Hæc autem pro tanto
dicuntur, quia tunc erat insolita inaudita-
que pax in toto mundo : quum tamen ante
fuerint multa atque gravissima prælia. Et
quoniam pax illa ultra consuetum notabi-
liter diu duravit, nunc dicitur, Non discent
ultra belligerare : sicut communiter de ne-
gotio ultra solitum durante dicimus, Istud
nunquam finietur, quum aliquando infra
diem vel horam finiatur. Unde in Genesi
scriptum est, quod Lia, nato Juda, parere *Gen.* XXIX, 35.
cessavit : et tamen post pauca legitur pe- *Ibid.* XXX,
perisse adhuc duos filios et filiam unam. 17, 19, 21.
Simili modo habetur quarto Regum, quod
Syri non venerunt ultra in terram Israel : IV *Reg.* VI, 23.
et nihilo minus statim scribuntur redisse *Ibid.* 24.
in illam.

Totum autem capitulum istud usque ad
verbum sequens habetur in Isaia, pene *Is.* II, 2-4.
sub eadem forma verborum : quod ibi pro-
lixius, prout Dominus dedit, exposui.

Et sedebit vir subtus vineam suam et 4
subtus ficum suam : id est, tanta erit se-
curitas, ut homines sine formidine sedeant
etiam in agris ac vineis sub suis arbustis.
Solet autem per talem modum loquendi,
in veteri Testamento, magna pax et opu-
lentia designari. In primo autem Christi
adventu fuit in Judæa pax magna et copia
rerum. Unde in Jeremia legitur : In diebus *Jer.* XXIII, 6.
illis salvabitur Juda, et Israel habitabit
confidenter. Propter quod subditur : *et non
erit qui exterreat**. Romani enim sub ma- * *deterreat*
gno rigore prohibuerunt violentiam fieri;
nec judicibus a se constitutis parcebant,
quando manifestam alicui fecerunt inju-
riam.

Possunt præterea omnia ista speciali-
ter accipi de diversis nationibus ad fidem
conversis, quæ licet olim discordassent,
tamen fide Christi suscepta, maximam mu-
tuo dilectionem habebant, et per caritatem *Galat.* V, 13.
servierunt in invicem.

Omnia vero hæc fient, *quia os Domini
exercituum locutum est,* id est, intellectus
divinus ista per Prophetas prædixit, cujus
verbum irritum esse non valet. *Quia om-* 5
*nes populi ambulabunt, unusquisque in
nomine dei sui,* id est, infideles in ritibus

II *Thess.* III, 2. deorum suorum conversabuntur. Non enim A
omnium est fides; nec idololatria fuit per
Apostolos penitus exstirpata, quum usque
ad tempus Constantini Magni Roma coluerit
idola. *Nos autem ambulabimus in nomine
Domini Dei nostri,* id est, in Deo
vero, et secundum voluntatem ac legem
ipsius vivemus, *in æternum et ultra,* id
est perseveranter omnino : non quod ultra
seu post æternitatem sit duratio aliqua,
sed ista dicuntur ad ampliorem certitudinem
faciendam, vel ad clariorem expressionem.
Porro quod ait, Nos autem ambula- B
bimus, accipi potest de primitiva Ecclesia
ex Judaismo conversa, vel de populo christiano
communiter, qui est Israel secundum
spiritum.

6 *In die illa, dicit Dominus,* id est tempore
evangelicæ prædicationis et gratiæ.
Is. IV, 2. De qua die loquitur Isaias : In die illa erit
germen Domini, id est Christus Filius Dei,
in magnificentia et gloria; itemque Apo-
II *Cor.* VI, 2. stolus, Ecce nunc dies salutis; et iterum,
Rom. XIII, 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit.
Congregabo claudicantem, id est plebem C
Judaicam in via Dei nutantem : cujus pes
scandalizabatur et scandalizabat frequenter;
quæ tempore Christi per varia vitia
indirecte transivit, juxta illud in Psalmo,
Ps. XVII, 46. Claudicaverunt a semitis suis. Quibus dici
III *Reg.* XVIII, 21. potuit illud Eliæ : Usquequo claudicatis in
duas partes? *Et eam quam ejeceram,* id
est Synagogam quam subinde ejeci de terra
sua et peccare permisi, cui et interdum
dedi libellum repudii, *colligam* per fidem
et caritatem intra ovile Ecclesiæ, ut omnes
sint unum mysticum corpus Christi ; *et* D
quam afflixeram, id est dictam Synagogam,
quam per Assyrios, Chaldæos ac alias
nationes punivi, *congregabo* spirituali collectione
per gratiam. Et ne quis instet et
dicat, hæc de Judæis exponi non posse,
quoniam pauci illorum conversi sunt, sub-
7 ditur : *Et ponam claudicantem in reliquias :*
id est, ex præinducta Judaica plebe
non omnes, sed quosdam, comparatione
aliorum perpaucos, salvabo. De quibus
Is. I, 9. fert Isaias : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset
nobis semen, quasi Sodoma fuissemus;
et Apostolus, Reliquiæ per electionem gra- *Rom.* XI, 5.
tiæ salvæ factæ sunt; et denuo, Non repu- *Ibid.* 2.
lit Deus plebem suam, quam præscivit.

Et eam quæ laboraverat, id est gentem
Hebræam præfatam, quæ prædictis modis
fuit afflicta et onere legis gravata, quod
neque nos, neque patres nostri, ait Petrus, *Act.* XV, 10.
portare potuimus (specialiter accipi potest
de Christi Apostolis et primis credentibus,
quibus dicit : Vos estis qui permansistis *Luc.* XXII, 28.
mecum in tentationibus meis), ponam *in*
gentem robustam : primo, quoniam innumerabiles
convertent ad fidem, sicque multos
in Christo filios generabunt, in quibus
impletum est illud Isaiæ : Minimus erit in *Is.* LX, 22.
mille, et parvulus in gentem fortissimam ;
secundo, quoniam ipsi Spiritu Sancto recepto
fortissimi erant in Christo, et insuperabilem
patientiam habuerunt, ita ut
irent gaudentes a conspectu concilii, quo- *Act.* V, 41.
niam digni habiti sunt pro nomine Jesu
contumeliam pati, dicerentque principibus
sacerdotum : Obedire oportet Deo ma- *Ibid.* 29.
gis quam hominibus. Nonne robustissimi
erant, de quibus unus illorum locutus est,
Certus sum quia neque mors, neque vita, *Rom.* VIII, 38, 39.
neque angeli, neque principatus, neque
virtutes, neque instantia, neque futura,
neque creatura alia poterit nos separare a
caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino
nostro? Ideo scriptum est de eis in
Psalmo : Quoniam dii fortes terræ vehe- *Ps.* XLVI, 10.
menter elevati sunt. Quanta autem fuerit
primitivæ Ecclesiæ in Jerusalem fortitudo,
patet in Actibus Apostolorum. *Act.* II-V.

Et regnabit Dominus Christus *super eos,*
id est in cordibus eorum, *in monte Sion,*
id est in Ecclesia speculante cœlestia, quæ
in monte prædicto Spiritum Sanctum recepit
in primis credentibus. De qua ad
Hebræos legitur : Accessistis ad montem *Hebr.* XII, 22.
Sion, et civitatem Dei viventis; atque in
Psalmo, Diligit Dominus portas Sion. *Ex* *Ps.* LXXXVI, 2.
hoc nunc et usque in æternum, id est in
præsenti vita inchoative per fidem et gratiam,
in futuro quoque sæculo sine fine
per beatificam revelationem.

Præterea, quidam exponunt hunc lo-
cum de gentilitate conversa, quæ ante
suam conversionem claudicavit per idolo-
rum culturam, eratque relicta a Deo, et in
via perditionis usque lassitudinem labora-
Is. xxxv, 1. bat. De qua loquitur Isaias : Lætabitur de-
serta et invia. Hanc autem per Apostolo-
rum prædicationem atque miracula intra
Ecclesiam congregavit. Nec omnes creden-
tes hujusmodi salvat, sed quosdam velut
Matth. xx, 16. reliquias, quoniam pauci electi.
8 *Et tu, turris gregis nebulosa,* id est,
Is. v, 2. templum Jerusalem : de quo apud Isaiam
inducitur, quod Dominus ædificavit turrim
in medio ejus, videlicet in Synagoga, quæ
Ibid. 1. ibi vinea appellatur. Dicitur autem turris
gregis, id est populi Judæorum, qui fuit
Ps. xciv, 7, juxta antiq. vers. grex Dei, juxta illud, Nos autem populus
ejus, et oves pascuæ ejus; vel, quia in eo
greges animalium offerebantur. Dicitur in-
super nebulosa, vel propter vitia sacerdo-
tum ac populi, vel propter imminentem
destructionem, vel propter fumum nebu-
losum ex incensione hostiarum surgen-
tem. *Filiæ Sion,* id est populi Judæo-
rum. *Usque ad te veniet; et veniet potestas*
1 *Cor.* i, 24. *prima,* id est Christus, qui est virtus et
sapientia Patris, qui cum Patre et Spiritu
Sancto est una, æterna, prima ac infinita
potestas : qui est *regnum filiæ Jerusalem,*
id est rex Judaicæ plebis. De quo Isaias
Is. xxxiii, 22. prædixit : Dominus rex noster, Dominus
judex noster, Dominus legifer noster, ipse
Luc. ii, 22. veniet et salvabit nos. Christus autem ob-
latus et præsentatus fuit in templo a Ma-
Matth. xxvi, 55. tre virginea, et frequenter prædicavit in
eo. Propter quod a Malachia fuit prædi-
Malach. iii, 1. ctum : Statim veniet ad templum sanctum
suum Dominator, quem vos quæritis, etc.;
Ps. xlvii, 10. et in Psalmo, Suscepimus, Deus, miseri-
cordiam tuam in medio templi tui.
9 *Nunc quare mœrore contraheris?* id est,
quum tanta consolatio tibi præstanda sit,
et tanta promissio facta, o popule Sion, cur
tam gravi tristitia contabescis, vel ex dila-
tione adventus Messiæ, vel propter perse-
cutiones quas pateris? *Numquid rex non
est tibi?* id est, imo Regem omnipotentem
immortalemque habes, qui tandem tua as-
sumpta natura te visitabit, et nunc te de-
fendere lætificareque potest. *Aut consi-
liarius tuus periit,* id est Deus qui tibi
per Prophetas verba consolatoria nuntiat,
intusque exhilarat? Vel per consiliarium,
intelligit Propheta se ipsum ac alios vates,
qui populum instruebant, remediaque sa-
lutis pandebant. Christus quoque est ma- *Is.* ix, 6, juxta LXX.
gni consilii Angelus. *Quia comprehendit
te dolor sicut parturientem,* ita quod in
adversis non recurris ad divinum auxili-
um, nec in spe futurorum bonorum respi-
ras. Possuntque hæc specialiter accipi de
justis, qui Christi adventum optabant ar-
denter.
Dole et satage, filia Sion, quasi partu- 10
riens, id est, stude ut dolores tibi instantes
æquanimiter feras. Et merito dolere potes,
quia nunc egredieris de civitate Jerusalem
capta, *et habitabis in regione* Sennaar seu
Chaldæa septuaginta annis, *et venies usque
ad Babylonem* civitatem metropolim Chal-
dæorum. *Ibi liberaberis* tempore Cyri re-
gis de captivitate, *ibi redimet te Dominus
de manu inimicorum tuorum,* reducendo
te in propriam terram per Zorobabel, Es-
dram, et Jesum filium Josedec sacerdotem
magnum. De hoc scriptum est plenius in I *Esdr.* i, ii, vii, viii.
libro primo Esdræ.
Et nunc, tempore meo, regnante piissi- 11
mo Ezechia, *congregatæ sunt super te gen-
tes multæ, quæ dicunt : Lapidetur, et
adspiciat in Sion oculus noster.* Quod in-
telligi potest de Sennacherib rege Assyrio-
rum et populo ejus, qui venit, et occupavit IV *Reg.* xviii, 13.
omnes urbes Juda; voluitque morte du-
rissima, quæ per lapidationem exprimi-
tur, necare habitatores Jerusalem, qui se
ad resistentiam præparaverunt. Voluerunt
quoque Assyrii in Sion adspicere, id est
templum, palatium, et cetera habitacula
scrutari et spoliare. *Ipsi autem non co-* 12
gnoverunt cogitationes Domini, id est,
quod Deus voluit populum suum per illos
purgare, et castigatum seu disciplinatum
salvare. Illi namque propriis viribus suas
victorias adscripserunt, et populum inde

non corrigere, sed conterere nitebantur. *Et non intellexerunt consilium ejus,* id est sapientiam divinæ dispensationis, qua Deus omnipotens corrigit electos per reprobos, sicut per virgam : quo facto, reprobos æternaliter damnat, quemadmodum virga, disciplinato puero, in ignem projicitur. Hinc per Isaiam Dominus loqui-
Is. x, 5, 7. tur : Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est ; ipse autem non sic arbitrabitur, sed ad conterendum cor ejus erit. Generaliter quoque transgressores et impii non agnoscunt cogitationem Dei, neque attendunt consilium ejus, qualiter humanum
Ps. LXV, 5. genus dispenset atque remuneret, terribilisque consistat in consiliis super filios hominum. Propter quod scriptum est in
Sap. IX, 13. libro Sapientiæ : Quis hominum poterit scire consilium Dei ? aut quis poterit cogi-
Ibid. 17. tare quid velit Deus ? Et : Sensum tuum, Domine, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum tuum de cœlis ? *Quia congregavit eos,* id est adversarios populi sui, scilicet gentes præfatas, *quasi fœnum areæ,* id est in unum fascem, ut simul dispereant et damnentur, seu incen-
IV *Reg.* XIX, 35. dantur : quemadmodum angelus Dei percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia hominum, quorum corpora fuerunt incinerata atque combusta.

13 *Surge et tritura, filia Sion,* id est tu, popule Judæorum, post reditum a Chaldæa seu Babylonica captivitate, disperge, vexa, occide adversarios tuos gentiles ; *quia cornu tuum ponam ferreum,* id est, potestatem victoriosam seu principem fortissimum tibi præstabo, *et ungulas tuas ponam æreas,* id est, manus tibi dabo victrices, aliorum laceratrices, quemadmodum ferrum et æs cetera domant atque confringunt. *Et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum,* id est, prædam pecorum offeres Deo, et ad gloriam ejus rapinam diripies. Sic enim in libro Nu-
Num. XXXI, 37-42 ; *Josue* VI, 24. merorum et Josue legitur præda Deo consecrata in toto vel in parte. *Et fortitudinem eorum,* id est majores et potentiores interficies, *Domino universæ terræ :* qui pessimos voluit trucidari ; qui etiam Saulem et Achab redarguit, quoniam regibus morte dignis Agag et Benadad pepercerunt. I *Reg.* XV, 16 *et seq.* ; III *Reg.* XX, 42.

Videtur autem quibusdam, quod ista non sint in populo Judaico impleta post reditum a Chaldæa, nec tanta fuerit virtus eorum. Sed si historiam Machabæorum recolimus, videtur utique tempore Judæ et fratrum ejus impletum. Unde secundo libro Machabæorum legitur, quod Judas efficiebatur intolerabilis gentibus, et non II *Mach.* VIII, 5, 6. paucas hominum strages dabat, civitates et castella succendens. Denique et primo libro Machabæorum legitur : Et surrexit I *Mach.* III, 1-9. Judas ; et adjuvabant eum omnes fratres ejus, et præliabantur prælium Israel cum lætitia. Et dilatavit gloriam populo suo, et induit se loricam sicut gigas, et protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos ; et qui conturbabant populum suum, succendit flammis ; et repulsi sunt inimici præ timore ejus, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt ; et directa est salus in manu ejus. Et exacerbabat reges multos, et lætificabat Jacob in operibus suis. Et perambulavit civitates Juda, et perdidit impios ex eis, et avertit iram ab Israel. Et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes. Multaque alia in libris Machabæorum conscripta sunt, ex quibus patet hæc ad litteram esse impleta. Inter hæc unum est, quod semel in Antiochia tria millia Judæorum interfecerunt *Ibid.* XI, 44-48. centum millia aliorum.

Porro, moraliter cohortari se debent Christiani, dicentes : *Venite, ascendamus* Expositio moralis. 2
ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, id est, ecclesiam jugiter visitemus, et divinis obsequiis præsentialiter interesse curemus ; *et docebit nos* Dominus *de viis suis :* ibi enim prædicatio fit verbi Dei, et instructio salutaris proponitur. Deus quoque tales per occultum instinctum informat, et angeli sancti illuminant eos. *Et* 3

concident gladios suos in vomeres. Hoc A
quotidie agitur, dum contentiosi, iracun-
di, impatientes convertuntur ad pacem et
mansuetudinem Christi, et verba pungi-
tiva cessant proferre. De hujuscemodi si-
Ps. LVIII, 8. quidem gladio fertur in Psalmo : Gladius
Ps. LVI, 5. in labiis ipsorum; itemque, Filii homi-
num, dentes eorum arma et sagittæ, et
lingua eorum gladius acutus.
6 *In die illa, dicit Dominus, congregabo*
claudicantem, id est animam vagam, in-
stabilem, oberrantem, *et eam quam ejece-*
ram, id est, a qua ad tempus gratiam B
subtraxi aut suspendi, *et quam afflixeram*
tentationibus, persecutionibus atque lan-
Is. XLII, 3. guoribus. Christus enim calamum con-
quassatum non conterit, et linum fumi-
gans non exstinguit, sed reparat, juxta
Ps. CXLV, 8. illud in Psalmo : Dominus erigit elisos. Ta-
libus igitur animabus sæpe dat Christus
divinorum charismatum affluentiam ma-
Rom. V, 20. gnam, ut ubi abundavit iniquitas, abundet
7 et gratia. Tuncque claudicans *in reliquias*
ponitur, id est inter electos et virtuosos,
Hebr. XII, 13. ut faciat rectos gressus pedibus suis ; et C
quæ laboravit, robusta efficitur.
Insuper Ecclesiæ, vel unicuique affli-
cto, mœsto, tentatoque dicitur verbum dul-
9 ce, bonum ac consolatorium : *Nunc quare*
Rom. VIII, 18, 17; II *Tim.* II, 12. *mœrore contraheris ?* quum non sint con-
dignæ passiones hujus temporis ad futu-
ram gloriam, quæ revelabitur in nobis ; et
Jacob. I, 2. si compatimur, conregnabimus ; omneque
gaudium æstimandum sit, quum in diver-
sas tentationes inciderimus. *Numquid rex*
non est tibi, scilicet Filius Dei, qui te va-
let eripere ? *Aut consiliarius tuus periit,* D
qui evangelica dedit consilia, et in omni
Matth. V, 11, 12. adversitate docet esse gaudendum ? Beati,
inquit, eritis, quum maledixerint vobis
homines, et persecuti vos fuerint, et dixe-
rint omne malum adversum vos, mentien-
tes, propter me. Gaudete et exsultate in
illa hora, quoniam merces vestra copiosa
est in cœlis. *Quia comprehendit te dolor*
sicut parturientem, id est, quasi non esset
futura consolatio danda his qui nunc di-
versis tribulationibus exercentur.

Dole pro tuis et proximorum peccatis, 10
et satage, id est, viriliter age quæ Dei
sunt : quemadmodum Salomon docet :
Quodcumque potest manus tua, instanter *Eccle.* IX, 10.
operare, quia nec opus, nec ratio, nec sa-
pientia, nec scientia erunt apud inferos ;
filia Sion, id est, anima speculativa, seu
persona aut congregatio ecclesiastica in
specula Domini constituta, *quasi partu-*
riens, id est in magnis adversitatibus po-
sita. Omnes enim qui volunt pie vivere II *Tim.* III, 12.
in Christo, persecutionem patientur. *Quia*
nunc egredieris de civitate, id est, exsula-
bis, de propriis locis expulsa, *et habitabis*
in regione dissimilitudinis, vel inter ini-
quos ; *et venies usque ad Babylonem,* id
est confusionem magnam tentationum et
persecutionum, in tantum ut forte quan-
doque a principe Babylonis, id est diabo-
lo, captiveris in consensum peccati, et
vinculis vitiorum adstringaris, Deo per-
mittente te cadere, quatenus propria fra-
gilitate experta, profundius humilieris et
cautior fias. Babylon autem interpretatur
confusio. Et in sæculo isto confusa sunt
omnia : quoniam mundus totus in mali- I *Joann.* V, 19.
gno positus est; et omne quod est in mun- *Ibid.* II, 16.
do, est concupiscentia carnis, aut concu-
piscentia oculorum, aut superbia vitæ. *Ibi*
liberaberis. Non enim permittit nos Deus I *Cor.* X, 13.
tentari supra id quod possumus, sed facit
cum tentatione proventum. Et electos suos
eripit Christus finaliter, sicut in Evange-
lio dicit de ovibus suis, quod nemo rapiet *Joann.* X, 28, 29.
eas de manu sua et Patris sui, nec per-
ibunt in sempiternum : quia Ego, inquit,
vitam æternam do eis. *Ibi redimet te Do-*
minus de manu inimicorum tuorum visi-
bilium et invisibilium : dicente Psalmista,
Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit *Ps.* XXXVI, 40.
eos, et eruet eos a peccatoribus, et salva-
bit eos, quia speraverunt in eo.
Et nunc congregatæ sunt super te gen- 11
tes multæ, adversarii Ecclesiæ diaboli, ho-
minesque iniqui, sævi, et reprobi. *Quæ*
dicunt : Lapidetur Ecclesia seu persona
ecclesiastica, ita ut obruatur adversis, et
a statu æquitatis labatur, *et adspiciat in*

Sion oculus noster, id est, calamitatem et
oppressionem justorum cum lætitia intu-
12 eamur. *Ipsi autem non cognoverunt cogi-
tationes Domini,* qui cogitavit persecutio-
Apoc. II, 10. nem patientibus dare coronam vitæ, si
usque ad mortem consistant fideles, per-
secutoribus vero pœnam gehennæ.

13 *Surge et tritura, filia Sion,* id est, ad-
versarios tuos Christi virtute vince et ven-
tila : quemadmodum ait fortis pugnator,
Ps. XVII, 43. Comminuam eos ut pulverem ante faciem
venti ; *quia cornu tuum ponam ferreum,*
Philipp. IV, 13. ut omnia possis in eo qui te confortat. Po-
test quoque in bono intelligi, ut dicatur
eos triturare, quorum colla subdit Christo
ac fidei. *Et comminues populos multos,*
vitia exstirpando ab eis, atque ad veram
eos contritionem trahendo. Sicque com-
minuti sunt parvi et humiles in oculis
suis. *Et interficies Domino rapinas eo-
rum,* id est, Christo consecrabis, et divi-
nis obsequiis applicabis divitias eorum
qui convertuntur, *et fortitudinem eorum
Domino universæ terræ,* ut totis viribus
Christo ministrent, qui loquitur : Data est Matth.
mihi omnis potestas in cœlo et in terra. XXVIII, 18.

Postremo capitulum istud, ab illo loco :
Dole et satage, filia Sion, a diversis valde
diversimode explanatur ad litteram ; sed
propter prolixitatem vitandam omitto, et
quia præinducta expositio videtur confor-
mior textui. Judæi autem, secundum con-
suetudinem suæ cæcitatis, præstolantur is-
ta implenda in adventu sui Messiæ, ita
quod tunc Romano imperio prævalebunt,
cunctisque gentibus imperabunt.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : NUNC VASTABERIS, FILIA LATRONIS.

In fine præcedentis capituli multa pro-
spera Deus promisit Synagogæ, seu ple-
bi Judaicæ. Jam vero comminatur eidem.
1 *Nunc vastaberis,* id est, ab hostibus capi-
eris, *filia latronis,* id est, Synagoga, quæ
propter tua peccata es filia diaboli latro-
Ps. CV, 38. nis pravissimi, qui animam strangulat. Ef-
fuderunt enim Judæi in templo sanguinem
innocentem, et subjectos ac simplices mul-
tipliciter deceperunt. Unde Salvator quo-
Matth. XXI, 13. que ait in Evangelio : Domus mea domus
orationis vocabitur, vos autem fecistis il-
lam speluncam latronum. *Obsidionem po-
suerunt* inimici nostri *super nos,* id est
contra Judæos, civitates Juda obsidendo.
*In virga percutient maxillam judicis Is-
rael,* id est, superiores ac judices Judæo-
rum in faciem cædent, viliterque tracta-
bunt ut alios.

Quidam referunt ista ad Babylonicam
IV Reg. XXV, 7, 18-21. captivitatem, in qua Sedecias rex, sacer-
dotes ac principes ejus, a Chaldæis con-
temptibiliter cæsi tractatique sunt. — Alii
vero referunt ad vastitatem Judæorum a
Romanis, in qua gravissime sunt oppres-
si, et sacerdotes jubente Tito occisi. Et ita
exponit Hieronymus.

Unde quod ait Propheta, Obsidionem po-
suerunt super nos, exponit in persona Dei
Patris, loquentis de se et Filio ac Spiritu
Sancto. Contra quos posuerunt Judæi ob-
sidionem, Filium Dei persequendo, in Spi-
ritum Sanctum blasphemando, et Patrem
mendacem faciendo. Qui enim non credit I Joann. V, 10.
in Filium, mendacem facit Patrem, secun-
dum Joannem. Et Christus ait : Nunc au- Joann. XV, 24.
tem oderunt et me et Patrem meum gratis.
In virga quoque seu aspero ictu percusse-
runt maxillam judicis Israel, id est Christi,
cui Pater dedit omne judicium. Qui in Ibid. V, 22.
Evangelio loquitur Judæis : Multa habeo Ibid. VIII, 26.
de vobis loqui et judicare ; et, Amodo vi-

Matth. xxvi, 64. debitis Filium hominis venientem in nu- A
bibus cœli. Hujus maxillas dulcissimas
percusserunt manibus incestis atque sa-
crilegis in nocte illa, potestati tenebrarum
concessa, quemadmodum Lucas asserit :
Luc. xxii, 63, 64. Viri qui tenebant illum, illudebant ei, cæ-
dentes eum, et percusserunt faciem ejus.
Joann. xviii, 22; xix, 2, 3. Minister quoque pontificis dedit ei alapam,
dicens : Sic respondes pontifici ? Quod et
ministri Pilati, procurantibus Judæis, fe-
cerunt, dum plectentes coronam de spinis,
imposuerunt capiti ejus. Et veniebant, et
dabant ei alapas. Quod et Sibylla prædi- B
xisse cognoscitur.

Consequenter tractatur de Judice isto,
de loco nativitatis ejus, et duplici natura
2 ac generatione ipsius. *Et tu, Bethlehem
Ephrata,* id est, civitas binomia. Dicta est
enim Bethlehem et Ephrata, juxta illud Ge-
Gen. xxxv, 19. nesis : Mortua est Rachel, et sepulta in via
Ephrata : hæc est Bethlehem. *Parvulus es,*
id est modicus locus, seu viculus, *in mil-
libus Juda,* id est comparatione aliorum
locorum tribus Juda. Vel est sensus, quod
populus Bethlehem parvus fuit respectu C
millium populorum aliarum urbium Juda.
Verum Matthæus scripturam istam sic al-
Matth. ii, 6. legat : Et tu, Bethleem terra Juda, nequa-
quam minima es in principibus Juda. Sic-
que in verbis contrarietas sonat. Unde
Hieronymus dicit, Matthæum verba hæc
allegasse, non sicut noverat esse scripta,
sed sicut sacerdotes et Scribæ allegabant
respondendo Herodi, ut ostenderet S. Mat-
thæus errorem illorum negligentiamque
in lectione Scripturarum. Alii vero dicunt,
Matthæum magis respexisse ad mentem et D
sensum prophetiæ, quam ad formam ver-
borum. Michæas namque intendit monstra-
re eminentiam Bethlehem per hoc, quod
Christus in ea natus est : idcirco Matthæus
sic ait, Nequaquam minima es. De hoc
latius dixi super Matthæum.

Ex te mihi egredietur, id est, ad hono-
rem et gloriam meam nascetur, *qui sit
dominator in Israel,* id est rex Messias
Luc. ii, 4, 7. natus ex semine David, qui fuit de Beth-
lehem Juda, in qua Christus natus est de
beatissima Virgine. De hoc dominatore Is-
rael dictum est in Osee : Servient David *Osee* iii, 5.
regi suo ; et item in Isaia, Super solium *Is.* ix, 7.
David, et super regnum ejus sedebit. De
quo Gabriel dixit gloriosæ ac benedictæ
Mariæ : Et regnabit in domo Jacob in æter- *Luc.* i, 32.
num. Hoc ergo de humana ac temporali
Christi generatione sit dictum. De cujus
generatione divina ac sempiterna subjun-
gitur : *et egressus ejus,* id est generatio a
Patre, est *ab initio,* id est ab æterno et
ante sæcula universa. In principio enim *Joann.* i, 1.
erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,
qui ait in Psalmo : Ex utero ante lucife- *Ps.* cix, 3.
rum genui te. *A diebus æternitatis,* id est
ab ipso momento seu nunc æternitatis,
quæ omne tempus includit. Æternaliter
nempe et invariabiliter Filius generatur a
Patre. Estque egressio ista immanens, non
foris transiens, quum genitus consubstan-
tialis sit generanti. Denique quod gene-
ratio Filii, egressus dicatur, constat ex hoc
quod Filius ait in Joanne : Exivi a Patre, *Joann.* xvi, 28.
et veni in mundum. De hac generatione
loquitur Christus, æterna sapientia Patris,
in Proverbiis : Nondum erant abyssi, et *Prov.* viii, 24, 25.
ego jam concepta eram ; ante colles ego
parturiebar. In Ecclesiastico quoque : Ego *Eccli.* xxiv, 5.
ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante
omnem creaturam.

Propter hoc, id est, quoniam Christus ab 3
æterno est, et omnium temporum Dominus
ac moderator omnipotens, per quem reges
regnant, qui transfert regna atque consti- *Dan.* ii, 21.
tuit ; vel, Propter hoc, id est, quia in
Bethlehem natus est, scilicet ob incarnati-
onis suæ mysterium et honorem ; *dabit
eos,* id est, Judæos in terra promissionis
regnare ac habitare permittet, *usque ad
tempus in quo parturiens pariet,* id est,
gentilitas diu sterilis multos in Christo fi-
lios procreabit (quemadmodum Isaias præ-
dixit : Quia multi filii desertæ, magis quam *Is.* liv, 1.
ejus quæ habet virum), hoc est, usque
ad tempus divulgationis seu publicationis
evangelicæ legis. Permisit itaque Salvator
Judæos in terra hac per quadraginta cir-
citer annos post suam passionem, dans

illis locum et tempus pœnitendi, quia ex illo populo humanam assumpsit naturam. Et infra hoc tempus fuit ubique divulgatum Evangelium Christi. Quo facto, et illis obstinatis, venit Romanorum exercitus, et captos destruxit. Vel per parturientem intelligi potest primitiva Ecclesia, quæ non sine labore ac multiplici persecutione gentiles in Christo regeneravit.

Reliquiæ fratrum ejus, id est electi Judæorum fratrum Christi, qui de eorum
Hebr. II, 11, 12. natus est populo. Unde non confunditur fratres eos vocare, dicens : Narrabo nomen tuum fratribus meis. Et post resurrectio-
Joann. XX, 17. nem ait ad Magdalenam : Vade, et dic fratribus meis. *Convertentur ad filios Israel,* id est ad fidem duodecim Patriarcharum, qui erant filii Jacob, alio nomine Israel dicti. Judæi enim per Apostolorum doctrinam et signa conversi, id crediderunt factum per Jesum, quod Patriarchæ crediderunt fiendum per Christum. Vel, filii Israel sunt Apostoli filii Christi, qui est verissimus Israelita, quoniam non obscure per fidem, sed clare per speciem jugiter vidit Deum. Ad horum autem filiorum Israel fidem et conversationem, conversa sunt
Act. II, 41; IV, 4. millia illa Judæorum, de quibus scriptum est in Actibus Apostolorum. Potest insuper accipi de Judæis qui in fine sæculi con-
Malach. IV, 6. vertentur, prædicante Elia, qui convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres. Per hoc enim quod convertet Judæos tunc exsistentes ad fidem caritatemque Christi, faciet eos unanimes seu concordes Patriarchis et ceteris Sanctis qui erant sub lege. Sicque corda filiorum ad patres, et corda patrum convertentur ad filios.

4 *Et stabit* ipse Christus, qui secundum deitatem stabilis invariabilisque consistit. Secundum humanitatem quoque Verbo unitam, stetit confirmatus in bono et omni virtute immobilis ac perfectus ; corpo-
Luc. VI, 17 et seq.; Joann. VII, 37, 38. raliter etiam stetit turbas docendo, ut dicit Lucas et Joannes. *Et pascet* scientia et doctrina, exemplari vita, et aliis modis, *in fortitudine Domini,* id est in potentia totius superbenedictæ Trinitatis, *in sublimitate nominis Domini Dei sui,* id est in majestate Dei Patris, vel Trinitatis. Pater enim, seu quælibet divina Persona, est Deus Christi secundum naturam assumptam. Secundum quod ait : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. Joann. XX, 17. Et Apostolus ait : Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi. II Cor. I, 3. Vel per sublimitatem nominis Dei, intelliguntur miracula illa altissima, quæ alius nemo fecit, nisi Christus : de quibus fatetur, Opera quæ dedit mihi Pater, testimonium perhibent de me. Joann. V, 36. Sic itaque Christus pavit Judæos per se ipsum, deinde per Apostolos, per quos et gentiles pavit sive convertit. Unde scriptum est : Omnes Luc. IV, 22. mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus. Erat enim docens sic- Matth. VII, 29. ut potestatem habens, non sicut Scribæ et Pharisæi. Hinc loquitur Isaias : Sicut Is. XL, 11. pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit. Ipse nempe est pastor bonus, qui Joann. X, 11, 3, 4. proprias oves vocat nominatim, et ante eas vadit ; dicitque, Venite ad me, omnes Matth. XI, 28. qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ; et rursus, Si quis sitit, veniat Joann. VII, 37. ad me, et bibat.

Et convertentur ad Christum gentiles : quemadmodum apud Danielem legitur, Omnes populi, tribus et linguæ servient ei ; Dan. VII, 14. et in Psalmo, Reminiscentur et converten- Ps. XXI, 28. tur ad Dominum universi fines terræ ; *quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ :* id est, Christus per totum mundum cognoscetur, et excellentia ejus omnibus innotescet ; sicque in cordibus credentium exaltabitur, atque ab eis magnifice honorabitur. Pro hac magnificatione Christus oravit, dicens : Pater, venit hora, cla- Joann. XVII, 1. rifica Filium tuum. De hoc multa dicuntur in libro Psalmorum, ut est illud, Dabo Ps. II, 8. tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ ; et, Adorabunt Ps. XXI, 28. in conspectu ejus universæ familiæ gentium ; et, Dominabitur a mari usque ad Ps. LXXI, 8. mare, et a flumine usque ad terminos or-

Is. xxiv, 16. bis terrarum. Unde et Isaias inducit : A
finibus terræ audivimus laudes, gloriam
Justi.

Quæ autem sequuntur, intricata sunt
5 valde, et difficultatibus plena. *Et erit iste,*
scilicet Christus, *pax,* id est reconciliator
et protector noster, et pacis internæ seu
veræ quietis causa. De quo dicit Aposto-
Ephes. ii, 14. lus : Ipse est pax nostra, qui fecit utraque
unum. *Assyrius quum venerit in terram*
nostram, et quando calcaverit in domibus
vers. 7. *nostris.* Locus iste usque ad illud, Et erunt
reliquiæ Jacob, diversimode explanatur.

Hieronymus namque, Beda et Glossa ex-
ponunt sic : *Quum Assyrius,* id est diabo-
lus arguens et in perditionem dirigens
(Assyrius enim dirigens seu arguens in-
terpretatur), *venerit in terram nostram,* id
est in carnem, illam tentando, inflamman-
do, seu tribulando : quemadmodum Paulo
II Cor. xii, 7. datus fuit stimulus carnis, angelus Satanæ :
Job ii, 7. qui percussit Job ulcere pessimo, a planta
usque ad verticem; *et quando calcaverit*
in domibus nostris, id est corporibus, quæ
sunt animarum nostrarum domus seu ha-
bitacula : quæ calcat diabolus, subjiciendo
ea malis pœnæ aut culpæ, quando videli-
Rom. vi, 13. cet exhibemus membra nostra arma ini-
quitatis peccato. Vel domus nostræ, sunt
congregationes fidelium, quæ a dæmonibus
exercentur, sed Christo protegente, pacem
victoriamque sortiuntur. *Et suscitabimus*
super eum, id est adversus Assyrium seu
diabolum, ego Pater et Filius et Spiritus,
septem pastores, id est Patriarchas ac San-
ctos veteris legis : in qua sabbatum seu
septima dies celebris fuit, præsertim quum
per septem (qui est numerus perfectionis)
universitas designetur. Unde in Apocalypsi
Apoc. i, 4. habetur : Et a septem spiritibus, qui in
conspectu throni ejus sunt. Tobiæ quoque
Tob. xii, 15. Raphael protestatur : Ego sum unus ex
septem qui adstamus ante Deum. *Et octo*
primates homines, id est Sanctos novi Te-
stamenti, in quibus octo beatitudines com-
mendantur. Et octavus dominicæ resurre-
ctionis dies, secundum Bedam, celebriter
agitur. Omnes isti contra diabolum pugna-

A verunt, et adhuc nobis contra illum pu-
gnantibus auxiliantur. Propter quod sub-
ditur : *Et pascent terram Assur,* id est 6
regnum diaboli, seu dæmones tentatores,
in gladio oris sui, seu verbi Dei (quoniam
teste Apostolo, gladius spiritus est ver- Ephes. vi, 17.
bum Dei), hoc est, virtute orationis vel
prædicationis, dæmonum potestatem deji-
cient. *Et terram Nemrod.* Qui per Assur,
ille et per Nemrod designatur, videlicet
dæmon, qui ut fulgur ruit de cœlo, et ani- Luc. x, 18.
marum robustus venator est : quemadmo-
B dum Nemrod, qui interpretatur tentatio
descendens, fuit fortis venator coram Do- Gen. x, 9.
mino. Hujus itaque terram pascent *in lan-*
ceis suis,* id est verbis acutissimis et pe- * ejus
netrativis. Vivus est enim sermo Dei et Hebr. iv, 12.
efficax, et penetrabilior omni gladio anci-
piti. Vel lanceæ sunt virtutes seu spiritu-
alia arma, quibus perforatur diabolus. *Et*
liberabit Christus *ab Assur,* id est tenta-
tione diaboli, *quum venerit* diabolus *in*
terram nostram : secundum sensum nunc
positum (animam autem intrare non po-
C test); *et quum calcaverit in terminis no-*
stris, id est, Ecclesiam impugnaverit.

Verum expositio ista videtur ad mysti-
cum confugere intellectum. Unde alii lit-
teralius ita exponunt :

Et erit iste Christus *pax* nostra, *quum,* id
est postquam, *Assyrius,* id est rex et exerci-
tus Assyriorum, *venerit in terram nostram,*
et quando calcaverit, id est, postquam
incesserit, *in domibus nostris.* Tempore
enim Ezechiæ, Assyrii civitates, vicos et IV Reg.
castella Judææ ingressi sunt, et suæ volun- xviii, 13.
D tati ad tempus subjecerunt. *Et suscitabi-*
mus, nos Deus Trinitas, qui alibi diximus :
Faciamus hominem ad imaginem et simi- Gen. i, 26.
litudinem nostram ; vel, nos Prophetæ,
suscitandos annuntiabimus; *super eum,* id
est contra regnum Assyriorum, *septem pa-*
stores, id est septem duces Medorum atque
Persarum, de quorum consilio cuncta ege-
runt reges illorum, ut legitur in libro Esther i,
Esther : illi enim septem videbant faciem 13, 14.
regis, et primi post eum sedebant. Qui
Deo movente, Cyro ac Dario dederunt con-

silium invadendi regnum Chaldæorum ac A Assyriorum, quorum regnum tunc subditum erat Chaldæis. *Et octo primates homines,* id est directores bellatorum : erantque in exercitu Persarum ac Medorum marescalli; et impugnaverunt Assyrios. *Et pascent terram Assur in gladio,* id est, Assyrios gladio devorabunt, *et terram Nemrod,* id est Babylonem et Chaldæam, in qua Nemrod primo regnavit, juxta illud Gene-
Gen. x, 10. sis : Fuit autem principium regni ejus Babylon, et Arach, et Achad, et Chalanne in terra Sennaar; *in lanceis ejus,* occidendo B Chaldæos. *Et liberabit* Christus Judæos *ab Assur, quum venerit in terram nostram,* id est, postquam Assyrii Judæam introierunt, *et quum calcaverit in terminis nostris,* mittendo nuntios usque Jerusalem, scilicet Rabsacen et alios multos. Siquidem post illud tempus destructum fuit regnum Assyriorum : sicque impediti erant reverti in terram Judææ.

7 *Et erunt reliquiæ Jacob,* id est electi Judæi in Christum credentes, puta Apostoli, discipulique eorum ex Judaismo con- C versi, *in medio populorum multorum,* id est inter diversas gentium nationes : sicut Joannes in Asia, Thomas in India, Bartholomæus in Armenia; *quasi ros a Domino,* id est, corda gentilium semine verbi cœlestis irrigantes et fecundantes, atque libidinis ignem vitiorumque flammam in eis infrigidantes aut exstirpantes; *et quasi stillæ,* id est guttæ aquarum, *super herbam quæ non exspectat virum,* id est, humano auxilio non irrigatur, *et non præstolatur filios hominum,* ut illorum studio crescat D sive fructificet, sed divina providentia hoc
Matth. v, 36. totum agitur. Homo enim non potest unum capillum facere album et nigrum. Et quamvis materiam præbet, et activa passivaque applicet, Dei tamen est incrementum præstare, et fructum concedere.

8 *Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus in medio populorum multorum,* quibus evangelicam legem proponent, *quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum,* id est fortes et insuperabiles, habentes potestatem ligandi atque solvendi : quibus et Christus promisit, *Matth.* XVIII, 18.
Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non *Luc.* XXI, 15.
poterunt resistere omnes adversarii vestri. Quemadmodum ergo leo fortior est jumentis quæ versantur in silva, et catulus leonis fortior pecoribus, quoniam prædam quam volunt, tollunt ac devorant; ita Apostoli, nullo potente impedire, prædam hominum ex ore diaboli rapuerunt, et Christo incorporaverunt. *Qui* leo *quum transierit,* quærens prædam, *et conculcaverit* bestiam, *et ceperit* eam, *non est qui eruat* de ore leonis, quum sit fortissimus bestiarum. Sic transeuntibus Apostolis de gente in gentem, et conculcantibus gentilitatem, Christo eam subdendo, et capientibus intra rete suum multitudinem gentium conversarum, nullus potuit conversos ab Apostolorum doctrina avertere. De hac reliquiarum Israel dispersione et fructificatione in gentibus, multa dicuntur in Isaia, scilicet : Florebit et germinabit Israel, et implebunt *Is.* XXVII, 6.
faciem orbis semine; et illud, Ponent Do- *Ibid.* XLII, 12.
mino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt.

Et exaltabitur manus, id est potestas 9
tua, o Christe, vel Ecclesia, *super hostes tuos, et omnes inimici tui peribunt**, id *interibunt
est, æternaliter damnabuntur. Invisibiles enim hostes subjecit Christus discipulis suis, dicendo : Infirmos curate, mortuos *Matth.* x, 8.
suscitate, dæmones ejicite; et, Dedi vobis *Luc.* x, 19.
potestatem calcandi super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. Judæi quoque increduli et tyranni, persequentes olim Ecclesiam, perierunt. Rursus, postquam Romanum imperium fidem Christi suscepit, exaltata est manus Ecclesiæ, etiam in præsenti, supra æmulos suos. De quo Christo loquitur Isaias : Ad eum venient, *Is.* XLV, 25.
et confundentur omnes qui repugnant ei.

Et erit in die illa, quum Apostoli præ- 10
dicaverint ubique Evangelium Christi, *dicit Dominus : Auferam equos tuos,* o Synagoga, *de medio tui, et disperdam quadrigas tuas; et perdam civitates terræ tuæ, et de-* 11
struam omnes munitiones tuas, id est for-

talitia, *et auferam maleficia de manu tua.* A
Videntur hæc accipi posse de destructione
Judæorum a Romanis. Sed obstat quod
subditur : *Et divinationes non erunt in*
12 *te; et perire faciam sculptilia tua, et statuas tuas de medio tui, et non adorabis*
13 *ultra opera manuum tuarum; et evellam lucos tuos de medio tui, et conteram civitates tuas.* Judæi enim pro tunc idola non colebant. Unde qui ista ad captivitatem prædictam cupit referre, dicere potest quod idola, statuæ et luci dicuntur Judæorum istorum, in quantum patres eorum B ab antiquo talia coluerunt. Vel per idola, statuas et lucos, metaphorice intelliguntur bona creata caduca, quibus inordinatissime afficiebantur, et velut idola coluerunt, præponendo talia Deo, quemadmodum Apostolus nominat avaritiam idolorum culturam. Deus enim avari, est aurum; gulosi, venter; luxuriosi, venus. De hujuscemodi idolis ait Joannes : Filioli, custodite vos a simulacris. Hieronymus quoque exponit ista omnia satis spiritualiter, intelligendo per equos, motus lascivos; per quadrigas, C vanitatis vehicula, quibus de peccato in peccatum deducimur; per civitates, congregationes iniquas; per munitiones, divitias sæculi, pompam mundi, eloquentiam frivolam; per maleficia, deceptiones et nocumenta; per divinationes, propriæ doctrinæ præsumptionem; per sculptilia autem et statuas, superstitiosa, vana, conficta et deceptoria documenta.

Ephes. v, 5; *Coloss.* III, 5. — I *Joann.* v, 21.

14 *Et faciam in furore et indignatione* mea, id est in rigorosa ac vindicativa æquitate mea, et in zelo justitiæ meæ vitia dete- D stante, *ultionem in omnibus gentibus quæ non audierunt,* id est, doctrinam Apostolorum et fidem catholicam non receperunt, quoniam æternam pœnam habebunt. Punitio Dei in sæculo isto, quantum ad electos, quamvis dura appareat, est tamen medicinalis, nec ex furore, sed misericordia Dei infligitur, qui paternaliter corripit in præsenti, ne durius puniat in futuro. Punitio autem gehennæ, recte ex furore Dei infligi asseritur, non quod in Deo sit passionis affectio, sed propter similitudinem operis.

Postremo, ut refert Hieronymus, carneus Israel ita exponit præhabita, quod in adventu Messiæ, Assyrii et Chaldæi ac ceteræ nationes subjicientur Judæis, et ipsi Judæi, qui tunc fuerint inter gentes dispersi, benedicentur et confortabuntur a Deo, in tantum quod nemo eis resistere poterit. Sed sanguinarii erunt atque crudeles, occidendo eos inter quos oppressi fuerunt : sicque exaltabitur manus eorum super adversarios. Verum, ut probat Hieronymus, huic eorum vanissimæ expositioni repugnat quod subditur, nuncque expositum est, scilicet : In die illa, dicit Dominus, vers. 10.
auferam equos tuos de medio tui, etc. Quomodo enim tunc auferentur ab eis idola et statuæ ac luci, quum in omni captivitate ista idololatriam vehementissime detestentur? Quomodo etiam tunc urbes eorum destruentur, quum in terra habitent aliorum? Et utique si ordo textus rite pensetur, innotescit quam tenebrosus sit error illorum.

Mystice, quod in principio hujus capituli dictum est, Nunc vastaberis, filia latronis, intelligi potest de ecclesia malignantium, quæ quum sit Deo rebellis, obsidionem ponit quodammodo contra eum. Et dum Christo tantam contumeliam facit, ejusque contemnit vicarios, quasi in virga percutit maxillam judicis Israel, scilicet Christi seu ejus vicarii. Omnis quoque bonus diligensque prælatus, prædicator seu doctor, stare debet in via perfectionis et firmitate virtutis, et pascere audientes vel subditos verbo, vita, ac precibus, in fortitudine Domini, non propriis viribus, sed adjutorio Dei totaliter, jugiter, atque humiliter innitendo, nec a cœpto opere bono ignaviter desistendo.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : AUDITE QUÆ DOMINUS LOQUITUR.

OSTENDITUR demum præsenti capitulo A
multiplex Israeliticæ plebis ingratitu-
do, multiformis quoque beneficentia Dei
ad populum, quatenus opposita juxta se
posita, clarius innotescant. Ait ergo san-
1 ctus Michæas : *Audite quæ Dominus lo-
quitur* ad me per angelum, per me quo-
Luc. xi, 28. que ad populum. Beati enim qui audiunt
verbum Dei, et custodiunt illud. *Surge* tu,
Michæa, a quiete ad actum, ab interioribus
ad exteriora; *contende judicio adversus
montes,* id est, contra sacerdotes et Scribas
seu principes disputa et conquire, ut veri- B
tas pateat; *et audiant colles,* id est, qui
inferioris gradus, potestatis, seu ordinis
sunt, *vocem tuam,* id est verba quibus pro-
babis beneficentiam Dei, et ingratitudinem
2 populi. *Audiant montes* jam dicti *judi-
cium Domini,* id est sententiam justæ in-
crepationis contra eos, et quid de eis sen-
tiat Deus, *et fortia fundamenta terræ,* id
est Pharisæi, et qui aliis religiosiores vi-
Galat. ii, 9. dentur, atque columnæ aliorum dicuntur,
sustentando eos per gratiam sibi conces-
Rom. xv, 1. sam, quemadmodum ait Apostolus : Debe- C
mus nos firmiores, imbecillitatem aliorum
portare, et non nobis placere.

Quia judicium Domini cum populo suo,
id est, rationabilem discussionem et justam
declarationem vult facere Deus cum popu-
lo Judæorum, probando per exhibitionem
beneficiorum suorum, ingratitudinem at-
que malitiam populi, ne videatur per po-
tentiam eos opprimere, sed omnibus elu-
cescat quam juste illi damnentur. Unde
Osee iv, 1. dictum est in Osee : Judicium Domino cum
habitatoribus terræ. *Et cum Israel dijudi-* D
cabitur, id est, justus esse probabitur, ju-
stusque ab omnibus agnoscetur, qui audie-
rint contentionem Dei contra Israeliticam
plebem, videlicet declarationem beneficio-
rum divinorum et maleficiorum populi
ejus. Sic quoque loquitur per Ezechielem :
Judicabor vobiscum facie ad faciem. Et Ezech. xx, 35.
Psalmista : Justificeris, inquit, in sermo- Ps. l, 5.
nibus tuis et vincas quum judicaris. Et in
Isaia : Judicate inter me et vineam meam. Is. v, 3.
Per rationem ergo, non per potestatem
dumtaxat, vult Dominus prævalere; dat-
que licentiam disputandi adversus se, se-
cundum quod alibi loquitur : Narra, si Ibid. xliii, 26.
quid habes, ut justificeris.

Consequenter ponitur ratio Dei contra
ingratos, videlicet commemoratio benefi-
ciorum ipsius. *Popule meus,* id est, gens 3
Judæorum, quam præ ceteris elegi, multis-
que beneficiis decoravi. Isti tamen ingra-
ti, non fuerunt populus Dei per præde-
stinationem finalisque gratiæ electionem
secundum veritatem. Sed nominati sunt
populus Dei, propter patres, et propter
gratiam quam Deus præbuit eis, quamvis
abjecerint illam. Simili modo vocantur fi-
lii regni, Christo dicente : Filii regni eji- Matth. viii, 12.
ciuntur in tenebras exteriores. *Quid feci
tibi?* id est, quid forefeci? quid mali intu-
li? quid feci quod facere non debui? *Aut
quid molestus fui tibi,* inordinate seu con-
tra justitiam? *Responde mihi* ad hæc. Non
enim fuit eis Deus molestus, irrationabili-
ter aggravando, quamvis contra perversam
impiorum voluntatem aliqua faciat, quibus
gravantur. Hinc Dominus per Isaiam testa-
tur : Quid debui ultra facere vineæ meæ, Is. v, 4.
et non feci? Et in Deuteronomio asserit
Moyses huic plebi : Portavit te Dominus Deut. i, 31.
Deus tuus, sicut portare solet homo parvu-
lum filium suum. Denique quod tibi mo-
lestus non fui, hinc liquet : *Quia eduxi te* 4
de terra Ægypti, et liberavi te de domo

servientium, id est de Ægypto et habita-
Exod. I, 14, 11. culo ejus, ubi durissima servitute luti ac
lateris premebaris, et Pharaoni urbes ta-
bernaculorum ædificabas; *et misi ante fa-
ciem tuam Moysen* ducem, doctorem, seu
legislatorem, et amicum meum, *et Aaron*
fratrem ejus pontificem, *et Mariam* soro-
rem illorum, prophetissam, quæ specialiter
præerat feminis.
5 *Popule meus, memento, quæso :* qui
præcipere possum, sed dulciter loquor, ut
te ad veritatis recognitionem inducam :
quid cogitaverit contra te Balac rex Moab,
qui cogitavit te abigere, dejicere, et per
Num. XXII-XXIV. fraudulenta consilia Balaam seu maledi-
ctionem illius occidere ; *et quid respon-
derit ei Balaam filius Beor.* Multa enim
bona dixit de populo Israel, et beneficia
Dei præstita ei commemoravit. In quo pa-
tet, quanta bona fecit Dominus Israeli. De-
nique tribus vicibus quasi invitus be-
Ibid. XXIII, 20-22. nedixit Judæis, inter cetera dicens : Ad
benedicendum adductus sum ; benedictio-
nem prohibere non valeo. Dominus Deus
ejus cum illo est, et clangor victoriæ regis
in illo. Dominus Deus eduxit illum de Ægy-
pto, cujus fortitudo est sicut rhinocerotis.
De Setim usque ad Galgalam, id est, Ba-
laam lustrans oculis exercitum Israel, qui
protendebatur a loco qui dicitur Setim,
usque ad Jordanem, juxta quem, ex oppo-
Ibid. XXV, 1-3. sito tamen, est Galgala. Est autem Setim
locus in eremo plenus arboribus, ubi filii
Israel peccaverunt cum filiabus Madian et
idolo Phogor. Hieronymus tamen dicit,
quod Balac congregavit ibi exercitum con-
tra filios Israel : quod intelligi potest, quia
circa hunc locum hoc fecit. In Numerorum
Ibid. I. enim libro aperte habetur, quod Israel mo-
rabatur eo tempore in Setim; et paulo ante
Ibid. XXIII, 28. asseritur, quod Balac duxit Balaam in ver-
ticem montis Phogor. Vel iste est sensus,
secundum Hebræos : *Memento,* etc., ut
dictum est, *de Setim usque ad Galgalam,*
id est mea beneficia tibi impensa, et tua
iniqua opera contra me facta, ab eo tempo-
II Reg. X, 1; XI, 15. re quo patres tui peccaverunt in Setim,
usque ad tempus quo Saul unctus est in

A Galgala. Hæc autem recordari te quæso, et
prædicto jam modo te per Balaam bene-
dixi, *ut cognosceres justitiam Domini,* id
est, quam juste increperis a Deo; vel fide-
litatem Dei in adimplendo promissa, qui
tibi misericorditer fecit et vere implevit,
sicut sanctissimis patriarchis Abraham, *Gen.* XXII, 17, 18; XXVI, 24; XXVIII, 13-15.
Isaac et Jacob spopondit.
Consequenter Propheta in persona ple-
bis ad ista respondet : *Quid dignum of-* 6
feram Domino? tanquam dicat : Attendo
præhabita, et de cetero gratus esse deside-
B ro; sed quid dignum offeram Deo æterno?
Curvabo genu Deo excelso? Hoc dupliciter
legitur. Primo negative, ut sit sensus :
Genuflexio per se non est idonea Deum
placare, quum non sit in se nisi indicium
devotionis. Et oratio sine conversatione
bona, non est condigna. Qui enim declinat *Prov.* XXVIII, 9.
aurem suam ne audiat legem, oratio ejus
erit exsecrabilis. Secundo legitur affirma-
tive, ut sit responsio ad verbum præce-
dens; eritque sensus, quod genuflexio,
oratio seu adoratio, in quantum sunt actus
C latriæ, et ex vera devotione procedunt, sunt
digna oblatio atque placatio Dei, juxta il-
lud in Psalmo : Immola Deo sacrificium *Ps.* XLIX, 14.
laudis.
Consequenter excluditur error confiden-
tium in legalibus hostiis. *Numquid offe-
ram ei holocautomata,* quæ totaliter incen-
debantur ad divinæ majestatis honorem, *et
vitulos anniculos,* qui unius sunt anni?
tanquam dicat : Per sacrificia talia non fit
debitus honor Deo, neque placatur, quo-
niam per se non sunt accepta, videlicet ex
D parte operis operati, sed operis operantis,
utpote ex fide et caritate devotioneque of-
ferentis. Et juxta hunc sensum subjungi-
tur : *Numquid placari potest Dominus in* 7
*millibus arietum, aut in multis millibus
hircorum pinguium,* id est per immolatio-
nem immolaticiorum brutorum, quantum-
cumque multorum? Impossibile quippe *Hebr.* X, 4
est sanguine hircorum et vitulorum au-
ferri peccata, secundum Apostolum. Pro-
pter quod scriptum est apud Jeremiam :
Numquid carnes sanctæ auferent a te ma- *Jer.* XI, 15.

litias tuas? *Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo?* quod fecit rex Moab, secundum Hieronymum. Et numquid dabo *fructum ventris mei,* id est quamcumque prolem meam, *pro peccato animæ meæ?* Quasi dicat : Non est talis oblatio placita Deo, quum innocentis occisio non sit divinæ æquitatis placatio. Hæc dicuntur ad insinuandum quod sacrificia legis non erant de se purgativa peccati. Quod vero Moyses ait in lege per talia Deum placari, vitiaque deleri, intelligendum fuit ex parte devotionis offerentium. Sic enim dicit *Ps.* LXV, 13. Psalmista : Introibo in domum tuam in *Ibid.* 15. holocaustis; et : Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum; offeram tibi boves cum hircis.

Deinde ponitur quid digne Domino offe-
8 ratur. *Indicabo tibi, o homo,* id est, o universum genus humanum, *quid sit bonum,* id est Deo acceptum et meritorium, *et quid Dominus requirat a te* pro beneficiis suis tibi collatis, non ad suam utilitatem, sed ob tuam salutem. *Utique facere judicium* justum subjectis et tibimetipsi, ut propria peccata dijudices et ulciscaris, ipsamque justitiam non in habitu tantum, sed in actu etiam habeas, nec sine ratione atque consilio aliquid agas. Loquitur ergo de ordinato judicio. Est autem et inordinatum judicium, scilicet temerarium vel usurpa- *Luc.* VI, 37. torium, de quo ait Salvator : Nolite judicare, et non judicabimini. De prædicto autem ordinato judicio protestatur Aposto- I *Cor.* XI, 31. lus : Si nosmetipsos dijudicaremus, non I *Tim.* V, 21. utique judicaremur; et rursus, Sine præjudicio nihil facias, id est prævio judicio. *Job* XXXIV, 4. In Job quoque libro habetur : Judicium eligamus, et inter nos videamus quid sit melius.

Et diligere misericordiam, spirituales et corporales eleemosynas proximis impendendo ex caritatis prompto affectu, non II *Cor.* IX, 7. ex necessitate aut coactione. Hilarem enim *Matth.* V, 7. datorem diligit Deus. Beati siquidem misericordes, quoniam ipsi misericordiam *Prov.* XV, 27. consequentur. Per fidem namque et misericordiam purgantur peccata, ut dicitur in

A Proverbiis. Propter quod in Tobiæ libro inducitur : Quomodo potueris, ita esto mi- *Tob.* IV, 8, 7. sericors; et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Hinc habetur et in Zacharia : Judicium verum judicate, et misericor- *Zach.* VII, 9. diam et miserationes facite unusquisque cum proximo suo. Talis fuit beatus Job, qui fatetur : Flebam super eum qui afflictus *Job* XXX, 25; erat, et compatiebatur anima mea pauperi; XXXI, 18. et ab infantia crevit mecum miseratio.

Et sollicitum ambulare cum Deo tuo, id est timorate in conspectu Altissimi conver-
B sari, per diligentem mandatorum observantiam et cordis custodiam, sicut hortatur Apostolus : Cum metu, inquiens, timore *Philipp.* II, 12. et tremore vestram salutem operamini. Hinc in Deuteronomio docetur : Custodi *Deut.* IV, 9. temetipsum et animam tuam sollicite; ne obliviscaris verborum Domini Dei tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. In Marco quoque legitur : Videte, *Marc.* XIII, 33. vigilate et orate. Hoc eminenter fecit sanctus Job, dicens : Semper quasi tumentes *Job* XXXI, 23. super me fluctus timui Dominum, et pon-
C dus ejus ferre non potui. Vere enim si perpendimus quam horrendum est incide- *Hebr.* X, 31. re in manus Dei viventis, quanta sit nostra fragilitas, quam arduum sit animæ nostræ negotium, et quam indesinenter adspiciamur a Deo, sollicite ambulare conabimur cum Creatore altissimo, dicentes singuli illud Job : Deus solus est, et cogitationem *Job* XXIII, 13, 15. ejus nemo avertere potest; et anima ejus quodcumque voluit fecit : idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. Hæc est enim laudabilis
D sollicitudo, quæ maxime pertinet ad prælatos : qui tanto sollicitiores esse tenentur, quanto pro pluribus reddituri sunt rationem. Propter quod dicit Apostolus ad Romanos : Qui præest, in sollicitudine. *Rom.* XII, 8. O quam compendiosum ac saluberrimum est prædictum sancti Michææ documentum, jugiter revolvendum!

Vox Domini ad civitatem clamat, id 9
est, prædictum sermonem, vel verba sequentia Deus per me ad Synagogam profatur; *et salus,* id est æterna felicitas, *erit*

timentibus nomen tuum, o Domine, casto A
ac filiali timore, vel etiam initiali, qui non
differt realiter, sed gradualiter a timore
filiali, dummodo finaliter perseverent. Un-
Eccli. I, 12. de in Ecclesiastico habetur : Timor Domini
delectabit cor, et dabit gaudium et læ-
Ibid. 13. titiam in longitudinem dierum. Timenti
Deum bene erit in extremis, et in die de-
functionis benedicetur. In Proverbiis quo-
Prov. XXIII, 17, 18. que : In timore Domini esto tota die, quia
habebis spem in novissimo. Et in Isaia :
Is. VIII, 13. Dominum exercituum ipsum sanctificate;
ipse pavor vester, et ipse terror vester. B
Prov. XXVIII, 14. Denique, Beatus homo qui semper est pa-
Eccli. I, 28. vidus ; et, Qui sine timore est, non potest
Ibid. XXVII, 4. justificari; et, Nisi te instanter tenueris in
timore Dei, cito subvertetur domus tua.

Consequenter arguitur populus Israel de
vitio fraudis et injustitiæ. *Audite, tribus,*
id est, popule Israel per tribus duodecim
distinctus. *Et quis approbabit illud?* id
est, quis verbo meo consentiet atque obe-
diet? tanquam dicat, Perpauci. Cujus sub-
10 ditur causa : *Adhuc ignis,* id est fervens
iniquitas, est *in domo impii,* id est in fa- C
milia, imo in corde et anima hominis pra-
vi. Quod specialiter refertur ad domum
III *Reg.* XVI, 25, 26, 30 *et seq.* Amri patris Achab, quorum uterque pessi-
mus fuit. De hoc igne dictum est in Osee :
Osee VII, 4. Omnes adulterantes quasi clibanus suc-
census a coquente. *Thesauri iniquitatis,*
id est bona injuste possessa, vel copiosa
iniquitas, secundum quod dictum est ab
Amos III, 10. Amos : Nescierunt facere rectum, thesau-
rizantes iniquitatem; *et mensura minor,*
per quam datur alteri non tantum ut ju-
stum est, sed diminute persolvitur, *iræ* D
plena, id est magnam vindictam efflagi-
tans, quum sit contra justitiam et mortale
peccatum.

11 Consequenter Dominus ait : *Numquid*
justificabo stateram impiam, id est falla-
12 cem, *et saccelli pondera dolosa? In quibus*
ponderibus *divites ejus,* scilicet populi
Israel, et non solum egeni, qui per neces-
sitatem inopiæ aliqualiter excusari posse
videntur, *repleti sunt iniquitate,* id est
injustis divitiis, vel multiplici gravique
culpa, quoniam enormiter peccaverunt ista
agendo; *et habitantes in ea,* videlicet in
terra Israel, vel perseverantes in ista ini-
quitate, *loquebantur mendacium* pernicio-
sum : quod avaritiam concomitatur et frau-
dem ; *et lingua eorum fraudulenta in ore*
eorum : quum tamen Isaias dicat, Fraudu- *Is.* XXXII, 7.
lenti vasa pessima sunt; et Psalmista, Vi- *Ps.* V, 7.
rum sanguinum et dolosum abominabitur
Dominus. Porro, quum Deus sit justus, et
virtus ejus justitiæ sit initium, ut dicitur *Sap.* XII, 16.
in libro Sapientiæ, constat vitia ista ei
plurimum displicere. Propter quod ait in
Levitico : Nolite facere iniquum aliquid in *Lev.* XIX, 35.
judicio, in regula, in pondere, in mensura.

Horum autem vitiorum debita pœna
subjungitur : *Et ego ergo cœpi percutere* 13
te perditione, id est captivitate et aliis pla-
gis, *super peccatis tuis :* hoc est, non re-
pente, nec statim volui vos subvertere, sed
paulatim cœpi percutere, ut variis plagis
ad pœnitentiam provocarem. Decem et-
enim tribus primo partim vastatæ sunt a IV *Reg.* XV, 19, 29; XVII, 6.
Phul, deinde a Theglathphalasar, postremo
atque totaliter a rege Salmanasar. *Tu co-* 14
medes, et non saturaberis : et sic mittam
famem in vos ex terræ sterilitate, seu ho-
stium destructione vastantium terræ na-
scentia; *et humiliatio tua,* id est dejectio,
erit *in medio tui,* ita quod undique in
propria terra ab adversariis confunderis.
Et apprehendes quosdam afflictos de po-
pulo tuo a facie hostium fugientes, *et non*
salvabis, id est, a captivitate non eripies
eos; *et quos salvaveris,* id est, ad tempus
absconderis, *in gladium dabo,* ita quod ab
hostibus invenientur et trucidabuntur. *Tu* 15
seminabis, et non metes : quoniam fruges
diripientur ab Assyriis, vel eruca, brucho, *Joel* I, 4.
locusta, seu rubigine destruentur, ut di-
ctum est in Joele de populo Juda ac Israel.
Tu calcabis olivam, et non ungeris oleo :
vel quia oliva non erit fructifera, vel quia
oleum tuum auferetur ab æmulis; *et mu-*
stum facies, *et non bibes vinum,* propter
easdem causas.

Quod autem ista ad decem tribus specia-
liter referantur, ostendit quod subditur :

16 *Et custodisti præcepta Amri* regis Israel; A
et omne opus domus Achab, id est instituta
idololatriæ, et opera Achab atque familiæ
ejus, secutus es, pessime conversando. *Et
ambulasti in voluptatibus eorum,* id est
carnalibus vitiis delectationibusque actus
vitiosos concomitantibus, *ut darem te in
perditionem,* id est captivitatem atque
æternam damnationem, *et habitantes in
ea,* id est habitatores Samariæ, *in sibilum,*
id est derisionem, quæ flatu oris ostenditur;
et opprobrium populi mei portabis,
tolerando mala pœnalia, quæ ex antiquo
consuevi infligere filiis Israel, dum graviter
peccaverunt. Dictio, *ut,* notat hoc loco
sequelam, non causam : non enim idcirco
peccaverunt, ut punirentur, sed culpam
consecuta est pœna.

ARTICULUS VIII

MYSTICA EJUSDEM CAPITULI SEXTI EXPOSITIO.

NUNC moralitas hujus capituli breviter B
est tangenda. Ait itaque Dominus viro
sancto ac prædicatori condigno, præsertim
1 summo Antistiti : *Surge, contende judicio
adversus montes,* id est negligentes prælatos,
superbos vitiososque principes, illorum
redarguendo peccata, et subditorum
Jer. x, 21. perditionem retorquendo in eos : quia
enim stulte egerunt pastores, omnis grex
eorum dissipatus est, ut loquitur Jeremias.
Sap. vi, 3, 4, 6. Hoc fecit sapiens ille, qui ait : Præbete
aures, vos qui continetis multitudines,
quoniam data est vobis potestas a Deo, qui C
interrogabit opera vestra, et cogitationes
vestras scrutabitur; cito et horrende apparebit
vobis, quoniam judicium durissimum
in his qui præsunt, fiet. *Et audiant
colles,* id est, qui inferioris potestatis et
gradus sunt, puta vicarii, *vocem tuam,* id
est prædicationem seu contentionem contra
prælatos, quia eadem pœna imminet
2 eis, si fuerint negligentes. *Audiant montes*
Ezech. iii, 18, 20. *judicium Domini,* qui sanguinem pereuntium
requiret de manu eorum, et ait per
Ibid. xxxiv, 2. Ezechielem : Væ pastoribus qui pascebant D
Jer. xiii, 18. semetipsos; itemque per Jeremiam : Dic
regi et dominatrici, Humiliamini; *et fortia
fundamenta terræ,* id est litterati et doctores,
quorum est alios sustentare. *Quia
judicium Domini* erit *cum populo suo*
Christiano; *et cum Israel,* id est Ecclesia
per fidem speculante divina, *dijudicabitur*
in die generalis judicii, quando omnibus
innotescet æquitas judicii Dei contra Christifideles
iniquos : quibus melius fuisset II *Petr.* ii, 21.
viam veritatis nescisse, quam post cognitionem
reverti retrorsum.

Populi meus, Christiane ingrate, *quid* 3
*feci tibi? aut quid molestus fui tibi? Responde
mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti,* 4
id est sæculari conversatione et potestate
ac regno diaboli, sicut ait Apostolus :
Eripuit nos de præsenti sæculo nequam; *Galat.* i, 4.
*et de domo servitutis**, id est vitiis carnis, ut * alias *servientium*
non sis in carne, sed in spiritu. Qui enim *Rom.* viii, 8.
in carne sunt, Deo placere non possunt.
Vel, De domo servitutis, id est aggregatione
iniquorum, juxta illud in Psalmo : Protexisti *Ps.* lxiii, 3.
me a conventu malignantium : ubi
diabolo et concupiscentiis deservitur. Hæc
beneficia contulit nobis Christus meritorie
in sua passione : tunc enim meruit nobis
gratiam ad omnia ista. In sacramento vero
Baptismi ac Pœnitentiæ tribuit ista actualiter.
Aliqui autem recidivant atque ingrati
sunt infinitis ac summis beneficiis Salvatoris.
*Et misi ante faciem tuam Moysen et
Aaron,* id est Christum hominem, legislatorem
et sacerdotem altissimum, qui per
Moysen Aaronque figuratus cognoscitur, *et*

Mariam, quæ est advocata nostra ac me-
diatrix peroptima, cujus figura fuit Maria
prophetes Moysis soror.
5 *Popule meus, memento, quæso, quid co-*
gitaverit Balac rex Moab, id est machina-
tiones diaboli regis impiorum, qui multis
fraudibus conatur tuam impedire salutem,
ne terram viventium (in qua ipse fuit)
possideas. Est quoque grave diabolo, dum
veri religiosi et prædicatores idonei ter-
ram suam, id est iniquos, visitant atque
operiunt : metuens ne convertantur, et
suo imperio subtrahantur per verba et
Num. XXII, 2-6. exempla justorum, quemadmodum Balac
formidavit terram suam a filiis Israel oc-
cupandam ac possidendam. Balac autem
interpretatur lingens : per quem designa-
Job XXXIV, 7. tur diabolus, subsannationem quasi aquam
Ibid. XL, 18. bibens, et animas glutiens. Absorbet enim
fluvium nec miratur, et habet fiduciam
quod influat Jordanis in os ejus. Moab
vero interpretatur, ex patre : per quem
designantur iniqui, quibus apud Joannem
Joann. VIII, 44. loquitur Christus : Vos ex patre diabolo
estis. Et Joannes in prima sua epistola :
I *Joann.* III, 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est. *Et quid*
responderit ei Balaam, id est homines
animarum corruptores, qui realiter respon-
sum dant dæmoni, consentiendo et coope-
rando eidem in subversione proximorum
suorum. Hi enim una cum principe suo
diabolo nituntur maledicere populum præ-
destinatum; sed Deus convertit maledictio-
Rom. VIII, 28. nem in benedictionem, quoniam diligenti-
bus Deum omnia cooperantur in bonum.
Debemus ergo perpendere invisibilium et
visibilium hostium insidias contra nos, et
quomodo auxiliante gratia Dei evadimus,
qui propria potestate et industria nequa-
quam prævalere possemus.
6 *Quid dignum offeram Domino?* etc. To-
tum hoc dicitur ad insinuandum quod sine
effusione sanguinis Christi, et virtute ac
merito ejus, Deo placere nequimus, quam-
vis nos ipsos, et omnia interiora exteriora-
que nostra obtulerimus ei; ad innuendum
quoque quod tanta sunt nobis a Christo
beneficia pie exhibita, quod rependere nil

A condignum valemus. *Indicabo tibi, o ho-* 8
mo, quid sit bonum : Utique facere judi-
cium, et diligere misericordiam. Quilibet
ergo discutiat, increpet, damnet et vindi-
cet propria mala, disciplinando se ipsum,
et multipliciter castigando corpus suum.
Sitque clemens in alios, protinus indulgen-
do, liberaliter communicando, caritative
compatiendo, quemadmodum ait Aposto-
lus ad Ephesios : Estote invicem benigni, *Ephes.* IV, 32.
misericordes, donantes invicem, sicut et
Deus in Christo donavit vobis; et alibi,
B Alter alterius onera portate; et, Flete cum *Galat.* VI, 2.
flentibus. *Et sollicitum ambulare cum* *Rom.* XII, 15.
Deo tuo. Omnis ergo levitas et cachinnus,
omnis dissolutio et scurrilitas evitentur.
Hoc fecit ille sanctus eremita, qui fra-
trem ridere conspiciens, dixit : Coram cœ-
lo et terra rationem reddituri sumus : et
tu rides?
Vox Domini, id est sacra Scriptura, et 9
prædicatio justorum, *ad civitatem clamat,*
id est ad Ecclesiam, quatenus mali pœni-
teant, boni proficiant, et universi salven-
C tur. *Adhuc ignis* carnalis concupiscentiæ, 10
iræ, furoris et cupiditatis, *in domo,* id est
corpore vel populo, *impii* præsidentis.
Qualis enim rector civitatis, tales et habi- *Eccli.* X, 2.
tantes in ea. *Thesauri iniquitatis,* qui sibi *Rom.* II, 5.
thesaurizat iram in die justi judicii Dei, et
quasi longam restim trahit peccatum, pec- *Is.* V, 18.
catis veteribus nova adjiciens, et gloriatur
in his, quasi in omnibus divitiis, imo fre-
quenter multa mala se jactat fecisse, quæ
non fecit. *Et mensura minor,* id est inju-
stum judicium atque acceptio personarum,
D dum non facit omnibus æquum judicium,
sed unum præ alio palpat, *iræ plena,* quia
per hoc Dei iram incurrit, magnamque
pœnam meretur. *Numquid justificabo sta-* 11
teram impiam, et saccelli pondera dolosa?
Hoc contra Christianos qui in suis merca-
turis fraudibus utuntur, sit dictum : qui
sciant non dimitti peccatum, nisi restitua-
tur ablatum. De talibus legitur in Psalmo :
Verumtamen vani filii hominum, menda- *Ps.* LXI, 10.
ces filii hominum in stateris, ut decipiant
ipsi de vanitate in id ipsum. Hi diversis

mendaciis polluunt linguas et animas suas. A
Sap. I, 11. Contra quos ait Scriptura : Os quod mentitur, occidit animam.
13 *Et ego ergo cœpi percutere te perditione,* id est gratiæ subtractione. Prima enim pœna peccati mortalis, est caritatis et gra-
14 tiæ seu spiritualis vitæ amissio. *Tu comedes, et non saturaberis,* id est, aliquid boni facies, et verbum Dei audies, sed fructum justitiæ, et delectationem sanctam in Deo non consequeris. Vix enim est aliquis Christianus adeo pravus, quin in aliquo sequatur ritum Ecclesiæ, et aliqua bona ex B genere operetur. *Et humiliatio tua in medio tui,* id est, intus dæmoni atque peccatis subjiceris, vilificaris, et confusione dignus consistis. *Et apprehendes* aliqua opera bona de genere ex consuetudine, visitando ecclesiam, orando, seu jejunando, *et non salvabis* per hæc te ipsum, quum non sint meritoria, quoniam caritate privatus es, et mortuus coram Deo. *Et quos salvaveris, in gladium dabo :* quia si aliquid meritorie egeris, per tentationem diaboli vel propriam concupiscentiam auferetur a te. Hoc C
Luc. VIII, 13. de reprobis verum est, qui ad tempus cre-
15 dunt, sed tempore tentationis recedunt. *Tu seminabis* opera bona, *et non metes* vitam æternam, quia non perseveras usque in finem. Matth. X, 22. *Tu calcabis olivam,* legendo Scripturas, *et non ungeris oleo,* id est, veritatis dulcedinem non gustabis; *et mustum, et* I Petr. II, 3. *non bibes vinum,* sequendo litteram occidentem, non spiritum vivificantem, II Cor. III, 6. in quo est vinum de quo Sapientia loquitur : Bibite vinum quod miscui vobis. Prov. IX, 5.

Et custodisti præcepta Amri, et omne 16
opus domus Achab, id est, impiorum principum et indignorum atque carnalium prælatorum prava jussa et facta maligna secutus es. Quamvis enim obediendum est superioribus, non solum bonis, sed etiam dyscolis; I Petr. II, 18. non tamen nisi in licitis et honestis, non in his quæ sunt contra Deum et Ecclesiam rectamque rationem. *Et ambulasti in voluptatibus* (seu *voluntatibus*), id est in deliciis et adinventionibus *eorum,* quia et ideo multi applaudunt illis, ut delicate ab ipsis nutriantur, *ut darem te in perditionem* damnationis æternæ, *et in sibilum,* ita quod dæmones tibi insultabunt in pœnis, qui te jam inducunt ad vitia, juxta illud in Psalmo : Qui tribulant me, exsultabunt, si motus fuero. Ps. XII, 5.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : VÆ MIHI, QUIA FACTUS SUM SICUT QUI COLLIGIT IN AUTUMNO RACEMOS.

DEPLANGIT sanctus Michæas in capituli D hujus principio paucitatem justorum, multitudinemque malorum, et præsertim
1 infidelitatem et inimicitiam populi sui. *Væ* magnæ tristitiæ in sæculo isto *mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno,* vindemiatione jam facta, *racemos vindemiæ,* id est uvas dimissas in vinea vindemiata. Quemadmodum enim talis nil pulchrum, suave, et esui aptum invenit, sed quasi inaniter occupatur; sic ego frustra laboravi in populo pro conversione ipsius, nec personas virtuosas inveni, quæ sint sicut bonæ uvæ vineæ Dei. Unde subjungitur : *Non est botrus ad comedendum,* id est aptus in cibum, quia vindemiatio facta est. Per hoc insinuat, quod non esset aliquis bonus, de cujus bonitate virtuosa anima Prophetæ spiritualiter reficeretur, congratulando profectui ejus, quomodo Paulus ad Philemonem : Refice, inquit, spiritum meum. Philem. 20. Quum ergo non fuerit botrus, nec

aliquid aptum pro refectione animæ meæ, A
quæ populi conversionem esuriebat, *præ-
coquas,* id est immaturas, *ficus desideravit
anima mea* in cibum accipere : id est, qui
non potui viros perfectos facere vel inve-
nire, saltem incipientes reperire optavi,
qui nondum ad maturitatem seu virtutum
perfectionem perducti sunt, tamen profi-
ciunt : et nec tales inveni. Cujus ratio sub-
ditur :

2 *Periit sanctus de terra,* id est, nemo
jam virtuosus est in terra duodecim tri-
buum, *et rectus,* id est justus, *in homini-* B
*bus non est. Omnes in sanguine insidian-
tur,* id est, per insidias et fraudulentias
sanguinem innocentem, vel eorum quos
odiunt, quærunt effundere; *vir fratrem
suum venatur ad mortem,* id est, proximos
vel cognatos persequitur et comprehende-
re nititur ad occidendum. Hæc omnia hy-
perbolice seu per excessum dicuntur ex
magno doloris affectu, ad innuendum pau-
citatem bonorum, et abundantiam impi-
orum qui tot erant, quod comparatione
eorum, boni quasi nulli videbantur ; et C
multi, non tamen simpliciter omnes, in
sanguine insidiabantur. Videtur quoque
loqui Michæas, sicut libro tertio Regum
loquitur Elias, putans omnes sanctos pe-
riisse de terra Israel, præter se solum :
III *Reg.* XIX, 10, 14. Domine, inquit, Prophetas tuos occide-
runt, et relictus sum ego solus. Præinductis
autem verbis Michææ consonat illud in
Ps. XIII, 3. Psalmo : Omnes declinaverunt, simul inu-
tiles facti sunt; non est qui faciat bonum,
non est usque ad unum.

Hæc autem mystice accipi possunt de D
quocumque viro sancto, zelum Dei proxi-
mique habente, qui multitudinem pecca-
torum et paucitatem bonorum attendens,
dicere potest : Væ mihi, quia factus sum
sicut qui colligit in autumno, etc. Spiritu-
aliter quoque vir fratrem suum venatur
ad mortem, dum proximum suum quærit
subvertere, seu ad mala inducere.

3 *Malum manuum suarum dicunt bonum,*
id est, iniquitatem operum suorum excu-
sant atque justificant : quibus loquitur
Isaias, Væ qui dicitis bonum malum, et *Is.* V, 20.
malum bonum. *Princeps postulat,* id est,
injustam exactionem facit a subditis; *et
judex in reddendo est,* id est, ipsemet
princeps officium judicis sibi assumit, per
hoc quod judicat et compellit sibi dari
quod postulat. Vel, Judex in reddendo est,
id est, per hoc est aliquis judex sub prin-
cipe, quod postulationem principis man-
dat effectui, faciens ei a subditis reddi
quidquid extorquet. *Et magnus locutus est
desiderium animæ suæ,* id est, superior
omnium, scilicet rex, vel aliquis doctior
aut potentior, ceteris libere dixit quidquid
placuit sibi, et id inferioribus intimavit.
Et conturbaverunt eam, id est, princeps,
judex, et magnus, terram seu plebem sub-
jectam oppresserunt, sicut superius di-
ctum est : Qui comederunt carnem populi *Mich.* III, 3.
mei. *Qui optimus in eis est,* id est melior 4
inter prædictos, est *quasi paliurus,* id est
similis herbæ sic dictæ, quæ pungit : quia
et ipsi omnes pungunt subjectos verbis
duris et exactionibus sive injuriis. *Et qui
rectus,* id est, qui comparatione aliorum
ac deteriorum justus apparet, est *quasi
spina de sepe,* id est similis spinæ perfo-
rativæ : sic et ipsi perforant subditos.

In principio hujus prophetalis voluminis
dictum est, quod Michæas prophetavit sub *Ibid.* I, 1.
regibus Juda, Joathan, Achaz, et Ezechia.
Joathan autem et Ezechias justi fuerunt, et IV *Reg.* XV, 34; XVIII, 3.
multos principes et judices justos habuis-
se creduntur. Achaz vero pessimus fuit at- *Ibid.* XVI.
que idololatra, et paucissimos habuit sub-
ditos bonos, quoniam avertit eos a cultu
Dei. Ideo puto prædicta referri ad popu-
lum regni Juda, præsertim pro tempore
Achaz. Referuntur vero ad regnum decem
tribuum generaliter. Nihilo minus in utro-
que regno erant tempore Michææ aliqui
sancti Prophetæ, videlicet Isaias, Osee,
Amos, etc., et religiosæ personæ.

Dies speculationis tuæ, id est tempus
punitionis ac miseriæ tuæ, quam tibi,
o popule duodecim tribuum, ego aliique
Prophetæ speculati sumus atque prædixi-
mus, prope est; *visitatio tua venit,* id est,

captivitas tua imminet. *Nunc* sine dilati- A
one *erit vastitas,* id est pressura *eorum.*
IV *Reg.* xviii, 9-11. *Ibid.* 13 *et seq.;* xix; xxv. Decem siquidem tribus ab Assyriis captæ
sunt tempore Ezechiæ : quo regnante, Sen-
nacherib rex Assyriorum graviter nimis
afflixit duas tribus, quæ postmodum captæ
sunt a Chaldæis.
5 *Nolite credere amico,* id est adulanti,
videlicet pseudoprophetis bona promitten-
tibus; *et nolite confidere in duce,* id est
in regibus et principibus vestris, quod
possint vos de instanti vastitate eripere.
Ps. lix, 13. Vana enim salus hominis; et, Maledictus B
Jer. xvii, 5. qui confidit in homine, et ponit carnem
brachium suum. *Ab ea quæ dormit in si-*
nu tuo, id est a propria conjuge, *custodi*
claustra oris tui, id est labia tua, quibus
os clauditur, ne incaute loquaris ad eam,
et ipsa prodat tua secreta, sicque fallaris :
Judic. xvi, 4-21. sicut evenit Samsoni a Dalila. Mulieres
nempe instabiles sunt, loquaces, et male
6 possunt silere atque celare. *Quia filius*
II *Reg.* xv-xviii. *contumeliam facit patri :* ut Absalon Da-
vidi; *et filia consurgit adversus matrem*
suam : sicut communiter cernitur in filia- C
bus rebellibus et ingratis; *nurus adversus*
socrum suam : quemadmodum duæ uxores
Gen. xxvi, 34, 35. Esau filiæ Heth, offenderunt animum Re-
beccæ. Nurus est uxor filii alterius femi-
Ruth i, 3, 4, 7, 14. næ, sicut Ruth fuit nurus Noemi. Socrus
autem est mater talis mariti. *Et inimici*
hominis sunt *domestici ejus,* id est ei co-
habitantes et commensales. Deploranda
sunt ista magis quam exponenda, quum
Philipp. ii, 21. oculis pateant, et omnibus quæ sua sunt
quærentibus, paucissimi inveniuntur veri
amici. Passiones namque et vitia jura ami- D
citiæ violant, ingratitudinem pariunt, ger-
manitatem, consanguinitatem, confœdera-
tionem dirumpunt. Porro quod dictum est,
Inimici hominis domestici ejus, Christus
Matth. x, 36. commemorat apud Matthæum. Præinductis
insuper verbis consonat illud Jeremiæ :
Jer. ix, 4. Unusquisque se a proximo suo custodiat,
et in omni fratre suo non habeat fiduci-
am, quia omnis frater supplantans sup-
plantabit, et omnis amicus fraudulenter
incedet.

Verumtamen propter ista atque similia Scripturarum eloquia non debemus esse diffidentes et suspiciosi, vel de pejori semper præsumentes, sed cauti et circumspecti. Scriptura enim divina loquitur pro tempore, causa, personis, et loco. Hinc ad cautelam scriptum est in Ecclesiastico : Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei te ipsum. (*Eccli.* vi, 7, 8.) Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanet in die tribulationis. Amicus fidelis, protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. (*Ibid.* 14-16.) Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Qui autem metuunt Dominum, invenient illum. Et iterum : Vinum novum, amicus novus ; veterascet, et cum suavitate bibes illud. (*Ibid.* ix, 15.) Et : Ne derelinquas amicum antiquum; novus enim non erit ei similis. (*Ibid.* 14.) Postremo, vera, fixa et virtuosa amicitia in bono honesto fundatur, et similitudinem morum requirit, nec servatur nisi inter perfectos. Non igitur quærit lucrum privatum, sed profectum amici, cujus prosperitati congaudet ut propriæ.

Denique jam videmus quomodo spirituales filii contra patres nostros Christi vicarios ac prælatos insurgunt, contumeliam inferentes, et filiæ contra spirituales matres : quod est gravissimum scelus, quum dicat Salvator prælatis : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. (*Luc.* x, 16.) Et Apostolus ad Hebræos : Obedite, inquit, præpositis vestris, et subjacete illis. (*Hebr.* xiii, 17.) Et Samuel primo libro Regum : Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum : quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. (I *Reg.* xv, 22, 23.)

Illis itaque tam injuste se habentibus,
Ego autem Michæas *ad Dominum adspi-* 7
ciam, oculo cordis contemplando, amando, ac venerando Deum altissimum, et misericordiam atque justitiam ejus pensando : juxta quod scriptum est in Psalmo, Oculi mei semper ad Dominum (*Ps.* xxiv, 15); et item, Ad te (*Ps.* cxxii, 1.)

levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. A
Thren. III, 41. Unde in Threnis loquitur Jeremias : Leve-
mus corda nostra cum manibus ad Domi-
num in cœlis. Et *exspectabo Deum sal-*
vatorem meum, id est, in eo dumtaxat
sperabo, ejus misericordiam longanimiter
præstolabor, nec in aliqua adversitate fran-
getur hæc mea fiducia. Propter quod ait
Job XIII, 15. Job : Etiam si occiderit me, in ipso spera-
Is. XXX, 18. bo. Et Isaias : Deus judicii Dominus; beati
omnes qui exspectant eum. *Audiet me*
Deus meus, id est, precem meam exaudiet.
Hoc est verbum bonæ spei, in quo tangi- B
tur fructus exspectationis præfatæ, et da-
tur nobis sperandi fiducia. Hinc ad Jeremi-
Jer. XXXIX, 18. am Dominus contestatur : Eruens liberabo
te; et erit tibi anima tua in salutem, quo-
niam in me habuisti fiduciam. — Et nos
ergo in omni tribulatione et angustia, in
omni tentatione et injuria, adspiciamus ad
Dominum, exspectemus Deum salvatorem
nostrum, certi quod audiet nos, quemad-
Ps. XC, 15. modum ait in Psalmo : Cum ipso sum in
tribulatione; eripiam eum, et glorificabo
eum. Hoc quippe est singulare et unicum C
vereque saluberrimum refugium nostrum,
prout secundo Paralipomenon religiosus
II *Par.* XX, 12. rex Josaphat docet : Quum ignoremus quid
agere debeamus, hoc solum habemus re-
sidui, ut oculos nostros dirigamus ad te.
Consequenter ait Propheta in persona
Synagogæ, seu Jerusalem et populi dua-
8 rum tribuum : *Ne læteris, inimica mea,*
id est tu, Babylon plebsque Chaldæa, *su-*
per me, quia cecidi, id est de mea ruina
et captivitate, qua incidi manus tuas. *Con-*
surgam ad pristinum statum post septua- D
I *Esdr.* I. ginta annos, de licentia Cyri regis Per-
sarum. *Quum sedero in tenebris,* id est,
postquam fuero in adversitate Babylonicæ
captivitatis, *Dominus lux mea est,* id est,
ad prosperitatem et consolationem reducet
me : et in ipsa quoque adversitate miseri-
corditer adfuit mihi, et per Danielem et
9 Ezechielem consolationem infudit. *Iram*
Domini portabo, id est, punitionem istam
a divina æquitate inflictam æquanimiter
tolerabo, *quoniam peccavi ei :* id est, pœ-
nam hanc merui, Deum offendendo; ju-
stumque est ut inordinatio culpæ per or-
dinationem pœnæ coordinetur, et Deo pro
ejus inhonoratione satisfiat; *donec causam*
meam judicet, id est, quoadusque ipse
Deus arbitretur pœnam inflictam suffice-
re, et negotium quod inter me et Babylo-
nem vertitur, judicet, *et faciat judicium*
meum, judicando pro me contra Chaldæos,
qui impia voluntate et sinistra intentione
me afflixerunt, quamvis ego meruerim ta-
lia pati, et Deus juste me tradiderit illis,
qui concessa sibi potestate abusi sunt. Un-
de habetur in Psalmo : Filia Babylonis *Ps.* CXXXVI, 8.
misera, beatus qui retribuet tibi retribu-
tionem tuam, quam retribuisti nobis. *Edu-*
cet me in lucem, id est de tenebris capti-
vitatis ad lucem liberationis, et *videbo*
justitiam ejus, id est justum judicium Dei,
videlicet effectum æquitatis divinæ, hoc
est Chaldæorum dejectionem a Cyro, et
meam liberationem ab illo.
Et adspiciet me *inimica mea,* id est 10
gentilitas mihi adversans, et qui superfue-
runt de Chaldæis, *et operietur confusione,*
id est, hostibus suis tradetur, et videns
meam liberationem, undique confundetur,
quæ dicit ad me cum insultatione, tempo-
re quo me cepit : *Ubi est Dominus Deus*
tuus? quasi dicat : Jam patet quod te sal-
vare non queat, vel non diligat, et quod
inaniter de ejus auxilio præsumpsisti. *Ocu-*
li mei videbunt eam, id est ejus dejectio-
nem. Viderunt enim Judæi translati Baby-
loniæ destructionem a Cyro ac Dario; imo
Daniel fuit tunc in palatio Balthasar regis *Dan.* V, 29-31.
Babylonis : et plurimi Judæorum manse-
runt in Babylone. *Nunc erit in conculca-*
tione ut lutum platearum, id est, cito a
Medis ac Persis calcabitur.
Deinde Dominus per Michæam promittit
Jerusalem ac Judææ : *Dies ut ædificentur* 11
maceriæ tuæ, id est, tempus veniet in quo
ruinæ templi et civitatis Jerusalem, alia-
rumque urbium Juda reparabuntur, et de-
structi a Chaldæis parietes restaurabun-
tur : quod fuit post reditum a Chaldæa. *In*
die illa longe fiet lex, id est, legi et im-

perio Chaldæorum non subjacebis. Unde A
Symmachus et Theodotion transtulerunt,
Is. XIV, 3, 4. Præcepti jussio. Et Isaias prædixit : In die
illa assumes parabolam super regem Ba-
bylonis, et dices : Quomodo cessavit ex-
actor, quievit tributum ?
12 *In die illa et usque ad te veniet As-*
sur, etc. Dies in Scripturis accipi solet pro
tempore, quod quandoque multos dies in-
cludit. Quod ergo nunc dicitur de adventu
Assyriorum in Judæam, non est referen-
dum ad diem reparationis Jerusalem post
reditum a captivitate Babylonica, sed ad B
tempus præcedens, tempore Ezechiæ. Sed
quoniam istud videtur aliqualiter alienum,
præsertim quum tempus Babylonicam ca-
ptivitatem præcedens, et tempus eam se-
quens, pertineant ad distinctas mundi
ætates, et Ezechias diu ante reditum a Ba-
bylone defunctus est; videtur quod ea quæ
dicta sunt de inimica populi Juda, non so-
lum de Babylonia intelligantur, sed gene-
raliter de quacumque plebe regnum Juda
vastante, videlicet Syria, Philistæa, etc. Et
tunc plana est littera, ut sit sensus : *In* C
die illa, quum inimica tua ab Assyriis op-
primetur : quod fiebat partim tempore
Ezechiæ et Achaz, tunc enim reges Assy-
riorum vastabant Syriam et alias nationes;
et usque ad te, o Juda et Jerusalem, *veniet*
Assur, id est Sennacherib cum suo exerci-
tu, *et usque ad civitates munitas :* obti-
IV *Reg.* XVIII, 13. nuit enim fortes urbes in Juda. *Et a civi-*
tatibus Juda *munitis usque ad flumen,* id
est Jordanem, venturus est; *et ad mare de*
mari, id est, de mari Rubro, vel de mari
Mortuo, secundum alios, venit usque ad D
mare Mediterraneum, quod currit in terra
Judææ. Venit enim Sennacherib per viam
maris Rubri contra Judæos. *Et ad montem*
Is. VIII, 8. *de monte.* Ivit enim (ut Isaias prædixit)
inundans per Judam, totam in gyro terram
illam vastando, quæ montuosa est : sicque
13 de monte uno venit ad alium. *Et terra* Ju-
dææ *erit in desolationem,* ita quod habi-
tacula et terræ nascentia destruentur, *pro-*
pter habitatores suos iniquos, qui tempore
Achaz multa mala fecerunt et idola colue-

runt, nec tempore Ezechiæ satis emendati
fuerunt, *et propter fructum,* id est effe-
ctum seu actum, *cogitationum eorum,* ex
quibus opera mala prodierunt. Odio enim *Sap.* XIV, 9.
sunt Deo impius et impietas ejus. Ideo
propter utrumque desolatur : unum tamen
est propter aliud, et sic totum est tan-
quam unum.
Pasce populum tuum, etc. Locus iste 14
dupliciter explanatur. Primo secundum
Hieronymum, ut sit vox Dei Patris ad Chri-
stum. *Pasce,* o Christe, dum conversaris
in mundo, *populum tuum* Judæorum, ad
quos specialiter missus es, *in virga tua,* *Matth.* XV, 24.
id est per tuam directionem, auctoritatem
et increpationem, *gregem hereditatis tuæ,*
id est, qui populus est grex tuus heredita-
rius, seu oves tuæ electæ, quantum ad
prædestinatos, quæ juxta Apostolum, per *Rom.* XI, 5.
electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Istis
enim loquitur Christus in Luca : Nolite ti- *Luc.* XII, 32.
mere, pusillus grex, quia complacuit Patri
vestro dare vobis regnum. De hac virga
loquitur Isaias, Percutiet (inquiens) terram *Is.* XI, 4.
virga oris sui; et rursus per Isaiam Chri-
stus testatur, loquens de Patre, Posuit os *Ibid.* XLIX, 2.
meum quasi gladium acutum; et Psalmista
ad Christum, Virga directionis, virga regni *Ps.* XLIV, 7.
tui. *Habitantes solos in saltu,* id est inter
infructuosos, incredulosque Judæos, qui
saltus dicuntur, id est infructuosarum ar-
borum multitudo. *In medio Carmeli pa-*
scentur, id est in loco uberrimo, quum
cœperint Christi deliciis saginari, seu ejus
doctrina et moribus enutriri, *Basan et Ga-*
laad, id est in locis Terræ sanctæ, in qui-
bus conversatus est Christus. Vel per Ba-
san (quod interpretatur confusio), et per
Galaad (quod interpretatur transmigratio),
designatur quod in bona confusione de
pristinis vitiis quæ pœnitentiam adducit,
et in recessu a malo atque accessu ad bo-
num, essent spiritualiter reficiendi. *Juxta*
dies antiquos, videlicet *secundum diem* 15
egressionis tuæ de terra Ægypti, id est
exuberanter, sicut olim patres eorum a
Deo per Moysen pascebantur, quando egre- *Exod.* XVI.
diebantur Ægyptum. Tunc enim scientia

et doctrina, signis ac prodigiis pasceban- A
tur. Attendendum est autem in omnibus
his, quod Michæas ubertim variat modum
locutionis, quantum ad numerum seu per-
sonam. *Ostendam eis mirabilia.* Christus
enim coram Judæis, et maxime coram di-
scipulis suis, innumerabilia fecit miracu-
la. Suis quoque discipulis tantam præstitit
gratiam miraculorum, ut dicat in Joanne :
Joann. XIV, 12. Qui credit in me, opera quæ ego facio, et
ipse faciet, et majora horum faciet, quia
ego ad Patrem vado.

16 *Videbunt gentes, et confundentur su-* B
per omni fortitudine sua, id est, visis mi-
raculis discipulorum Christi, confunden-
tur, quod tale nihil agere poterunt, et
quod in propriis viribus et idolis fidu-
ciam habuerunt. *Ponent manum super
os,* id est, præ confusione et vitiorum su-
orum enormitate loqui non audebunt, re-
putantes se ad loquendum indignos; *au-
res eorum surdæ erunt,* id est, vana et
illicita audire cavebunt, quemadmodum
Eccli. XXVIII, 28. in Ecclesiastico legitur : Sepi aures tuas
spinis, et noli audire linguam nequam. C
17 *Lingent pulverem sicut serpentes,* id est,
in terram prosternent se, et terram oscu-
labuntur, veniam postulantes, quemadmo-
Ps. XLIII, 25. dum scriptum est in Psalmo : Quoniam
humiliata est in pulvere anima nostra,
conglutinatus est in terra venter noster;
*velut reptilia terræ turbabuntur de ædi-
bus suis,* id est, pristinas domos, videlicet
malas conscientias, et congregationes ini-
quas relinquent, turbati bona conturbati-
one, puta horrore judicii atque pœnarum,
et consideratione propriarum culparum. D
Ps. LXIV, 8, 9. Unde habetur in Psalmo : Turbabuntur
gentes, et timebunt qui habitant terminos,
Ps. VI, 4. a signis tuis; et iterum, Anima mea tur-
bata est valde. *Dominum Deum nostrum
formidabunt,* quum fidem receperint, *et
timebunt te,* o Christe.

14-17 Secundo, exponitur locus iste de Judæis
a Babylonica captivitate reversis : qui fue-
runt populi Dei, quos corporaliter et spi-
ritualiter pavit Deus. Et habitabant soli in
saltu, id est sine humano præsidio. Tem-
pore quoque Machabæorum, multi eorum I *Mach.* II, 28-31.
cum Juda ac fratribus ejus et patre eorum
Mathathia in eremo conversabantur, et soli
manebant in silvis. Aliquando vero pasce-
bantur in locis fertilibus, quæ per Carme-
lum, Basan et Galaad designantur, sicut de
hoc multa per Ezechielem Dominus repro-
misit : In pascuis (ait) uberrimis pascam *Ezech.* XXXIV, 14.
eos, in montibus Israel. Sicque pasceban-
tur largiflue, secundum diem egressionis
ex Ægypto, quando cœlesti pane aleban- *Exod.* XVI, 4, 35.
tur, et nil defuit eis, ut Moyses protesta- *Deut.* II, 7.
tur. Tunc quoque quum templum et Jeru- I *Esdr.* III-VI.
salem instaurabantur, ostendit Deus populo
suo mirabilia, et mirabilem prosperitatem
eis concessit. Propter quod gentes, utputa
Samaritani præcipue, confundebantur et
turbabantur ; erantque surdæ aures eo-
rum, quoniam præ rancore non poterant
æquanimiter aliquid de prospero Judæo-
rum successu audire; et Dominum formi-
dabant timore servili, metuentes ab eo
puniri, cujus tantam experiebantur poten-
tiam circa populum suum.

Denique ad utramque expositionem per-
tinent quæ sequuntur. Nam ex prædictis
magnificentiis virtutis divinæ, prorumpit
Propheta in Dei præconium : *Quis, Deus,* 18
similis tui ? quasi dicat, Nullus : quia tu
solus verus Deus, tu solus omnia infinite
excedis, in ditione tua cuncta sunt posita, *Esther* XIII, 9.
nec est qui tuæ queat resistere voluntati.
Non est similis tui in diis, Domine, et non *Ps.* LXXXV, 8.
est secundum opera tua. Tu enim fecisti *Esther* XIII, 10.
cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu
continetur. *Qui aufers iniquitatem.* Quis *Marc.* II, 7.
enim potest dimittere peccata, nisi solus
Deus, qui in hac vita punit ut ignoscat?
Aufert autem Deus iniquitatem, quantum
ad culpam seu maculam, per cordis con-
tritionem ; quantum vero ad reatum seu
pœnam, aufert illam per satisfactionem.
Et tamen quoad pœnæ mitigationem, ma-
gis confert dolorosa contritio, et erube-
scentia cordis, atque affectio fervida ca-
ritatis, quam labor et pœna exterior. *Et
transfers peccatum reliquiarum heredita-
tis tuæ,* id est, peccata electorum Judæo-

(*Mich.* II, 12; IV, 7; V, 3, etc.) rum finaliter deles. De istis autem reliquiis dictum est sæpe.

Deinde Propheta ad alios loquens, adjecit : *Non immittet ultra furorem suum,* id est diram et amaram vindictam in nos. Ista promissio intelligenda est sicut et ceteræ multæ in veteri Testamento, videlicet sub conditione, dummodo filii Israel perseverarent in bono. Secundum quem sensum Dominus dixit secundo libro Regum, (II *Reg.* VII, 10.) quod filii Israel non commoverentur, nec a filiis iniquitatis affligerentur, sed Deus jugiter habitaret cum eis. Porro, pro eo quod Hieronymus transtulit, Ultra, Symmachus transtulit, In sempiternum ; Theodotion autem, In finem : et sic sensus est planior, scilicet, quod licet Deus ad tempus irascatur electis, eos in hac vita multipliciter castigando, finaliter tamen placatur et miseretur, dans consolationem æternam. Propter quod in Psalmo dicitur : (*Ps.* LXXVI, 8.) Numquid in æternum projiciet Deus ? Et : (*Ps.* CII, 9.) Non in æternum irascetur, neque in æternum comminabitur. *Quoniam volens misericordiam est,* id est, propriam et sibi consubstantialem clementiam diligit, pietatis quoque effectum libenter impendit, estque paratior misereri quam damnare, (*Ps.* CXLIV, 9.) quoniam miserationes ejus super omnia opera ejus. Propter quod ait apud Ezechielem : (*Ezech.* XVIII, 23.) Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur, et vivat ? Et in Osee : (*Osee* VI, 6.) Misericordiam volui, et non sacrificium.

19 *Revertetur* per effectum a rigore justitiæ ad suavitatem clementiæ : quæ est propria domus Dei, quoniam a misericordia nunquam recedit, quum et in inferno citra condignum flagellet ; *et miserebitur nostri,* id est, nostram miseriam sublevando, aut amovendo. Miseriam siquidem culpæ a pœnitentibus tollit, sed miseriam pœnæ paulatim diminuit. Et quoniam major est miseria culpæ quam pœnæ, idcirco amplius ad misericordiam pertinet, culpam in hoc sæculo per medicinales pœnas corrigere et punire, quam pœnas non inferre ; imo pœnas has non inferre, ignavia est, remissio, negligentia, atque horrenda crudelitas. Ideo scriptum est : Miserere (*Eccli.* XXX, 24.) animæ tuæ, placens Deo. Quid est propriæ animæ misereri, nisi ejus peccata in hac vita per digna flagella ulcisci, eamque ab omni voluptate avertere, et timore Dei configere ? *Deponet* omnes *iniquitates nostras,* per gratiæ infusionem animas nostras purgando ac justificando, *et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra,* id est, sic ea prorsus dimittet, ac si nunquam fuissent : quemadmodum loquitur Ezechias, Projecisti post tergum tuum omnia (*Is.* XXXVIII, 17.) peccata mea ; et Psalmista, Beati quorum (*Ps.* XXXI, 1.) remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

20 Postremo, Propheta ait ad Deum : *Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham,* id est, populo Judæorum nato de semine Jacob et Abrahæ, vel ipsis sanctis Patriarchis, vel cunctis fidelibus (qui dicuntur Jacob, vitia supplantando, et Abraham, fidem Abrahæ imitando), dabis Christum, qui est veritas tua, et misericordia sempiterna : de quo cantamus, Misit Deus (*Ps.* LVI, 4.) misericordiam suam et veritatem suam. Vel, Veritatem et misericordiam, id est, promissionem tuam implebis, et gratiam exhibebis per Christum : de quo scriptum est, Lex per Moysen data est, gratia et veritas (*Joann.* I, 17.) per Jesum Christum facta est. *Quæ jurasti,* id est, quam veritatem et misericordiam cum juramento promisisti, *patribus nostris a diebus antiquis,* id est sanctis Patriarchis et Prophetis, ac ceteris justis a principio mundi : quemadmodum pater Præcursoris testatur : Visitavit et fecit (*Luc.* I, 68, 70.) redemptionem plebis suæ, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Et Virgo dignissima : Suscepit, inquit, Israel puerum su- (*Ibid.* 54, 55.) um, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.

(Expositio mystica.) DENIQUE mysticus intellectus hujus capituli nunc partim inductus est, et quod restat, nunc dicam. Verumtamen, quod in

1 principio hujus capituli dicitur, *Væ mihi,* A
quia factus sum sicut qui colligit in au-
tumno racemos vindemiæ, accipi potest in
persona Christi, dolentis quod tam pauci
Judæorum per suam prædicationem cre-
diderunt atque correcti sunt. Propter quod
Is. XLIX, 4. ait per Isaiam : Ego dixi, In vacuum la-
boravi, sine causa consumpsi fortitudinem
meam. Quod enim hoc ad litteram dicatur
in persona Christi, patet considerantibus
præcedentia atque sequentia textus illius.
Marc. III, 5. Unde et in Marco legitur : Contristatus est
Jesus super cæcitate cordis eorum. Et ipse B
Ps. XXXIV, 14. fatetur in Psalmo : Quasi lugens et con-
2 tristatus, sic humiliabar. *Periit sanctus de*
terra. Hoc nunc dici potest propter pau-
4 citatem justorum. *Qui optimus in eis est,*
quasi paliurus ; et qui rectus, quasi spi-
na de sepe. Hoc juxta sensum præhabitum
dici potest de multitudine pravæ societa-
tis, in qua sunt aliqui, qui comparatione
consortium suorum optimi et recti dicun-
tur, qui tamen absolute loquendo, injusti
5 sunt, pungitivi, et vindicativi. *Nolite cre-*
dere amico. Hinc dicit Joannes apostolus : C
I *Joann.* IV, 1. Nolite omni spiritui credere, sed probate
Prov. XIV, 15. spiritus si ex Deo sint. Verum innocens
credit omni verbo. Sed hæc est periculosa
et mala simplicitas, includens debitæ con-
siderationis defectum. Si autem quis ex-
pertus est, et vere firmiterque cognoverit
fidelitatem amici sui ad se, debet ei tan-
quam sibi ipsi confidere.

8 *Ne læteris, inimica mea, super me, quia*
cecidi. Hæc possunt esse verba Ecclesiæ,
seu animæ pœnitentis atque afflictæ, quæ
ait : Ne læteris, etc., id est tu, adversatrix D
salutis meæ, puta potestas aeria, concu-
piscentia carnis, seu impiorum societas,
noli de mea ruina et afflictione gaudere.
Consurgam a peccato per pœnitentiam, et
a tribulatione per consolationem Spiritus
Tob. III, 22. Sancti, qui post tempestatem facit tran-
quillum, et post fletum exsultationem in-
fundit. *Quum sedero in tenebris,* id est in
sæculo isto tenebroso ac vitioso, vel in
adversis, aut vitiis, *Dominus lux mea est :*
quia a caligine ignorantiæ eripit, a teterri-
ma nocte peccati educit, datque lucidam fu-
turæ beatitudinis considerationem, et intus
clarificat omnia intima cordis, ut dicamus :
Dominus illuminatio mea et salus mea. *Ps.* XXVI, 1.

Iram Domini portabo, id est, omnem 9
adversitatem, persecutionem, tribulatio-
nem, tentationem, quæ mihi in hac vita
contingit, patienter recipiam, hilariter to-
lerabo, *quoniam peccavi ei.* Tanta est equi-
dem peccati, quo divina majestas offendi-
tur, divina sanctitas inhonoratur, enormitas,
tantamque in futuro pœnam meretur, quod
si bene pensemus, gaudenter sustinebi-
mus quidquid adversitatis acciderit nobis.
Et licet conscii nobis non simus de eo
quod nobis imponitur, scimus tamen quod
aliunde in multis offendimus, et multa *Jacob.* III, 2.
peccata habemus nobis ipsis ignota, de
quibus oramus : Ab occultis meis munda *Ps.* XVIII, 13.
me, Domine. Hinc scriptum est : Et nos *Judith* VIII, 26, 27.
ergo non ulciscamur nos pro his quæ pa-
timur ; sed reputantes peccatis nostris hæc
ipsa supplicia minora esse, flagella Domi-
ni (quasi servi qui corripimur) ad emen-
dationem et non ad perditionem nostram
evenisse credamus. Qui talis est, in omni
afflictione humiliter confitetur illud Job :
Peccavi, et vere deliqui, et ut dignus eram *Job* XXXIII, 27.
non recepi. Quamvis autem istud sit vir-
tuosum, tamen multo majus ac dignius est
propter justitiam pati sine propria culpa,
et hoc, æquanimiter propter Deum, juxta
illud in Matthæo : Beati qui persecutionem *Matth.* V, 10.
patiuntur propter justitiam, quoniam ip-
sorum est regnum cœlorum. Unde in pri-
ma Petri Canonica habetur : Hæc est gra- I *Petr.* II, 19-21.
tia, si propter conscientiam Dei sustinet
quis tristitias, patiens injuste. Quæ est
enim gratia, si peccantes et colaphizati
suffertis ? Si autem bene facientes susti-
netis, hæc est gratia apud Deum : in hoc
enim vocati estis. Sed ad hæc quis inveni-
tur idoneus, nisi qui privatum amorem et
vanitatem prorsus ejecerit? *Donec causam*
meam judicet, id est, reputet me satis pu-
nitum pro meis peccatis. *Educet me in*
lucem sapientiæ, *videbo justitiam ejus,*
qua me juste castigavit.

10 *Et adspiciet* me *inimica mea* nunc di-
cta, *et operietur confusione,* dolens de
meæ prosperitatis successu, *quæ dicit ad
me : Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi
mei videbunt eam.* Hoc totum maxime fiet
Sap. v, 1, 2. in generali judicio, quando stabunt justi
in magna constantia adversus eos qui ip-
sos deprimebant : videntes turbabuntur
timore horribili.
11 *Dies* est *ut ædificentur maceriæ tuæ,*
o Ecclesia, vel anima per vitium lapsa.
Hæ maceriæ, sunt virtus et scientia, fides
et opera, donum et fructus Spiritus San-
cti : quæ per mortale peccatum labuntur,
et per gratiæ reparationem denuo erigun-
12 tur. *In die illa ad te veniet Assur,* id est
diabolus te impugnans, qui tunc acrius
instat, dum homo plus proficere nititur, *et
usque ad civitates munitas,* id est congre-
gationes devotas, quas non cessat impe-
tere, *et usque ad flumen,* id est viros
perfectos, qui de plenitudine Christi abun- *Joann.* I, 16.
danter, ut fluvius, acceperunt omnes ; *et
ad mare de mari,* id est de uno iniquo
vitiorum amaritudinibus pleno, ad alium
sibi consimilem, *et ad montem de monte,*
id est de uno contemplativo ad alium, vel
de uno superbo ad alium. Omnium nam-
que graduum homines lustrat discutitque
diabolus. *Et terra erit in desolationem* 13
propter habitatores suos. Sic et corpora
nostra pœnis subduntur propter anima-
rum peccata. Et Ecclesia propter filiorum
suorum excessus diversimode tribulatur,
atque divinæ visitationis consolationibus
spoliatur. Verum ut divinæ dulcedinis ex-
perientiam mereamur, exhibeamus corpo- *Rom.* XII, 1.
ra nostra hostiam viventem, sanctam, Deo
placentem, et omni custodia cor jugiter *Prov.* IV, 23.
custodiamus : ad laudem, honorem et glo-
riam ejus, qui est super omnia Deus su-
blimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO

IN NAHUM PROPHETAM

ENARRATIO

IN NAHUM PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : ONUS NINIVE, LIBER VISIONIS NAHUM.

NAHUM propheta, decem tribubus jam A
ab Assyriis captis, regnante Ezechia
super Judam, legitur prophetasse. Descri-
bit autem destructionem Ninive metropo-
Jonæ III. lis Assyriorum, contra quam vaticinatus
est Jonas. Quum enim ad prædicationem
Jonæ Ninivitæ ad tempus pœnituissent,
post aliquantum temporis ad vomitum re-
dierunt. Idcirco per Nahum prædicit eos
Spiritus Sanctus perituros.

1 *Onus Ninive,* id est pondus miseriæ,
seu gravis calamitas Assyriorum, est *liber,*
id est materia libri, *visionis Nahum El-* B
cesæi, id est nati de loco sic dicto : qui
fuit viculus Galilææ tempore Hieronymi
pene destructus, quem refert sibi Hiero-
nymus a circumducente monstratum. Ex
quo constat, quod Elcesæi non est hic no-
men proprium viri, et patris Nahum, sed
nomen loci natalis.

2 *Deus æmulator,* id est zelator et ultionis
amator secundum zelum justitiæ suæ. Ea-
Exod. dem verba Moyses scripsit. Et in Exodo
xxxiv, 14; *Deut.* iv, 24; Dominus protestatur : Ego Dominus fortis,
v, 9; vi, 15. zelotes. Est autem zelus alius quidem spi- C
Exod. xx, 5. ritualis et bonus, alius carnalis et vitiosus.
Ps. lxviii, De primo scriptum est, Zelus domus tuæ
10. *Ps.* xxxvi, 1. comedit me ; de secundo, Noli æmulari in
malignantibus, neque zelaveris facientes
iniquitatem. *Et ulciscens Dominus.* Nul-
lum enim malum dimittit impunitum, jux-
ta illud, Deus inultum abire non patitur ; *Job* xxiv,
et in Psalmo, Deus ultionum Dominus. Ipse 12. *Ps.* xciii, 1.
quippe essentialiter sanctus et justus est,
ideo omne peccatum detestatur, ac punit
in hoc sæculo vel futuro. Punit autem in
his qui convertuntur ac pœnitent, dum il-
li Deo inspirante castigant se ipsos. *Ulci-
scens Dominus et habens furorem,* id est
summum æquitatis rigorem, seu justitiam
tam districte vindicantem, ac si furiosus
consisteret Dominus. Quod autem Deus in
sua natura non habeat passionem, seu sen-
sitivæ partis aliquam affectionem, certis-
simum est. *Ulciscens Dominus,* injuriam
sibi illatam vindicando, *in hostes suos,*
id est obduratos et infideles, qui odiunt
Deum, et odio habentur ab eo, *et irascens
ipse inimicis suis,* id est, per modum irati
se habens in puniendo rebelles.

Hæc præmisit Propheta, eo quod Assy-
riorum punitionem scripturus sit. Sed quia
punitio Dei ad patientium utilitatem ordi-
natur, nec statim infertur, sed diu et cle-
menter differtur, adjecit : *Dominus patiens,* 3
id est, longanimiter præstolans errantium
pœnitentiam. Si autem patientia proprie
accipiatur, prout est virtus moralis pas-
sionem tristitiæ ordinans, sic non competit
Deo proprie, sed metaphorice, quemad-
modum ceteræ passiones et virtutes pas-
sionum refrenatrices. *Et magnus fortitu-*

dine, imo infinitæ virtutis, et ipsa divina A
essentia est potestas omnipotens atque im-
Job XXXVI, 22. mensa. Unde in libro Job habetur : Ecce,
Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus
similis ei in legislatoribus. Jeremias quo-
Jer. X, 6, 7. que ait : Magnus es tu, et magnum nomen
tuum in fortitudine. Quis non timebit te,
o Rex gentium ? *Et mundans* per gratiam
impium seu nocentem, *non faciet inno-
centem,* id est, non permittet eum sine de-
bita pœna evadere. Vel, Mundans immun-
Job XIV, 4. dum (quis enim potest facere mundum
de immundo conceptum semine ? nonne B
solus Deus ?) non faciet innocentem, id
Hebr. XII, 6. est a correctione liberum, sed flagellabit
omnem quem recipit filium. Propter quod
Jer. XXX, 11. ait per Jeremiam : Castigabo te in judi-
cio, ut non tibi videaris innoxius.

*Dominus in tempestate et in turbine
viæ ejus.* Per vias Domini, hoc loco intel-
ligit operationes divinæ justitiæ contra
iniquos, videlicet ultiones ex divina ju-
stitia procedentes : quæ dicuntur esse in
tempestate et turbine, quoniam impetuose
nonnunquam horribiliterque infliguntur ; C
et interdum ipsa tempestas aeris, et turbo
ventorum, fulgura atque tonitrua, sunt ef-
fectus ultricis justitiæ Dei, quemadmo-
Exod. IX, 23. dum factum esse contra Ægyptios patet
Jer. XXIII, 19. in Exodo. Hinc Jeremias ait : Ecce turbo
dominicæ indignationis egredietur, et tem-
pestas erumpens super caput impiorum
veniet. *Et nebulæ,* scilicet sunt, *pulvis
pedum ejus :* id est, accessus Dei vindi-
cantis ad impios ita terribilis est, ut ne-
bulæ appellentur pulvis pedum ejus, quo-
niam obscura et tristia sunt omnia quæ D
infligit. Non quod Deus in sua natura
habeat pedes, sed pedes Dei dicuntur po-
testas qua venit et calcat iniquos. Vel ideo
pulvis pedum Dei dicitur nebula, quia ex
tempestate et turbine causatis a Deo, mul-
tum de pulvere ascendit in aerem, quem
per modum nebulæ obscurat ac implet. Et
dicitur pulvis pedum Dei, quia a terra
elevatur, quæ fertur scabellum pedum Dei.
Is. LXVI, 1. Unde in Isaia ait : Cœlum mihi sedes est,
terra autem scabellum pedum meorum.

Increpans mare, id est, aquis univer- 4
sis per modum redarguentis præcipiens :
quemadmodum Christus fecit orta tempe-
state in mari, juxta illud Marci : Surgens *Marc.* IV, 39.
Jesus comminatus est vento, et dixit mari,
Tace et obmutesce. Non tamen opinandum
est elementa mundi esse animata ac viva,
ut Dei increpationem agnoscant; nec po-
nenda est anima mundi, quemadmodum
Plato asseruit totum mundum esse unum
animal divina sanctione intelligens. *Et ex-
siccans illud.* Non quod aqua fiat sicca,
quum humiditas sit inseparabilis qualitas
aquæ, sed quod terra seu alveus maris
siccetur. Sic enim Deus dicitur mare Ru-
brum ac Jordanem siccasse, juxta illud in
Psalmo : Increpuit mare Rubrum, et ex- *Ps.* CV, 9.
siccatum est. *Et omnia flumina ad deser-
tum deducens,* quum sibi placuerit. Potest
enim aquas trans ripas educere.

In præinductis verbis laudavit Prophe-
ta divinam justitiam, misericordiam, et
potestatem.

*Infirmatus est Basan et Carmelus, et
flos Libani elanguit.* Basan fuit in terra
promissionis regio uberrima ; Carmelus
vero et Libanus, montes arboribus consiti
et fecundi atque pulcherrimi. Per quæ, se-
cundum Hieronymum, Propheta metaphori-
ce exprimit vastitatem Assyriorum a Chal-
dæis : ut per Basan intelligatur fertilis
terra Assur ; per Carmelum, exercitus As-
syriorum ; per florem Libani, rex et prin-
cipes. Alii exponunt de prædictis locis fi-
liorum Israel : quæ dicuntur infirmata
propter sterilitatem et caristiam quæ con-
tigit in terra Israel tempore Eliæ et Elisei, III *Reg.* XVIII, 2; IV *Reg.* VI, 25.
ut patet tertio et quarto libris Regum ;
sicque flos Libani elanguit, id est, florida
germina defecerunt. *Montes commoti sunt* 5
ab eo, et colles desolati sunt. Hoc accipi
potest de materialibus montibus terræ et
collibus, qui frequenter divina virtute mo-
ventur et dejiciuntur ; vel de superioribus
et inferioribus principibus, qui Deo vin-
dicante turbantur, desolantur, et a sua glo-
ria transmutantur. Possunt demum omnia
hæc specialiter ad Assyrios et Niniven re-

torqueri, quum in principio capituli di-
ctum sit, Onus Ninive. *Et contremuit terra*
a facie ejus, id est a divinæ virtutis im-
Ps. CIII, 32. perio seu adspectu, qui respicit terram, et
facit eam tremere, *et orbis et omnes habi-*
tantes in eo. Omnia ista frequenter ad lit-
teram acciderunt, vel simul, vel per par-
Gen. VII, 11 *et seq.* tes. In diluvio namque simpliciter totus
orbis cum habitatoribus suis commotus
est, seu multipliciter immutatus.
6 *Ante faciem indignationis ejus quis sta-*
bit? id est, præsentiam divinæ ultionis
ferre quis poterit, quum et in Psalmo di-
Ps. CXLVII, 17. catur : Ante faciem frigoris ejus quis sus-
tinebit? Et per Jeremiam Dominus loqui-
Jer. XLIX, 19. tur : Quis similis mei? et quis sustinebit
me? et quis est iste pastor qui resistat
vultui meo? Ideo subditur : *Et quis resi-*
stet in ira furoris ejus? id est, rigori justi-
tiæ atque vindictæ omnipotentis Dei quis
se opponet, reluctabitur, prævalebit? Pa-
lam quod nullus, nisi in quantum ipse-
Exod. XXXII, 11-14. met Deus voluerit, secundum quod Moyses
Deum iratum placavit, inæstimabili ma-
gnitudine caritatis quodammodo præva-
Job IX, 13. lens. Unde in Job inducitur : Deus, cujus
iræ nemo resistere potest, sub quo cur-
vantur qui portant orbem. *Indignatio ejus*
effusa est ut ignis, id est, ultio Dei vitia
detestantis, desævit in impiis dure et hor-
ribiliter nimis, *et petræ dissolutæ sunt ab*
eo, id est, lapidea corda resoluta sunt, vi-
cta et emollita. Frequenter enim Deus ex-
ercuit in veteri Testamento, tam in populo
suo quam gentibus, hujusmodi ultionem.
Præcipue tamen ut ignis effusa est indi-
Gen. XIX, 24. gnatio Dei, quando super Pentapolim pluit
ignem et sulfur. Ex vehementi quoque ca-
lore solent sæpe saxa resolvi.
7 *Bonus Dominus.* Est enim naturaliter
bonus, cujus natura est bonitas pura im-
mensa, in tantum ut comparatione ejus
nullus sit bonus, Christo testante apud
Marc. X, 18. Marcum : Nemo bonus, nisi unus Deus. *Et*
confortans in die tribulationis : tunc enim
promptissimus est ad miserendum, dum-
I *Cor.* X, 13. modo clamemus ad eum. Non enim patie-
tur nos tentari supra id quod possumus.

A *Et sciens* per approbationem, *sperantes in*
se. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Is- II *Tim.* II, 19.
tud litteraliter potest referri, quod tem-
pore quo Assyrii tribulabant regnum Ju-
da, Deus confortavit Ezechiam ac populum IV *Reg.* XIX, 20 *et seq.*
ejus sperantem in Deo; vel, quod tempo-
re vastitatis Assyriorum a Chaldæis, con-
fortavit ac liberavit sperantes in se Ju-
dæos commorantes inter Assyrios, ne simul
cum illis trucidarentur a Chaldæis. *Et in* 8
diluvio prætereunte, id est in exercitu
Assyriorum, per modum diluvii super re-
B gnum Juda irruente, quemadmodum Isaias
prædixit : Ibit per Judam inundans; *con-* *Is.* VIII, 8.
summationem faciet loci ejus, id est con-
summatam punitionem hujus diluvii, inter-
ficiendo per angelum in castris Assyriorum IV *Reg.* XIX, 35.
centum octoginta quinque millia homi-
num. *Et inimicos ejus,* id est Assyri-
os, *persequentur tenebræ* tribulationis et
mortis.
Quid cogitatis contra Dominum? id est, 9
cur, o Assyrii, proponitis destruere re-
gnum Juda et urbem ac templum Jerusa-
C lem, sicut destructum est decem tribuum
regnum? *Consummationem ipse faciet,* id
est, exercitum vestrum occidet; *et non*
consurget duplex tribulatio, id est, Domi-
nus non tradet regnum duarum tribuum
in manus Sennacherib, quemadmodum tra-
didit regnum decem tribuum in manus *Ibid.* XVII, 3-6.
Salmanasar patris Sennacherib. Porro de
intellectu hujus verbi, post pauca plenius
est dicendum. *Quia sicut spinæ se invi-* 10
cem complectuntur, id est, adunantur, et
quasi in fasciculum colligantur, ut pariter
D projiciantur in ignem; *sic convivium eo-*
rum pariter potantium consumetur, id
est, epulatio Assyriorum in terra Juda ad-
huc exsistentium et convivantium, mox
cessabit, et in mœrorem vertetur, *quasi*
stipula ariditate plena, id est valde velo-
citer, quemadmodum siccissima stipula
subito ab igne consumitur. Quum enim
Sennacherib secundo redisset contra Ju-
dæam, et jam circa Jerusalem pernoctaret
in Nobe, juxta illud in Isaia, Adhuc dies *Is.* X, 32.
est, ut in Nobe stetur : de vespere fecit

exercitui suo grande convivium, quasi de A victoria certus ; sed eadem nocte per angelum cæsus est populus ejus, et incinerata sunt corpora pessimorum.

11 *Ex te*, id est ex populo tuo, o Sennacherib, *exibit cogitans contra Dominum*
(*Is.* xxxvi, 2; IV *Reg.* xviii, 17; xix, 8, 9.) *malitiam*. Iste fuit Rabsaces, quem misit Sennacherib contra Jerusalem, quando Sennacherib exivit Judæam contra regem Æthiopiæ invadentem terram Assyriorum. Et sic in hac prophetia non servatur ordo historiæ, sicut nec frequenter in aliis locis Scripturæ. Rabsaces autem in via cogitavit quas blasphemias evomeret contra Deum Judæorum. *Mente pertractans prævaricationem*. Cogitavit enim qualiter posset Judæos terrere, et a spe divina avertere, sicque desperantes traderent se regi Assyriorum.

12 *Hæc dicit Dominus : Si perfecti fuerint*, id est, quamvis pugnatores Assyrii fuerint potestate perfecti, *et ita plures*, id est numero abundantes, sicut abundant virtute ; *sic quoque attondentur*, id est, nihilo minus facillime per angelum delebuntur, quemadmodum per acutam novaculam pili raduntur. Sic ergo occisio Assyriorum vocatur attonsio, ad innuendum quam cito ac facile ab angelo occiderentur. Juxta quem modum loquitur de
(*Is.* vii, 20.) eadem re Isaias : In die illa radet Dominus in novacula acuta in rege Assyriorum caput et caudam et barbam universam. *Et pertransibunt*, id est, Assyrii deficient ; qui vero ab angelo occisi non fuerint, fugient ad propria loca. *Afflixi* ego Dominus Deus *te*, o Ezechia et popule Juda, per Assyrios ; *et non affligam te ultra* per Assyrios. Non enim promittitur Juda omnimoda securitas in futurum, sed pro tempore.
(*Ibid.* xxxvii, 21 *et seq.*; IV *Reg.* xix, 20 *et seq.*) De hoc multa leguntur in Isaia et libro quarto Regum. *Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo*, id est, potestatem Sen-
13 nacherib, et tribulationem quam tibi inflixit, destruam ac delebo, *et vincula tua dirumpam*, id est, vincula quæ tibi paravit, timorem quoque, obsidionem ac pressuram, quibus te circumvallavit et vinxit, ita quod egredi non valebas, tollam a te, ut libere pergas quo cupis.

Consequenter Propheta ait ad Senna-
cherib : *Et præcipiet super te Dominus*, 14
id est, angelo jubebit ut exercitum tuum occidat ; Prophetis quoque, ut mortem illorum et tuam dejectionem prænuntient, ne fortuitu et absque ullo judice facta appareant, sed Deo prænuntiante cuncta agantur. *Non seminabitur ex nomine tuo amplius*, id est, ad tuum imperium non fiet de cetero seminatio terræ. Vel sensus B est : Non seminabitur, id est, non fiet conceptus seu generatio ex te. Utriusque ratio est, quoniam statim quum reversus esset in Niniven, et in templo suo deum suum deprecaretur, a propriis occisus est filiis, ut patet in libro Regum et in Isaia. (IV *Reg.* xix, 37; *Is.* xxxvii, 38.) Porro in Tobia habetur, quod post dies quadraginta quinque a fuga sua a Judæa, (*Tob.* i, 24.) vel certe a reditu suo in Niniven, sit occisus. *De domo dei tui interficiam, sculptile et conflatile ponam* ego Dominus *sepulcrum tuum*, id est, inter idola tua in C templo dei tui interficieris ; *quia inhonoratus es*, id est contemptus a populo tuo. Assyrii enim et Ninivitæ, audientes quod propter blasphemiam atque superbiam Sennacherib in Deum Israel, occisi essent eorum propinqui et nobiles in Judæa, odiosum habuerunt Sennacherib, ut aliqui dicunt : adjicientes, quod Sennacherib timens a plebe interfici, ingressus est fanum dei sui, deprecans auxilio idoli liberari, cui et promisit se oblaturum duos filios seniores : quo cognito, illi eum ne- D cabant.

Ecce super montes, id est in locis altis 15
ac manifestis, erunt *pedes evangelizantis, et*, pro id est, *annuntiantis pacem*, id est nuntii referentis Ezechiæ ac populo ejus mortem Assyriorum et fugam Sennacherib ; vel nuntiorum quos misit Ezechias per totum regnum suum ad divulgandum interitum Assyriorum, atque ad convocandum Judæos in Jerusalem ad agendum celebritatem paschalem et ad spolia detrahenda, itemque ad gratias Domino refe-

rendas. Unde subjungitur : *Celebra, Juda,* id A
est tu, rex Ezechia, ac subditi tui, *festivi-*
tates tuas, id est dies paschalis solennita-
II *Par.* xxx, 3, 13. tis. Legitur autem secundo Paralipomenon,
quod Judæi propter obsidionem Assyrio-
rum non valebant primo mense celebrare
Pascha, quod interim occisis et fugatis As-
syriis fecerunt mense secundo. *Et redde*
vota tua, id est, promissa Deo solve, quæ
vovisti pro tua ab Assyriis liberatione;
quia non adjiciet ultra ut pertranseat
in te Belial, id est, Sennacherib sine ju-
go exsistens et prævaricator atque apo-
stata (hoc enim interpretatur Belial) non
addet amplius perambulare ac devastare
terram tuam; *universus interiit,* id est,
tam rex quam populus ejus perierunt.
Loquebatur autem Nahum de futuro per
modum præteriti, propter certitudinem
prophetiæ.

ARTICULUS II

EXPOSITIO SPIRITUALIS AC MYSTICA EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

1 Onus *Ninive.* Quemadmodum dictum B
est super Jonam, per Niniven (quæ
interpretatur speciosa) figuratur hic mun-
dus, quo oculis carnis nihil speciosius in-
tuemur, qui tamen quoad habitatores suos
multis pressuris afficitur. Itaque, Onus Ni-
nive, id est punitio mundi seu reprobo-
Joann. xv, 19. rum, de quibus ait Salvator discipulis : Si
de mundo essetis, mundus quod suum erat
diligeret; quia vero de mundo non estis,
sed ego elegi vos de mundo, propterea
odit vos mundus. *Liber visionis,* id est
materia spiritualis considerationis, *Na-* C
hum, id est consolatoris, videlicet Chri-
sti, vel cujuscumque veri Catholici qui ad
consolationem electorum pœnas prædicat
reproborum et sæculi consummationem,
quæ sunt electis materia spiritualis læti-
Luc. xxi, 28. tiæ, sicut ait Salvator : His fieri incipi-
entibus, levate capita vestra, quia appro-
pinquat redemptio vestra. Recte quoque
interpretatio ista conveniebat huic sancto
Prophetæ, qui non mediocriter consolaba-
tur filios Israel, puta duodecim tribus, As-
syriorum vastitatem prædicendo, qui jam D
decem tribus transtulerant, et duas obse-
derunt.
2 *Deus æmulator, et ulciscens Dominus.*
Quod in isto capitulo de rigore divinæ
justitiæ contra Assyrios litteraliter dicitur,
Hieronymus spiritualiter refert ad finem
mundi judiciumque futurum in fine sæ-
culi. Tunc enim præcipue videbitur Deus
iratus et furens in reprobos, quos nunc
patienter exspectat ad veniam. Unde in
Isaia legitur : Ecce nomen Domini venit *Is.* xxx, 27.
de longinquo, ardens furor ejus et gravis
ad portandum. *Dominus in tempestate et* 3
turbine viæ ejus. Hoc est quod ait Psal-
mista : Ignis ante ipsum præcedet; item, *Ps.* xcvi, 3.
Ignis in conspectu ejus exardescet, et in *Ps.* xlix, 3.
circuitu ejus tempestas valida; et iterum,
Nubes et caligo in circuitu ejus. *Et nebu-* *Ps.* xcvi, 2.
læ, id est peccatores vitiis obscurati, æter-
nique Solis splendorem ab aliis, ut queunt,
impedientes, erunt *pulvis pedum ejus,* id
est, a Christo penitus conculcabuntur, et
quasi in nihilum redigentur, ita quod omne
spirituale esse gratiæ gratificantis amit-
tent. Ideo scriptum est : Ponam inimicos *Ps.* cix, 1.
tuos scabellum pedum tuorum; et, Tan- *Ps.* ii, 9.
quam vas figuli confringes eos. Isaias quo-
que ait : Ad eum venient, et confundentur *Is.* xlv, 25.
omnes qui repugnant ei. *Increpans mare,* 4
id est mundum vitiis amaricatum, et pec-
catores instabiles, de quibus scriptum est
in Isaia, Impii quasi mare fervens, quod *Ibid.* lvii, 20.
quiescere non potest; *et exsiccans illud,*

id est, fluenta documentorum falsorum A
carnalesque fluxus exhauriens.

Infirmatus est Basan, id est, omnis potestas peccatoris in fine mundi deficiet :
qui vitiis plenus, intus inordinatus est atque confusus. Non enim implevit illud
I *Cor.* XIV, 40. Apostoli : Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. Basan autem interpretatur confusio. *Et Carmelus,* id est litteralis tantum et carnalis circumcisionis scientia præditus : quales sunt grossi Ju-
II *Cor.* III, 6. dæi, sequentes litteram occidentem, non spiritum vivificantem. Carmelus vero in- B
terpretatur scientia circumcisionis. *Et flos Libani elanguit,* id est, omnis viror, pulchritudo, decor atque prosperitas sæculi tabefiet. Libanus autem candidatio interpretatur : per quem hoc loco corda mundana, temporaliter florida, vel sanctitatem prætendentia, seque conficte foris ornan-
Ps. XXXVI, 2. tia, intelliguntur. De quibus cantatur : Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et sicut olera herbarum cito decident. Unde
Sap. V, 8, 9, 13. in libro Sapientiæ fatentur : Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum ja- C
ctantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra præteriens; et nos
5 nati, continuo desivimus esse. *Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt.* Tunc enim complanabitur terra, montibus et collibus in planum redactis. Superbi quoque tunc humiliabuntur ac desolabuntur a Deo. *Et contremuit terra a facie*
Luc. XXI, 26. *ejus :* quoniam homines tunc arescent præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi.

6 *Ante faciem indignationis ejus quis stabit?* id est, quis tolerare poterit iram Christi tunc indignantis? quasi dicat : Hoc pœnalissimum erit. Propter quod ait vir D
Job XIV, 13. sanctus : Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus?
Jer. X, 24. Et Jeremias precatur : Corripe me, Domine, verumtamen non in furore, ne forte ad nihilum redigas me. *Indignatio ejus effusa est ut ignis,* id est, in die judicii horribilissime ac acerbissime effundetur, quando et ignis conflagrationis faciem mundi exuret, viventes in mundo occidet, et durante judicio inflammabit in circuitu inimicos *Ps.* XCVI, 3.
Christi. Hinc scriptum est in Job : In diem *Job* XXI, 30, 20.
perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur, et de furore Omnipotentis bibet. *Et petræ dissolutæ sunt ab eo,* id est calore ignis illius, qui tunc omnia mixta corrumpet, quæ secundum se tota naturaliter corruptibilia sunt. Petra autem est quid mixtum, quoniam ex terra pura non fit lapis, secundum Avicennam.

Bonus est *Dominus et confortans in die* 7
tribulationis. Electis enim erit tunc mitis, dulcis et confortativus. *Et in diluvio præ-* 8
tereunte, id est tribulatione tunc abundante per modum diluvii et cito finem habente,
quoniam propter electos breviabitur tem- *Matth.* XXIV, 22.
pus illud, *consummationem faciet loci ejus,* id est Ecclesiæ, tam quoad electos quam quoad reprobos. In electis enim tunc fiet consummatio, id est perfecta salvatio, et hæc est consummatio perfectiva; in reprobis vero fiet consummatio, id est perfecta damnatio, quæ est consummatio consumptiva. Quemadmodum nempe duplex est finis, scilicet finis perficiens et finis consumens (nam primo modo Deus est finis noster, secundo modo mors finis vocatur), sic duplex est consummatio. *Inimicos ejus persequentur tenebræ :* proji-
cientur enim in tenebras exteriores cum *Ibid.* XXV, 30, 41.
angelis tenebrarum. Unde in libro Job di-
citur : Antequam vadam ad terram tene- *Job* X, 21, 22.
brosam et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum.

Quid cogitatis contra Dominum, id est 9
ea quæ displicent Deo, videlicet diu prosperari ac deliciari in sæculo isto? *Consummationem ipse faciet,* id est, cito finem imponet vestris deliciis cogitationibusque iniquis : quemadmodum ei qui dixerat,
Anima mea, habes plura bona reposita in *Luc.* XII, 19, 20.
annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare; Dominus ait : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt?

Et non consurget duplex tribulatio. Pro quo Septuaginta transtulerunt, Non vindi-

cabit Dominus bis in id ipsum in tribulatione; Symmachus autem, Non sustinebunt impetum secundæ angustiæ; Theodotion, Non consurget secunda tribulatio. Circa hunc locum dicit Hieronymus, et habetur partim in Glossa : Si Deus legis videtur cruentus, rigidus et crudelis, quod genus humanum diluvio, Sodomitas igne et sulfure, Ægyptios mari, filios Israel in eremo interfecit, scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Qui ergo puniti sunt, postea non punientur; alioqui mentitur Scriptura : quod nefas est dicere. Præterea dicit Hieronymus : Quærat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiet. Aut enim punietur, et falsa erit ista scriptura; aut non, et optandum erit ei nunc puniri, quatenus cruciatus evadat æternos. Ad quod (inquit) respondebimus, Deum ut omnium rerum, ita et suppliciorum scire mensuras, nec præveniri eum sententia hominis judicantis, et magnum peccatum magnis diuturnisque lui cruciatibus. Si autem punitus sit quis, sicut ille qui sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri, quoniam levis culpa præsenti supplicio compensatur. Hæc recitando, non determinando, inserui. Solent tamen doctores asserere, quod Deus non vindicabit bis in id ipsum, dummodo una pœna sufficiens sit : alioqui quorumdam punitio hic inchoatur, et in inferis perpetuatur. — Quæri potest, si vera sunt hæc, quomodo pro eodem peccato infligitur duplex pœna, videlicet damni et sensus. Dicendum, quod prædicta auctoritas loquitur de pœna sensus. Dicitur autem duplex pœna deberi peccato, propter duo quæ considerantur in eo : quorum unum est velut materiale, puta conversio mentis ad bonum caducum, ratione cujus infligitur pœna sensus; aliud est formale, videlicet aversio cordis a Deo, cui respondet pœna damni, utpote carentia divinæ visionis.

Num. xv, 32-36.

10 *Sicut spinæ se invicem complectuntur,* ut simul comburantur, *sic convivium eorum pariter potantium consumetur :* id est, omnes epulationes et delectationes inanes carnalium, maxime hæreticorum, æternis suppliciis concludentur. De quibus ait Judas in sua Canonica : Hi sunt in epulis convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua : quibus procella tenebrarum conservata est usque in sempiternum.

Judæ 12, 13.

Ex te, o Ecclesia, *exibit cogitans contra* 11
Dominum malitiam, id est multitudo hæ-
reticorum et aliorum transgressorum, qui
contraria fidei cogitant atque efficiunt,
quemadmodum ait Apostolus in Actibus :
Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes
perversa, ut abducant discipulos post se.
De illis quoque scriptum est : Ex nobis
prodierunt, sed non erant ex nobis. *Hæc* 12
dicit Dominus : Si perfecti fuerint, et ita
plures, etc., id est, quantumcumque multi-
plicent et confortentur iniqui, nihilo mi-
nus omnes facillime divina virtute pariter
damnabuntur; eruntque tam molles seu
impotentes ad resistendum, ut pilus ac
lana ante novaculam, ideo attondendi di-
cuntur. *Afflixi te,* o Ecclesia electorum,
quæ per ignem et aquam transisti, *et non*
affligam te ultra post diem judicii : quia
tunc Deus absterget omnem lacrimam ab
oculis Sanctorum; et mors non erit ultra,
nec ullus dolor. *Et nunc conteram virgam* 13
ejus, id est tentationem diaboli persecu-
tionemque mundi, *de dorso tuo.* Interdum
enim dat Dominus servulis suis dulcia in-
tervalla, ne sit pressura continua : imo
sicut abundant passiones Christi in nobis,
ita per Christum abundat et consolatio no-
stra. *Et vincula tua,* o prædestinate, *di-*
rumpam, a pœnis et culpis te eruendo.

Act. xx, 30. — I *Joann.* II, 19. — *Ps.* LXV, 12. — *Apoc.* VII, 17; XXI, 4. — II *Cor.* I, 5.

Et præcipiet super te Dominus : id est, 14
angelis sanctis in fine mundi mandabit
contra ecclesiam reproborum, ut eos ad lo-
cum judicii deferant, atque in eos senten-
tiam damnationis exsequi curent, quem-
admodum ait Salvator : In consummatio-
ne sæculi exibunt angeli, et separabunt
malos de medio justorum, et mittent eos
in caminum ignis. *Non seminabitur ex*
nomine tuo amplius, id est, semen opera-

Matth. XIII, 49, 50.

tionis tuæ deficiet, nec alios falles ut filii A tui dicantur. Finito enim judicio, ista cessabunt. Dies namque judicii non relinquet eis radicem, nec facient amplius fructum. *De domo dei tui interficiam,* id est, te exsistentem in adhæsione rerum creatarum, quas magis colis quam verum Deum *Philipp.* III, 19. (sicut quorumdam venter est deus), damnabo. *Sculptile et conflatile ponam sepulcrum tuum,* id est, inter vanitatis tuæ simulacra sopore peccati deficies, et pro- *Ps.* LXVIII, 16. fundo obstinationis clauderis, ita ut absorbeat te profundum, claudatque super te B puteus os suum; *quia inhonoratus es,* id est propter peccata vilis et tali tumulo di- I *Reg.* II, 30. gnus effectus. Qui enim contemnunt Dominum, erunt ignobiles, secundum quod ait primo Regum.

15 *Ecce super montes,* id est in altis locis Ecclesiæ, vel in sublimitate virtutum et apice contemplationum, sunt *pedes evangelizantis et annuntiantis pacem,* id est doctorum et prædicatorum bonorum, qui fidelium corda contra tentationes et persecutiones confortant, victoriamque in no- C mine Christi promittunt, dicentes illud *Rom.* XVI, 20. Apostoli : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Potest quoque allegorice exponi de Christo, et mystice de Præcursore. Unde ad litteram scriptum est *Is.* XL, 9. in Isaia : Super montem excelsum ascen- *Ibid.* LII, 7. de, tu qui evangelizas Sion; et, Quam pulchri super montes pedes annuntiantium pacem, etc.! *Celebra, Juda,* id est, Ecclesia ore et corde confitens Deo, *festivitates tuas,* id est, divinis jugiter atque celebriter esto intenta; *et redde vota tua,* id est, gratiarum actiones et promissa sanctaque desideria : juxta illud, In me sunt, Deus, *Ps.* LV, 12. vota tua, quæ reddam laudationes tibi; et item, Vota mea Domino reddam in conspe- *Ps.* CXV, 18. ctu omnis populi ejus. *Quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial,* id est diabolus, qui factus est ut nullum timeret, *Job* XLI, 24. consecutive, non directe : de quo loquitur Paulus : Quæ conventio Christi ad Belial? II *Cor.* VI, 15. *Universus interiit,* id est, victus atque exclusus est. Christus nempe fortem arma- *Matth.* XII, 29. tum ligavit, et vasa ejus diripuit. Istud tamen post diem judicii plene complebitur : nam quamdiu durat præsens vita, durat tentatio, quum militia sit vita homi- *Job* VII, 1. nis super terram. Nunc quoque Belial non transit in nobis, quamdiu non consentimus, sed implemus illud Apostoli : Nolite *Ephes.* IV, 27. locum dare diabolo; et illud Jacobi, Resi- *Jacob.* IV, 7. stite diabolo, et fugiet a vobis. Aliqui etiam adstruunt, quod diabolus semel victus ab aliquo, non amplius tentat eumdem. Quod S. Thomas intelligendum affirmat, quoad aliquod tempus : quemadmodum scriptum est in Luca de Christo, quod consummata *Luc.* IV, 13. omni tentatione, diabolus recessit ab eo usque ad tempus.

ARTICULUS III

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : ASCENDIT QUI DISPERGAT CORAM TE.

CIRCA exordium expositionis hujus capituli dicit Hieronymus : Testis est mihi Deus, me omnia quæ secundum Hebraicum dissero, non de proprio sensu loqui, sed Hebræorum sequi expositionem, a quibus non modico tempore eruditus, debeo meis simpliciter indicare quæ didici. D Insuper ait : Hinc vel maxime obscuri sunt Prophetæ, quod repente dum aliud agitur, ad alios sermo mutatur.

Nunc ergo ad regem seu metropolim As-
syriorum, videlicet Niniven, dicitur : *Ascen-* 1
dit, id est, super te veniet, *qui dispergat*
coram te, scilicet rex atque exercitus Chal-

dæorum, qui te præsente, terram tuam et
bona terræ devastet, *qui custodiat obsidio-
nem,* id est, non cessabit Nabuchodono-
sor cum suis te obsidere, donec capiaris.
Deinde Propheta ironice ait ad Niniven, et
de ejus dejectione gaudet zelo justitiæ, et
quoniam expediens fuit Assyriis, quantum
ad animam, tribulari in sæculo isto : *Con-
templare viam,* id est, circumspice unde
veniat ad te adversariorum exercitus, *con-
forta lumbos,* id est, te accinge, *robora
virtutem tuam valde,* id est, congrega et
conforta exercitum. Hæc dicit Propheta,
non dando consilium, sed ad insinuan-
dum quod licet Assyrii fecerint omnia
hæc, nil tamen proderit eis. Propterea sub-
2 ditur : *Quia sicut reddidit Dominus su-
perbiam Jacob,* id est, quemadmodum ultus
est animositatem atque injuriam quam
Sennacherib cum Assyriis intulit duabus
IV *Reg.* xix, 35, 37. tribubus, occidendo Sennacherib et popu-
lum ejus, ut dictum est præcedenti capi-
tulo; *sic superbiam Israel,* id est, simili
modo vindicabit in Assyriis contumeliam
quam decem tribubus intulerunt : quod
factum est a Nabuchodonosor rege; *quia
vastatores,* id est Assyrii persequentes, *dis-
sipaverunt eos,* id est duodecim tribus, *et
propagines eorum corruperunt,* id est fru-
ctus seu uvas vinearum domus Jacob et
Israel, utpote filios et filias utriusque re-
gni trucidando.
3 *Clypeus fortium ejus,* id est Chaldæorum
contra Niniven properantium, *ignitus,* id
est prævalidus ac horrendus; *viri exerci-
tus,* id est Chaldæi, *in coccineis,* id est in
rubeis ornamentis et ad sanguinis effu-
sionem parati. *Igneæ habenæ currus,* id
est, habenæ curruum Chaldæorum propter
velocitatem et terribilitatem igneæ nuncu-
pantur, *in die præparationis ejus,* id est,
quando Chaldæi se disposuerunt ad præ-
lium contra Assyrios; *et agitatores ejus,* id
est provocatores ad pugnam, seu aurigæ,
consopiti sunt, id est defecerunt. Loquitur
autem de agitatoribus Assyriorum seu Ni-
4 nive. *In itineribus conturbati sunt,* fugien-
tes a facie Chaldæorum; *quadrigæ collisæ*

A *sunt in plateis.* Chaldæi enim demoliti sunt
in urbibus et viculis Assyriorum quadrigas
eorum. Consequenter revertitur Propheta
ad Chaldæos. *Adspectus eorum quasi lam-
pades, quasi fulgura discurrentia :* id est,
valde horribilis fuit apparatus Chaldæo-
rum, et velocissime invaserunt Assyrios,
sed et propter splendorem solis super arma
eorum, igniti videbantur.
Recordabitur rex Assur *fortium suo-* 5
rum, id est valentium bellatorum, quos
habuit olim, vel modo in prælio cecide-
B runt; *ruent in itineribus suis,* id est, in
via fugæ capientur et occidentur a Chal-
dæis. *Velociter ascendent muros ejus,* id
est, Assyrii quærendo fugæ præsidium, in-
gredientur mœnia urbium suarum, maxi-
me Ninive; *et præparabitur umbraculum.*
Tam enim Chaldæi obsidentes, quam Assy-
rii obsessi, propter solis calorem fecerunt
sibi tuguria, in quibus solis declinabant
fervorem. Quidam per umbraculum intel-
ligunt tentoria Chaldæorum, in gyro Nini-
ve expansa. *Portæ fluviorum apertæ sunt,* 6
C id est portæ Ninive, ante quas aquarum
currunt fluenta, et quæ multitudinem ci-
vium continebant tam copiosam, quod ci-
ves per flumina designantur. Hæ portæ a
Chaldæis apertæ sunt atque destructæ. *Et
templum ad solum dirutum* est, id est,
fanum Nesroch quem coluit Sennacherib, IV *Reg.* xix, 37.
in terram projectum est. *Et miles captivus* 7
abductus est, id est, milites Assyriorum a
Chaldæis partim translati sunt; *et ancillæ
ejus minabantur,* id est, famulæ militum
ab adversariis captæ sunt, et coram eis in
D Chaldæam translatæ pro parte, *gementes
ut columbæ,* id est, intra se suspirantes
propter instantia mala, *murmurantes in
cordibus suis,* quia propter adversa ad im-
patientiam motæ sunt : tamen propter ad-
versariorum fortitudinem et timorem, non
audebant clamare et signa mœstitiæ foris
ostendere, quemadmodum nec Chaldæi,
quando a Medis vastabantur ac Persis, ut *Is.* xxi, 2.
patet in Isaia. Quidam per ancillas intel- *Josue* xv-xix passim.
ligunt urbes Assyriorum subditas Nini- Cf. I *Par.* vii, 28, 29;
ve, sicut in libro Josue minores civitates viii, 12.

seu villæ, dicuntur principalium urbium A
filiæ.
8 *Et Ninive, quasi piscina aquarum aquæ
ejus,* id est Ninive, utpote multitudo popu-
Apoc. xvii, 15. li ejus : aquæ enim multæ, populi multi, se-
cundum Joannem in Apocalypsi. Vel, aquæ
de quarum munitione Ninivitæ præsum-
pserunt, similes sunt aquæ piscinæ, non
aquæ maris, id est inutiles ad resistendum
Chaldæis. Ideo subditur : *Ipsi vero fuge-
runt,* id est, Ninivitæ et Assyrii a facie
Chaldæorum fugerunt. Quibus fugientibus,
alii constantiores clamant : *State, state,* id B
est, ne fugiatis, sed pugnetis; *et non est
qui revertatur,* id est, nullus eorum redire
audebat. Idcirco Chaldæis nunc dicitur :
9 *Diripite argentum, diripite aurum,* id est,
omnia pretiosa Ninive tollite; *et non est
finis divitiarum ex omnibus vasis desi-
derabilibus,* id est, infinitæ quodammodo
sunt divitiæ urbis Ninive ceterarumque
urbium ejus, in vasis aureis atque argen-
10 teis. *Dissipata est* Ninive, id est demolita,
et scissa, et dilacerata in muris et habita-
culis suis; *et cor tabescens,* id est, corda C
Ninivitarum intra se contabuerunt seu de-
fecerunt; *et dissolutio geniculorum,* id est,
genua eorum tremore concussa sunt : unde
diminutive genicula appellantur; *et defe-
ctio in cunctis renibus,* id est, in visceri-
bus eorum ac interioribus præ magnitudi-
ne pavoris fuerunt torsio atque debilitas;
et facies omnium illorum, *sicut nigredo
ollæ,* id est deformes et discoloratæ ex
fame, timore, luctu, aliisque pressuris. His
Is. xiii, 7, 8; Jer. l, 43. similia, imo et eadem specie, scribunt de
Babylone Isaias et Jeremias. D
11 *Ubi est habitaculum leonum?* id est, ubi
jam est Ninive, civitas illa eximia in qua
leones, id est reges, demorati sunt? *Et*
ubi jam *pascua catulorum leonum,* id est
eadem civitas, vel opulentia ejus, in qua
nutriti sunt filii regum illustres ac prin-
cipes? *ad quam* expugnandam *ivit leo,* id
est Nabuchodonosor rex : de quo loquitur
Jer. iv, 7. Jeremias, Ascendit leo de cubili suo; *ut
ingrederetur illuc,* id est, eam obtineret,
catulus leonis, id est filius ejus, vel, ut
aliqui textus habent, Cum catulis suis, id
est filiis atque principibus; *et non est qui
exterreat,* id est, nullus Assyriorum præ-
dictum leonem potuit perterrere aut su-
perare. *Leo cepit sufficienter catulis suis,* 12
id est, Nabuchodonosor satis multa præ-
datus est de bonis Assyriorum, deditque
ea filiis suis atque principibus, *et necavit
leænis suis,* id est, spoliatos occidit, qua-
tenus bona eorum leænis, puta uxoribus
et concubinis suis, conferret; *et implevit
præda speluncas suas,* id est, loca thesau-
rorum abscondita implevit de prædis, *et
cubile suum* implevit *rapina.*
Ecce ego ad te venio per visitantem vin- 13
dictam, o Ninive, *dicit Dominus Deus ex-
ercituum; et succendam* per manum Chal-
dæorum *usque ad summum**, id est usque *fumum
ad pulveres atque totaliter, *quadrigas tu-
as,* per quas alios tribulasti; *et leunculos
tuos,* id est filios regis, seu nobiles et ju-
dices, audaces et fortes, *comedet gladius*
Chaldæorum; *et exterminabo de terra præ-
dam tuam,* id est, alios ultra non spolia-
bis, sed spolia quæ collegisti, tollam de
terra tua, dans ea Chaldæis, ut in Babylo-
niam transferantur; *et non audietur ultra
vox nuntiorum tuorum,* quos ad diversa
regna mittere consuevisti, ut a gentibus
tibi subditis tributa exigerent, et alias lit-
teras comminatorias ferrent : quemadmo-
dum nuntii Sennacherib portabant ad Eze- II Par. xxxii, 17.
chiam litteras blasphemiis plenas.

Insuper de moralitate hujus capituli hoc Expositio moralis.
est tenendum, quod ea quæ de Ninive scri-
pta sunt, ad mundum referuntur, cujus
(ut in præcedenti dicebatur articulo) figu-
ra fuerat Ninive. Mundo ergo nunc dici-
tur : *Ascendit qui dispergat coram te :* id 1
est, Satan contra te consurgit, ut in oculis
tuis hominibus tentando prævaleat, om-
nemque spiritualium auferat divitiarum
possessionem; *qui custodit** *obsidionem,* *alias custodiat
id est, infatigabiliter et usque in finem
vitæ præsentis observat et circumvallat te,
tanquam leo rugiens circuieundo, et quem I Petr. v, 8.
devoret exquirendo. Unde in medio laque-

orum ambulamus. Ut ergo evadas ac vin- A
cas, fac quod subjungitur :
Contemplare viam, id est, Christum con-
sidera, ejusque vestigia imitare, qui ait :
Joann. XIV, 6. Ego sum via, veritas et vita. Contemplare
Matth. VII, 14. quoque quæ sit via virtutis, via arcta, et
porta angusta ducens ad vitam : de qua
Jer. VI, 16. loquitur Jeremias, Interrogate quæ sit via
bona, et ambulate in ea (et neque ad dex-
teram, neque ad sinistram) ; Salomon quo-
Prov. IV, 11, 12. que, Viam sapientiæ monstrabo tibi, et
currens non habebis offendiculum. Con-
templare etiam viam qua tentator contra B
te venit, id est modos atque insidias dia-
bolicarum tentationum : quomodo aliquan-
do mala sub specie boni proponit, transfi-
II Cor. XI, 14. gurans se in angelum lucis ; nonnunquam
vero evidenter mala proponit : tamen in-
terdum hoc facit valde latenter ac frau-
dulenter, sicut dum viris virtuosis gloriam
suggerit vanam, aut superbiæ quiddam
interserit. *Conforta lumbos* virtute casti-
Luc. XII, 35. tatis, quemadmodum ait Salvator : Sint
lumbi vestri præcincti, hoc est, concupi-
Galat. V, 24. scentiis reluctare, et carnem cum vitiis C
mortifica. *Robora virtutem tuam valde,* id
est, naturalem potentiam per gratiam ora
firmari, et in virtutibus satage stabiliri :
imo et habitus virtuosos per actiones san-
ctas atque frequentes confirma, ut radi-
centur omnino in te, quemadmodum scri-
Josue I, 7. ptum est in libro Josue : Confortare, et
esto robustus valde. Hanc autem virtutem
debemus præcipue in adversis habere, ut
invicta sit patientia nostra, nec ultionem
quæramus, pensantes quod Dominus ait :
Hebr. X, 30; Deut. XXXII, 35. Mihi vindictam, et ego retribuam. Unde D
nunc subditur :
2 *Quia sicut reddidit Dominus superbiam
Jacob,* id est, quemadmodum ultus est in-
juriam illatam activis in vitiorum lucta-
mine positis, qui designantur per Jacob,
qui luctator vel supplantator interpretatur,
sic superbiam Israel, id est, sic ulciscetur
injuriam contemplativis illatam, qui signi-
ficantur per Israel, quod interpretatur vir
videns Deum ; *quia vastatores dissipave-
runt eos,* id est, mundus, caro et dæmones
tentaverunt et persecuti sunt bonos, tam
activos quam speculativos. Propter quod
in Judith libro habetur : Omnes qui pla- Judith VIII, 23.
cuerunt Deo, per multas tentationes trans-
ierunt fideles. *Propagines eorum corru-
perunt,* id est, filios eorum seu opera vitiis
infecerunt, inducendo ad culpam.
Clypeus fortium, id est militum Chri- 3
sti, qui hostibus animæ efficaciter relu-
ctantur, est *ignitus* fervore dilectionis. Cly-
peus iste, fides est caritate succensa, juxta
illud ad Ephesios, In omnibus sumentes Ephes. VI, 16.
scutum fidei ; vel justitia, prout Sapiens
asserit, Sumet scutum inexpugnabile æqui- Sap. V, 20.
tatem ; vel sermo divinus, secundum quod
Salomon loquitur, Omnis sermo Dei igni- Prov. XXX, 5.
tus, clypeus est omnibus sperantibus in
se. *Viri exercitus,* id est, qui ad Christi
exercitum pertinent, sunt *in coccineis,* id
est, ad sanguinis sui effusionem pro Chri-
sto et fide seu æquitate parati ; vel, In
coccineis, id est ferventi rubore amoris
Dei et proximi. *Igneæ habenæ currus,* id
est, vehicula quibus feruntur contra ad-
versarios Dei, puta virtutes, sunt promptæ
ac agiles, *in die præparationis ejus,* dum
pugnam contra præfatos æmulos Christi
committunt. *Et agitatores ejus consopiti
sunt,* id est, tractatores mundi hujus, a
gratia defecerunt. *In itineribus conturbati* 4
sunt, id est, in operibus suis inordinate
se habent, et variis modis turbantur. Non Is. XLVIII, 22.
enim est pax impiis, dicit Dominus ; et,
Turbati sunt omnes insipientes corde. De- Ps. LXXV, 6.
nique peccatori dedit Deus afflictionem et Eccle. II, 26.
curam superfluam, ut dicit Ecclesiastes.
Quadrigæ collisæ sunt in plateis : id est,
præsidia horum terrena ac vana dejecta
sunt in lata hujus sæculi via, ita quod
manum Judicis summi non quibunt effu-
gere, nec debitas pœnas evadere. *Adspe-
ctus eorum quasi lampades, quasi fulgura
discurrentia.* Hoc accipi potest in bono
et in malo. Adspectus enim electorum in
virtutibus perfectorum, terribilis est parti
adversæ, seu dæmonibus, ut castrorum Cant. VI, 9.
acies ordinata. Dæmones quoque horribi-
les sunt, præsertim imperfectis, et propter

eos oportet nos esse timentes atque solli- A
citos. Recte quoque fulguri comparantur,
Luc. x, 18. quum dicat Salvator : Videbam Satanam
sicut fulgur de cœlo cadentem.
5 *Velociter ascendent muros ejus.* Per hoc
designatur, quod amatores sæculi videntes
se divino judicio coarctari, quærent re-
fugium in creaturis. *Et* tunc præparatur
eis *umbraculum,* id est, a vanis atque car-
nalibus consolatoribus datur eis spes in-
fructuosa ac fallax, qua se putant protege-
re a calore indignationis divinæ : in cujus
misericordia sperant sæpe inaniter, non B
intendentes ex toto corde postponere vi-
6 tia. *Portæ fluviorum apertæ sunt,* id est,
conscientiæ eorum Deo patebunt, et aliis
manifestabuntur, ut cognoscatur divini ju-
dicii æquitas. Templum quoque, id est
ecclesia malignantium, solo tenus destrue-
7 tur. *Et miles captivus abductus est,* id est,
magnates sæculi a diabolo capti atque a
Deo aversi sunt; *et ancillæ ejus mina-
bantur,* id est, carnales mollities, et fe-
minæ cum quibus fornicati sunt, simul
cum illis in damnationem ducentur, *ge-* C
mentes ut columbæ : juxta illud Sapientiæ,
Sap. v, 2, 3. Videntes turbabuntur terrore horribili,
præ angustia spiritus gementes.
8 *Et Ninive, quasi piscina aquarum aquæ
ejus :* id est, fluenta doctrinæ hujus mun-
di arctata sunt, et ad salutem inidonea,
I *Cor.* I, 20. quoniam stultam fecit Deus sapientiam
hujus mundi, qui (ut dictum est) per Ni-
niven designatur; *ipsi vero,* id est homi-
nes mundani, in quibus aquæ istæ abun-
dant, *fugerunt* a vera sapientia Christi, a
Ibid. 27. fidei simplicitate, et via justitiæ. Quæ enim D
stulta sunt mundi, eligit Deus, ut con-
fundat sapientes. De quibus ait Salvator
Matth. xi, 25. ad Patrem : Abscondisti hæc a sapienti-
bus et prudentibus. Istos invitat Ecclesia
ut cessent a fuga ista : *State, state ; et
non est qui revertatur* ad Deum per pœ-
nitentiam, sed de vanitate in vanitatem
9 procedunt. *Diripite argentum,* id est ni-
torem sæcularis eloquentiæ, *diripite au-
rum,* id est, fulgorem mundanæ scientiæ
auferte ab istis, ut discant humilitati et
simplicitati insistere : quod si noluerint,
auferentur eis omnia hæc tempore mortis.
Et non est finis divitiarum mundi seu
hominum mundanorum. De quibus Ba-
ruch ait : Ubi sunt principes gentium, et *Baruch* III, 16-18.
qui dominantur super bestias terræ, qui
in avibus cœli ludunt, qui argentum the-
saurizant et aurum, in quo confidunt ho-
mines, et non est finis acquisitionis eorum?
Dissipata est, et scissa, et dilacerata : 10
id est, congregatio sæcularium hominum
firmitatem virtutum amisit, corde divisa
est, et vitiis lacerata. Vel sensus est, quod
omnis viror, gloria atque prosperitas hu-
jus mundi cito pertransit, quemadmodum
in Isaia dicitur : Omnis caro fœnum, et *Is.* XL, 6.
omnis gloria ejus quasi flos agri ; et pri-
mo libro Machabæorum : A verbis viri I *Mach.* II, 62, 63.
peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus
stercus et vermis ; hodie extollitur, et cras
non invenietur, quia conversus est in ter-
ram suam, et cogitatio ejus periit. Horum
est *cor tabescens* in malis, *et dissolutio ge-
niculorum,* id est languor virtutis pro-
gressivæ de bono in melius. Contra quod
Isaias et Paulus hortantur genua debilia *Is.* xxxv, 3;
roborari. *Et defectio in cunctis renibus,* *Hebr.* xii, 12.
ita quod passionibus appetitus sensitivi
franguntur atque vincuntur. *Et facies om-
nium sicut nigredo ollæ :* id est, intelle-
ctus eorum carnalis et vitiis obscuratus
est, imo turpissimus, quum nulla visibilis
macula rem materialem tantum deformet,
quantum mortale peccatum faciem animæ.
Omnia quoque hæc corporaliter accident
impiis in die judicii, secundum sensum
prætactum.
Ubi est habitaculum leonum, et pascua 11
catulorum leonum? Hoc nunc dici potest
de quacumque civitate magnifica et regali,
in qua reges, principes seu magnates mo-
rantur et deliciantur, quum fuerit demo-
lita. Sed in fine mundi dicetur hoc gene-
raliter de cunctis habitaculis reproborum
et divitum atque nobilium. Tunc enim læ- *Ps.* LVII, 11.
tabuntur justi, videntes vindictam, et in- *Job* XXII, 19.
nocens subsannabit iniquos zelo justitiæ,
applaudens censuræ mentis divinæ. *Ad*

quam ivit leo, id est diabolus, ad tentan-
dum, *ut ingrederetur illuc catulus leonis,*
id est angelus Satanæ, ut habitaret in cor-
dibus mundanorum. Potest quoque per ca-
tulum leonis Antichristus intelligi, cujus
adventui viam præparabit diabolus, dis-
12 cissionem in Ecclesia procurando. *Leo ce-*
pit sufficienter catulis suis, id est, princeps
aliquis tenebrarum multos valde vinculis
culpæ irretivit, qui dæmonibus sibi sub-
jectis dantur ad puniendum, *et necavit*
leænis suis, id est, aeriis potestatibus stran-
gulavit animas miserorum ; *et implevit* B
præda, id est animabus a se deceptis, *spe-*
luncas suas, id est foveas infernales : quæ

A tamen nondum perfecte impletæ sunt, præ-
sertim quum infernus nunquam dicat, Suf- Prov. xxx, 15, 16.
ficit.
Ecce ego ad te, o munde, *dicit Dominus;* 13
et succendam in fine mundi, vel interim
particulariter, *quadrigas tuas,* id est hu-
mana auxilia, in quibus inaniter es confi-
sus ; *et leunculos tuos,* id est principum
filios audaces, pomposos, *comedet gladius*
tentationis seu persecutionis ac divinæ ul-
tionis, præcipue in die judicii, quando ex
ore Christi exibit gladius ex utraque parte Apoc. xix, 15.
B acutus ; *et exterminabo de terra prædam*
tuam, ita quod alios ultra non opprimes
sive prædaberis. Cetera patent.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : VÆ, CIVITAS SANGUINUM.

CONSEQUENTER Ninivitarum scelera C
1 describuntur. *Væ, civitas sanguinum,*
id est, væ temporalis vastitatis atque æter-
næ damnationis imminet tibi, o Ninive,
quæ es urbs sanguinem fundens injuste,
et operibus sanguinis plena ; *universa*
mendacii, id est mendaciis omnino inten-
ta; *dilaceratione,* id est prædarum et pau-
perum oppressionibus, *plena.* Vel dilace-
rationes dicuntur intestina mala mutuæ
dissensionis inter cives : quod est futuræ
propinquæ destructionis indicium, quum
Matth. xii, 25. dicat Salvator, Omne regnum contra se D
divisum, desolabitur. *Non recedet a te ra-*
pina, id est, alios spoliare non desines,
quousque id poteris. Vel sensus est, quod
Chaldæi non cessabunt bona ejus diripe-
re, donec omnino demoliti fuerint eam.
2 *Vox flagelli,* id est sonitus percussionis
qua alios afflixisti, *et vox impetus rotæ, et*
equi frementis, et quadrigæ ferventis, id
est sonitus impetuosæ motionis rotarum
et equorum ad bellum frementium, et
quadrigarum per quas alios devastasti, *et*

C *equitis ascendentis,* id est hominum as-
cendentium equos, vel consurgentium con-
tra alios, *et micantis gladii, et fulgurantis* 3
hastæ, id est sonitus politorum gladiorum
splendentiumque hastarum, *et multitudi-*
nis interfectæ, id est cadaverum a Nini-
vitis occisorum : qui et multos filiorum
Israel jugulaverunt in Ninive diebus To- Tob. i, 21.
biæ ; *et gravis ruinæ,* qua alios oppressi-
sti ; *nec est finis,* id est numerus faciliter
computabilis, *cadaverum,* quæ exstinxe-
runt et interfecerunt Assyrii, quorum prin-
D cipales fuerant Ninivitæ, qui quos per po-
tentiam superare non poterant, fraudibus
dejecerunt. Omnia itaque mala hæc fue-
runt in Ninivitis. Idcirco *Et corruent in*
corporibus suis, id est, etiam ipsi a Chal-
dæis occidentur, cadetque unus super ali-
um, *propter multitudinem fornicationum* 4
spiritualium Ninive, id est idololatriæ, quo-
niam teste Hieronymo, omnium gentium
a se victarum idolis Ninive ministravit ;
carnalium quoque fornicationum, quia in
omnibus serviebant libidini ; *meretricis*

speciosæ et gratæ, id est Ninive, quæ suis
amatoribus placuit, et omnibus mundi or-
namentis fulgebat, *et habentis maleficia,*
id est opera magorum, ariolorum, male-
ficorum, quos intra se continebat; *quæ
vendidit gentes in fornicationibus suis :*
id est, per avaritias suas, et ut voluptati-
bus satisfacerent, vendebant gentes sibi
subditas in servos atque ancillas; vel, ut
alii dicunt, posuerunt decoras puellas et
juvenes forma egregios, quos ceperant,
pro pretio in prostibulis; *et familias* ven-
diderunt *in maleficiis suis :* de quibus
jam dictum est.

Deinde tantorum vitiorum annectitur
5 pœna : *Ecce ego ad te,* o Ninive, *dicit
Dominus exercituum; et revelabo puden-
da tua in facie tua,* id est, faciam te a
Chaldæis nudari, sicque verecundiora tua
patebunt, *et ostendam gentibus* tibi adver-
santibus *nuditatem tuam, et regnis igno-
miniam tuam,* id est confusionem et derisi-
6 onem. *Et projiciam super te abominationes*
tuas, id est, debitas punitiones propter
detestabilia opera tua, et ea quæ aliis in-
tulisti, jam patieris; *et contumeliis affi-
ciam te,* id est, Chaldæis te tradam, qui te
ignominiose tractabunt; *et ponam te in
exemplum,* id est, tam dire te corrigam,
quod alii terrebuntur, et punitionem tuam
pro exemplo suscipient, ne et ipsi patian-
7 tur similia. *Et erit : Omnis qui viderit te*
in tanta miseria positam, *resiliet a te,* id
est, fugiet, nec tibi auxiliari præsumet, *et
dicet : Vastata est Ninive.* Quasi dicat :
Quum talis ac tanta capta sit civitas, quis
non formidet ? *Quis commovebit super te
caput* ex compassione? id est, quis con-
dolebit tibi? quasi dicat, Pauci aut nemo.
Caput, secundum Hieronymum, non habe-
tur in Hebræo; sed Hieronymus addidit
propter evidentiam faciendam in sensu.
Unde quæram consolatorem tibi? id est,
tanta erit desolatio tua, quod non poterit
tibi consolatio impertiri; nec digna es con-
solatore, quæ in tua potestate nullius mise-
rebaris; nec socium tuo luctui præparasti,
quæ noluisti consortem habere regnandi.

Denique quod Ninive fuerit destruenda,
ostenditur per locum a majori. *Numquid,* 8
o Ninive, *melior,* id est numero civium
major sive potentior, *es ab,* id est quam,
Alexandria populorum, id est civitas Ægy-
pti sic dicta, plurimum populosa? Quæ
olim vocabatur No; sed quum a Chaldæis
destructam diu postmodum ædificasset Ale-
xander Magnus, nominavit eam Alexandri-
am. Unde Nahum propheta non ait, Ale-
xandria; sed Hieronymus in commento
suo ostendit, quod loquitur de urbe hac,
et sic in textu positum est, Ab Alexandria:
quod aliqui ab Hieronymo asserunt fa-
ctum; verumtamen in suo textu ita non
ponit, ut intuentibus constat. *Quæ habitat
in fluminibus,* id est inter flumina. Sita
est enim inter Nilum ex una parte, et ma-
re ex altera parte, et lacum Mareoticum.
Aquæ in circuitu ejus : cujus divitiæ
sunt *mare,* id est ea quæ per mare defe-
runtur ad eam; *aquæ muri ejus,* id est
fortitudo ipsius tanquam muri : ita quod
Alexandria tam muris quam aquis prote-
gitur. *Æthiopia fortitudo ejus,* id est, 9
Æthiopes fuerunt ei confœderati et auxi-
liarii, *et Ægyptus,* id est, ceteræ urbes
Ægypti fuerunt ei præsidio, quoniam ipsa
fuit illarum metropolis. *Et non est finis*
divitiarum et fortitudinis hujus urbis :
per quod designatur eximia abundantia,
non absoluta infinitas. *Africa et Libyes
fuerunt in auxilio tuo,* o Alexandria. *Sed* 10
*et ipsa in transmigratione ducta est in
captivitatem,* id est, non obstantibus om-
nibus jam prædictis, Alexandria a Chal-
dæis capietur, et populus ejus transferetur
seu occidetur. Nabuchodonosor enim rex
Babylonis cepit hanc urbem, quando va-
stavit Ægyptum. *Parvuli ejus elisi sunt
in capite omnium viarum.* Chaldæi nam-
que ex crudelitate nec parvulis peperce-
runt, sed in capitibus platearum eliserunt
eosdem; *et super inclytos ejus,* id est nobi-
les Alexandriæ, *miserunt* Chaldæi *sortem,*
qui quos captivos acciperent; *et omnes
optimates ejus confixi sunt in compedi-
bus,* id est graviter vincti.

11 *Et tu ergo,* o Ninive, *inebriaberis,* id A
est, calice similium pœnarum ad plenum
potaberis, *et eris despecta,* quæ alios de-
spexisti, ut impleatur in te illud Isaiæ :
Is. xxxiii, 1. Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris?
Quum fatigatus desieris contemnere, con-
temneris. Chaldæi etenim sine reverentia
tractarunt Alexandriæ cives. *Et tu quæres
auxilium ab inimico :* id est, in tantam
necessitatem devenies, ut a gentibus te
odientibus quæras contra Chaldæos subsi-
dium. Aliqui enim tempore angustiæ quæ-
runt facere amicitiam cum his cum qui- B
bus paulo ante discordiam habuerunt, ut
tunc succursum impendant. Sed non fa-
cile inveniuntur tempore adversitatis præ-
sidia quæ non erant requisita tempore
12 prosperitatis aut merita. *Omnes munitio-
nes tuæ,* id est muri ac pugnatores tui, ac
cetera tua auxilia, erunt *sicut ficus cum
grossis suis,* id est, primi temporis ficu-
bus comparabuntur; *si concussæ fuerint,
cadent in os comedentis :* id est, quemad-
modum tales ficus seu grossi, facili motu
moventur et dejiciuntur, ut manducen- C
tur; sic tuæ munitiones a Chaldæis impu-
13 gnatæ, dejicientur ac devorabuntur. *Ecce
populus tuus,* o Ninive, *mulieres,* id est
effeminatus, formidolosus, et impotens,
Chaldæis non valens resistere, *in medio
tui. Inimicis tuis adapertione pandentur
portæ terræ tuæ,* id est, portæ tuæ et ur-
bium terræ tuæ, scilicet Assyriorum, ape-
rientur Chaldæis, et eis pandentur ad in-
troeundum; *devorabit ignis vectes tuos,* id
est, ferreas clausuras consumet : per quod
insinuatur vehemens fore incendium Ni- D
nive.

14 *Aquam propter obsidionem hauri tibi,*
id est, de potu provide tibi, o Ninive, pro-
pter vallationem hostilem tibi instantem.
Hoc et sequentia aliqui ironice proferunt,
ad innuendum quod nulla provisio Ninivi-
tis prodesset. *Exstrue munitiones tuas,* id
est turres muri. *Intra in lutum, et calca,*
id est, lateres confice, et propugnacula
effice, et *subigens tene laterem,* id est, la-
teres serva ad ædificandum ea quibus pro-
tegaris. *Ibi comedet te ignis,* id est, aliqui 15
tuorum incendentur. Vel per ignem quæ-
libet dira afflictio designatur. *Peribis gla-
dio* Chaldæorum, ita quod quidam tuorum
gladio occidentur; *devorabit te* gladius, *ut
bruchus* devorat fructus. *Congregare ergo
ut bruchus, multiplicare ut locusta :* id
est, populus tuus congregetur in unum, et
in quamcumque multitudinem poterit, col-
ligatur et augeatur, ut se ad repugnandum
disponat; nil tamen proficiet, quoniam a
Chaldæis superabuntur. Bruchus autem et
locusta solent in magna multitudine in
unum confluere. *Plures fecisti negotiatio-* 16
nes tuas, quam stellæ sint cœli, id est,
infatigabiliter congregasti divitias per di-
versas atque innumerabiles mercaturas :
quæ hyperbolice, id est per excessum,
dicuntur excedere numerum siderum, ad
insinuandum multitudinem mercationis
tuæ et cupiditatis insatiandæ. *Bruchus ex-
pansus est et avolavit,* id est, natis sibi
alis, extendit se ad avolandum.

Custodes tui quasi locustæ, id est inva- 17
lidi ad præservandum te a malo captivi-
tatis : sicque expandes te per modum bru-
chi ad fugiendum a facie Chaldæorum; *et
parvuli tui quasi locustæ locustarum,* id
est, in maxima multitudine sunt, sicut
locustarum genimina, quæ dicuntur ἀττέ-
λεβοι, *quæ* locustæ *considunt,* id est, pa-
riter sedent, *in sepibus in die,* id est tem-
pore, *frigoris :* torpent enim in frigore, et
in sepibus colligunt se, ut a frigore abs-
condantur, quantum possibile est, quia a
frigore faciliter moriuntur. *Sol ortus est,
et avolaverunt,* id est, calore solis rece-
pto, quasi reviviscunt et avolant, *et non
est cognitus locus earum, ubi fuerint.* Non
enim manent indicia pristinæ consessio-
nis, sed aer intra se clauditur. Per hoc
significatur, quod Ninivitæ ceterique As-
syrii, timore, ut frigore quodam, torpe-
rent ac latitarent, deinde in captivitatem
volarent aut fugerent. *Dormitaverunt pa-* 18
stores tui, o rex Assur : id est, duces et
consules tui, o rex Assyriorum, qui re-
gnasti in Ninive, dormierunt somno mor-

tis a Chaldæis occisi, et cessaverunt tibi
dare consilium, atque ignavi effecti sunt;
sepelientur principes tui. Minus dicit, et
majus significat, id est, crudeliter occi-
dentur, et irreverenter sepelientur, quem-
admodum de rege Juda Joakim loquitur
Jer. xxii, 19. Jeremias : Quia sepultura asini sepelietur.
Latitavit, o Ninive, *populus tuus in mon-
tibus,* timore Chaldæorum se abscondens
in locis difficilis accessus atque sublimis
situs, ut procul viderent si hostes veni-
rent, *et non est qui congreget,* id est, adu-
net eos, ut facto exercitu rebellent Chal-
dæis.

19 *Non est obscura contritio tua,* id est,
destructio tua aperta est, et omnibus nota,
pessima est plaga tua, id est pœnalissima
et insanabilis. *Omnes qui audierunt au-
ditionem tuam,* id est formam destructio-
nis tuæ, *compresserunt manum super te,*
non ex compassione, ut dictum est, et
quia subjungitur : *quia super quem non
transiit malitia tua semper?* id est, jugi-
ter a tua fundatione alios crudeliter affli-
xisti, in tantum ut pene nulla natio tuæ
pravitatis vexationem evaserit. Compres-
serunt igitur manum super te, complosis
manibus tuæ dejectioni congratulando, in-
sultando et applaudendo, paratiores tuam
calamitatem gravare, quam alleviare. Po-
tuit tamen accidere, quod multi, audita
Ninive demolitione, doluerunt, non illi
compatiendo, sed sibimetipsis timendo, de-
sperantes se posse Chaldæorum evadere
manum, a quibus tam famosissimam ur-
bem audierunt vastatam.

Expositio spiritualis. DENIQUE juxta spiritualem intelligentiam,
ut dictum est, per Niniven designatur hic
I *Joann.* v, 19. mundus in maligno positus, cujus amici-
Jacob. iv, 4. tia inimica Deo est, in quo quidquid est,
I *Joann.* ii, 16. aut est concupiscentia carnis, aut concu-
piscentia oculorum, aut superbia vitæ. Un-
de quæ in hoc capitulo ad litteram dicta
sunt de culpa et pœna Ninive, ad totius
mundi culpam et pœnam tropologice re-
feruntur. Quod quomodo fieri queat, non
prosequor propter prolixitatem vitandam,

A et quoniam ex superioribus pro magna
parte patescit; sed aliqua breviter dicam,
tangendo magis quam explicando.
Væ, civitas sanguinum. Hæc est eccle- 1
sia malignantium, congregatio reprobo-
rum, generatio mala, vitiis plena, menda-
ciis dedita, per schismata et hæreses aliaque
facinora dilacerata : a qua non recedit ra-
pina, quum ipsi se invicem spolient, fal-
lant, depauperent; et dæmones de cordibus
illorum spirituales divitias rapiunt, imo
et naturales perfectiones animæ tollunt,
B ita quod lumine rationis non utens, pas-
sionibus ducitur, bestialiterque versatur.
Porro, in hac civitate, non Dei, sed Ba-
bylonis, est *Vox flagelli,* id est sonitus 2
tribulationum, quibus justos affligunt [ma-
ligni], vel se mutuo tribulant. Inter super- *Prov.* xiii, 10.
bos enim semper sunt jurgia, et impii
quasi mare fervens, quod quiescere non *Is.* lvii, 20.
potest. *Et vox impetus rotæ,* id est inordi-
natæ evagationis : quia non stabiliuntur
in Deo, sed undique evagantur, juxta illud
Psalmi, In circuitu impii ambulant; et, *Ps.* xi, 9.
C Deus meus, pone illos ut rotam; *et equi* *Ps.* lxxxii, 14.
frementis, id est tyrannorum; *et quadri-
gæ ferventis,* id est mali vehiculi quod
quatuor principalibus animæ passionibus
trahitur, nisi per rationis censuram fre-
nentur, videlicet delectatione et tristitia,
spe et timore; *et micantis gladii, et ful-* 3
gurantis hastæ, id est, apparentis prospe-
ritatis ac deceptoriæ delectationis, quibus
velut hasta ac ense animæ impiorum ne-
cantur ac fodiuntur. Creaturæ etenim fa- *Sap.* xiv, 11.
ctæ sunt in muscipulam et laqueum pe-
D dibus insipientium. Est quoque in ea vox
multitudinis interfectæ, id est peccato-
rum, qui vitam gratiæ amiserunt, et in
mortem peccati per tentationem illapsi
sunt, *et gravis ruinæ* a spiritualibus ad
carnalia, a virtutibus ad vitia, ab imperio
Christi ad regnum diaboli : et quanto est
anima præstantior corpore, tanto gravior
est ejus ruina quam corporis. *Nec est fi-
nis cadaverum,* id est corporum vitioso-
rum : quæ dicuntur cadavera, quoniam
animæ a quibus informantur, sunt mortuæ

coram Deo, nec ab eis aliquid spiritualis A
virtuosæque vitæ participant. Propter quod
Rom. viii, 10. scriptum est : Corpus mortuum est pro-
Matth. viii, 22. pter peccatum ; et, Dimitte mortuos sepe-
lire mortuos suos. *Corruent in corporibus*
Rom. viii, 13. *suis*, id est vitiis carnis : si enim secun-
4 dum carnem vixerimus, moriemur ; *pro-*
pter multitudinem fornicationum mere-
tricis speciosæ et gratæ, id est earum cum
I Cor. vi, 18, 16. quibus nunc fornicantur. Qui enim for-
nicatur, in corpus suum peccat ; et qui
conjungitur meretrici, unum cum ea cor-
Prov. v, 3, 4. pus efficitur. Unde et Salomon : Favus, in- B
quit, distillans labia meretricis ; novissima
autem illius, amara quasi absynthium. Ip-
Ibid. xxiii, 27. sa enim est fovea profunda, et rete diaboli.
5 *Ecce ego ad te* puniendum, *dicit Domi-*
nus exercituum ; et revelabo pudenda tua,
id est inhonesta ac turpia opera, *in facie*
tua : id est, tam stricte et evidenter ulci-
scar tua peccata, quod per experientiam
scies quid feceris. *Et ostendam gentibus*
nuditatem tuam, id est spiritualem pau-
pertatem. Istud fit interdum in sæculo is-
to, sed maxime fiet in futuro judicio, C
quando Judex cœlestis cunctis ostendet
7 scelera reproborum. *Omnis qui viderit te,*
resiliet a te. Tunc enim justi omnino
separabuntur loco, voto, ac præmio ab in-
justis, quibus nunc corporaliter admiscen-
tur. Nunc quoque multi applaudunt mi-
scenturque malis, quorum quum viderint
plagam, se subtrahunt, atque terrentur.
Quis commovebit super te caput ? Unde
quæram consolatorem tibi ? In die quippe
judicii non erit tempus compassionis et
Ps. lvii, 11. consolationis, sed lætabitur justus videns D
8 vindictam. *Numquid melior es ab Alexan-*
dria populorum ? Quum aliqua particula-
ris congregatio prava et sæcularis, stulte
secura est, nec timet judicium Dei, sed
suis in viribus fidens, præsumit et jactat
se non perituram, proponamus ei in exem-
plum aliam congregationem perversam,
numero et potestate majorem, a Deo pro-
pter peccata sua plagatam, atque dicamus :
Numquid melior es, etc. ? id est, sicut
illa, ita et tu prorsus peribis.

Ecce, o munde et immunde, *populus* 13
tuus est sicut *mulieres*, id est carnalis,
mollis, vitiis delectationibusque succum-
bens ; et effeminati dominantur tibi. *Ini-* Is. iii, 4.
micis tuis pandentur portæ terræ tuæ : id
est, sensus corporis tui incustoditi sunt,
ita quod dæmones ingrediuntur per eos, et
mors per fenestras ingreditur. Dum enim Jer. ix, 21.
sensus per rationem non gubernantur, in-
numerabilibus vicibus hauriunt mortem ;
et toties dæmonibus aperiuntur, quoties
ad culpam inducunt. Ideo sanctus preca-
tur Psalmista : Averte oculos meos ne vi- Ps. cxviii, 37.
deant vanitatem ; et alius, Sepi aures tuas Eccli.
spinis, et noli audire linguam nequam. xxviii, 28.
Devorabit ignis vectes tuos : id est, ossa
corporis ardor libidinis vorat, et ad æter-
nam flammam perducit.
Deinde mundo consulitur : *Aquam* sa- 14
pientiæ salutaris et rorem gratiæ, *propter*
obsidionem, qua ab invisibilibus vallatus
es hostibus, *hauri tibi* devotis precibus
de fontibus Salvatoris, de ore prædicato- Is. xii, 3.
ris, de sacris Scripturis, de fonte Sapientiæ
increatæ. *Exstrue munitiones tuas*, id est,
virtutes robora, et spiritualia arma assu-
me ; *intra in lutum*, id est, corpus tuum
adspice et guberna, *et calca* illud, ut obe-
diat rationi ; *tene laterem*, id est firmitatem
virtutum, et petram quæ est Christus. Et I Cor. x, 4.
nisi hæc feceris, *comedet te ignis, peribis-* 15
que *gladio* tentationis.
Custodes tui, id est principes et prælati, 17
quasi locustæ, id est inefficaces et besti-
ales, te non protegentes, sed simul secum
ad infernum trahentes. Tales enim meren-
tur iniqui habere præsidentes ab eo qui
regnare facit hypocritam propter peccata Job xxxiv,
populi, qui dat regem in furore suo et 30. Osee xiii,
principes in indignatione sua. *Parvuli tui*, 11.
id est inferiores, *quasi locustæ locusta-*
rum, quæ considunt in sepibus in die fri-
goris. Sic isti tempore adversitatis et tribu-
lationis, paulisper retrahuntur et cessant
a malis, domique resident. *Sol ortus est, et*
avolaverunt, id est, die prosperitatis ra-
diante, et timore malorum sublato, discur-
runt, vagantur, transgrediuntur ut ante.

18 *Dormitaverunt,* scilicet somno torporis et
negligentiæ, *pastores tui,* id est vicarii,
o rex Assur, id est, magne prælate, qui
alios habes tibi subjectos pastores velut
vicarios, et tibi in vitiis similes sunt, sic-
que oves dispereunt; *sepelientur princi-*
Luc. XVI, 22. *pes tui* in inferno cum divite epulone;
latitavit populus tuus in montibus, id est,
in superbiis se abscondit a gratia Dei, et
in superioribus suis stulte confisus est.
Non est qui congreget eos in ovile Christi.
Matth. IX, 37. Messis quidem multa, sed operarii pauci.
19 *Non est obscura contritio tua, pessima*
est plaga tua. Peccata enim mundanam
Is. III, 9. conversationem habentium, qui peccata
sua quasi Sodoma prædicant, sunt aperta,
et damnatio horum est æterna. In præsen-
ti quoque conteruntur, omne esse gratiæ
amittendo : et in hoc pessima plaga cæ-
duntur, quod non castigantur a Deo in vi-
Ps. LXXX, 13. ta præsenti, sed in adinventionibus suis
dimittuntur, atque futuris suppliciis reservantur. *Omnes qui audierunt auditionem tuam,* id est damnationis tuæ sententiam, Ite, maledicti, in ignem æternum, *Matth.* XXV, 41. *compresserunt manum super te,* divinæ justitiæ applaudendo, tuamque damnationem approbando. Istud erit in die judicii, quando electi judicabunt cum Christo. *Quia super quem* electorum hominum *non transiit malitia tua semper?* Nempe a principio mundi reprobi afflixerunt electos; et Abel esse renuit, quem Cain malitia non exercet. Per hunc modum purgantur electi : quo facto, reprobi projiciuntur in ignem gehennæ, quemadmodum filio castigato, jactatur virga in flammam. Non ergo propter injurias ad impatientiam concitemur, sed in omnibus summi Judicis benignissimæ dispensationi gratias referamus, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus in sæcula. Amen.

ENARRATIO

IN HABACUC PROPHETAM

ENARRATIO

IN HABACUC PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : ONUS QUOD VIDIT HABACUC PROPHETA.

HABACUC prophetasse post duarum tri- A
buum captivitatem a Chaldæis, constat
Dan. xiv, 33. ex eo quod in Daniele habetur, quemad-
modum angelus Domini apparuit Habacuc
in Judæa, eique jussit ferre prandium
quod paravit, Danieli in Babylone, qui
erat in lacu leonum. Quemadmodum autem
Nahum vaticinatus est contra Niniven at-
que Assyrios decem tribuum vastatores, sic
Habacuc prophetavit contra Babylonem et
Chaldæos duarum tribuum oppressores.

Ponens ergo Habacuc titulum sive pro-
œmium, tangit voluminis sui materiam, B
1 dicens : *Onus,* id est pondus miseriæ seu
gravis punitio Chaldæorum, *quod vidit,* id
est, in spiritu præcognovit, *Habacuc pro-
pheta.* In quo patet Montani insania, as-
serentis Prophetas non intellexisse quid
dicerent, sed sine mente strepitum vocis
cum irrationali excessu formasse. Denique
tres Prophetæ sunt, quorum exordium est,
Onus, videlicet Nahum, Habacuc, Mala-
chias.

Procœmio posito, incipit Propheta tracta-
tum a querela, quæstione, seu oratione C
2 implicita. *Usquequo, Domine, clamabo, et
non exaudies?* Primo elucidanda sunt ver-
ba ista ad litteram, deinde generalius expo-
nentur, secundum mysticum intellectum.
— Considerans ergo sanctus vir impiis-
simorum Chaldæorum prosperitatem et
violentiam, Judæorum vero calamitatem et
oppressionem, prorumpit in dolorosam et
piam querelam vel quæstionem, quæ ta-
men per modum orationis accipi potest,
ut quum ait Psalmista : Usquequo, Domi- *Ps.* xii, 1.
ne, oblivisceris me in finem? usquequo
avertis faciem tuam a me? Ait itaque in
persona sua ac Judæorum, ad Deum pro
liberatione a Chaldæis clamantium : *Us-
quequo, Domine, clamabo,* affectuose oran-
do pro liberatione a Babylonica captivita-
te? *vociferabor ad te,* id est, ardentissime
te precabor, *vim patiens,* id est, violentiam
sustinens a Chaldæis, *et non salvabis* te
invocantes? tanquam dicat, Diu differs.
Quare ostendisti mihi iniquitatem? Se- 3
cundum Hieronymum, nullus Propheta-
rum tam audaci voce ausus est Deum ad
disceptationem justitiæ provocare, cur in
rebus humanis et mundi istius pompa,
tanta rerum versetur iniquitas. Causatur
enim quodammodo contra Deum, et ait :
Quare ostendisti mihi iniquitatem? id est,
cur ad hoc deductus sum, et tam diu vi-
xi, vel, cur me sciente aut cognoscente,
factum est istud, videlicet, ut viderem ini-
quitatem et crudelitatem Nabuchodonosor
et Chaldæorum contra regnum Juda et
templum? *Et laborem videre,* quem popu-
lus tuus sustinuit, tribulantibus eos Chal-
dæis, *prædam et injustitiam contra me,* id

est Judæorum spoliationem et injuriosam A calumniam qua a Babyloniis pressi sunt. Quamvis autem Judæi Deo volente puniebantur, et juste, tamen Chaldæi fecerunt hoc crudeliter et injuste, videlicet impia voluntate et intentione superba. Vel Propheta dicit hoc in persona sui ac innocentium Judæorum, a Chaldæis injuriam perpessorum.

Porro, secundum Hieronymum, Bedam, et Glossam, ista et item verba sequentia accipi possunt, non quasi in persona Prophetæ, sed imperfectorum prolata, ignorantium electos in sæculo isto per tri-B
Sap. III, 6. bulationes purgari, quemadmodum aurum igne probatur. Alii quidam affirmant hæc dici in persona perfectorum, divini judicii profunditatem stupentium, justoque zelo contra iniquos zelantium. — Est ergo pensandum, quod verba ista accipi possunt per modum querelæ et quæstionis, ex impatientia et ignorantia procedentis: sicque conveniunt imperfectis, qui non attendunt
Rom. XI, 33. investigabilia judicia Dei, altitudinemque divitiarum sapientiæ et scientiæ ejus, qui C
I Reg. XVI, 7. non ita videt et judicat sicut homo, sed propter causas sibi notas permittit electos calumniari, nec ad votum eos exaudit. Quemadmodum si ægrotus et febribus æstuans, aquam frigidam quærat a medico, dicens : Vim patior, excrucior, uror : usquequo clamabo, o medice, et non exaudies ? Cui respondet sapientissimus et clementissimus medicus : Scio quando dandum est quod petis; non miserebor modo, quoniam misericordia ista esset crudelitas, et voluntas tua contra te petit. Pariformiter D Deus omnipotens sciens clementiæ suæ pondus atque mensuram, crebro non exaudit clamantem ad votum, ut probet, et ad instantiores preces provocet eum, et quasi in igne excoctum, puriorem reddat ac justiorem. — Secundo accipi possunt hæc verba ad modum interrogationis, ex zelo justitiæ et doloris abundantia procedentis, atque ex quadam familiaritate fiduciaque ad Deum, ad provocandum misericordiam ejus : sicque conveniunt viris perfectis.

Quare respicis per exhibitionem beneficiorum tuorum, id est, clementer et patienter attendis, *contemptores,* id est Chaldæos idola venerantes, et Deum verum spernentes, *et taces,* id est, non vindicas statim, nec redarguis, *conculcante impio justiorem se,* id est, rege et populo Babylonis Judaicam plebem, in qua aliqui justi fuerunt ? Huic querelæ quæstionique Habacuc, simile est illud Jeremiæ : Justus Jer. XII, 1.
quidem tu es, Domine, si disputem tecum ; verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt ? Illud quoque Job : Numquid contra Deum Job XXI, 4, 7.
disputatio mea est, ut merito non debeam contristari ? Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis ? *Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem,* id est, sine cura et providentia eos permittes, ut irrationalia, in quibus majora devorant minora, nec infertur a te illis vindicta. Istud in persona perfectorum non dicitur assertive, sed quia secundum exteriorem superficiem sic esse videtur. Nec sic intelligendum est, quod irrationalia non cadant sub providentia Dei, quum ipsi sit cura Sap. VI, 8.
de omnibus, ut dicitur in libro Sapientiæ ; dicatque Salvator : Respicite volatilia cœ- Matth. VI, 26.
li, quoniam non serunt neque metunt, et Pater vester cœlestis pascit ea ; alibi quoque : Nonne quinque passeres veneunt Luc. XII, 6.
dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo ? Sed ideo ista dicuntur, quoniam rationalium creaturarum habet Deus speciali modo curam ac providentiam, eo quod actus earum cadant sub ratione meriti atque demeriti. Sicque dicit Apostolus ad Corinthios : Numquid cura I Cor. IX, 9.
est Deo de bobus ?

Et factum est judicium tale quale, puta perversum : id est, quoniam taces impiis justos calcantibus, ideo judicatur, non secundum veritatem atque justitiam, sed secundum potentiam et perversitatem ; *et contradictio* facta est *potentior,* id est, negatio veritatis prævaluit æquitati, estque

oppressa justitia, quoniam impii non vi- A
dentes divinæ justitiæ ultionem, peccant
secure. Hoc est quod in Ecclesiaste induci-
Eccle. VIII, 11. tur : Etenim quia non cito profertur con-
tra malos judicium, absque ullo timore
4 filii hominum perpetrant mala. *Propter*
hoc lacerata est lex, id est prævaricata ab
impiis, quum istud sit contra legem na-
turalem et scriptam, divinam atque civi-
lem. Potest quoque referri ad destructi-
onem legis Mosaicæ, quam laceraverunt
Chaldæi, comburendo bibliothecam Judæo-
rum, quam Esdras postmodum reparavit. B
Et non pervenit usque ad finem judici-
um, id est, justum exitum non est sorti-
tum. Finis enim judicii est, ut unusquisque
quod promeruit, recipiat, bonus honorem,
malus vindictam ; sed propter prædicta
oppositum contigit, quantum ad vitam præ-
sentem. *Quia impius prævalet adversus*
justum, puta rex et exercitus Babylonis
contra Judaicum populum, in quo quidam
justi fuerunt translati captique, ut Daniel,
Azarias, Ananias et Misael, atque Ezechiel ;
propterea egreditur judicium perversum, C
non a Deo, sed a Chaldæis contra Judæos,
quos sæpe oppresserunt crudeliter.

Hucusque conquestus est Propheta po-
puli sui persecutionem : cujus dolorem
mitigat Dominus, eo quod ceteræ gentes
5 similia sint passuræ. *Adspicite,* o Judæi,
in gentibus, quæ fient in eis, *et videte, et*
admiramini, et obstupescite propter ma-
gnitudinem rei quam dico, *quia opus fa-*
ctum est in diebus vestris, id est, statim
fiet, jamque partim factum est seu ince-
ptum, *quod nemo credet, quum narrabi-* D
tur, id est, non faciliter credetur ab his
qui illud non conspexerunt.

Quid autem sit opus istud tam mirum,
6 subjungitur : *Quia ecce ego* Deus, qui pec-
cata unius gentis per aliam vindico, *susci-*
tabo, dando virtutem et inspirando affe-
ctum, *Chaldæos, gentem amaram,* id est
crudelem, *et velocem, ambulantem super*
latitudinem terræ, id est suis finibus non
contentam, sed huc illucque vagantem, et
loca non sua occupantem : ideo subditur,
ut possideat tabernacula non sua. Hoc
tamen referri potest ad id quod Dominus
dixit, Suscitabo. Ad hoc namque Dominus
induxit Chaldæos ad impugnandum gen-
tium regna, ut eadem possiderent quasi
pro mercede, quia divinæ voluntati servie-
runt in expugnatione punitioneque gen-
tium. Unde ad Ezechielem testatur, se da- *Ezech.*
turum Chaldæis terram et bona Ægypti, XXIX, 19, 20.
pro servitio quod sibi in expugnatione
Tyri impenderunt. Sic ergo possederunt
tabernacula quæ ante non erant sua, sed
Deo ea illis donante, erant sua. Verumta-
men, quia non ea intentione ista fecerunt,
qua Deus eos suscitavit, sed ex cupidita-
te, crudelitate, et elatione, abusique sunt
potestate sibi collata, idcirco non excu-
santur a culpa, imo a Medis ac Persis me-
ruerunt vastari.

Horribilis et terribilis est, id est, fama 7
et re, adspectu et opere metuendi sunt.
Erant enim Chaldæi, secundum historio-
graphos, bellicosissimi, veloces, nimium-
que feroces. *Ex semetipsa judicium* ejus
et onus ejus egredietur, id est, ex pro-
pria voluntate tyrannica, non ex censura
justitiæ procedet judicium ejus et per-
secutio, quibus alios judicabit et perse-
quetur. Vel sensus est, quod ex actibus
suis crudelibus merebitur judicari atque
puniri a Deo, ut sicut fecit, fiat ei, et va-
stetur sicut vastavit. Aut certe iste est
sensus, quod ex propria gente constituet
judices et punitores sævissimos.

Leviores pardis equi ejus, et velociores 8
lupis vespertinis. Per hoc, quantum ad
comparationem pardorum, hyperbolice in-
sinuatur magna valde velocitas equorum
populi hujus. Pardus autem est animal ve-
locissimum, pulchra varietate distinctum.
De quo Jeremias : Si mutare, inquit, potest *Jer.* XIII, 23.
pardus varietates suas. Præterea lupi ve-
spertini sæviores sunt diurna fame irrita-
ti : unde circa vesperam velocius currunt,
escam prædamque petentes. *Et diffunden-*
tur equites ejus, id est, equestres gentis
Chaldææ terram operient sicut locustæ.
Equites namque ejus de longe venient, id

est a Chaldæa usque ad loca inde remo-
ta, *volabunt quasi aquila festinans ad co-*
9 *medendum. Omnes ad prædam venient,* id
est, ultra modum velociter invadent gentes
et regna, quemadmodum aquila famelica
properat ad cadaver. *Facies eorum ventus*
urens : id est, quemadmodum talis ventus
faciem lædit, segetesque corrumpit, sic
Chaldæi ipso adspectu affligent intuentes,
et cuncta vastabunt.

Et congregabit rex atque exercitus Chal-
dæorum, *quasi arenam captivitatem,* id
est, innumerabiles capiet in diversis pro-
10 vinciis. *Et ipse de regibus triumphabit :*
nullus enim regum resistere potuit Nabu-
chodonosor. Propter quod Daniel dixit ad
Dan. II, 37; IV, 19. eum : Tu rex regum es. *Et tyranni ridi-*
culi ejus erunt, id est derisionis materia,
ita quod derisui eos habebit, faciliter vin-
cet, raptosque ante se currere faciet : quod
inter delicias suas computabit, quum sit
signum potentiæ suæ. *Ipse super omnem*
munitionem ridebit, id est, certam sibi
victoriam de quacumque munitione pro-
mittet, reputans se urbes armatura et vi-
ribus hominum roboratas faciliter devictu-
rum; *et comportabit aggerem,* implendo
loca profunda lignis et saxis, ut possint
transire. Hoc maxime fecit ante Tyrum in
mari sitam. *Et capiet eam,* id est quamli-
11 bet munitionem a se impugnatam. *Tunc*
mutabitur spiritus ejus, id est, post tantas
victorias in maximam superbiam erigetur.
Vel mutabitur spiritus ejus, id est, amens
fiet ac insensatus. Usu enim rationis amis-
so, putabit se bestiam, et inter feras con-
versans, fœnum comedet ut bos, juxta
Ibid. IV, 29. illud in Daniele : Ex hominibus ejicient
te, et cum feris erit habitatio tua. *Et per-*
transibit, id est, a statu et gloria regiæ
sublimitatis deficiet, secundum quod dici-
Ibid. 28. tur apud Danielem : Tibi dicitur, Nabucho-
donosor, Regnum transiit a te; *et corruet,*
id est, post hæc se humiliabit, mortalem
cognoscet, et esse desistet. *Hæc est forti-*
tudo ejus, dei sui, id est, talis fuit forti-
tudo regis istius, qualis et Belis dei sui.
Fortitudo enim Nabuchodonosor fragilis
A fuit et labilis, quemadmodum idoli sui
quod coluit nomine Bel.

Præterea veritati divinæ naturæ congra-
tulans, divinæ quoque æquitati applaudens,
Propheta annectit : *Numquid non tu a* 12
principio? id est, imo tu solus æternus
es, *Domine Deus meus :* qui licet sis om-
nium Deus generali providentia et jure
creationis, specialiter tamen es Deus meus
et electorum, tam ex parte tui, qui singu-
lariter benefacis ac provides nobis, quam
ex parte nostri, qui te summe diligimus,
B totaque mente tibi inhæremus; *sancte*
meus, id est sanctificator animæ meæ,
qui essentialiter sanctus es, et quem tan-
quam incomparabiliter sanctum in sancti-
tate colo; *et non moriemur,* id est, tua
nos protegente clementia, non penitus a
Chaldæis occidemur, sed temporaliter cor-
rigemur.

Consequenter Propheta ostendit se divi-
nitus illustratum, et aperit causam supe-
rioris quæstionis et querelæ quam movit,
cur scilicet Deus taceret, conculcante impio
C justiorem se. *Domine, in judicium posui-*
sti eum : id est, Nabuchodonosor in solio
regali et tanta eminentia constituisti, ut
per eum tuæ justitiæ judicium exseque-
reris; *et fortem, ut corriperes, fundasti*
eum : id est, regem istum in tanta potestate
fundasti seu fortem statuisti, ut per ejus
potentiam corriperes gentes iniquas, ea-
rum peccata ulciscendo, et ipsas in manum
Chaldæorum tradendo.

Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, 13
et respicere ad iniquitatem non poteris.
D Hoc dupliciter legi potest : Primo, inqui-
rendo et abnegando, vel in persona imper-
fectorum, quia sic esse videtur; eritque
sensus : Quum sis totaliter sanctus, non
vis attendere vel adspicere vitia homi-
num : quod apparet per hoc, quod non
statim adhibes ultionem. Secundo sic :
Mundi sunt oculi tui, id est, intellectus
tuus et sapientia absque omni sunt culpa,
ne videas malum culpæ per approbatio-
nem, et respicere ad iniquitatem non po-
teris, ea (ut dictum est) approbando. Unde

Matth xxv, 12. et impiis dicit : Nescio vos. — Quum ergo
sit ita, *Quare non respicis* per vindictam
super inique agentes, et taces devorante
14 *impio justiorem se? Et facies homines qua-*
si pisces maris, et quasi reptile non ha-
vers. 3. *bens principem.* Istud totum jam semel
habitum est atque expositum. Sed mirum
videtur, cur Propheta quæstionem hanc
repetit, quum jam semel solverit eam. Et
respondendum, quod quæstio ista genera-
liter accipi potest, non de Chaldæis dum-
taxat ; vel propter novam admirationem
animo Prophetæ incidentem, repetit eam,
loquens in persona impatientium homi-
num, vel justorum rationem divini judicii
comprehendere non potentium.
15 *Totum in hamo sublevavit :* id est, sicut
piscator per hamum capit et elevat pisces,
sic Nabuchodonosor sua virtute in callidi-
tate cepit quos voluit; *traxit illud in sa-*
gena sua, id est, lata sua potestate subje-
cit captivos, ita quod fugere seu evadere
non valebant, *et congregavit in rete suum,*
A id est, suo imperio atque carceribus illos
inclusit. *Super hoc,* id est de tantis prædis
hominum atque triumphis, *lætabitur* cor-
de, *et exsultabit* corpore, signa interioris
lætitiæ demonstrando. *Propterea immola-* 16
bit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo : id
est, ob istas victorias offeret victimas ma-
gnas deo seu idolo suo, cujus virtute atque
auxilio putavit se prævaluisse : ideo nomi-
ne sagenæ ac retis exprimitur. *Quia in*
ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus
electus : id est, imperium ejus ditatum est
B per direptionem ac spoliationem factam
per sagenam et rete superius dicta, vel
virtute idolorum suorum, secundum suam
opinionem. *Propter hoc ergo expandit sa-* 17
genam suam, id est potestatem atque ex-
ercitum suum super terram et gentes ; *et*
semper interficere gentes non cessat, id
est, indesinenter horis solitis, quoadusque
durat ejus crudelitas, interimit gentes,
nunc unam, nunc aliam, nec sanguine sa-
tiatur humano.

ARTICULUS II

EXPOSITIO TROPOLOGICA EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

DENIQUE Habacuc interpretatur ample-
xans, vel amplexatio. Qui ergo spiri-
tualiter Habacuc est, Deum brachiis carita-
tis stringendo, aut per modum pie luctantis
amplexando, donec benedicatur, illumine-
tur et exaudiatur ab ipso, hic conspicit
1 *Onus* Babylonis, id est mundi hujus mise-
riam, præsentisque vitæ fragilitatem, et
futuræ damnationis intolerabile pondus,
sæculi amatoribus præparatum.

Talis insuper Dei fervidus amplexator,
et familiaris cum eo disputator, pro sua
ac aliorum ereptione et consolatione in-
stanter orans, nec tamen ad votum exau-
diri se videns, piam agat querelam, ut
clementiam provocet Creatoris, dicatque :
C *Usquequo, Domine, clamabo, et non ex-* 2
audies? qui tamen dixisti : Omnis qui pe- Luc. xi, 10.
tit, accipit; et qui quærit, invenit. Et rur-
sus : Si quid petieritis Patrem in nomine Joann. xiv, 13, 14.
meo, hoc faciam. *Vociferabor ad te, vim*
patiens, id est validam impugnationem a
propriis passionibus, a mundo persequen-
te aut adulante, et item ab invisibilibus
hostibus, *et non salvabis* me ab istis mo-
lestiis? quum tamen promiseris, Omnis Joel ii, 32.
quicumque invocaverit nomen Domini, sal-
vus erit. Porro tanto altius vociferamur,
D quanto affectuosius deprecamur, etiam si
nullam vocem formemus : quia non tam
clamor oris, quam amor cordis sonat in
auribus Dei. Hoc affectu videtur Psalmista

Ps. xii, 1-3. locutus, dicendo : Usquequo, Domine, obli-
visceris me in finem ? usquequo avertis
faciem tuam a me? Quamdiu ponam consi-
lia in anima mea? Usquequo exaltabitur
inimicus meus super me? Et sanctus Job :
Job xxx, 20, 21. Clamo ad te, et non exaudis me; sto, et
non respicis me ; mutatus es mihi in cru-
delem. Verum in hac dilatione, quantum-
cumque morosa, servanda est patientia
inconcussa, atque fiducia in Deo certissi-
ma, ut in omni angustia certissimi simus
impossibile esse sperantem in Domino de-
relinqui, aut indesinenter orantem repelli,
et Deum propter profectum nostrum dif-
ferre precis nostræ effectum, aut aliud
salubrius se esse daturum.

Præterea talis Dei amplexator, conside-
rans Ecclesiam a suis æmulis multipliciter
tribulari, bonos a pravis affligi, electos a
reprobis opprimi, ex compassione ingenti
dicere potest in persona sua atque Eccle-
3 siæ : *Quare ostendisti mihi iniquitatem, et*
laborem videre, id est malitiam impiorum
adversus electos, et electorum fatigatio-
nem sive laborem quem eis infligunt per-
versi, *prædam et injustitiam contra me?*
Hostes etenim animarum, interiora gratiæ
bona et exteriora bona nituntur justis au-
ferre. Hoc affectu dixit venerabilis ille
Mathathias, Judæorum gravissima persecu-
I *Mach.* ii, 7; iii, 59. tione perspecta : Heu! cur natus sum vi-
dere mala gentis meæ? Sed ista querela
debet esse moderata, ut non ignoremus
dispensationem divini judicii, quo boni in
hoc sæculo adversis purgantur, mali vero
periculosissime prosperantur. Hinc nempe
Ps. xxxvi, 1, 2. dixit Psalmista : Noli æmulari in malignan-
tibus, neque zelaveris facientes iniquita-
tem, quoniam tanquam fœnum velociter
Joann. xv, 20. arescent. Et Christus : Si me persecuti sunt,
et vos persequentur, quia non est servus
I *Thess.* iii, 3. major domino suo. Paulus quoque : Nemo,
inquit, moveatur in tribulationibus istis.

Quare respicis contemptores, id est di-
vinæ legis transgressores, superbos, in-
obedientes, rebelles, dando eis bona vitæ
præsentis, honorem, gloriam, famam, pro-
lem, divitias? De quibus fertur in Psalmo :

A Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæ- *Ps.* lxxii, 12.
culo, obtinuerunt divitias. His ergo beni-
gnus est Deus, et in hoc ejus bonitatem
imitari debemus, quemadmodum ait Sal-
vator : Eritis filii Altissimi, quia ipse be- *Luc.* vi, 35.
nignus est super ingratos et malos ; et
alibi : Diligite inimicos vestros, et benefa- *Matth.* v, 44, 45.
cite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris
vestri qui in cœlis est, qui solem suum
facit oriri super bonos ac malos, et pluit
super justos et injustos. *Et taces, concul-*
cante impio justiorem se ? Quomodo verba
B hæc exponi possint in persona perfecto-
rum et imperfectorum, dictum est in præ-
cedenti articulo. Si autem in persona im-
perfectorum exponantur, competunt his de
quibus apud Malachiam loquitur Domi-
nus : Invaluerunt super me verba vestra, et *Malach.* iii, 13-15.
dixistis : Vanus est qui servit Domino; et
quod emolumentum, quia ambulavimus
tristes coram Domino? Ergo nunc beatos di-
cimus arrogantes, siquidem ædificati sunt.
Et facies homines quasi pisces maris. Si
hoc juxta sensum præinductum asserendo
C dicatur, competit negantibus providentiam
Dei. De quibus habetur in Psalmo : Et *Ps.* lxxii, 11.
dixerunt, Quomodo scit Deus, et si est
scientia in Excelso? In Job quoque : An *Job* xxii, 12, 14.
cogitas quod Deus excelsior cœlo sit, nec
nostra considerat, et circa cardines cœli
perambulat? Hic error tribuit securitatem
peccandi.

Et factum est judicium perversum, dum
judices intuitu munerum, vel favore, ti-
more, aut odio damnant insontem, et libe-
rant reum. Quibus ait Psalmista : Usquequo *Ps.* lxxxi, 2.
D judicatis iniquitatem, et facies peccatorum
sumitis ? *Propter hoc lacerata est lex,* id 4
est, præcepta evangelicæ doctrinæ non cu-
stodiuntur a judicibus et prælatis ambitio-
sis ac cupidis : et ex consequenti, neque a
subditis, quia secundum judicem populi, *Eccli.* x, 2.
sic et ministri ejus. Unde necesse habemus
orare : Tempus faciendi, Domine, videlicet *Ps.* cxviii, 126.
quod postulo, dissipaverunt legem tuam.

Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem 6
amaram et velocem. Per Chaldæos figu-
rantur diaboli, secundum quod Christus de

Matth. xiii, 28. dæmone ait in Evangelio, Inimicus homo A
hoc fecit : qui suscitantur a Deo, dum præstat eis licentiam tentandi tribulandique homines, quemadmodum fertur de qui-
Ps. lxxvii, 49. busdam in Psalmo : Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per angelos malos. *Ambulantem super latitudinem terræ :* secundum quod Satan ait ad Do-
Job i, 7; ii, 2. minum, Circuivi terram, et perambulavi eam. Vel latitudo terræ, sunt corda carnalium, lata via tendentium ad infernum. *Ut possideat tabernacula non sua,* id est
Rom. i, 28. homines impœnitentes, quos Deus dat in B
reprobum sensum : qui sunt Dei ex conditione, sed per iniquitatem efficiuntur tabernacula dæmonum, qui ingressi habitant ibi. Unde de diabolo loquitur Chri-
Luc. xi, 21. stus : Quum fortis armatus custodit atrium
7 suum, in pace sunt ea quæ possidet. *Horribilis et terribilis est.* Quid enim callidius aut crudelius seu pœnalius dæmone? quid invidiosius aut nocentius eo? Propter quod
I Petr. v, 8. admonet Petrus : Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devo- C
ret. *Ex semetipsa judicium ejus,* id est, propria elatione meruit condemnari : quod maxime competit primo apostatæ angelo, qui nullius suggestione, sed propriæ adinventionis superbia est damnatus. Alii vero ejus suggestione peccaverunt.

8 *Leviores,* id est ad peccata velociores, sunt *pardis equi ejus,* id est homines vitiosi, super quos equitat diabolus, ducens eos quocumque voluerit, juxta illud Apo-
II Tim. ii, 26. stoli : A quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. *Et diffundentur equites ejus,* D
id est angeli Satanæ, qui in aere volitant, et ubique homines tentant : qui veniunt de longe, id est ab aere caliginoso sive inferno. *Volabunt quasi aquila.* Sunt enim promptissimi ex magna invidia ad impu-
9 gnandum homines. *Facies eorum ventus urens :* quoniam flatu suo igne concupiscentiæ corda incendunt ac urunt, et semen verbi cœlestis infructuosum efficiunt,
Luc. viii, 12. dicente Filio Dei : Venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne salvi fiant.

Et congregabit quasi arenam captivitatem : id est, innumerabiles animas vinculo peccatorum constringit, servituti peccati substernit, et suo infelici subdit dominio. Qui enim volunt divites fieri, incidunt in I Tim. vi, 9.
laqueum diaboli : similiter omnes superbi, luxuriosi, ceterisque mortalibus vitiis involuti. Tales autem, sunt multi quasi are-
na. *Et ipse de regibus triumphabit.* Divites 10
namque, magnates et nobiles sæculi facilius vincit. *Ipse super omnem munitionem ridebit :* quia et claustra regulari institutione firmata, magna jam ex parte ad regulæ seu statutorum transgressionem vitamque induxit carnalem; *et comportabit aggerem,* id est, diversa tentationum instrumenta et occasiones peccandi assumet contra claustrales, *et capiet eam,* id est munitionem, seu congregationem claustralem pertrahet ad peccata. *Tunc mutabitur* 11
spiritus ejus in superbiam et pessimam gloriationem, de talium ruina vehementer exsultans ; *et pertransibit et corruet,* id est, peribit, atque a Christo damnabitur,
qui visitabit super militiam cœli et princi- Is. xxiv, 21, 22.
pes terræ, congregabitque eos congregatione unius fascis, et claudentur in carcere.

Domine, in judicium posuisti eum. Hoc 12
accipi potest de diabolo vel quocumque persecutore justorum atque tyranno, per quos Deus judicium suum exsequitur, ulciscendo per eos peccata hominum in præ-
senti sive futuro. — *Quare non respicis* 13
super inique agentes? Hoc dicere possumus zelo caritatis et æquitatis, optantes a Deo ut flagellet iniquos in præsenti sæculo, ne gravius damnentur in posterum; vel ut hostes fidei ac boni communis tollat e medio terræ, et ne permittat impios temporaliter prosperari, ne prosperitas talis fiat eis occasio majoris culpæ graviorisque
pœnæ. Unde orat vir sanctus : Non mise- Ps. lviii, 6.
rearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Totum in hamo suo *sublevavit,* id est, 15
diabolus sua tentatione universam generationem malorum comprehendet : quam trahit *in sagena sua,* id est multiformi fallacia, et congregat *in rete suum,* id est

in infernum seu impiissimam dominatio- A
nem. *Super hoc lætabitur,* quia de homi-
16 num deceptione gloriatur. *Propterea im-
molabit sagenæ suæ,* id est, exercitui prin-
cipum tenebrarum offeret animas, quas
fefellit, torquendas. *Quia in ipsis incras-
sata est pars ejus,* id est, illorum coopera-
tione et tentationis subsidio plurimos sibi
incorporavit, *et cibus ejus electus,* scilicet
homines quos devorat, qui naturali digni-
17 tate cunctis mortalibus eminent. *Propter
hoc expandit sagenam suam,* id est pote-
statem et tentationes, vel angelos Satanæ,
per quos alios capit; *et semper interficere
gentes non cessat,* inducendo eas ad cul-
pam mortalem, quæ vitam gratiæ perimit.
Propter quod Christus disserit apud Joan-
nem : Ille homicida erat a principio, et in *Joann.* VIII,
veritate non stetit. Sapiens quoque testa- 44.
tur : Invidia diaboli mors introivit in or- *Sap.* II, 24,
bem terrarum. Imitantur autem illum, qui 25.
sunt ex parte ipsius. Denique, Deus mor- *Ibid.* I, 13.
tem non fecit, nec lætatur in perditione
viventium; quin imo loquitur in Ezechi-
ele, Nolo mortem morientis, sed ut con- *Ezech.* XVIII, 32;
vertatur et vivat. XXXIII, 11.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : SUPER CUSTODIAM MEAM STABO.

PRÆCEDENTI capitulo proposuit Pro-
pheta Domino quæstionem, dicendo :
Habac. I, 13. Quare non respicis super inique agentes,
et taces devorante impio justiorem se?
Nunc ostendit se ad divinam responsionem
intentum atque suspensum, et quid sibi
responderit Deus declarat.
1 Itaque ait : *Super custodiam meam sta-
bo,* id est, vigilanter intentus ero officio
prophetali mihi commisso, et in sublimi-
tate considerationis morabor, ut Deo illu-
strante, intelligam rationem eorum quæ
dico ; *et figam gradum super munitio-* C
nem, id est, perseveranter sollicitus ero
pro defensione rei mihi commissæ, ut mu-
niam eam. Prophetæ namque habuerunt
protegere populum Dei per suas salutares
doctrinas contra invisibiles hostes. Unde
Habacuc loquitur de se ipso, quasi de cu-
stode castri obsessi, cui certa pars castri
defendenda committitur, qui multum sol-
licitus est super custodiam suam, gradum-
que figit super munitionem, id est locum
munitum aut muniendum. Huic autem
Is. XXI, 8. verbo consonat illud Isaiæ : Super specu- D
lam Domini ego sum, stans jugiter per
B diem; et super custodiam meam ego sum,
stans totis noctibus. *Et contemplabor,* id
est, circumspectus ero, *ut videam* oculo
interiori, id est cognoscam, *quid dicatur
mihi* a Deo ad quæstionem ei a me propo-
sitam, *et quid respondeam ad arguentem
me,* id est ad Deum qui me reprehendet,
si male egero, vel indisciplinate quæsivi.
Et respondit mihi Dominus, et dixit : 2
Scribe visum, id est intelligentiam tibi
concessam, seu visionem propheticam tibi
ostensam, ne oblivioni tradatur, *et expla-
na,* id est, evidenter declara et palam de-
scribe, *eum super tabulas,* id est in cordi-
bus hominum, de quibus dicit Apostolus,
In tabulis cordis carnalibus ; Salomon II *Cor.* III, 3.
quoque, Liga legem in digitis tuis, et in *Prov.* VII, 3.
tabulis cordis tui scribe eam. Vel, Super
tabulas materiales, seu materiam aptam
ut scribatur in ea. *Ut percurrat,* id est,
velociter legendo pertranseat, *qui legerit
eum,* scilicet visum prophetalem nunc
tactum.
Quia adhuc visus procul : id est, non 3
statim implebitur, quod mihi de præin-
ducta quæstione Deus respondit, vel re-

velavit, videlicet quod contemptores ac A
reprobos vult in præsenti ad tempus flo-
rere, donec impleatur in eis dejectio quam
talibus peccatoribus comminatus est Do-
minus ; *et apparebit in finem, et non men-
tietur*. Istud Hieronymus, Haymo, Beda et
Glossa exponunt de primo Salvatoris ad-
ventu, quem Habacuc promittit finaliter
seu in fine sæculorum et ultima mundi
ætate venturum ; et non mentietur Chri-
stus veritas prima, qui id ipsum prædixit.
Si moram fecerit, exspecta eum, ut dicere
Ps. XXXIX, 2. possis : Exspectans exspectavi Dominum ; B
Ps. XXIV, 3. etenim universi qui sustinent te, non con-
Mich. VII, 7; *Is.* VIII, 17. fundentur. Unde et alius dicit : Exspectabo
Deum salvatorem meum, et præstolabor
eum. *Quia veniens* in mundum *veniet* per
incarnationis mysterium, et sui ipsius præ-
sentationem apertam, atque de novo, *et
non tardabit* ultra tempus præfixum a Fi-
lio. Vel dilatio ista propterea non dici-
tur mora, quoniam pene nulla fuit respe-
ctu durationis eam sequentis. Alii autem
exponunt hæc de visione jam dicta pro-
phetica, cujus impletio erat differenda, C
exspectanda, et suo tempore veraciter ad-
implenda. Porro secundum primam ex-
positionem, per verba præhabita soluta est
quæstio proposita, utpote quod usque ad
Christi adventum iniquitas dominaretur
in mundo, nec judicium perveniret ad fi-
Joann. XII, 31. nem. Unde et Christus asseruit : Nunc ju-
dicium est mundi ; nunc princeps hujus
mundi ejicietur foras.

Ne autem propter dilationem discrede-
4 ret aliquis, adjecit Propheta : *Ecce qui
incredulus est* verbis Dei, *non erit recta,* D
id est justa et vera, *anima ejus in semet-
ipso :* imo per infidelitatem atque errorem
erit distorta, et operibus curva, non erecta
Is. XXI, 2. ad Deum. Cui consonat illud Isaiæ : Qui
incredulus est, infideliter agit. *Justus au-
tem in fide sua vivet* vita gratiæ, id est,
merito fidei, scilicet interiori et exteriori
fidei actu, Deo acceptus erit, et opera me-
ritoria exercebit. Fides quippe est funda-
mentum virtutum, spiritualis quoque stru-
cturæ exordium, quo intellectus viatoris
primo conjungitur Deo, et his quæ ratio-
nem excedunt, præbet assensum. Unde se-
cundum Apostolum, Sine fide impossibile *Hebr.* XI, 6.
est placere Deo ; et, Sancti per fidem vice- *Ibid.* 33.
runt regna, operati sunt justitiam, adepti
sunt repromissiones. Rursusque : Omnes, *Galat.* III, 26.
inquit, vos filii Dei estis per fidem. Hæc
autem de fide formata, id est caritati con-
juncta, sunt accipienda, de qua dicit divi-
nus Apostolus ad Galatas : In Christo Jesu *Ibid.* V, 6.
neque circumcisio aliquid valet, neque
præputium, sed fides quæ per dilectionem
operatur. Denique quanta sit virtus et ef-
ficacia fidei, innotescit ex eo quod Chri-
stus toties protestatur in Evangelio : Fides *Marc.* X, 52.
tua te salvum fecit ; et, Omnia possibilia *Ibid.* IX, 22.
sunt credenti ; et, Si habueritis fidem sic- *Matth.* XVII,
ut granum sinapis, dicetis huic monti, Tol- 19; XXI, 21; *Marc.* XI,
lere, et mittere in mare, et fiet. Simus 23.
ergo certissimi, prorsusque immobilitati
in fide catholica, quæ divinæ auctoritati et
increatæ lucis veritati innititur. Hoc te-
stimonio jam inducto utitur Paulus ad Ro- *Rom.* I, 17; *Hebr.* X, 38.
manos atque Hebræos.

Consequenter ostendit Propheta, quod
licet Deus ad tempus permittat impios pro-
sperari, tacetque devorante impio justio-
rem se, nihilo minus tempore præstituto
et congruo facit justam vindictam. Et hoc,
quantum ad litteram, manifestatur jam in
rege Babylonis : propter quod alii dicunt,
Prophetam hoc loco ponere quæstionis su-
perius motæ solutionem. *Et quomodo vi-* 5
num potantem decipit, id est, usu rationis
privat et calore affligit, juxta illud : Blan- *Prov.* XXIII, 31, 32.
de ingreditur, sed in novissimo mordebit
ut coluber. Hinc in Ecclesiastico habetur :
Quam sufficiens est homini erudito vinum *Eccli.* XXXI, 22.
exiguum ! et in dormiendo non labora-
bis ab illo, nec senties dolorem. *Sic erit
vir superbus,* videlicet rex Babylonis. Quod
aliqui referunt ad Nabuchodonosor, alii
ad Balthasar ejus nepotem : tamen ut ap-
paret, si littera rite pensetur, Propheta
loquitur indeterminate de rege Babylonis,
ita quod quædam referuntur ad Nabucho-
donosor, quædam ad Balthasar. Quemad-
modum ergo vinum decipit materialiter

immoderate potantem, sic superbia regis Babylonis eum excæcavit, decepit, dejecit. *Et non decorabitur,* id est, regio honore ac regno privabitur. Quod fuit absolute
Dan. v, 30. impletum in Balthasar, quem Persæ occiderunt ac Medi. Aliqualiter vero fuit impletum in Nabuchodonosor, quando (ut
Ibid. iv, 30. dictum est) factus est amens, et inter bestias conversatus, regno pulsus, fœnoque usus. *Qui dilatavit quasi infernus animam suam,* id est animæ suæ cupiditatem et crudelitatem, ita quod insatiabilis fuit sicut infernus. Quemadmodum enim infernus non impletur nec satiatur damnatis, sic rex Babylonis non satiabatur occisis atque divitiis, sed cuncta diripuit et vastavit. *Et ipse quasi mors,* propter suam crudelitatem amarus ut mors, nullique parcens; *et non adimpletur* cupiditas ejus : quum avarus semper sit egens, juxta quod scriptum est in Ecclesiaste :
Eccle. v, 9. Avarus non implebitur pecunia. *Et congregabit ad se omnes gentes,* id est, gentes sibi viciniores suo imperio per violentiam subdet, *et coacervabit ad se omnes populos,* ut suo subjiciantur dominio. Istud præcipue competit Nabuchodonosor, qui regnum Babylonis maxime roboravit, et universa regna non nimis distantia debellavit. Propter quod scriptum est in Jere-
Jer. i, 14. mia : Ab aquilone pandetur malum super omnem terram.

6 *Numquid non omnes isti,* id est populi a rege Babylonis vastati, *super eum sument parabolam,* id est, proverbium de eo et ejus dejectione formabunt, *et loquelam ænigmatum ejus,* id est verbum figuralium difficultatum seu parabolicarum obscuritatum de rege nunc dicto ? *et dicetur : Væ ei qui multiplicat non sua,* id est, debita pœna modo inflicta est regi Babylonio alios spolianti. *Usquequo aggravat contra se,* id est, in malum animæ suæ auget, et onere violentarum prædarum colligit, *densum lutum,* id est terrenas divitias ad vitia graviter deprimentes, quæ affectum in infimis mergunt, ne queat ad superna levari ? Denique aurum et argentum quid nisi terra alba et rubea ? Et sicut magna est vilitas luti, sic temporales divitiæ a spiritualibus viris vilipenduntur, qui cum Paulo omnia arbitrantur ut ster- Philipp. iii, 8.
cora, ut Christum lucrifaciant. Denique ista partim impleta sunt in Nabuchodonosor tempore suæ amentiæ, qui tunc a populis irridebatur. In Balthasar vero impleta sunt absolute, quando a Medis occisus est. Cui consequenter ait Propheta :

Numquid non repente consurgent qui 7
mordeant te ? id est, imo cito te impugnabunt Cyrus ac Darius cum exercitibus suis Medis Persisque. *Et suscitabuntur lacerantes te,* id est, civitatem et populum tuum destruentes, teque occidentes, *et evigilabunt insidiatores tui,* id est, diligenter te obsidebunt Medi et Persæ, *et eris in rapinam eis,* id est, bona tua diripient.
Quia tu spoliasti gentes multas, spolia- 8
bunt te omnes qui reliqui fuerint de populis : id est, gentes quæ manus tuas evaserunt, jungent se hostibus tuis, et simul cum illis rapient tuas divitias; fietque tibi sicut fecisti in alios. Distributiones vero hic positæ, arctandæ sunt secundum subjectam materiam, et accipiendæ pro generibus singulorum, potius quam pro singulis generum. Hæc autem potissime patieris, rex Babylonis, *propter sanguinem hominis,* id est occisionem hominum Judæorum, *et iniquitatem terræ civitatis,* id est peccata quæ commisisti contra Judæam, in qua est civitas Jerusalem famosa ac metropolitana, *et hominum habitantium in ea,* id est propter peccata quæ in habitatores Jerusalem perpetrasti, quos crudeliter oppressisti. Quamvis autem rex Babylonis dire peccavit, alias nationes vastando, gravius tamen peccavit, populum Judæorum ac templum demoliendo. Idcirco propter illorum occisionem præsertim, dejectus asseritur.

Væ regi Babylonis, *qui congregat ava-* 9
ritiam, id est materiam avaritiæ, scilicet bona terrena, *malam domui suæ,* id est sibi et filiis atque familiis suis nocivam, *ut sit in excelso nidus ejus,* id est, palatium

et habitatio ejus, seu Babylon civitas ejus, A
sit in magna eminentia, potestate et glo-
ria, *et liberari se putat de manu mali,* id
est de potestate hostili et malo pœnali. De
Dan. IV, 27. hoc nido dixit Nabuchodonosor : Nonne
hæc est Babylon civitas magna, quam ædi-
ficavi in domum regni, in robore fortitudi-
10 nis meæ, et in gloria decoris mei? *Cogita-
sti confusionem,* id est causam confusionis,
domui tuæ : hoc est, tua cogitatione iniqua
atque superba meruisti posteros tuos et
regnum confundi atque superari : secun-
Exod. XX, 5. dum quod Deus iniquitatem patrum visitat B
in tertiam et quartam generationem. Nam
propter peccata parentum ac principum,
filii et subjecti aliquando corporalibus
pœnis afficiuntur. Et *concidisti populos
multos,* vulnerando, prædando seu occi-
dendo, *et peccavit anima tua.* Cujus si-
11 gnum est : *Quia lapis de pariete clamabit,
et lignum quod inter juncturas ædifi-
ciorum est, respondebit :* id est, lapides
parietum a te destructorum materialium,
adversus te conclamabunt, quoniam sua
ruina ac dissipatione ostendent tuam cru- C
delitatem, et dabunt hominibus occasio-
nem atque materiam clamandi et ultionem
appetendi de te. Simili modo ligna qui-
bus partes ædificiorum connectuntur, ma-
terialiter respondebunt, id est, quærentibus
ostendent causam tuæ destructionis : quo-
niam tanta fuit severitas tua in ædificio-
rum alienorum dissipatione, quod nidus
tuus seu Babylon est destructa. Inanima-
ta itaque materialiter dicuntur clamare et
Ps. CXLVIII, 3 et seq.; Dan. III, 57 et seq. Ps. LXIV, 14. respondere, sicut in Psalmis dicuntur lau-
dare et benedicere, juxta illud : Valles D
abundabunt frumento; clamabunt, etenim
hymnum dicent.

Adhuc Propheta invehitur contra Nabu-
12 chodonosor. *Væ qui ædificat civitatem in
sanguinibus,* id est, Babylonem construxit
in magnis peccatis et homicidiis, interfi-
ciens populos, ut de prædis eorum urbem
suam construeret. Idcirco subjungitur : *et
præparat urbem* jam dictam *in iniquita-
te,* id est de sumptibus injuste adeptis
13 atque in maxima pompa. *Numquid non
hæc sunt a Domino exercituum?* id est,
nonne subscriptæ vindictæ a Deo infligen-
tur regi et populo Babylonis? tanquam
dicat, Utique. *Laborabunt enim populi,* id
est Babylonii, *in multo igne,* id est ad im-
pediendum vel exstinguendum Babylonis
incendium ; *et gentes* Chaldaicæ *in va-
cuum* laborabunt, defendendo se contra
Persas et Medos, *et deficient* Babylonii seu
Chaldæi, non valentes Medis et Persis re-
sistere. *Quia replebitur terra,* id est Chal- 14
dæa hostibus nunc sæpe expressis, *ut co-
gnoscat gloriam Domini :* id est, ipsi
Chaldæi per suæ vastitatis angustiam ex-
perimentaliter sentient vel cognoscent ex-
cellentiam potestatis divinæ, cujus virtute
viderint se superari, quemadmodum Da- Dan. V, 18 et seq.
niel prædixerat Balthasar regi. Hæc autem
repletio terræ, et experimentalis agnitio
gloriæ Domini, fuit plurimum copiosa, *qua-
si aquæ operientes mare.*

Væ qui potum dat amico suo, mittens 15
fel suum, id est, fel potui miscens, et
felleum potum exhibens, *et inebrians,* id
est tali potu fraudulenter immoderateque
implens potantem, *ut adspiciat nuditatem
ejus,* id est verecundiam, ignominiam, pau-
pertatem. Istud ad litteram contra Nabu-
chodonosor dicitur, de quo ferunt Hebræi,
quod quum in Babylone magnum convi-
vium faceret, jussit Sedeciam regem Juda
adduci, et potu laxativo potari : quo fa-
cto, Sedecias mox coram omnibus passus
est ventris fluxum, unde post paucum
præ confusione et dolore defunctus est. Is-
tud tamen secundum Hieronymum et Be-
dam, potius est fabula quam res vera. Ideo
exponunt communiter, ut sit sensus : *Væ*
regi Babylonis præfato, *qui potum,* id est
afflictionem, *dat amico suo,* id est proxi-
mis, vel his quibus aliquando confœdera-
tus fuit, seu ei amicabiles fuerunt. Et hoc
modo Sedecias fuit amicus ejus, quando
ad tempus ei servivit, et fœdus servavit
quod iniit, quando Nabuchodonosor con- IV Reg. XXIV, 17.
stituit eum regem. *Mittens fel suum,* id
est, cordis sui amaritudinem, severitatem,
fallaciam ducens ad actum, *et inebrians,*

id est, abundanter adimplens potantes, hoc
modo, *ut adspiciat nuditatem ejus,* id est,
alios omnes spoliatos et depauperatos ac
victos conspiceret. Ad hoc quippe omnia
regna vastavit et spoliavit, ut suam poten-
tiam decoraret, et comparatione nuditatis
illorum, sua opulentia gloriosior videretur.
16 *Repletus est ignominia,* id est, Sedecias,
seu alius quilibet a rege Babylonis prædi-
cto modo potatus et inebriatus, magnam
consecutus est calamitatem et confusio-
nem, *pro gloria,* id est honore regio, vel
alia quacumque eminentia, potestate, vel
abundantia, qua floruit in hoc mundo.

Bibe tu quoque, et consopire, id est,
o rex Babylonis, sicut fecisti, fiet tibi :
bibes enim calicem tribulationis, et affli-
ctione velut potu impleberis atque defi-
cies. Quod referri potest ad Nabuchodono-
sor, quantum ad punitionem ejus sibi in
Dan. IV, 30. hoc mundo inflictam, quando in amentiam
versus est; vel ad filium filii sui, puta
Ibid. V, 30. ad Balthasar regem, a Medis et Persis oc-
cisum. Ad utrumque etiam potest pertine-
re quod subditur : *Circumdabit te calix*
dexteræ Domini, id est magna punitio a
divina virtute pro ultione inflicta, *et vo-*
mitus ignominiæ circumdabit te, ut ege-
ras quæ absorbuisti, aliis ea relinquendo,
scilicet spolia, *super gloriam tuam,* id est
post magnificentiam imperii tui; vel tibi
adhuc regnanti ista contingent. Vel per
vomitum ignominiæ designatur superabun-
dans calamitas, quæ ad instar immodera-
tissimæ potionis erumpit.

17 *Quia iniquitas Libani,* id est peccatum
quod commisisti in templum Dei in Jeru-
salem, illud profanando ac destruendo,
operiet te : id est, propter illud graviter
punieris. Dicitur autem templum, Liba-
nus, quia de lignis Libani fuit constru-
III *Reg.* V, 5 *et seq.* ctum, ut legitur tertio libro Regum. Propter
Zach. XI, 1. quod in Zacharia habetur : Aperi, Libane,
portas tuas. *Et vastitas animalium,* id est
devastatio sacrificiorum, quæ de animali-
bus offerebantur in templo, *deterrebit eos,*
id est, causa erit quod Babylonii seu Chal-
dæi a suis adversariis terrebuntur : meru-
A erunt enim interfici a Persis hoc faciendo;
de sanguinibus hominis, id est etiam pro
effusione sanguinis Judæorum; *et iniqui-*
tate terræ, id est crudelitate et pravitate,
quam in terra Juda commiserunt, *et ci-*
vitatis Jerusalem *et omnium habitanti-*
um in ea. Chaldæi itaque propter peccata
commissa in Deum, cujus cultum et tem-
plum demoliti sunt, atque in populum
ejus, quem in Jerusalem ac Judæa atroci- IV *Reg.* XXV.
ter vexaverunt, a Deo plagati, et hostibus
traditi sunt.

B Consequenter contra omnes idololatras,
specialiter tamen ac litteraliter contra Na-
buchodonosor, dicitur : *Quid prodest scul-* 18
ptile, id est idolum sculptum, *quia scul-*
psit illud fictor suus, id est, formator
illud artificiose formavit, ornavit et figu-
ravit? tanquam dicat : Quum sculptile sit
ab homine factum, constat quod prodesse
non queat, nec aliquid virtutis aut numi-
nis habeat. Et *conflatile,* id est idolum
conflatum, quid prodest, quod fictor suus
fecit, *et imaginem falsam* molitus est ?
C Idolum namque est falsa imago, quoniam
decipit, nec id quod repræsentat, tale est
quale per idolum significatur. Imo secun-
dum Apostolum, idolum nihil est, scilicet I *Cor.* VIII, 4.
quantum ad repræsentatum. Inter scul-
ptile et conflatile hoc distat, secundum
Bedam, quod sculptile est de ligno aut
marmore, conflatile de metallo. Tamen, ut
alii dicunt, idem potest esse sculptile at-
que conflatile : quod enim igne conflatum
est, potest postea arte sculptoria aptius fi-
gurari, quemadmodum factum affirmant
D de vitulo aureo in deserto a filiis Israel
facto, qui erat conflatilis, et etiam scul- *Exod.* XXXII, 4.
ptilis, juxta illud in Psalmo : Et fecerunt *Ps.* CV, 19.
vitulum in Horeb, et adoraverunt sculpti-
le. *Quia speravit in figmento,* id est idolo,
fictor ejus, vel qui jussit illud formari, vel
qui opere adimplevit, *ut faceret simula-*
cra muta, id est idola inanimata aurea
atque argentea. Quidam exponunt hæc de
statua aurea quam Nabuchodonosor fecit *Dan.* III, 1.
atque erexit in campo Duran : in qua fecit
se adorari, ut dicunt. Alii vero dicunt,

quod de statua illa non sit jam sermo, quia in ea Nabuchodonosor non confidebat, sed in aliis idolis quæ colebat. Nihilo minus de statua illa accipi potest quod de sculptili atque conflatili dictum est. De idolis vero quæ coluit Nabuchodonosor, sumi potest quod de simulacris mutis adjectum est.

19 *Væ* æternæ damnationis, nisi pœniteat, imminet ei *qui dicit ligno,* id est idolo ligneo, *Expergiscere,* id est, evigila ad adjuvandum seu instruendum me, *et* qui dicit, *Surge, lapidi tacenti,* id est idolo lapideo, quod loqui non potest. (*Ps.* CXIII, 5, sec. Hebr.) *Numquid ipse* lapis, seu deus lapideus, *docere poterit,* id est futura prædicere, occulta revelare, dubia determinare? Istud specialiter contra regem Babylonis inducitur; sed accipi potest contra omnes idololatras, qui idola lignea atque lapidea invocant. *Ecce iste,* id est lapis, seu deus lapideus, *coopertus est auro et argento,* id est pretiosis ornamentis circumtextus, vel deauratus, aut argento circumdatus; *et omnis spiritus non est in visceribus ejus,* id est, spiritum vitalem nullum intra se habet pro forma, imo nec veraciter viscera habet, sicut nec oculos, aures, aut manus, sed similitudinem tantum, seu apparentiam. (*Ps.* CXIII, 5-7.)

Dominus autem in templo sancto suo, 20
id est, Deus verus atque omnipotens, non in idolis vel idololatris, sed in electis et sanctis per gratiam, et in Beatis seu comprehensoribus per gloriam, in cœlo quoque empyreo per suæ majestatis evidentiorem repræsentationem, suæque potestatis eminentiorem operationem, est atque moratur. *Sileat a facie ejus omnis terra,* id est, omnis homo in terra habitans, consideratione majestatis divinæ humilietur, et a verbis idololatriæ atque blasphemiæ cesset, nec aliquid contra Deum loqui præsumat, sed timore illius ori suo ponat custodiam. (*Ps.* CXL, 3.)

ARTICULUS IV

EXPLANATIO MORALIS EJUSDEM SECUNDI CAPITULI.

1 QUILIBET insuper veraciter christianus dicere habet: *Super custodiam meam stabo,* id est, tota vigilantia mentis insistam custodiæ cordis mei, ut illud in puritate conservem, et Deo habitaculum dignum exhibeam, exemplo ejus qui ait: Dixi, Custodiam vias meas. (*Ps.* XXXVIII, 2.) Ideo Salomon: Omni, inquit, custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit. (*Prov.* IV, 23.) Et Ecclesiasticus ait: Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. (*Eccli.* XXVII, 4.) Hinc in Deuteronomio Moyses exhortatur: Custodi temetipsum et animam tuam sollicite; et ne obliviscaris verborum Domini Dei tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. (*Deut.* IV, 9.) Puritas enim cordis, quæ aliud non est nisi contemplativa atque sincera delectatio, seu delectativa et munda contemplatio Dei, est finis omnium exercitiorum nostrorum: ob quam exteriores sensus et linguam ac ventrem frenamus. Propterea jugiter occupari oportet pro cordis munditia obtinenda, conservanda, ac consummanda: quod qui faciunt, audiunt a Salvatore: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. (*Matth.* V, 8.) Sic utique stetit super custodiam suam sanctus Job, dicens: Considerans Deum, timore sollicitor; et item, Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. (*Job* XXIII, 15; *Ibid.* XXXI, 23.) Elias quoque et Eliseus, dicentes: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. (III *Reg.* XVII, 1; IV *Reg.* III, 14.) Consideratio nempe divinæ præsentiæ maxime confert ad istam custodiam. Propter quod ait Psalmista:

Ps. cxviii, 168. Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Horum itaque imitemur vestigia, ut impleamus quod docet Apostolus ad Philippenses : Philipp. ii, 12. Cum metu et tremore vestram salutem operamini.

Et figam gradum, id est, incessum cordis seu actum stabiliam, firmiterque locabo, *super munitionem,* id est animæ armaturam, confortationem ac defensionem, ut sim semper sollicitus animam habere munitam, ne ab hostibus suæ salutis vincatur, ne peccatis aut passionibus superetur. Ideo Ephes. vi, 11. enim monet Apostolus ad Ephesios : Induite vos armaturam Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli. Vel, Figam gradum super munitionem, id est Christum, Is. xxvi, 1. de quo legitur in Isaia : Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Ipse namque est fortissima atque tutissima nostra mu- Prov. xviii, 10. nitio, juxta illud Proverbiorum : Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. Unde super Christum figere gradum, est ejus auxilio fortiter inhærere, totam in eo spem ponere, ab ejus vestigiis non abire, secundum quod Jer. xvi, 19. scriptum est : Domine, fortitudo mea, et refugium meum, et robur meum in die tribulationis.

Et contemplabor, id est, actui rationis ero intentus, *ut videam,* id est intelligam, *quid dicatur mihi,* id est, quid Deus in Scripturis mihi præcipiat, quid hortetur, quid consulat, quid etiam vicarii ejus, puta prælati et doctores, mandent et prædi- Ps. lxxxiv, 9. cent. Audiam quoque quid loquatur in me Dominus Deus per se, vel per angelicum Prov. i, 8, 5. spiritum. Hinc in Proverbiis habetur : Audi, fili mi, disciplinam; siquidem audiens sapiens, sapientior erit, et intelligens, gubernacula possidebit. *Et quid respondeam ad arguentem me,* id est quam Deo judici rationem daturus sim in die judicii mei II Cor. v, 10. particularis, et etiam universalis. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Felix qui per opera misericordiæ religiosamque vitam, ita quotidie se disponit ad horam divini judicii : qui ut

A securior Domino occurrat, jam se debet totaliter humiliare, divinæ æquitatis rigorem et suorum defectuum multiplicitatem pensando, juxta quod scriptum est : Non Job ix, 2, 3. justificabitur homo compositus Deo; et si voluerit cum eo contendere, non poterit respondere unum pro mille. Ideo loquitur Ezechias : Domine, vim patior, responde Is. xxxviii, 14, 15. pro me : quid dicam, aut quid respondebo, quum ipse fecerim ?

Denique providentia ista custodiendi se ipsum, et advertendi quid Deus loquatur, B quid etiam ei respondeatur, præsertim inesse debet principibus ac prælatis : quoniam judicium gravissimum in his qui Sap. vi, 6. præsunt, fiet. Nempe quo pluribus præsunt, eo ampliorem sollicitudinem atque formidinem habere jugiter debent, propter divini judicii districtionem. Unde in talium persona loquitur Isaias : Super speculam Is. xxi, 8. Domini ego sum, stans jugiter per diem; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Et Jeremias ait : Statue tibi Jer. xxxi, 21. speculam, pone tibi amaritudinem. Hoc C est accedere ad cor altum, ut exaltetur Ps. lxiii, 7, 8. Deus. — Postremo, secundum Hieronymum, in hoc quod Habacuc ait : Contemplabor quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me, eleganter miroque sensu impatientiam describit humanam, quam in disceptationibus semper habere consuevimus, ut antequam nobis ex adverso aliquis respondeat, et sciamus in quo nos arguet, ad respondendum paremur : ex quo ostenditur, responsionem non rationis esse, sed contentionis. Si enim esset D ratio, responsio debuerat exspectari, et sic videri an respondere debuerit, an consentire rationali responsioni.

Jam dixit Propheta in persona justi se velle attendere quid sibi Dominus loqueretur : mox pius Dominus eidem respondet, Isaia dicente : Ad vocem clamoris tui, statim Is. xxx, 19. ut audierit, respondebit tibi. Rursusque Dominus repromittit : Antequam clament, Ibid. lxv, 24. ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam. Etenim juxta Psalmistam : Deside- Ps. x, 17, sec. Hebr. rium pauperum exaudivit Dominus; præ-

parationem cordis eorum audivit auris tua. A
2 Itaque subditur : *Et respondit mihi Do-*
minus per inspirationem internam, vel alio
modo jam tacto : *Scribe visum, et explana*
eum, id est, instructionem ac revelationem
divinam tibi infusam, clare ac lucide im-
prime, *super tabulas,* id est in membranis,
seu aptis memoriis, pro aliorum et fu-
turorum informatione. Unde Symmachus
transtulit, Super paginas. Hinc in Eccle-
Eccli. siastico dicitur : Sapientiam scribe in tem-
xxxviii, 25. pore vacuitatis. Vel, Super tabulas, id est
in mentibus hominum, prout in Proverbiis B
Prov. iii, 3. Salomon : Describe, inquit, super latitudi-
nem cordis tui. Apostolus quoque ad Co-
II *Cor.* iii, rinthios : Epistola nostra vos estis, scripta
2, 3. in cordibus nostris, non atramento, sed
Spiritu Dei viventis, non in tabulis lapi-
deis, sed in tabulis cordis carnalibus. *Ut*
percurrat, id est, expedite atque faciliter
sine difficultatis obstaculo intelligat, *qui*
legerit eum, videlicet visum præfatum, pu-
ta revelationem tibi factam, cur in hoc
mundo impii opprimant justos.
3 *Quia adhuc visus procul,* id est, non C
mox per experientiam innotescet ratio cur
Deus permittat improbos et tyrannos in
sæculo isto florere ac prævalere; *et appa-*
rebit in finem, id est, finaliter, tempore
divinitus præordinato, patebit causa istius,
præsertim in die judicii, vel etiam dum
tales a Deo in præsenti vita juste plagan-
tur; *et non mentietur,* id est, visus præ-
dictus falsus non erit. Istud enim permit-
titur, ut electi in vita hac a suis peccatis
purgentur, majori gratia impleantur, et
gloriam ampliorem adipiscantur. *Si mo-* D
ram fecerit, exspecta eum, id est, prædicti
visus adimpletionem longanimiter præsto-
lare, vel etiam Christi adventum : qui in
primo suo adventu edocuit cur Deus præ-
dicta permittat, et in secundo suo adventu
per experientiam edocebit quam utile fu-
erit bonis persecutionem ferre malorum.
Hoc quippe tunc declarabit, impios æter-
naliter condemnando, et electos plenissi-
me glorificando. *Quia veniens veniet* ipse
Christus, itemque visus præinducti imple-

tio, *et non tardabit* ultra tempus divinitus
præstitutum. Nam etsi dilatio adventus
Christi atque præfatæ impletionis jam lon-
ga appareat, tamen per comparationem
futuræ æternitatis, brevissima est. Ideo Pe-
trus archiapostolus ait : Non tardat Domi- II *Petr.* iii,
nus promissum. Et in Jacobo legitur : Pati- 9. *Jacob.* v, 7-
entes estote usque ad adventum Domini; et 9.
confirmate corda vestra, quoniam adventus
Domini appropinquabit : ecce judex ante
januam adsistit. Sed et in Apocalypsi Do-
minus protestatur : Ecce venio cito, et *Apoc.* xxii,
merces mea mecum est, dare unicuique 12.
juxta opera sua. Nemo ergo frangatur ad-
versis, sed plenissima spe Deo innitens,
veraciter dicat : Etiam si occiderit me, in *Job* xiii, 15.
ipso sperabo. Patientia quippe opus per- *Jacob.* i, 4.
fectum habet.
Et quoniam ipsemet Deus veritas prima
locutus est ista, recte subjungitur : *Ecce* 4
qui incredulus est hujus promissionis di-
vinæ, *non erit recta anima ejus in semet-*
ipso. Justus autem ex fide sua vivet.* Hoc *alias *in*
in præcedenti articulo satis tractatum est.
Pro eo quod hic dicitur secundum transla-
tionem Hieronymi, Justus ex fide sua vi-
vet, Septuaginta transtulerunt, Justus ex
fide mea vivet; sicque Apostolus ad Roma- *Rom.* i, 17.
nos scripturam istam allegat. Sensus enim
est idem, quoniam eadem fides est nostra
tanquam subjecti ac recipientis, et Dei
tanquam objecti ac influentis.
Et quomodo vinum potantem decipit, id 5
est, suo sapore, candore atque vigore ad
deceptionem materialiter occasionaliterque
inducit, quamvis potator a propria concu-
piscentia et gulositate fallatur active atque
directe. Decipit autem vinum potantem,
quoniam lumen discretionis obtenebrat, et
stulto similem facit, ac facile deceptibilem
reddit, sicut in Osee habitum est : Forni- *Osee* iv, 11.
catio, et ebrietas, et vinum auferunt cor.
Sic erit vir superbus : quia a propria ela-
tione excæcatur et fallitur, putans se ali- *Galat.* vi, 3.
quid esse, quum nihil sit; ab aliis quoque
se putans sapientem et magnum censeri,
quum frequenter contingat oppositum :
imo multoties a cunctis ejus superbiam

considerantibus, deridetur ac spernitur, secundum quod in Ecclesiastico legitur : *Eccli.* x, 7, 9. Odibilis coram Deo et hominibus est superbia; quid superbit terra et cinis? *Et non decorabitur,* donis gratiæ in præsenti, *Luc.* xiv, 11; xviii, 14. nec donis gloriæ in futuro : qui enim se exaltat, humiliabitur. Nam et ipsa superbia coram Deo turpissima est, et animam dæmoni specialiter similat. Ideo in Proverbiis *Prov.* viii, 13. Dominus asserit : Arrogantiam et superbiam et os bilingue detestor. *Qui dilatavit quasi infernus animam suam,* id est, insatiabilis ambitionis cupiditatisque fuit, immoderatissime appetendo honores atque divitias mundi; *et ipse quasi mors, et non adimpletur :* id est, quemadmodum infernus non adimpletur damnatis, nec mors defunctis, sed omnes consumit et perimit, *Ibid.* xxx, 15, 16. prout Salomon in Proverbiis scribit, Quatuor sunt insatiabilia, ignis, mors, infernus, etc.; ita superbus non quietatur in divitiis ac mundi honoribus. Appetitum namque rationalis creaturæ caduca ista nequeunt satiare. *Et congregabit ad se omnes gentes,* id est, diversis et plurimis præesse et dominari conabitur, sicut videmus in multis. Quod totum ad diabolum et Antichristum præcipue potest referri.

6 *Numquid non omnes isti super eum sument parabolam?* Utique omnes electi a superbo quocumque damnato oppressi, quum ejus justam damnationem perspexerint, proverbium quoddam formabunt de eo ex zelo justitiæ, conformantes se æquitati divinæ, et dicent : *Væ ei qui multiplicat non sua,* id est, justa damnatio nunc infligitur arroganti, qui honorem Deo debitum, aliorumque bona sibi nequiter usurpavit. Hinc de populo reprobo Deus *Jer.* xxiv, 9; xxix, 18, etc. frequenter ait per Jeremiam : Dabo eos in maledictionem, et in proverbium, et in opprobrium, et in sibilum. Quod autem impii in die judicii ab electis taliter irridebuntur, tangitur in Job : *Job* xxii, 19. Innocens subsannabit eos; *Ps.* lvii, 11. et in Psalmo, Lætabitur justus quum viderit vindictam. *Usquequo aggravat contra se densum lutum?* id est, quamdiu superbus et cupidus in sæculo isto,

A cœlestibus bonis spiritualibusque animæ divitiis spretis, colligit sibi terrenas divitias, affectum deorsum prementes, et usque ad inferos pertrahentes? quæ animam eas amantem fortiter tenent, et vehementer commaculant, quemadmodum qui denso luto infigitur, non faciliter inde extrahitur, multumque sordidatur. Secundum Hieronymum, divitiæ multiplicatæ, eleganter luto sunt comparatæ, quia in veritate viles sunt et spernendæ, graves, et curis atque distractionibus plenæ. Unde a viris perfe-
B ctis ut stercora contemnuntur. Et sicut aqua terræ mixta, efficit lutum; sic concupiscentia (quæ comparatur aquæ, juxta illud in Genesi, quod Jacob ad Ruben incestuosum ait : Sicut aqua effusus es) *Gen.* xlix, 4. conjuncta terrenis, facit amorem terrenorum, qui est animæ lutum vilissimum. Vilipendenda sunt ergo temporalia et terrena, ut spiritualibus donis ditemur : quibus tanto amplius adimplemur, quo pro Dei amore et gloria cordialius sensibilia atque carnalia aspernamur. Qui enim volunt divites *I Tim.* vi, 9.
C fieri, incidunt in tentationem laqueumque diaboli. Ideo secundum Scripturam, Avaro *Eccli.* x, 9. nihil est scelestius. Et nonne mirum, quod eatenus excæcamur, ut diligentius exquiramus divitias corporis, quam opulentiam animæ, puta virtutes et dona Spiritus Sancti?

Numquid non repente consurgent qui 7
mordeant te? id est, iniquitas tua cito punietur, et tu ipse peribis. Punitores autem possunt intelligi dæmones, qui sunt serpentes mordentes. Hinc in Deuteronomio
D scribitur : Dominus Deus ipse est fortis, et *Deut.* vii, 9, 10. reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur. Et in Ecclesiastico : Ira a Deo cito approximat; *Eccli.* v, 7. et, Subito veniet ira ejus. *Ibid.* 9. Nec obstat quod Salomon profitetur, *Eccle.* viii, 11. Etenim quia non cito profertur contra malos judicium, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala: quamvis enim interdum videatur divinæ ultio æquitatis diu differri, nihilo minus respectu pœnæ futuræ, vix momentanea

comprobatur. *Et suscitabuntur lacerantes* A *te,* id est, dæmones te acriter affligentes, ad tui punitionem Deo judice provocabuntur, *et eris in rapinam eis,* quando in manus eorum traderis. Reprobi namque fiunt dæmonum prædæ, dum in eorum captivitatem male vivendo, aut debitas pœnas recipiendo, rediguntur. Ideo Christus
Luc. XI, 22. in Evangelio peccatores appellat vasa et spolia dæmonis. *Et evigilabunt insidiatores tui,* id est, hostes præmemorati diligentissimi erunt ad pertrahendum te in
I *Petr.* V, 8. loca pœnalia. Diabolus namque tanquam B leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Dæmones equidem quasi dormiunt et quiescunt, dum nos impugnare, tentare, et tribulare desistunt. Sed quum Deo permittente aut imperante, de novo invadunt, vel ad inferos trahunt, quasi evigilant.

8 *Quia tu spoliasti gentes multas,* bona earum diripiendo, *spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis,* id est, universi electi, qui sunt reliquiæ Dei, in die judicii te condemnabunt, et bonis gloriæ privandum censebunt, sententiam Judicis appro- C
Sap. III, 8. bando. Sancti enim judicabunt nationes, et dominabuntur populis. De quibus fertur
Ps. CXLIX, 6, 7, 9. in Psalmo : Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ut faciant in eis judicium conscriptum. Hæc igitur patieris *propter sanguinem hominis,* id est occisionem eorum quos spiritualiter malo exemplo, persuasione pestifera, comminatione, adulatione aut simili modo necasti, vel corporaliter occidisti sive læsisti, *et iniquitatem terræ civitatis,* id est propter D peccata quæ contra Ecclesiam (quæ est civitas Dei, in terra hac militans) commisisti, *et hominum habitantium in ea,* id est et propter excessus tuos contra Christifideles, qui fide, caritate, et opere in Ecclesia permanent, ab ecclesiastica unitate atque individua caritate non recedentes.

9 *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ,* id est avaro, qui terrena sibi et pueris suis atque familiæ immoderanter periculoseque colligit, *ut sit in excelso nidus ejus,* id est in sæculo isto sublimiter habitatione et loco, amans primum locum ubique. Multi namque avaritiam ad excellentiam ordinant. *Et liberari se putat de manu mali,* id est de potestate diaboli, et rigore futuri supplicii. Tales sunt sæculi amatores, qui temporalibus sic inhærent, quod damnationem eis imminentem non pensant neque verentur, sed vana securitate perdunt se ipsos. De quibus ait Apostolus : Quum dixerint, Pax et securitas, I *Thess.* V, 3.
tunc repentinus eis superveniet interitus. In Isaia quoque Dominus ait : Veniet super *Is.* XLVII, 11.
te malum atque calamitas, et nescies ortum eorum. Porro secundum Hieronymum, hoc loco dicitur avaritia mala, ad distinctionem bonæ, ut sit bona avaritia doctoris ecclesiastici, qui nunquam satiatur multitudine sectatorum : et quanto plures habuerit discipulos, tanto magis ad doctrinæ studium concitetur. Unde bona avaritia, est incessabilis appetitus spiritualium divitiarum : quemadmodum bona superbia nuncupatur, qua quis vilitatem peccati detestans, veram Deoque placitam excellentiam cupit. De qua Dominus ait per Isaiam : Ponam te in superbiam sæculorum. Hinc *Ibid.* LX, 15.
justus, cujus est auxilium a Domino, ascensiones in corde suo disposuit in valle *Ps.* CXX, 2. *Ps.* LXXXIII, 6, 7.
lacrimarum.

Cogitasti confusionem domui tuæ, id 10
est, consensu et mente ea tractasti quæ animum faciunt inordinatum ac vitiosum, confusionemque merentur tibi et pertinentibus ad te consentientibus tibi, imo et damnationem æternam, in qua nullus est ordo, sed summa confusio. *Concidisti populos multos,* eos corporaliter spiritualiterve lædendo, ut dictum est; *et peccavit anima tua,* id est tu ipse in eos : ponendo partem pro toto. Cujus peccati indicium est, *Quia lapis de pariete clamabit.* Hoc 11
intelligi potest, vel de ipsis ædificiis electorum ab impiis dissipatis, secundum intellectum in præcedenti articulo positum, vel de electis, qui sunt lapides vivi ipsius Ecclesiæ, qui sæpe zelo justitiæ clamant ad Deum contra iniquos. Quidam per

Ephes. II, 20. lapidem istum intelligunt Christum, lapi- A
dem angularem, qui in judicio clamat ad-
versus damnandos, juxta illud in Isaia :
Is. XLII, 13. Vociferabitur et clamabit, et super inimi-
cos suos confortabitur.
12 *Væ qui ædificat civitatem in sanguini-*
bus, et præparat urbem in iniquitate. Hoc
generaliter accipi potest adversus princi-
pes qui de prædis et sumptibus aliorum
injustis construunt sibi urbes, domos et
castra, inaniter et pompose. Aptius tamen
accipitur contra prælatos carnales et alio-
rum seductores, qui Ecclesias suas vitiose B
gubernant, mendaciter instruunt, et in
perditionem suam ac subditorum subver-
13 tunt. *Numquid non hæc sunt a Domino*
exercituum? id est, prædicta mala pœna-
lia, seu justæ vindictæ a Deo sunt utique,
Ibid. XLV, 7. qui ait per Isaiam : Ego Dominus faciens
* pacem bonum*, et creans malum. Vel sensus est,
quod ædificatio ista culpabilis non est a
Deo, quantum ad deformitatem peccati.
Quod autem ista non sint hoc modo a Deo,
et quod quidam male ab aliis gubernentur,
hinc patet : *Laborabunt enim populi* male C
recti atque seducti, *in multo igne* iræ, et
cupiditatis, ac vitiorum, imo et igne tarta-
reo; *et gentes* hujuscemodi *in vacuum* la-
borabunt, *et deficient,* id est, felicem finem
non consequentur, et fine frustrabuntur
optato. Unde in libro Sapientiæ fatentur :
Sap. V, 7. Lassati sumus in via iniquitatis et perdi-
tionis, et ambulavimus vias difficiles. Si-
14 gnum quoque veritatis istorum est, *Quia*
replebitur terra, id est, Ecclesia electorum
in hac valle miseriæ se ipsam semper hu-
milians, a Spiritu Sancto unctionem et il- D
lustrationem suscipiet, *ut cognoscat glori-*
am Domini, id est excellentiam sapientiæ
atque justitiæ Dei, seu majestatem divi-
nam, in justa punitione pravorum salva-
tioneque electorum. Quod fiet tam copiose,
quasi aquæ operientes mare, id est sicut
flumina, quæ jugiter et exuberanter de-
scendunt in mare Magnum, ejusque super-
ficiem tangendo operiunt. Unde Eccle-
Eccle. I, 7. siastes inducit : Ad locum unde exeunt
flumina, revertuntur, ut iterum fluant. Et

ibidem scriptum est : Omnia flumina in- *Eccle.* I, 7.
trant in mare, et mare non redundat. De-
nique huic simile est illud Isaiæ : Repleta *Is.* XI, 9.
est terra scientia Domini, sicut aquæ maris
operientes.
Væ qui potum dat amico suo, mittens 15
fel suum, id est cuilibet adulatori seu de-
ceptori, qui mala sub specie boni propo-
nit, et vere nociva atque amara vel æternæ
amaritudinis inductiva ingerit alteri, quem
se confingit amare, *ut adspiciat nuditatem*
ejus, id est, reddat eum confusum, et bo-
nis privatum. Hinc Isaias : Fraudulenti, *Ibid.* XXXII, 7.
inquit, vasa pessima sunt; et Psalmista,
Virum sanguinum et dolosum abominabi- *Ps.* V, 7.
tur Dominus. Sed et qui sophistice loqui- *Eccli.* XXXVII, 23.
tur, odibilis est. Ideo ait Apostolus : Ab *I Thess.* V, 22.
omni specie mala abstinete vos. *Repletus*
est ignominia qui ita decipitur. 16
Bibe tu quoque, et consopire, id est, tu
deceptor, vicissitudinem recipe, et quod
meruisti, sustine. *Circumdabit te calix*
dexteræ Domini, id est districta ultio Dei,
quatenus sicut fecisti proximo, fiat tibi a
Deo : quemadmodum Christus in Evangelio,
Eadem, inquit, mensura qua mensi fueri- *Matth.* VII, 2; *Luc.* VI, 38.
tis, remetietur vobis. Hinc Joannes in Apo-
calypsi testatus est : Hic bibet de vino iræ *Apoc.* XIV, 10.
Dei omnipotentis, quod mixtum est mero
in calice iræ ipsius. De calice isto habetur
in Psalmo : Calix in manu Domini vini *Ps.* LXXIV, 9.
meri, plenus mixto; item in Jeremia : Ca- *Jer.* LI, 7.
lix aureus Babylon in manu Domini; de
vino ejus bibent omnes gentes. Præterea
advertendum, quod dextera Domini in Scri-
pturis sæpe in bono accipitur : et tunc
magnum gratiæ ejus favorem ac pietatem
designat, sicut in Psalmo, quo dicitur, Dex- *Ps.* XVII, 36.
tera tua suscepit me. Interdum quoque in
malo accipitur : tuncque designat gravem
Dei vindictam, quemadmodum etiam homo
gravius percutit dextera quam sinistra.
Unde cantamus in Psalmo, Dextera tua in- *Ps.* XX, 9.
veniat omnes qui te oderunt; atque in
loco præsenti, Circumdabit te calix dexteræ
Domini. *Et vomitus ignominiæ* circumda-
bit te, id est, tanta a Deo confusione re-
pleberis, ut præ crapula vomens quod

sumpsit : quia iniquitas tua et justa puni-
tio redundabit in te : sicut in Psalmo ha-
Ps. vii, 16. betur, Lacum aperuit et effodit eum, et
incidit in foveam quam fecit; in Prover-
Prov. xi, 6. biorum quoque libro, In insidiis suis ca-
Is. iii, 11. pientur iniqui. Et in Isaia legitur : Væ
impio in malum; retributio manuum ejus
fiet ei. *Super gloriam tuam,* id est post
inanissimam gloriationem et frivolam ex-
sultationem, quam in aliorum supplanta-
tione habuisti. Hoc dicitur contra eos qui
in aliorum ruina lætantur.
17 *Quia iniquitas Libani,* id est impietas
gloriæ sæcularis apparenter florentis : Li-
banus namque candidatio interpretatur;
operiet te, id est, tuæ dejectionis atque
miseriæ causa erit; *et vastitas animalium
deterrebit eos,* id est, angustia quam impii
rationalibus inferunt creaturis, erit causa
quod et ipsi a Deo deterrebuntur in tem-
pore ultionis.
18 *Quid prodest sculptile, quia sculpsit
illud fictor suus?* Hoc generaliter contra
idololatras accipi potest : contra quos di-
Ps. xcvi, 7. citur in Psalmo, Confundantur omnes qui
adorant sculptilia, et qui gloriantur in si-
mulacris suis; itemque in Deuteronomio,
Deut. xxvii, 15. Maledictus omnis qui fecerit sculptile, et
conflatile opus manuum artificum. Specia-
A lius vero accipitur contra omnes vitiosos,
qui creaturæ potius quam Creatori inhæ-
rent, et aliquid sensualiter diligunt, cujus
phantasmati tanquam idolo cuidam intenti
sunt : quorum deus venter est, vel venus, *Philipp.* iii, 19.
aut certe pecunia, seu gloria mundi : qui-
bus implendum est quod in fine primæ
suæ Canonicæ scribit Joannes, Custodite *I Joann.* v, 21.
vos a simulacris. Nil ergo inordinate ame-
mus, sed Deus sit in nobis ratio diligendi
omnia quæ præter eum amamus; nec vanis
imaginibus cor nostrum depingamus, præ-
B sertim tempore divinorum, quatenus men-
te pura, nuda, indepicta et integra ei vacare
possimus.
Dominus in templo sancto suo, id est 20
triumphanti ac militanti Ecclesia, imo in
omni mente devota et corpore devotorum,
sicut Apostolus, Templum (inquit) Dei *I Cor.* iii, 17.
sanctum est, quod estis vos; et rursus,
Corpora vestra templum sunt Spiritus San- *Ibid.* vi, 19.
cti. In Ecclesia militanti est per gratiosam
inhabitationem, in Ecclesia triumphanti
per gloriosam manifestationem, ubique au-
C tem per essentiam, præsentiam atque po-
tentiam, quia in ipso vivimus, movemur, et *Act.* xvii, 28.
sumus. Nusquam vero est per inclusionem
vel circumscriptionem. — Cetera innote-
scunt ex dictis in præcedenti articulo.

ARTICULUS V

DECLARATIO CAPITULI TERTII, SCILICET CANTICI : DOMINE, AUDIVI AUDITIONEM TUAM, ET TIMUI.

1 PRÆSENTI capitulo præmittitur in He-
bræo titulus iste : *Oratio Habacuc
prophetæ, pro ignorantiis,* vel, *ignorati-
onibus,* secundum Hieronymum. Estque
sensus, secundum eumdem : Quia in prin-
cipio hujus libri temere dixit Propheta :
Habac. i, 2. Usquequo, Domine, clamabo, et non exau-
Ibid. 3, 13. dies? quare non respicis super inique
agentes, et taces devorante impio justiorem
D se? propterea egreditur perversum judi- *Habac.* i, 4.
cium; et quædam similia, quæ prima facie
non videntur bene sonare : nunc agit pœ-
nitentiam, et plangit quod temere est locu-
tus, et veniam deprecatur, eo quod contra
divina judicia murmuravit, quia ignorans
fecit.
Sed huic expositioni quidam objiciunt,
quoniam verisimile non videtur quod Pro-

pheta divinitus illustratus, ignoraverit di- A vina judicia esse justa saltem in generali, quamvis modum rectitudinis nescierit in particulari. Itaque dicunt, quod sicut in propria persona non dixit præinducta verba contra divinam justitiam, sed in persona infirmorum, ita nunc orat in persona eorum, ut et murmuratio et oratio in illorum persona prolata credatur. Istud apparet satis probabiliter dictum, et verba Hieronymi possunt ad idem reduci, præsertim quum ipse S. Hieronymus in exordio expositionis hujus prophetiæ testetur, Pro- B phetam loqui verba præallegata in persona Judaicæ plebis. Et postea ait : Hæc dicit Propheta, non quod ipse sic sentiat, sed quod impatientiam humanam in sua persona exprimat, sicut frequenter apostolus Paulus varias in se hominum recipit personas exprimitque sententias. Unde quod nunc ait Hieronymus, Prophetam temere et ex ignorantia esse locutum, veniam quoque precari, accipi potest ita, ut ipsa temeritas et ignorantia quæ in verbis Prophetæ sonuerunt, referantur ad eos in quorum C persona locutus est.

Porro, si quis dicat, non oportere Prophetam a peccatis venialibus excusari, et ideo, licet agnoverat Deum esse justissimum, ac ejus judicia esse justa non dubitavit in generali, tamen ex interno cordis sui dolore rationem aliqualiter offuscante et impatientia quadam, orta ex populi Judæorum gravissima oppressione, temere
Jonæ I, 3. sit locutus (sicut et Jonas propheta fugit a facie Domini; et non obstante quod Domi-
Ibid. IV, 9. nus dixit, Numquid bene irasceris tu? re- D spondit, Bene irascor usque ad mortem;
Job XLII, 3, 6. Job etiam profitetur : Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam; idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere) : si, inquam, quis dicat temere esse sanctum Habacuc in hac parte locutum, ex vehementi dolore rectum rationis judicium in particularibus aliqualiter impediente, atque ob id veniam postulantem, responsionis hujus vigorem studiosis committo.

Ait ergo beatus Propheta : *Domine, audivi* 2
interiori auditu, te intus in anima per angelum tuum loquentem : quemadmodum Zacharias, Angelus (inquit) loquebatur in *Zach.* I, 9.
me. Vel certe etiam exteriori auditu per angelum. Certum est namque, angelum Dei visibiliter apparuisse, sensibiliterque foras locutum fuisse huic Prophetæ, quando in Babylonem tulit eumdem, quemad- *Dan.* XIV, 32-38.
modum in Daniele scribitur. Unde et ea quæ nunc scribit, extrinsecus forte audivit. *Auditionem tuam,* id est res auditu perceptas, videlicet dejectionem et pœnam regis Babylonis ac populi ejus, in præce- *Habac.* II, 6 *et seq.*
denti capitulo positas. *Et timui* te, considerando rigorem tuæ justitiæ, et quam horrendum sit incidere in manus Dei vi- *Hebr.* X, 31.
ventis. Denique Isaias quid sibi contigerat, quum Babyloniorum afflictiones sibi Deus præostendisset, pandit dicens : Propterea *Is.* XXI, 3, 4.
repleti sunt lumbi mei dolore; corrui quum audirem, conturbatus sum quum viderem, emarcuit cor meum.

Domine, opus tuum est præinducta punitio Chaldæorum, quoniam tua virtute potius quam humana potestate peracta est; *in medio annorum,* id est in virili ætate ipsius Balthasar regis Babylonis, *vivifica illud,* id est, ad effectum perduc præfatam Chaldæorum seu Babyloniorum dejectionem. Balthasar quippe fuit filius filii Nabuchodonosor regis Babylonis : cujus Balthasar tempore, Medi ac Persæ demoliti *Dan.* V, 30, 31.
sunt Babylonem. Et quoniam ætas virilis est medium vitæ humanæ, ipse Balthasar, qui in virili ætate occisus est juvenis, in medio annorum fertur occisus. Juxta quem modum loquitur Ezechias : Ego dixi, In *Is.* XXXVIII, 10.
dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, id est, ad limbum patrum descendam. Auditis enim sermonibus Isaiæ, putavit se in virili ætate ac juventute mox moriturum. — Vel sic et fructuosius : *Domine, opus tuum* est quod supra dixisti : Apparebit in finem, et non mentietur; si *Habac.* II, 3.
moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, etc. : id est, incarnatio et missio Christi in mundum, est, o Deus

Pater, vel, Deus Trinitas, opus tuum præ- A cipuum; *in medio annorum*, id est in plenitudine temporum, seu tempore gratiæ, quod inter annum iræ et annum gloriæ medium est, *vivifica illud*, Christum actualiter mittendo in mundum ad liberandum genus humanum. (Galat. IV, 4.)

Consequenter Propheta ostendit, se certificatum a Deo de adimpletione et verificatione eorum quæ jam postulavit. *In medio annorum :* de quibus jam dictum est; *notum facies*, id est, opere demonstrabis vera esse quæ dixi, videlicet Chal- B dæorum punitionem seu Christi adventum. *Quum iratus fueris* generi humano propter originale peccatum, januam gloriæ clausam tenendo, et nullum Sanctorum ad regnum cœlorum admittendo, *misericordiæ recordaberis*, Unigenitum tuum ad hominum redemptionem, o Pater piissime, destinando : sicut Apostolus ait, Quum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in mundum; itemque Joannes, In hoc apparuit caritas Dei, quoniam unigenitum Filium suum misit in mundum. Vel sic : C Quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis : id est, postquam Chaldæos juste dejeceris, populum Judæorum clementer de captivitate Babylonica liberabis per Cyrum regem Persarum, prout Isaias prædixit, et tempore Esdræ impletum est. Potest quoque ita exponi : Quum iratus fueris, vel Chaldæis, vel generi humano, misericordiæ recordaberis, citra condignum puniendo, et justæ ultioni misericordem relaxationem miscendo : quemadmodum ait Psalmista, Universæ viæ Domini mise- D ricordia et veritas. Ideo idem ait Psalmista : Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? Absit autem ut hæc ita intelligantur, quasi tandem finienda sint supplicia damnatorum, ut opinati sunt quidam. Denique nec ita intelligenda sunt hæc, quasi in Deum cadat ira sive oblivio vel recordatio proprie dicta secundum veritatem, sed per similitudinem quamdam, quantum ad operationem extrinsecam : ut iratus dicatur, quando ad modum irati rigorose ulciscitur; et oblivisci, dum misereri vel suffragari desistit; recordari quoque, dum quasi de novo quid operatur. Sic equidem ait Psalmista : Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? et, Exsurge, quare obdormis, Domine? (Ibidem. — I Joann. IV, 9. — Is. XLV; I Esdr. I. — Ps XXIV, 10. — Ps. LXXVI, 10. — Ps. XII, 1. — Ps. XLIII, 23.)

3 *Deus ab austro veniet*. Hoc ita exponit S. Hieronymus : A meridie, a claro lumine, a filiis lucis veniet Deus, ad quem Sponsa ait in Canticis : Ubi pascis, ubi cubas in meridie? Deus etenim semper in meridie est, puta in claritate patriæ et lumine gloriæ; et inde venire asseritur, non quod localiter moveatur, sed quod agnitio ejus inde descendat ad nos, secundum quod ait Psalmista : Inclina cœlos tuos, et descende. *Et Sanctus de monte Pharan*, id est, Christus Sanctus Sanctorum veniet in hunc mundum de sublimi solio Patris æterni. Pharan namque interpretatur, os videntis. Est autem os quoddam intellectuale internum, quo verbum mentale profertur : de quo loquitur Isaias, Os Domini non interrogastis; et rursus, Egredietur de ore meo justitiæ verbum. Pater ergo æternus est mons Pharan, id est altissima mens, omnia cernens, et omnem visionem fontaliter causans. De quo Filius prodit, juxta illud Ecclesiastici : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. (Cant. I, 6. — Ps. CXLIII, 5. — Is. XXX, 2. — Ibid. XLV, 23. — Eccli. XXIV, 5.)

Quidam vel litteralius vel grossius ita exponunt : *Deus ab austro veniet :* id est, quemadmodum Deus venit a plaga australi, quando perduxit filios Israel ad terram promissionis ab Ægypto, quæ est ad austrum quoad Judæam; sic veniet cum Medis ac Persis ad redimendum eos de captivitate Babylonica. *Et Sanctus de monte Pharan :* id est, sicut deduxit filios Israel per locum illum deserti, ita reducet eos de Babylone. — Sed hac expositione gratiosior mihi apparet, quam Hieronymus asserit se a quodam audisse Hebræo : qui dixit, quod Bethlehem, in qua natus est Christus Deus, sit sita ad austrum : ideo eo quod ait Propheta, Deus ab austro veniet, designatur, quod in Bethlehem nasceretur, (Num. X, 12.)

et inde consurgeret Christus; et Sanctus A
de monte Pharan, id est, Salvator qui le-
Deut. xxxiii, 2. gem dedit in monte Sinai, juxta quem
Pharan est locus vicinus, ipse est Deus ab
austro adveniens. Huic versiculo addit Hie-
ronymus adverbium, Semper, quod (ut ait)
etiam in Hebræo habetur : quo designa-
tur, quod Salvator in universis beneficiis
suis præteritis, præsentibus ac futuris, sit
unus auctor, idemque legislator. De quo ad
Hebr. xiii, 8. Hebræos testatur Apostolus : Jesus Christus
heri et hodie, ipse et in sæcula. Postre-
mo, istum Hebræum de quo expositionem B
hanc suscepit Hieronymus, puto ad fidem
fuisse conversum. Judæi namque in Juda-
ismo manentes, non dicunt Messiam futu-
rum verum Deum, sed hominem purum.

Operuit cœlos gloria ejus : id est, divina majestas, quæ vere immensa est, omnes orbes cœlestes et beatos cœli empyrei cives tegit, ambit, circumdat, imo implet ac penetrat; nec tamen includitur neque finitur. Hinc in Ecclesiastico increata Sapi-
Eccli. xxiv, 8. entia contestatur : Gyrum cœli circuivi
sola, et profundum abyssi penetravi. Vel C
dicitur gloria Dei (id est clara ejus notitia, gloriosus effectus, seu cognitio excellentiæ ejus) operire cœlos, id est Beatos, et eos
Philipp. iii, 20. quoque quorum conversatio est in cœlis :
quoniam lumen gloriæ, splendor gratiæ, claritas sapientiæ exuberanter super eos descendit, et spiritualiter tegit eos ac im-
Job xxv, 3. plet, juxta illud Job : Numquid est nume-
rus militum ejus ? et super quem non surgit lumen ipsius ? Juxta hunc sensum
Sap. v, 17. scriptum est in libro Sapientiæ : Dextera
sua teget eos. *Et laudis ejus plena est ter- D
ra,* id est Ecclesia militans per orbem terræ diffusa : quemadmodum cantamus in
Ps. cxii, 3. Psalmo, A solis ortu usque ad occasum
Ps. viii, 2. laudabile nomen Domini; et item, Domine
Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra ! Hinc Isaias :
Is. xi, 9. Repleta, inquit, est terra scientia Domi-
Ibid. xxiv, 16. ni; rursusque, A finibus terræ audivimus
laudes, gloriam Justi. Denique in eodem
Ibid. vi, 2, 3. Isaia, Seraphim clamant : Sanctus, Sanctus,
Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus. Unde per Je-
remiam Dominus loquitur : Omnes cogno- *Jer.* xxxi, 34.
scent me a minimo eorum usque ad maximum, scilicet tempore gratiæ.

Splendor ejus, id est unigenitus Filius 4
Patris, qui (teste Apostolo) est splendor *Hebr.* i, 3.
gloriæ et figura substantiæ Patris : est
enim candor lucis æternæ, et speculum *Sap.* vii, 26.
sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis ejus; *ut lux erit,* id est, hominibus clare innotescet, et Patri esse æqualis noscetur, ita quod erit in mente fidelium sicut lux Patris seu Pater, a quo generatur : quemadmodum de ipso ait Joan-
nes, Erat lux vera, quæ illuminat omnem *Joann.* i, 9.
hominem. Quod maxime factum constat per Apostolorum prædicationem, post Christi passionem. Unde pro hac sua clarificatione Christus passioni jam proximus
deprecatus est, dicens : Clarifica me tu, *Ibid.* xvii, 5.
Pater, apud temetipsum, claritate quam habui antequam mundus fieret.

Cornua in manibus ejus. Secundum Hieronymum, per cornua intelliguntur regna,
sicut in Daniele decem cornua decem re- *Dan.* vii, 7, 24.
gna vocantur. Et in libro primo Regum, quo
dicitur, Exaltabit cornu Christi sui, per *I Reg.* ii, 10.
cornu designatur regia dignitas Salvatoris. Est itaque sensus, quod in potestate et manu Christi sint omnia regna : ipse enim
est Rex regum et Dominus dominantium, *Apoc.* xix, 16.
cui data est omnis potestas in cœlo et in *Matth.* xxviii, 18.
terra. De quo in Daniele legitur : Adspicie- *Dan.* vii, 13, 14.
bam in visione noctis, et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit; et dedit ei potestatem, honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Possunt quoque per cornua intelligi capita clavorum Christi manibus infixorum, vel crucis extrema. Et quamvis manus Christi erant potius in cornibus crucis quam e converso, nihilo minus dicitur nunc, Cornua in manibus ejus, ad insinuandum quod crux fuit in manu seu po-
testate Christi, qui ait : Nemo tollit ani- *Joann.* x, 18.
mam meam a me, sed ego ponam eam.
Oblatus est enim, quia voluit. Nec dubium *Is.* liii, 7.

Matth. xxvii, 39-43; *Luc.* xxiii, 35. quin Christus rex Israel, Dei electus, poterat A de cruce descendere, quando perditionis filii illud pro signo quærebant. *Ibi abscondita est fortitudo ejus :* quia in passione latuit omnipotentia Salvatoris, quem-*Is.* liii, 2, 3. admodum Isaias prædixit : Vidimus eum, et non erat adspectus, et quasi absconditus *Ibid.* liii, 14. vultus ejus et despectus; et item, Inglorius erit inter viros adspectus ejus. Propter *Ps.* xxi, 7. quod ait Christus in Psalmo : Ego autem sum vermis, et non homo ; opprobrium hominum et abjectio plebis.

5 *Ante faciem ejus ibit mors,* id est, a facie Christi mors fugiet. Christus enim mortem expulit et occidit, sicut ait Apostolus : *I Cor.* xv, 54. Absorpta est mors in victoria. Et in Osee *Osee* xiii, 14. ait Salvator : De morte redimam eos ; ero mors tua, o mors ! Siquidem Christus sua morte immortalitatem nobis perfectam promeruit, quam in resurrectione futura adipiscemur, atque a morte peccati nos libe-*Is.* xxv, 8. ravit. Hinc in Isaia asseritur : Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum. Unde *Joann.* vi, 47; xi, 26; viii, 52. in Evangelio loquitur Christus : Qui credit in me, mortem non gustabit in æternum. C *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Secundum Hieronymum sensus est, quod Christo de aqua baptismatis exeunti atque desertum intranti, mox occurrit diabolus tentans eum, prout apud Matthæum reco-*Matth.* iv, 1. litur : Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a diabolo. Hieronymus quoque affirmat hoc loco, quod coluber antiquus quadraginta diebus tentavit Jesum in solitudine. Vel sensus est, quod per Christi adventum, prædicationem et occisionem, victus atque fugatus est Satanas, ut in D *Joann.* xii, 31. Joanne ait Salvator : Nunc princeps hujus *I Joann.* iii, 8. mundi ejicietur foras. In hoc quippe apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Denique in Evangeliis copiose narratur quemadmodum ab obsessis fugaverit Christus dæmonia, ita ut eo jam propinquante, timore diffugerent, juxta illud : *Luc.* iv, 41. Exibant dæmonia multa clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei ; et item : *Matth.* viii, 29. Jesu, Fili Dei summi, quid venisti ante tempus torquere nos ?

Stetit ipse Dominus, id est, in solio suæ 6 majestatis quievit, *et mensus est terram :* quemadmodum ad Job testatur : Quis po- *Job* xxxviii, 5. suit mensuras terræ ? aut quis tetendit super eam lineam ? Et in Ecclesiastico : Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et *Eccli.* i, 2. profundum abyssi quis dimensus est? Ipse equidem in numero, pondere et mensura *Sap.* xi, 21. constituit universa. Vel, Mensus est terram, mittendo angelos per omnem orbem terrarum, secundum illud Zachariæ : Isti *Zach.* i, 10. sunt quos misit Dominus, ut perambulent B terram. Nam diabolus profitetur ad Dominum in libro Job : Circuivi terram et per- *Job* i, 7; ii, 2. ambulavi eam. Vel, Mensus est terram, id est habitantes in terra, omnium personas, qualitates, gesta et merita considerando, juxta illud Ecclesiastici : Oculi Domini *Eccli.* xxiii, 28. multo lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum. Mensus est etiam homines, numerum eorum in se ipso æternaliter prædeterminando.

Adspexit oculo æquitatis, *et dissolvit gentes,* impios atque incredulos subvertendo ; *et contriti sunt montes sæculi,* id est majores elatioresque principes terræ. For- *Sap.* vi, 9, 7. tioribus namque fortior instat cruciatus, et potentes potenter tormenta patientur, ut dicit Sapiens. Hinc scriptum est in Baruch : Ubi sunt principes gentium, qui *Baruch* iii, 16, 17, 19. dominantur super bestias terræ, qui in avibus cœli ludunt? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. *Incurvati sunt colles mundi,* id est, principes minores humiliati sunt, *ab itineribus æternitatis ejus,* id est ab operibus seu processibus divinæ justitiæ, seu Dei æterni, ab æterno prævisis et præordinatis. Itinera itaque Dei possunt intelligi dispositiones rerum fiendarum in mente divina, secundum illud quod increata Sapientia loquitur, Domi- *Prov.* viii, 22. nus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio ; vel ipsi processus operum divinæ sapientiæ, pietatis, vel æquitatis, de quibus Salomon fassus est, Viæ ejus, viæ pul- *Ibid.* iii, 17. chræ. De hac montium colliumque justa depressione scriptum est in Isaia : Domi- *Is.* xxiii, 9.

nus Deus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ ; et alio loco, Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum. (*Is.* II, 17.) — Potest quoque exponi in bono, ut Deus dicatur oculo suæ clementiæ gentes adspexisse, et dissolvisse corda eorum ad pœnitentiam. Sicque, *contriti sunt montes,* non ipsis, sed eorum elatione ac vitiis demolitis, juxta quod scriptum est, Verte impios, et non erunt ; (*Prov.* XII, 7.) *et incurvati sunt colles mundi* salubriter ad veram ac humilem pristinæ animositatis depressionem. De hujuscemodi optima incurvatione legitur in Baruch : Anima quæ tristis est super magnitudine mali et incedit curva, dat gloriam Domino. (*Baruch* II, 18.) Quidam referunt præinducta specialiter ad Chaldæos, a Persis ac Medis divina præordinatione subversos.

7 *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ:* id est, iniquitatum suarum demeritis fiunt homines spiritualiter denigrati atque dæmonibus assimilati, imo et tabernacula dæmonum, sicut electi sunt domus et templum Dei. (I *Cor.* III, 16, 17.) *Turbabuntur pelles terræ Madian.* Septuaginta transtulerunt, Pavebunt tabernacula terræ Madian. Unde secundum Hieronymum, eosdem debemus accipere tabernacula Æthiopum et Madianitarum : qui pro suis peccatis turbabuntur timore horribili, quum se viderint condemnandos. (*Sap.* V, 2.) Spiritualiter, pelles Madian, intelliguntur propriæ voluntates, passiones animæ et concupiscentiæ carnis, quibus se tegunt, armant, et induunt vitiosi, rebelles, et inobedientes. Quidam exponunt ista ad litteram, ita quod pro iniquitate destructionis templi Jerusalem, tentoria Æthiopiæ et Madian sint turbata, id est a Persis et Medis debellata : quoniam Æthiopes et Madianitæ fuerunt, ut dicunt, cum rege Babylonis in destructione templi, et postea cum Babyloniis interfecti : quod unde probari possit, ignoro.

8 *Numquid in fluminibus iratus es, Domine? aut in fluminibus furor tuus? aut in mari indignatio tua?* Quasi dicat : Tu, Deus justissime, non es inanimatis rebus iratus secundum se, sed in illis quædam opera facis ad liberationem tuorum, et destructionem pravorum, sicut in mari Rubro atque Jordane desiccatis populum Israel redemisti, et in mari illo Ægyptios submersisti. (*Exod.* XIV; *Josue* III.) *Qui ascendes super equos tuos.* Istud ad litteram referri potest ad equitatus Persarum atque Medorum, qui Deo auxiliante Chaldæos vicerunt. Propter quod dicitur Deus eorum ascendisse equos, quoniam inspiravit eis ut equos contra Chaldæos ascenderent. *Et quadrigæ tuæ,* id est Persarum ac Medorum currus, sunt *salvatio :* id est, per currus et prælia horum liberati sunt filii Israel de Babylonica captivitate per Cyrum regem Persarum, ut scribitur in primo libro Esdræ. (I *Esdr.* I.)

Suscitans suscitabis arcum tuum : id est, 9
Persis et Medis dabis virtutem pugnandi ac sagittandi victoriose contra Chaldæos. Unde Septuaginta transtulerunt : Intendens, extendes arcum tuum. Quemadmodum ergo in Ezechiele gladium Nabuchodonosor regis appellat Dominus gladium suum, quia divinæ justitiæ exstitit executor, Quum cœperit, inquiens, gladius meus volare ; (*Ezech.* XXXII, 10.) ita nunc quadrigæ et currus Persarum, itemque Medorum, dicuntur quadrigæ currusque Dei. Itaque, Suscitabis arcus istorum, ut impleas *juramenta tribubus, quæ locutus es :* id est, facies populo et tribubus Judæorum quæ eis per Moysen et Prophetas promisisti, videlicet quod quando in captivitate implorarent veraciter clementiam tuam, eriperes eos et ad terram promissionis eos reduceres. Hoc autem per Jeremiam Dominus specialiter promisit Judæis, quantum ad reditum a captivitate in Babylone. (*Jer.* XXIX, 10-14.) Hinc per Moysen et Nehemiam eis locutus est Deus : Si reversi fueritis ad me in toto corde vestro, etsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, et inducam vos in terram quam dedi patribus vestris. (*Deut.* XXX, 1-5; II *Esdr.* I, 9.) In fine versiculi hujus additur, Semper, quia a tempore Abrahæ cœpit ista promissio, et reiterata est sæpe ; vel, Semper, tempore opportuno.

ARTICULUS VI

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI TERTII AB EO LOCO QUO DICITUR : FLUVIOS SCINDES TERRÆ.

CONSEQUENTER ad litteram Propheta prosequitur Chaldæorum dejectionem. *Fluvios scindes terræ.* Per flumina et aquas, frequenter intelliguntur reges et
Is. VIII, 7. eorum exercitus, sicut testatur Isaias : Adducet Dominus super Judam aquas fluminis multas et fortes, regem Assyriorum et omnem gloriam ejus. Est igitur sensus, secundum Hieronymum : Reges et populum contra Judæos pugnantes disperges, o Domine. Vel, ut alii asserunt, intelligi potest de divisione Euphratæ fluvii, quem Persæ ac Medi in plures lacus partiti sunt, sicque per alveum principalem evacuatum ab aquis, ingressi sunt Babylonem : quod quia Deo inspirante fecerunt, Deus
10 fecisse describitur. *Viderunt te,* id est, omnipotentiam atque rigorem divinæ justitiæ per experientiam agnoverunt, *et doluerunt montes,* puta elati principes Babylonis, et ceteri qui populum tuum vastaverunt, quando a Persis et Medis occidebantur. Un-
Judic. V, 31. de in libro Judicum habetur : Sic pereant inimici tui, Domine ; itemque in Psalmo,
Ps. LXXXII, 18, 19. Confundantur et pereant, et cognoscant quia nomen tibi Dominus. *Gurges aquarum transiit,* id est, impetus persecutionis persequentium populum tuum, te operante, defecit ; vel sensus est, quod inundatio aquarum Euphratæ modo præfato cessavit.

Dedit abyssus vocem suam : id est, aqua prænominata cum quodam fragore et sonitu locum suum reliquit. Vel, Dedit vocem suam materialiter et occasionaliter, quia ex ejus divisione sumpserunt alii materiam laudandi divinam justitiam, prout
Ps. LXIV, 14. in Psalmo cantatur : Valles abundabunt frumento ; clamabunt, etenim hymnum dicent. Sic namque inanimata Deum benedicere et laudare feruntur. Porro, secundum Hieronymum sensus est : Abyssus dedit vocem suam, id est, inferi laudaverunt te : quod de sanctis in limbo detentis forte intelligit ; vel quod de Chaldæorum damnatione lætati sunt dæmones, et quoad hoc, divinam justitiam approbarunt. *Altitudo manus suas levavit :* id est, superni atque angelici spiritus, interioribus manibus de divinæ justitiæ exsecutione plaudendo, Deum glorificarunt. Hinc in Apocalypsi spiritualis Babylonis destructione descripta, inducitur : Exsultate, cœli Apoc. XVIII, 20.
et sancti Apostoli et Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum. Vel sensus est, quod Deus altissimus, qui est summa et prima sublimitas, manus suas levavit, id est, potestatem suam exercuit contra Chaldæos.

Sol et luna steterunt in habitaculo suo. 11
Consuetudo Scripturæ est, ut luminaria cœli, quæ in ministerium hominum condita sunt, obscurari et mœrere dicantur, dum hominibus adversa magna contingunt, ut patet in Ezechiele, Joele, aliisque Ezech. XXXII, 7, 8; Joel II, 10, 31; III, 15; Is. XIII, 10, etc.
Prophetis ; quum vero hominibus prospera accidunt, fulgere et quasi reflorere feruntur. Quemadmodum ergo in devastatione Judæorum dirissima a Chaldæis, sol et luna obscurata dicuntur per quamdam metaphoram, juxta illud Joelis, Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt Joel II, 10; III, 15.
splendorem suum ; sic in liberatione eorum a captivitate Chaldaica, sol et luna ad pristinum sunt reversa vigorem, non quod in se ipsis mutata sunt quantum ad modum præfatum. Sic igitur loco præsenti denuntiata Judæorum liberatione, sol et luna in habitaculo suo stetisse scribuntur,

id est, in gradu atque vigore vel splendo-
re consueto fuerunt : hoc est, sic de eorum
fulgore gavisi sunt Judæi, ut olim tempo-
re prosperitatis ac pacis : ita quod Stare,
non dicit hic cessationem a motu, sed
exsistentiam stabilem, sicut communiter
dicimus, Ille stetit Romæ tot annis. Unde
Septuaginta transtulerunt : Elevatus est
sol, quoad pristini vigoris receptionem,
modo nunc explanato ; et luna stetit in
ordine suo, id est in pristino gradu ac
modo. *In luce sagittarum tuarum ibunt :*
id est, sol et luna solito cursu movebun-
tur, quoad ipsos Judæos, eorum utilitati
suis motibus deserviendo ut olim, in lu-
ce sagittarum tuarum, id est mediantibus
splendentibus Persarum ac Medorum sa-
gittis, quas contra Chaldæos miserunt, at-
que per hoc populum Israel de illorum
manibus redemerunt. Simili sensu sub-
jungitur : *in splendore fulgurantis hastæ
tuæ,* id est mediantibus fulgidis hastis Per-
sarum : quorum sagittæ et hastæ dicuntur
vers. 8. esse Dei, prout præcedenti articulo equi
et currus eorum, Dei esse dicuntur. Vel
sensus est, quod Chaldæi ibunt, id est,
peribunt et esse cessabunt, virtute sagit-
tarum atque hastarum jam præfatarum.

12 *In fremitu,* id est in districtione tuæ
justitiæ, vel in ira et animositate Persa-
rum, *conculcabis terram,* id est populum
Chaldæorum seu Babyloniæ regionem ; *et
in furore,* id est in rigore tuæ justitiæ,
obstupefacies gentes Chaldæis auxiliantes.

13 *Egressus es,* non locum mutando, qui
incircumscriptibilis invariabilisque con-
sistis, sed tuam potentiam ostendendo, et
aliquid de novo manifeste operando, *in
salutem populi tui,* id est ad salvandum
Judæos de captivitate sæpe præfata, *in sa-
lutem cum christo tuo,* id est cum Cyro
rege Persarum, ut quidam exponunt : qui
dicitur christus Dei, id est in regem a Deo
Is. XLV, 1. electus, juxta illud in Isaia, Hæc dicit Do-
minus christo meo Cyro. Hieronymus au-
tem exponit de Domino nostro Jesu Christo,
cum quo in hunc mundum per incarnati-
onem veniente, venit et Pater per gratiæ
A suæ operationem multiplicem, sicut et Fi-
lius is loquitur : Si quis diligit me, ser- *Joann.* XIV, 23.
monem meum servabit ; et Pater meus
diliget eum, et ad eum veniemus, et man-
sionem apud eum faciemus. Et rursus :
Pater (inquit) in me manens, ipse facit *Ibid.* 10.
opera ; et, Pater non reliquit me solum. *Ibid.* VIII, 29.
Venit ergo Pater in salutem generis hu-
mani cum Christo suo Domino salvato-
re : nam et opera summæ Trinitatis sunt
indivisa ; et Filius, Omnia (ait) quæ facit *Ibid.* V, 19.
Pater, hæc et Filius similiter facit.

B *Percussisti caput de domo impii,* id
est, Balthasar regem Babylonis per Persas *Dan.* V, 30.
occidisti, et de palatio suo ejecisti. Vel
caput istud intelligitur diabolus a Christo
dejectus, seu Antichristus ab ipso dejici-
endus. *Denudasti fundamentum ejus us-
que ad collum,* id est, abscondita et se-
creta capitis hujus totaliter confudisti, et
revelasti, et destruxisti. Machinationes enim
diaboli Christus aperuit, ita ut dicat Apo-
stolus : Non ignoramus cogitationes diabo- II *Cor.* II, 11.
li ; et denuo, Alii datur discretio spirituum. I *Cor.* XII, 10.
C Omnia quoque abscondita regis Balthasar
Chaldæi scrutati sunt. *Maledixisti sceptris* 14
ejus, id est, regnis ac dominationibus re-
gis Babylonis maledixisti, *et capiti bella-
torum ejus,* id est principi militiæ, *venien-
tibus ut turbo ad dispergendum me,* id
est, qui copiose et impetuose venerunt ad
destruendum populum Judæorum. Non est
autem necesse, hæc omnia referri præcise
ad eosdem numero, quoniam sacra Scri-
ptura sæpe loquitur de diversis quasi de
eisdem, quia ad unum populum pertinent.
D Rex autem Babylonis et ejus princeps mi-
litiæ, qui Jerusalem destruxerunt, fuerunt IV *Reg.* XXV.
Nabuchodonosor et Nabuzardan, qui non
fuerunt a Persis et Medis occisi. *Exsulta-
tio eorum sicut ejus qui devorat paupe-
rem in abscondito :* id est, præfati principes
sic gloriati sunt populum Israel opprimen-
do, quemadmodum gloriatur crudelis ege-
num occulte dilanians et affligens : quo-
niam sine timore hoc fecerunt crudeliter,
nec Deum omnia inspicientem tanquam
judicem attenderunt.

15 *Viam fecisti in mari equis tuis,* id est, A
equis atque equitibus Persarum et Medo-
rum dedisti iter per arentem Euphratæ
alveum, aqua ejus hinc inde educta. Ideo
subditur : *in luto aquarum multarum.*
Aqua enim educta, terra alvei fuit aliquo
modo lutosa. Euphraten autem nominat
mare, more loquendi Hebraico, quo quæ-
libet grandis aquarum collectio dicitur ma-
Gen. i, 10. re, secundum illud Genesis : Congregatio-
nes aquarum appellavit Deus maria.
16 *Audivi* a te, Domine, per spiritum pro-
phetiæ comminationes tuas adversus Chal- B
dæos, *et conturbatus est venter meus,* id
est, dolor seu timor animæ tantus fuit,
quod redundavit in corpus. Vel per ven-
trem intelligitur mens, quæ est uterus spi-
Prov. xxii, 17, 18. ritualis, de quo Salomon ait : Fili, accipe
doctrinam, quæ tibi pulchra erit, quum in
ventre tuo tenueris eam. De quo Pater te-
Ps. cix, 3. statur in Psalmo ad Filium : Ex utero ante
luciferum genui te. *A voce,* id est ab au-
ditu verborum tuorum, *contremuerunt la-
bia mea :* in tantum formidavi rigorem
justitiæ tuæ. Quamvis autem Habacuc de C
Chaldæorum dejectione gavisus sit, secun-
dum unam considerationem, prout fuit
occasio liberationis Judæorum, tamen se-
cundum aliquas considerationes, expavit
ac doluit, et ex amore naturæ, eorum gra-
vissimæ calamitati compassus est, sicut
In art. 2. superius ex Isaia ostensum est. Nam et
Isaias, descripta Babylonis destructione,
Is. xxi, 4. inter cetera dicit : Elanguit cor meum, te-
nebræ stupefecerunt me. *Ingrediatur pu-
tredo in ossibus meis, et subter me scateat:*
id est, tribulatio et infirmitas, quantum- D
cumque gravis me apprehendat, dummodo
tibi placuerit, et gratiæ tuæ subventione
supposita, qua patientiam largiaris. *Ut re-
quiescam in die tribulationis,* id est, tem-
pore destructionis Babyloniorum cesset
captivitatis meæ pressura, et in spe libe-
rationis repausem. *Ut ascendam ad popu-
lum accinctum nostrum,* id est, Babylone
destructa, de licentia Cyri regis Persarum,
pergam a Chaldæa in Judæam simul cum
populo Judæorum in Judæam revertente,
armato atque ad prælium præparato : vi-
delicet cum viris præclaris Esdra, Nehe-
mia, Zorobabel, et Jesu filio Josedec, qui
propter insidias hostium erant ad pugnan-
dum dispositi, ut patet in Esdra. Hæc dicit II *Esdr.* iv.
Habacuc non in sua, sed in Judæorum per-
sona. Ipse enim in captivitate prædicta
non fuit, sed in Judæa remansit, ut legitur *Dan.* xiv, 32.
in Daniele.

Consequenter Propheta causam assignat,
cur in die tribulationis Babyloniorum tam
vehementer requiescere et consolari roga-
verit. *Ficus enim non florebit, et non erit* 17
germen in vineis, id est, arbores fici et
vites steriles erunt. *Mentietur opus olivæ,*
id est, speratus olivarum fructus præsto-
lantes decipiet, et per modum mentientis
se habebit, non oriendo, ut aliquando præ-
tendebat; *et arva non afferent cibum :* pro
quo Septuaginta transtulerunt, Campi non
facient escas. Per quæ omnia insinuatur
sterilitas territorii Chaldæorum, cujus cam-
pos et arbores Persæ et Medi vastabant. Et
aliqui asserunt, quod sterilitas ista fuit
plaga a Deo inflicta ante Persarum adven-
tum. Certum est autem, quod talis steri-
litas expugnationem vastitatemque terræ
soleat concomitari. *Abscindetur de ovili
pecus :* id est, a stabulis Chaldæorum au-
ferentur jumenta eorum, vel per hostes,
vel alimentorum penuriis. Ideo subditur :
et non erit armentum, id est pecorum
multitudo, *in præsepibus,* in quibus cibos
accipere solent. Sicque Chaldæis adhuc
manentibus, vel in terra illorum exsisten-
tibus, deerit carnium usus.

Postremo, quoniam ex consideratione
punitionis pravorum, solent electi cautio-
res melioresque fieri, atque ad gratiarum
actionem et laudem divinam provocari
(quemadmodum in Proverbiis Salomon ad-
struit, Pestilente flagellato, homo sapien- *Prov.* xix,
tior erit : etenim, felix quem faciunt aliena 25.
damna peritum), Propheta Deum laudans,
ejusque æquitati applaudens, subjungit :
Ego autem, illis sic pereuntibus, *in Do-* 18
mino gaudebo, in contemplatione et dile-
ctione ejus et beneficiorum ac promisso-

rum ipsius, in actibus quoque virtuosis ei A
Luc. i, 47. placentibus : sicut et virgo Maria, Exsulta-
vit, inquit, spiritus meus in Deo salutari
I Reg. ii, 1. meo; et Anna in libro primo Regum, Ex-
sultavit cor meum in Domino. *Et exsulta-
bo,* id est, signa interioris lætitiæ exterius
demonstrabo, *in Deo Jesu,* id est salvato-
re *meo.* Unde Septuaginta transtulerunt :
Gaudebo super Deo salvatore meo. Potest-
que nomen Jesu hoc loco sumi proprie
atque communiter : intentio namque Pro-
phetæ finalis ac principalis, est loqui vel
de ipso Salvatore Filio Dei, et ejus quam B
nobis impendit salute, vel de Cyro rege
Persarum, et Judæorum per eum liberatio-
ne, in quantum fuerunt figura Christi re-
gis et suæ salvationis.

19 *Deus Dominus fortitudo mea,* non for-
malis, sed effectiva, id est confirmator
meus, et totius roboris mei causa præci-
pua : cujus virtute liberatus est populus
Israel de Babylone; de quo ait Psalmista,
Ps. xvii, 2. Diligam te, Domine, fortitudo mea; qui et
Joann. xv, 5. testatur, Sine me nihil potestis facere. *Et
ponet pedes meos quasi cervorum,* id est, C
agilitatem bene agendi mihi præstabit, et
populum Israel in terram Judææ expedite
reducet. Loquitur autem Propheta in per-
sona populi sui. *Et super excelsa mea,* id
est ad loca Judææ sublimia et montuosa,
deducet me victor Deus omnipotens. De
quo in Numeris Balaam contestatur : Do- Num. xxiii, 21.
minus Deus Israel cum eo est, et clangor
victoriæ regis in illo est. De quo loquitur
Jephthe : Quæ Dominus Deus noster victor Judic. xi, 24.
obtinuit, in nostram cedent partem. Ipse
est rex ille omnipotens, cujus voluntati Esther xiii, 9.
nedum non prævalere, sed nec resistere
quispiam potest. Vel, Super excelsa mea,
id est ad virtutum præclarissima opera,
sive ad pristinam dignitatem, honorem et
gloriam, puta ad sacerdotium, sacrificia,
templi reparationem, principatum ac po-
testatem, deducet me victor. Hæc enim
post reditum de Babylone recuperaverunt
Judæi, ut patet in Esdra et libris Macha- I Esdr. vi;
bæorum ac aliis locis. Vel, ad regna cœle- I Mach. iv; II Mach. x.
stia deducet me victor Christus, de quo
legitur in Apocalypsi, Vicit leo de tribu Apoc. v, 5.
Juda : sicque verba ista accipi possunt in
persona eorum quos Christus de limbo
perduxit ad patriam. Sic ergo deducet me
in psalmis canentem, id est ei gratias re-
ferentem, eumque laudantem : sicut in
Ecclesiastico scribitur : Laudabit usque ad Eccli. li, 8, 12.
mortem anima mea Dominum, quoniam
eruis sustinentes te, Domine, et liberas
eos de omni angustia.

ARTICULUS VII

DE EXPOSITIONE EXORDII CANTICI HUJUS SECUNDUM TRANSLATIONEM SEPTUAGINTA INTERPRETUM, ET EXPOSITIO EJUSDEM CANTICI TROPOLOGICA SEU MORALIS.

QUONIAM Tractus missalis Officii in D
die Parasceves, ex hoc cantico sum-
ptus est secundum translationem Septua-
ginta interpretum, quæ etiam translatio a
translatione Hieronymi in hoc passu satis
distat, congruit principium cantici hujus
secundum illorum translationem pertrans-
eundo exponere. — Titulus autem, quem
Septuaginta capitulo huic præmittunt, est
hic : *Oratio Habacuc prophetæ cum can-* 1
tico : quia in isto capitulo agitur de Chri-
sti adventu et salvatione, pro qua Deum
cum hymnis, psalmis et canticis spiritua- Ephes. v, 19.
libus orare debemus.

Itaque Septuaginta transtulerunt : *Do-* 2
mine, audivi auditum tuum, et timui :
quod supra satis expositum est. *Domine,
consideravi opera tua,* id est mirabilia tua

judicia, effectus tuæ justitiæ, ordinem cre- A
aturarum, gubernationem universi, mira-
cula quæ a principio mundi fecisti, do-
na gratiarum, hominum dispositionem, et
qualiter genus humanum liberare decre-
veris, *et obstupui* (vel *expavi*), id est, ad
mentis excessum perductus sum, et præ
admiratione defeci, clamans cum divino
Rom. XI, 33. Apostolo : O altitudo divitiarum sapientiæ
et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia
sunt judicia ejus, et investigabiles viæ
ejus! Porro, secundum Hieronymum, quod
Septuaginta dixerunt, Consideravi, et ob- B
stupui, in Hebraico non habetur. Verum,
secundum Augustinum, qui in libro de
Civitate Dei in pluribus locis valde com-
mendat translationem Septuaginta inter-
pretum, asserens eos prophetali spiritu
transtulisse, et ex divino instinctu addi-
disse quæ addiderunt, tenendum est quod
ista et reliqua quæ addiderunt, Deo inspi-
rante locuti sunt.

*In medio duorum animalium cognosce-
ris* (vel *innotesces*), id est inter duos popu-
los ex quibus collecta est sancta Ecclesia, C
utpote in medio conversorum ex Judaismo
et paganismo. De quibus loquitur Zacha-
Zach. VI, 13. rias, Consilium pacis erit inter duos illos ;
Ephes. II, 14. et Apostolus, Ipse est pax nostra, qui fecit
utraque unum. Quemadmodum enim duo
parietes in lapide angulari concurrunt et
Ibid. 20. copulantur; ita in Christo summo lapide
angulari, duo populi isti facti sunt unum
mysticum corpus, unumque templum, de
Zach. VI, 13. quo dicit Zacharias : Ipse ædificabit tem-
plum Domino. Vel duo animalia intelligun-
tur duo Testamenta, vere vivifica, gratiæ D
vitam spirantia. Quidam per duo animalia
Matth. XXVII, 38. intelligunt duos latrones inter quos sus-
pensus est Christus atque innotuit, cen-
Ibid. 54. turione dicente, Vere Filius Dei erat is-
Luc. XXIII, 48. te : quando et omnis turba eorum qui ad-
erant, et videbant quæ tempore passionis
fiebant, percutientes pectora sua reverte-
bantur. Postremo, non desunt qui per
duo animalia intelligunt bovem et asinum
quos Joseph secum duxit in Bethlehem,
Christi nativitate instante : inter quos in-
fantulus Jesus in præsepio positus, agnitus *Luc.* II, 12.
fuit a Matre et Joseph, vel ab istis jumen-
tis, secundum similitudinem quamdam.
Ad quod referunt illud Isaiæ : Cognovit *Is.* I, 3.
bos possessorem suum, et asinus præsepe
domini sui. Expositio autem eorum qui
per duo animalia intelligunt Filium et Spi-
ritum Sanctum, eo quod Pater per Fili-
um et Spiritum Sanctum cognoscatur (qui
etiam in Isaia per duo Seraphim Filium et *Ibid.* VI, 2.
Spiritum Sanctum accipiunt), est suspe-
cta, nec placet, præsertim quum canticum
istud specialiter de persona Filii tractet.

*Quum appropinquaverint anni, cogno-
sceris :* id est, tempore gratiæ seu evange-
licæ legis clarius te agnoscent fideles : quia
ut ait Apostolus, Ubi venit plenitudo tem- *Galat.* IV, 4.
poris, misit Deus Filium suum. Et in prima
sua Canonica ait Joannes : Scimus quoni- I *Joann.* V, 20.
am Filius Dei venit, et dedit nobis sen-
sum, ut cognoscamus Deum verum. Ante
enim notus erat in Judæa Deus, sed adve- *Ps.* LXXV, 2.
niente tempore gratiæ, ad unius veri Dei
cultum atque notitiam totus conversus est
mundus. *Quum advenerit tempus* præor-
dinatum a Deo, *ostenderis,* id est, fideli-
bus innotesces. Hoc est tempus incarnati-
onis et conversationis Christi in mundo,
itemque evangelicæ prædicationis : de quo
loquitur Paulus, Ecce nunc tempus acce- II *Cor.* VI, 2.
ptabile, ecce nunc dies salutis; et Baruch,
Post hæc in terris visus est, et cum homi- *Baruch* III, 38.
nibus conversatus est. Unde et Christus ait
ad Patrem : Ego te clarificavi super ter- *Joann.* XVII, 4, 6.
ram, manifestavi nomen tuum hominibus,
quos dedisti mihi. — Quod vero nunc di-
ctum est, Quum advenerit tempus, osten-
deris, secundum Hieronymum, in Hebræo
non ponitur, sed a Septuaginta interpreti-
bus est additum.

Deus a Theman veniet, id est ab austro, 3
secundum Hieronymum : quod jam satis
expositum reor. *Et Sanctus de monte um-
broso et condenso :* id est, Christus Sanctus
Sanctorum in mundum hunc venit de pa-
radiso cœlesti ac summo, pleno vivis uber-
rimisque arboribus, puta angelicis atque
supernis virtutibus. Vel mons iste umbro-

sus, est Deus Pater incomprehensibilis et perfectus, qui majestate sua omnia tegit et operit, de cujus sinu Filius descendit in mundum, non locum transmutans, sed naturam humanam assumens. Quidam dicunt : Deus a Libano veniet : et redit in idem. Per Libanum nempe, qui candidatio interpretatur, splendidissimus iste paradisus, vel superpulcherrimus Deus Pater, seu lux divina inaccessibilis, congrue designatur.

Quum ergo ex his pateat, in cantico isto tam manifeste tractari prophetatumque esse de Christo ac ejus mysteriis, præsertim secundum Septuaginta interpretum translationem, certum est quosdam in hujus cantici explanatione nimis superficiales et litterales consistere, qui omnia ista, et pene omnia quæ sequuntur, ad litteram referunt ad Babyloniæ destructionem.

Expositio tropologica.

NUNC ad moralitatem eundum est. Unde quilibet contemplativus fidelis, divinorum operum considerator industrius, dicere po-
2 test : *Domine, audivi,* auribus mentis et corporis, *auditionem tuam,* id est sacræ Scripturæ sermones, et verba divinitus re-
Is. LIII, 1. velata : de quibus loquitur Isaias : Domine, quis credidit auditui nostro? *et timui,* filiali et casto timore, qui est fuga mali culpæ, ne Deus offendatur : sicut timuit
Ps. CXVIII, 161. Psalmista, qui ait : A verbis tuis formidavit cor meum. Itaque cum reverentia et timore audienda sunt verba Dei. Unde Jo-
IV *Reg.* XXII, 18-20. siæ quarto Regum libro promittitur : Quia timuisti a facie verborum quæ audisti, et perterritum est cor tuum, in pace collige-
Jer. XXIII, 9. ris. Et Jeremias : Factus sum, inquit, velut vir ebrius a facie verborum sanctorum Dei. Quis enim non timeat, audiens illud,
Matth. XII, 36. De omni verbo otioso reddent homines ra-
Hebr. X, 31. tionem; et illud, Horrendum est incidere
Eccle. IX, 1, 2. in manus Dei viventis; et, Nescit homo an sit dignus amore vel odio, sed omnia in futurum reservantur incerta; illud etiam,
Matth. XXV, 41. Ite, maledicti, in ignem æternum ? Ideo
Job XXIII, 15. sanctus Job profitetur : Considerans Deum, timore sollicitor. Alibi quoque dicit Scriptura : Beatus homo qui semper est pavidus. *Prov.* XXVIII, 14.

Domine, opus tuum est nostra redemptio, et omne bonum quod agimus. Non *II Cor.* III, 5.
enim sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis ; sed Deus est qui operatur in *Philipp.* II, 13.
nobis velle et perficere. *In medio annorum,* videlicet anno gratiæ ac evangelicæ legis, qui inter annum legis Mosaicæ annumque gloriæ medius est, *vivifica illud,* animas nostras actualiter redimendo, nosque in juventute nostra in bonis operibus inflammando, et omne quod agimus per caritatem infusam spiritualiter vivificando.

In medio annorum, jam dicto, *notum facies* nostræ redemptionis vel justificationis opus, dando gratiam magnam ac evidentem, ita ut electi tui inter ceteros quasi sidera verbo et exemplo resplendeant. *Quum iratus fueris,* tuos electos nunc castigando, atque pro suis peccatis multipliciter corripiendo, hostibusque tradendo, *misericordiæ recordaberis,* peccata dimittendo, gratiam refundendo, consolationem præstando, citra condignum ulciscendo, et cum tribulatione proventum faciendo. Id- *I Cor.* X, 13.
eo cantamus in Psalmo : Numquid in æter- *Ps.* LXXXIV, 6, 7.
num irasceris nobis? Deus, tu conversus vivificabis nos. Et item : Si iniquitates ob- *Ps.* CXXIX, 3.
servaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Hinc in Threnis Jeremias testatur : Misericordiæ Domini, quia non sumus con- *Thren.* III, 22.
sumpti; quia non defecerunt miserationes ejus. Denique in libro Tobiæ scriptum est: Benedictum est nomen tuum, Deus patrum *Tob.* III, 13.
nostrorum, quia quum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te. Et rursum : Non delectaris, Domine, in *Ibid.* 22.
perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis.

Deus ab austro veniet, et Sanctus de monte Pharan. 3
Deum semper precemur, ut juxta sensum præhabitum ad nos venire, jugiterque nobiscum manere dignetur. Per austrum quoque intelliguntur homines lumine gratiæ radiosi, et a Deo subli-

miter docti. De illis igitur venit Deus ad A
alios, dum gratiam sibi concessam aliis
communicare, eosque ad Deum reducere
enituntur. *Operuit cœlos,* id est contem-
Philipp. III, 20. plativos, quorum conversatio est in cœlis,
gloria ejus, dicente in eorum persona Apo-
II Cor. III, 18. stolo : Nos autem revelata facie, gloriam
Dei speculantes. *Et laudis ejus plena est*
terra, id est activi qui circa terrena ver-
santur. Terra quoque, id est terreni, car-
nales et reprobi, frequenter in ore pleni
sunt laudibus Dei, sed mente et opere non
cessant inhonorare Deum atque offendere. B
Matth. XV, 8; Is. XXIX, 13. De quibus Dominus protestatur : Populus
hic labiis me honorat, cor autem eorum
longe est a me.

4 *Splendor ejus,* id est fulgor gratiæ Dei,
ut lux erit, id est clarus et candidus sicut
lumen solare, cui in multis assimilatur,
tenebras mentis fugando, animam fecun-
dando, torporem acediæ auferendo, intima
cordis ornando. Insuper splendor gratiæ
assimilatur lumini gloriæ, cujus est incho-
atio quædam. *Cornua in manibus ejus.*
Cornua ista possunt accipi in bono, pro C
elevatis et sanctis virtutibus animæ : quæ
sunt in manibus Dei, quia in ejus potes-
tate est eas dare, conservare, auferre, et
consummare. Itemque in malo, pro nostris
superbiis, ac ceteris quibus contra Deum
et proximum intumescimus vitiis, juxta
Job XV, 12, 13. illud in Job : Quid te elevat cor tuum, et
quasi magna cogitans, attonitos habes ocu-
los? quid tumet contra Deum spiritus tuus?
Istis comminatur sermo divinus in Amos :
Amos VI, 1, 14. Væ qui dicitis : Numquid non in fortitudi-
ne nostra assumpsimus nobis cornua? Hæc D
quoque cornua nostra sunt in manibus
Dei, qui superbos ad nutum dejicere pot-
Ps. LXVII, 22. est, quemadmodum scriptum est : Deus
confringet capita inimicorum suorum, ver-
ticem capilli perambulantium in delictis
suis. *Ibi abscondita est fortitudo ejus :*
quia in bonis cornibus electorum, virtus
divina frequenter agit occulte; sed et su-
perborum dejectionem sæpe diutius diffe-
rendo, videtur Deus quasi non attendere,
aut non omnipotens esse.

Ante faciem ejus ibit mors : quia quum 5
Deus per gratiæ suæ adspirationem intra-
verit mentem, mors fugiet peccati. Tunc
et *egredietur diabolus.* Christus enim for-
tem armatum, puta diabolum, alligavit, et Luc. XI, 21, 22.
vasa ejus quotidie diripit, faciens eos tem- I Cor. III, 16.
plum Spiritus Sancti, qui erant vasa dia-
boli. *Stetit et mensus est terram.* Christus 6
in mundo hoc cum discipulis vivens, men-
sus est terram in qua prædicarent Apo-
stoli, mittendo eos ad solos Judæos. Porro Matth. X, 5, 6.
post passionem et Spiritus Sancti missio-
nem, mensus est terram gentilium, ad di-
versas nationes mittendo Apostolos. *Adspe-* Marc. XVI, 15.
xit misericorditer, *et contriti sunt montes*
sæculi ab itineribus æternitatis ejus : quia
exemplis et documentis Salvatoris, quibus
humilitatem præcipue commendavit, hu-
miliati sunt multi magnatum, Christum
humiliter imitati.

Numquid in fluminibus iratus es, Do- 8
mine? aut in fluminibus furor tuus? In
Scripturis crebro per flumina designantur
perversi ac turbulenti, eorumque vitia in-
star fluminum redundantia. Sic enim ha-
betur in Psalmo : Elevaverunt flumina Ps. XCII, 3.
fluctus suos. Et Jeremias regem atque ex-
ercitum Chaldæorum nomine fluvii expri- Jer. II, 18.
mit. Istis fluminibus irascitur Dominus.
Interdum autem per flumina designantur
electi ac docti, aqua sapientiæ pleni, et Eccli. XV, 3.
gratia copiosi, qui fluenta doctrinæ trans-
fundunt in alios, et rivis salutaris scientiæ
rigant corda eorum. Tales etiam dicuntur
fontes in Psalmo. Istis non irascitur Deus. Ps. LXVII, 27.
Flumina quoque vocantur divina chari-
smata, juxta illud : Qui credit in me, flu- Joann. VII, 38.
mina de ventre ejus fluent aquæ vivæ ; et
alibi, Fluminis impetus lætificat civitatem Ps. XLV, 5.
Dei. *Aut in mari indignatio tua?* id est,
sæcularis vitæ hominibus, amaritudine et
fluctibus vitiorum repletis, juste indigna-
ris. De quibus in Isaia legitur : Impii qua- Is. LVII, 20.
si mare fervens, quod quiescere non po-
test. *Qui ascendes super equos tuos,* id est
animas sanctas, secundum Hieronymum,
vel prædicatores nomen Domini undique
circumferentes ac prædicantes : super quos

Deus ascendit per virtutis et gratiæ suæ A
effectum. *Et quadrigæ tuæ* sunt *salvatio,*
id est Evangelistæ, vel etiam angeli sancti,
Deum in se recipientes, portantes, atque
ad homines deferentes. De quibus cantatur
Ps. LXVII, 18. in Psalmo : Currus Dei decem millibus
multiplex millia lætantium, Dominus in
eis. De his equis et curribus Dominus lo-
Is. LXVI, 20. quitur in Isaia : Adducent omnes fratres
vestros in equis et quadrigis, et in lecticis
et mulis, et in carrucis ad montem san-
ctum meum Jerusalem. Per hos ergo currus
operatur Dominus aliorum salutem, sicut B
I Cor. III, 9. ait Apostolus : Dei cooperatores sumus.

9 *Suscitans suscitabis arcum tuum,* id est
verbum tuum seu sacram Scripturam, cu-
jus ignita eloquia, te agente, audientium
penetrant corda, et caritatis vulnere sau-
Cant. IV, 9. ciant, ita ut dicant : Caritate vulneratus
Ibid. II, 5. sum ; et, Amore langueo. Unde et Christus
Is. XLIX, 2. de se ipso loquitur per Isaiam : Posuit me
Dominus quasi sagittam electam. Hunc ar-
cum suscitat Deus, dum prædicatoribus et
servis suis electis infundit gratiam loquen-
di aliis fructuose ac fervide, secundum C
Ephes. VI, 19. quod orat Apostolus : Ut detur mihi sermo
in apertione oris mei. Et in Isaia legitur :
Is. L, 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut
sciam sustentare eum qui lassus est, ver-
bo. Hoc autem, o Domine, faciendo, susci-
tabis *juramenta tribubus, quæ locutus es,*
id est, bona gratiæ, quæ gentibus promi-
sisti, eorum conversionem per Prophetas
prænuntiando, donabis ; deinde heredita-
tem cœlestem conferes eis, ut promisisti.

Fluvios scindes terræ : id est, de ipsa
Ecclesia quosdam separabis, et mittes ad D
aliorum informationem per omnes termi-
nos terræ. Sic enim misit Apostolos, ali-
osque discipulos, prædicatores, doctores.
Hinc in Actibus legitur Spiritus Sanctus
Act. XIII, 2. dixisse : Segregate mihi Paulum et Barna-
bam in opus ad quod assumpsi eos. Et per
Is. XLIII, 19. Isaiam Dominus ait : Ponam in deserto (id
Ibid. LV, 1. est in gentilitate) flumina ; et iterum, Om-
nes sitientes, venite ad aquas. Isti sunt flu-
Ps. LXVII, 27. vii boni, de quibus cantamus : In Ecclesiis
benedicite Deo Domino de fontibus Israel.

Viderunt te, et doluerunt montes. Hoc 10
dupliciter accipi potest : primo, de super-
bis atque potentibus sæculi ad fidem con-
versis, quia per fidem Deum viderunt,
atque de suis excessibus pœnitentiam di-
gnam fecerunt ; secundo, de infidelibus ac
tyrannis, qui mirabilia Dei videntes, do-
luerunt de promulgatione fidei christia-
næ. *Gurges aquarum transiit :* id est, isto-
rum persecutio contra fideles cessavit, vel
si est, cito finietur, videlicet simul cum
vita præsenti, quæ brevis est, vel ante.
Vel sensus est, quod documentorum rivuli
ad alios devenerunt. *Dedit abyssus vocem
suam :* id est, corda quorumdam, instar
pelagi inscrutabilia, fide Christi recepta,
Deum super ejus misericordia laudave-
runt. *Altitudo manus suas levavit :* quia
et sæculares principes ad fidem conversi,
manibus in cœlum elevatis, Deum precati
sunt, sicut in Threnis Jeremias hortatur :
Levemus corda nostra cum manibus in Thren. III, 41.
cœlos ad Dominum. Itemque Apostolus :
Volo, inquit, viros orare in omni loco, le- I Tim. II, 8.
vantes puras manus. Porro sæculares prin-
cipes perfidi, manus suas contra Ecclesiam
extenderunt.

Sol, id est Christus sol sapientiæ atque 11
justitiæ, de quo impii asserunt, Sol intel- Sap. V, 6.
ligentiæ non est exortus nobis, *et luna,*
id est Virgo Christifera, vel ipsa Ecclesia,
steterunt in habitaculo suo, id est in ec-
clesiastica unitate, vel in ipso omnium
rerum ultimo fine, in quo omnis Sancto-
rum quiescit intentio atque affectio, quasi
in tabernaculo firmo, secundum quod Sa-
lomon dicit : Turris fortissima nomen Do- Prov. XVIII, 10.
mini ; ad ipsum currit justus, et exaltabi-
tur. Unde orat vir sanctus : Esto mihi in Ps. LXX, 3.
Deum protectorem, et in locum munitum.
Vel habitaculum istud est regnum cœlo-
rum, in quo stat Ecclesia militans per
spem et cordis amorem. Ubi namque the- Matth. VI, 21.
saurus, ibi et cor ; et non minus (ut dici-
tur) est anima ubi amat, quam ubi animat.
Vel, sol et luna sunt religiosi et sæculares
fideles, in Ecclesia militanti, fide et ope-
re concorditer permanentes. — Secundum

translationem Septuaginta interpretum ita A
habetur : Elevatus est sol, scilicet Chri-
stus in sua ascensione ; et luna stetit in
ordine suo, id est, Ecclesia, præcipue pri-
mitiva, ordinate vixit, et stabilis fuit,
secundum Christi doctrinam, consilia et
præcepta, malens occidi quam ab ordine
æquitatis recedere.
In luce sagittarum tuarum, id est in
veritate eloquiorum divinorum vel prædi-
catorum fidelium : de quibus jam dictum
est. De quibus et apud Isaiam Dominus
Is. LXVI, 19. ait : Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad B
gentes in mare, in Africam et Lydiam, te-
nentes sagittam, in Italiam et Græciam, ad
insulas longe ; et annuntiabunt gloriam
Ps. LXXXIII, 8. meam gentibus. *Ibunt* fideles de virtute
in virtutem, de bono in melius, de via ad
patriam, *in splendore fulgurantis hastæ
tuæ,* id est spiritualium armorum vel di-
vinarum comminationum. Unde Septua-
ginta transtulerunt : In splendore coru-
scationis armorum tuorum. Propter quod
Ephes. VI, 11. ad Ephesios hortatur Apostolus : Induite
vos armaturam Dei, ut possitis stare ad- C
versus insidias diaboli.
12 *In fremitu,* id est districtissimo tuo ju-
dicio, *conculcabis terram,* damnando terre-
13 nos, præsertim in die novissimo. *Egressus*
Ps. XXVII, 8. *es in salutem populi tui.* Dominus enim
fortitudo plebis suæ, et ipse dux noster
II *Par.* XIII, 12. est et propugnator, juxta illud : In exer-
citu nostro Deus dux est ; et in Psalmo,
Ps. LX, 3, 4. Deduxisti me, quia factus es spes mea ; *in
salutem cum christo tuo,* id est quolibet
Christiano electo spiritualiter uncto.
Percussisti caput, id est principem pra- D
vum, *de domo impii,* id est de grege im-
piorum subditorum ipsius, privando eum
principatu, potestate seu vita, juxta illud
Eccli. X, 17. Ecclesiastici : Sedes ducum superborum
destruxit Deus, et sedere fecit mites pro
Luc. I, 51, 52. eis. Et apud Lucam : Dispersit superbos
mente cordis sui ; deposuit potentes de
sede, et exaltavit humiles. Ipse quippe
Dan. II, 21. transfert regna atque constituit, sicut in
Daniele asseritur. *Denudasti fundamen-
tum ejus usque ad collum,* id est, funditus

destrues illos : secundum quod in libro
Sapientiæ scribitur, Dirumpet inflatos, et *Sap.* IV, 19.
eos a fundamentis suis commovebit, et us-
que ad supremum desolabuntur. *Maledi-* 14
xisti sceptris ejus, id est regno et potesta-
tibus impiorum. Oculi enim Domini super *Amos* IX, 8.
regnum peccans, ut conterat illud. Quibus
et dicitur in Osee : Ipsi regnaverunt, et *Osee* VIII, 4.
non ex me. Vel intelligendum est de aeriis
potestatibus et invisibilibus hostibus, *ve-
nientibus ut turbo ad dispergendum* nos,
secundum quod ait Apostolus : Non est *Ephes.* VI, 12.
nobis colluctatio adversus carnem et san-
guinem, sed adversus principes et pote-
states, contra spiritualia nequitiæ in cœ-
lestibus. *Exsultatio eorum sicut ejus qui
devorat pauperem in abscondito.* Invisibi-
les etenim hostes de animarum nostrarum
ruina maxime gaudent, quemadmodum scri-
ptum est in libro Psalmorum : Qui tribu- *Ps.* XII, 5.
lant me, exsultabunt si motus fuero. Ideo
orat vir sanctus : Neque irrideant me ini- *Ps.* XXIV, 3.
mici mei. In Ecclesiastico quoque scri-
ptum est : Domine Pater, ne derelinquas *Eccli.* XXIII, 1, 3.
me, etc., et incidam in conspectu adversa-
riorum meorum, et gaudeat inimicus meus.
Nonne ergo miserrimi sunt, stulti et cæci,
qui dæmonum inspirationi consentiunt vi-
tiis inhærendo, qui aliud nihil nisi æter-
nam eorum damnationem ac irrisionem
exquirunt ?
Viam fecisti in mari equis tuis, id est 15
electis : de quibus jam dictum est, Qui *vers.* 8.
ascendes super equos tuos. Istis præparat
Deus viam in hoc sæculo nequam, dando
eis gratiam ambulandi per arctam viam *Matth.* VII, 14.
quæ ducit ad vitam (hæc via, est divino-
rum custodia mandatorum, et eorum quæ
jubet Ecclesia), *in luto aquarum multa-
rum,* id est in carnali, mortali, immunda
concupiscentiarum piscina, vel infra spur-
citias vitiorum, ne in illis ambularent ele-
cti. Justum enim deduxit Dominus per *Sap.* X, 10.
vias rectas. Et Isaias : In manu, inquit, *Is.* VIII, 11.
forti erudivit me Dominus, ne irem in via
populi. Sed, ut in Jeremia legitur : Via im- *Jer.* XXIII, 12.
piorum erit quasi lubricum in tenebris ;
impellentur et corruent in ea. Ideo gloria-

Ps. xxxix, 3. tur sanctus [David] in Domino, et ait : Edu- A
xit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.
16 *Audivi, et conturbatus est venter meus.*
Hoc jam supra satis expositum est, etiam
in principio cantici hujus. *Ingrediatur
putredo in ossibus meis, et subter me sca-
teat :* id est, nunc oro a te pro peccatis
meis paternaliter castigari, et Christo pro
me passo conformari : quemadmodum
Jer. x, 24. Jeremias deposcit, Corripe me, Domine, ve-
rumtamen non in furore tuo ; *ut requi-
escam,* id est, a cunctis miseriis liberer, *in
die tribulationis,* id est hora mortis atque B
judicii ; *ut ascendam ad populum accin-
ctum nostrum,* id est, de peregrinatione
pertingam ad patriam, ad triumphantem
Ecclesiam, ad milites illos victoriosissi-
Rom. viii, 18. mos et beatos. Non enim sunt condignæ
passiones hujus temporis ad gloriam illam
futuram.
Hoc precor, quoniam inter homines vi-
17 vere, periculosum mihi est. *Ficus enim
non florebit,* id est, Ecclesia quantum ad
plurimos, sine virtutum decore manebit.
Etiam quidam, qui ex naturali dispositione C
mites et dulces sunt, bonitate suæ indolis
abutentes, vitiis implicantur, vanitatibus-
que falluntur. *Et non erit germen,* id est
fructus operum bonorum, *in vineis,* id est
particularibus quibusdam Ecclesiis. *Men-
tietur opus olivæ :* id est, operatio eorum
qui misericordes videntur, non erit vere
meritoria, quia non ex caritate, sed vani-
tate procedens. Hoc accidit multis. Propter
Matth. vi, 3, 4. quod ait Salvator in Evangelio : Quum fa-
cis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid
faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua D
in abscondito. Vel, Mentietur opus olivæ :
quoniam multi volunt aliis misereri atque
succurrere, et propriis non miserentur
neque subveniunt animabus, quas quoti-
die vitiis vulnerare non cessant, nec pœ-
nitent, neque emendant. Ideo in Ecclesia-
Eccli. xxx, 24. stico dicitur : Miserere animæ tuæ placens
Matth. xvi, 26. Deo. Et Christus in Matthæo : Quid prodest
homini, si universum mundum lucretur,
animæ vero suæ detrimentum patiatur?
Caritas ergo et pietas a se ipsis incipiant,
et sic deriventur ad alios. — Denique,
sicut in Prophetis per ficum, vineam, et
olivam designatur multoties Synagoga, ita
in novo Testamento per eadem significa-
tur Ecclesia. Unde et ista de Synagoga
possunt intelligi : quæ præsertim post
Christi adventum cessavit florere ac fru-
ctificare, cœpitque tunc contra Christum
mentiri, blasphemare, et fallere. Nam et
per ficum, cui Christus ante maledixit, ita Marc. xi, 13, 14, 20.
quod aruit, figurabatur tunc Synagoga in-
fertilis.
Abscindetur de ovili pecus. Ovile est
Ecclesia : de qua pecus abscinditur, quan-
do per negligentiam propriam vel pasto-
ris, subditus peccat atque damnatur. Unde
omni prælato præcipit Salomon in Pro-
verbiis : Diligenter agnosce vultum peco- Prov. xxvii, 23.
ris tui, tuosque greges considera. *Et non
erit armentum in præsepibus :* id est, mul-
titudo credentium Christi pascuis non ve-
scetur, spiritualia alimenta et Ecclesiæ
sacramenta debite exquirendo ; sed spiri-
tualibus præponet temporalia atque car-
nalia, sicut (proh dolor !) jam videmus.
His itaque sic pereuntibus, quilibet ele-
ctus dicere potest : *Ego autem in Domino* 18
gaudebo, ejus bonitatem et beneficia con-
templando, eumque in omnibus diligendo
ac venerando. *Et ponet pedes meos quasi* 19
cervorum, id est, expeditos caritatis affe-
ctus, ac fervida sancti amoris desideria
mihi præstabit, quibus non solum ambu-
lem, sed insuper curram viam mandato- Ps. cxviii, 32.
rum cœlestium, hostibusque salutis meæ
prævaleam. Hoc convenit cuilibet idoneo
pugnatori ac militi Christi, qui cum Psal-
mista dicere potest de Deo : Qui perfecit Ps. xvii, 34.
pedes meos tanquam cervorum. Ceterorum
moralitas seu mysticus intellectus, evidens
est ex præinductis. — In solo igitur Do-
mino sit amor, fortitudo, spes et gaudium
nostrum, qui est super omnia Deus subli-
mis et benedictus. Amen.

ENARRATIO

IN SOPHONIAM PROPHETAM

ENARRATIO
IN SOPHONIAM
PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : VERBUM DOMINI QUOD FACTUM EST, ETC.

SOPHONIAS sanctus Dei propheta, cujus nunc elucidanda est prophetia, de prophetali genere ortus est ; et non solum habuit patrem prophetam, sed et avus, proavus, atavusque ipsius, prophetæ fuerunt, siquidem omnes isti in serie tituli libri sui ponuntur. Et dicunt (ut Hieronymus refert) Hebræi, quod cujuscumque Prophetæ pater vel avus collocatur in titulo, ipsos quoque fuisse prophetas. Itaque Sophonias gloriosa majorum suorum stirpe progenitus est.

Loquens ergo Propheta de se ipso quasi
1 de alio, ita exorsus est : *Verbum Domini,*
id est prophetica revelatio seu visio prophetalis, *quod factum est* a Deo, mediante angelico ministerio, vel locutione interiori dumtaxat, vel etiam exteriori, *ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ* prophetarum, ut dictum est : quorum non sunt prophetiæ descriptæ ; *in diebus Josiæ,* sancti ac religiosissimi regis, *filii Amon regis Juda,* id est duarum tribuum, scilicet Juda et Benjamin, quæ nomine Juda communiter exprimuntur. Porro, sub hoc rege Juda orsus
Jer. i, 2. est etiam Jeremias prophetare. Fuit quo-
A que sub eodem rege prophetissa Holda, in IV Reg. xxii, 14; II Par. xxxiv, 22.
Jerusalem prophetans ac habitans, quemadmodum quarto Regum et secundo libro Paralipomenon conscribitur.

Consequenter verbum propheticæ denuntiationis narratur. *Congregans congre-* 2
gabo, id est, simul auferam, *omnia a facie,* id est superficie, *terræ* regni Juda, *dicit Dominus.* Quæ autem sint omnia ista sic
auferenda, subjungitur : *Congregans ho-* 3
minem et pecus, id est homines et jumenta : ponit enim singulare pro plurali ; *con-*
B *gregans volatilia cœli* aerii, utpote aves, *et pisces maris,* id est aquarum regni Juda. Propter hominum enim peccata, etiam bruta nonnunquam cæduntur in majorem hominum pœnam, quorum erant possessio : nam propter hominem facta sunt bruta. Hinc Deus interdum jussit et bruta cum hominibus perimi. Septuaginta clarius transtulerunt, dicendo : Defectione deficiat a facie terræ, dicit Dominus ; deficiat homo et jumentum.

Congregatio insuper hæc facta est post
C mortem Josiæ sub filiis ejus, egredienti- IV Reg. xxiii, 33-35; xxiv; xxv; II Par. xxxvi.
bus atque vastantibus terram Juda Ægyptiis et Chaldæis, ut legitur in libris Re-

gum ac Paralipomenon. A Chaldæis tamen
IV *Reg.* xxv. præcipue facta est, qui templum et Jerusalem subvertentes, homines partim occiderunt, partim in Babyloniam transtulerunt. Nec dubium quin et jumenta ad libitum tractaverunt. — Porro, quod Dominus ait omnia auferenda, non est intelligendum quod penitus nemo in Judæa mansit de populo Juda, saltem usque ad
Jer. xliii, 5-7. illud tempus quo cum Johanan principe et Jeremia propheta Ægyptum ingressi sunt (verumtamen ille eorum a Judæa recessus, non fuit a Deo, nisi permissive,
Ibid. xlii, 7 *et seq.* quoniam Jeremias, Deo inspirante, recessum illum dissuasit, prout in Jeremia plenius continetur) ; sed quia a Chaldæis pauci, comparative loquendo, relicti sint in Judæa. Quod autem modicum est, pro nihilo reputatur : sicut de aliquo paupere dicimus, Nihil habet, quum vestem habeat, cibum et aliquem nummum. — Postremo pensandum, quod non eodem modo a terra Juda defecerunt hæc omnia. Homines namque et jumenta, præsertim domestica, ceperunt Chaldæi, et ad placitum de ipsis disposuerunt ; aves vero et pisces vel omnino, vel pro maxima parte sublati sunt, eo modo quo urbibus, villis, hominibusque vastatis, raritas horum concomitari est solita.

Et ruinæ impiorum erunt, id est, injustus populus Juda diversis pestibus cadet, scilicet gladio, fame, etc., quemadmodum
Ibid. xiv, 18. Jeremias testatur : Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio ; et si introiero in civitatem, ecce attenuati fame. *Et disperdam homines* regni Juda, *a facie terræ, dicit Dominus,* per Ægyptios et Chaldæos modo prætacto, juxta illud quarti
IV *Reg.* xxv, 21. Regum : Translatus est Juda de terra sua. — Sic ergo congregatio præinducta in malo accipitur, eo modo quo spoliator intra marsupia sua congregat hostium spolia, sicut et Habacuc primo præhabitum est :
Habac. i, 15. Totum congregavit in rete suum.

4 *Et extendam manum meam,* non ad protegendum, sed percutiendum, id est, potestatem meam exercebo, *super Judam*
A *et super omnes habitantes Jerusalem,* omnes (vel pene omnes) tradendo manibus adversariorum suorum. Quidam enim evaserunt, sicut ex libro Jeremiæ probatur. *Jer.* xliv, 14, 28.
Et disperdam de loco hoc regni Juda, *reliquias Baal,* id est populum residuum Baal colentem, vel idololatriæ cultum. Verumtamen sub Josia rege cessaverunt Judæi ab idolorum cultura, sicut secundo Paralipomenon et quarto Regum libris copiose describitur, quanquam aliqui videantur oppositum dicere. Unde secundo Pa- II *Par.* xxxiv ; IV *Reg.* xxii, xxiii.
B ralipomenon inter cetera dicitur : Abstulit ergo Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel ; et fecit omnes qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo ; cunctis diebus vitæ ejus non recesserunt a Domino Deo patrum suorum. *Et nomina æditoorum cum sacerdotibus,* id est ipsos æditos, puta custodes locorum idololatriæ : qui dicuntur æditui, quasi ædem tuentes ; quorum quidam forte sacerdotes idolorum fuerunt. Unde Septuaginta transtulerunt : Auferam II *Par.* xxxiv, 33.
C nomina sacerdotum cum sacerdotibus, scilicet tam eos qui loca custodiebant, quam eos qui hoc non facientes, sacrificabant.

Et eos qui adorant super tecta militiam 5
cœli, id est sidera et planetas. Ascenderunt enim Judæi super tecta domorum, quoniam plana erant, ut illic clarius contemplarentur, colerentque devotius luminaria cœli, sicut in Jeremia et Ezechiele plenius recitatur. *Et adorant et jurant in Domino, et jurant in Melchom,* idolo Ammonitarum, ut dicitur quarto Regum. Si- *Jer.* xix, 13; xxxii, 29. IV *Reg.* xxiii, 13.
D mul enim colebant Deum verum et idola, et per utraque juraverunt, sicut de Samaritanis scriptum est quarto Regum. *Et* *Ibid.* xvii, 33. 6
qui avertuntur de post tergum Domini, id est, qui legem Dei transgressi sunt, et spreto summo atque incommutabili Deo, falsis diis ac vanitatibus adhæserunt, *et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum* a Prophetis, et in sacris Scripturis, vel per orationes devotas, et cum diligentia cordis. Non est hoc accipiendum quasi in Divinitatis natura sit

tergum, vel corporale quod membrum ve- A
re, sed tantum metaphorice : quemadmo-
Is. XXXVIII, 17. dum et Ezechias, Projecisti, inquit, post
tergum tuum omnia peccata mea ; et Moy-
Exod. XXXIII, 23. si loquitur Dominus, Videbis posteriora
mea, faciem autem meam videre non po-
teris. Unde per tergum et posteriora Dei,
intelligitur ipse Deus, ut cognoscibilis a
viatoribus in vita præsenti, in qua non nisi
I *Cor.* XIII, 12. per speculum in ænigmate, id est obscure
et imperfecte, cognoscitur.
7 *Silete a facie Domini Dei,* id est, o per-
versi Judæi, præ confusione obmutescite, B
nec contra divinam justitiam murmuretis,
quia juxta est dies Domini, id est tempus
justæ ultionis, quam Deus per Chaldæos
vobis inducet. Quamvis autem omne tem-
pus sit Dei, qui solus est temporum Domi-
nus, illud tamen specialiter dicitur tempus
ejus, quo aliquid speciale atque notabile
fecit. Unde in Joanne de Christo habetur,
Joann. VII, 30. Nondum venit hora ejus, quum tamen
ejus sit omnis hora. *Quia præparavit Do-
minus hostiam,* id est, populum Juda de-
crevit offerre Chaldæis ad occidendum. C
Ezech. XXXIX, 17. Unde in Ezechiele avibus clamat : Venite
ad hostiam quam ego immolo vobis. *San-
ctificavit vocatos suos,* id est, Chaldæos
deputavit ad exsecutionem suæ justitiæ
contra Judæos. Unde Jeremias locutus est :
Jer. XII, 3. Congrega eos sicut gregem ad victimam,
sanctifica eos in die interfectionis eorum.
Simili modo de Persis ac Medis contra
Chaldæos, Deo disponente, venientibus, Do-
Is. XIII, 3. minus ait in Isaia : Ego mandavi sancti-
ficatis meis.
8 *Et erit,* id est, fiet quod subditur : *In* D
die hostiæ Domini, id est tempore occi-
sionis jam dictæ, quando Judæi hostibus
ad occidendum a Deo tradentur, *visitabo
super principes, et super filios regis,* id
est, justam pœnam eis infligam. Filii enim
IV *Reg.* XXIII, 34; II *Par.* XXXVI, 6; IV *Reg.* XXV, 7. Josiæ regis vel capti vel occisi fuerunt, rex
quoque Babylonis occidit filios Sedeciæ
regis in oculis ejus, et principes regum
istorum simul cum ipsis vastati fuerunt,
sicut quarto Regum libro narratur. *Et su-
per omnes qui induti sunt veste peregri-
na,* id est vestibus vanis, irreligiosis, atque
insolitis, vel idolorum cultui dedicatis. Un-
de Septuaginta transtulerunt : Vestibus
alienis. Et in Joele habetur : Scindite cor- *Joel* II, 13.
da vestra, et non vestimenta vestra. *Et* 9
*visitabo super omnem qui arroganter in-
greditur super limen in die illa,* id est
superbos, qui cum tumore animi et ani-
moso incessu introeunt in templum vel
domum : de quibus dictum est ab Amos,
Væ qui opulenti estis in Sion, ingredientes *Amos* VI, 1.
pompatice domum Israel ; *qui complent
domum Domini Dei sui,* scilicet templum
Jerusalem a Salomone constructum, *ini-
quitate et dolo,* loquendo ibidem fallaci-
ter, et sæcularia tractantes negotia, atque
ibidem corde superbo, avaro et libidinoso
coram Deo judice stantes. Sicut enim in
templo secundo, de quo Christus ejecit *Matth.* XXI, 12.
ementes atque vendentes, ita in templo
primo Deum multipliciter offenderunt.
Et erit in die illa, dicit Dominus, vox 10
clamoris, id est lamentatio magna, *a porta
Piscium, et ululatus a Secunda,* id est a
porta sic dicta, quæ erat in secundo muro
Jerusalem, quam Salomon clausit triplici
clausura. Porro de porta Piscium habetur
in libro Esdræ, quis ædificaverit eam. De II *Esdr.* III, 3.
Secunda autem scriptum est quarto Re- IV *Reg.* XXII, 14; II *Par.* XXXIV, 22.
gum et secundo Paralipomenon, quod in
ea habitavit Holda prophetissa. *Et contri-
tio magna a collibus,* id est eminentiori-
bus locis Jerusalem, scilicet a templo et
arce. Per ista insinuatur, quod tota civitas
replenda esset calamitate, occisione atque
doloribus. *Ululate, habitatores pilæ.* Se- 11
cundum Hieronymum, pila hic sumitur
pro vase concavo in quo frumenta tun-
duntur : quo significantur habitatores val-
lis Siloe : quæ nomine pilæ signatur, quo-
niam sicut frumenta tunduntur feriente
desuper vecte, ita a locis eminentioribus
Jerusalem nunc prædictis descendit adver-
sariorum exercitus in habitatores vallis
hujus Jerusalem, eosque velut frumenta
percussit. *Conticuit omnis populus Cha-
naan :* id est, populus Judæorum, sequens
mores, peccata et idololatriam Chananæo-

rum, Chaldæorum timore prostratus, re-
clamare ausus non fuit, sicut Jeremias ait
Thren. II, 10. in Threnis : Conticuerunt senes Jerusa-
lem, projecerunt in terram capita sua.
Hinc in Ezechiele huic populo dicitur :
Ezech. XVI, 3. Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Ce-
thæa. In Daniele quoque impio Judæo
Dan. XIII, 56. improperatur : Semen Chanaan, et non Ju-
da. *Disperierunt omnes involuti argento,*
id est divites vestimenta, utensilia et ce-
tera argento ornantes.

12 *Et erit in tempore illo : Scrutabor Je-*
rusalem in lucernis, id est, habitatores
Jerusalem faciam a Chaldæis inquiri cum
candelis et luminaribus in locis abscondi-
tis. Sic enim et Josephus refert, quod ad-
versarii extraxerunt Judæos de cloacis, spe-
luncis, antris atque sepulcris, in quibus
se absconderunt etiam majores de popu-
Is. XLII, 22. lo. Unde et Isaias prædixit : In domibus
carceris absconditi sunt. *Et visitabo super*
viros defixos in fæcibus suis, id est car-
nalibus concupiscentiis ceterisque turpis-
simis vitiis. *Qui dicunt in cordibus suis,*
Non faciet Dominus bene, et non faciet
male, id est, qui divinam providentiam
negaverunt, asserentes omnia fortuitu eve-
nire, et nec pœnas pro peccatis, nec præ-
mia pro virtuosis operibus a Deo rependi.
Ezech. IX, 9. De quibus et in Ezechiele legitur : Dixerunt,
Dereliquit Dominus terram, et Dominus
Ps. LXXII, 11. nos non videt; itemque in Psalmo : Dixe-
runt, Quomodo scit Deus? et si est scientia
13 in Excelso? *Et erit fortitudo eorum in*
direptionem, id est, a Chaldæis superabun-
tur, *et domus eorum in desertum,* id est,
in solitudinem redigentur civitates et do-
mus Judæorum. *Et ædificabunt domos,*
ante captivitatem præfatam, *et non inhabi-*
tabunt eas diu, quia Chaldæi supervenient
eis. Simili modo *et plantabunt vineas, et*
non bibent vinum earum. Cujus ratio sub-
ditur.

14 *Juxta est dies Domini magnus,* id est
tempus gravissimæ ultionis, *juxta est et*
velox nimis, id est, de proximo imminet.
Statim enim post mortem Josiæ regis, cœ-
pit tribulatio filiorum ejus ac populi. *Vox*
diei Domini amara : id est, voces quas
prædicto tempore dabunt ululantes Judæi,
erunt lacrimosæ atque acerbæ; *tribulabi-*
tur ibi fortis, id est quilibet quantumcum-
que robustus a Chaldæis deprehensus. *Dies* 15
iræ, id est divinæ, rigorosæ, ac justæ vin-
dictæ, *dies illa; dies tribulationis* corpo-
ralis, *et angustiæ* interioris; *dies calami-*
tatis et miseriæ; dies tenebrarum et cali-
ginis, id est maximarum adversitatum; *dies*
nebulæ et turbinis; dies tubæ et clangoris, 16
quantum ad Chaldæos, qui cum tubis ag-
grediebantur et deterrebant Judæos; *super*
civitates munitas regni Juda, *et super an-*
gulos excelsos, videlicet fortalitia et turres
ejusdem. Hoc est : dies ista tam dira pœ-
nosaque erit habitatoribus urbium muni-
tarum ac turrium nunc prædictarum, ut
verbis explicari non queat, sicut de hoc
Jeremias multa scribit in Threnis seu La-
mentationibus suis, inter cetera dicens :
O vos omnes qui transitis per viam, atten- *Thren.* I, 12.
dite si est dolor similis sicut dolor meus.

Et tribulabo homines, de quibus nunc 17
dictum est, *et ambulabunt ut cæci* præ
desperatione et multitudine afflictionum,
quid agere debeant ignorantes, *quia Domi-*
no peccaverunt. Frequenter in Prophetis
ponitur tempus præteritum pro præsenti
vel futuro; et mutatur persona loquentis,
ita quod sæpius Dominus loquitur de se
ipso quasi de alio : sicut et nunc, quum
dixisset, Tribulabo homines, adjunxit, qua-
si de alio loquens, Quia Domino peccave-
runt. *Et effundetur sanguis eorum sicut*
humus, id est, copiose omnino et quasi
pro nihilo reputabitur eorum occisio sic-
ut ejectio terræ, *et corpora eorum sicut*
stercora, id est, sepultura reputabuntur
indigna, præsertim quum de Joakim re-
ge prædixerit Jeremias : Sepultura asini *Jer.* XXII, 19.
sepelietur. *Sed et argentum eorum et au-* 18
rum eorum non poterit liberare eos in
die iræ Domini : quia Chaldæi pro nullo
pretio voluerunt eos dimittere, præsertim
in fine vastitatis sub Sedecia. *In igne zeli*
ejus, id est vehementi zelo justitiæ Dei,
vel in furore zeli Chaldæorum, eis divi-

nitus inspirato contra Judæos, *devorabi-* A
tur omnis terra, id est, habitatores Judææ
tollentur ab ea ; *quia consummationem,*
id est maximam oppressionem, *cum fe-*
stinatione faciet cunctis habitantibus ter-
ram Judææ, de qua nunc sermo. Quoniam
littera plana et facilis est, immorandum
non æstimavi, sed ad moralitatem per-
gendum.

Quidam autem exponunt prædicta, sal-
tem pro parte, de captivitate et oppressio-
ne Judæorum a Romanis. Et quamvis tex-
tus ad hoc valeat applicari, præhabita
tamen expositio litteralior reputatur.

ARTICULUS II

MYSTICA EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

1 VERBUM *Domini quod factum est ad* B
Sophoniam. Per Sophoniam, qui in-
terpretatur specula vel arcanum, intelli-
gitur homo contemplativus, vel quicumque
dignus idoneusque prælatus : qui in con-
templationis seu prælationis sublimitate
consistens, vita atque scientia aliis tan-
quam speculum lucet, et subditis inspici-
endus ac imitandus proponitur; qui etiam
est tanquam arcanum quoddam vas sa-
Ps. LXXII, pientiæ et illustrationis divinæ, ingressus
17; LXX, 16. in sanctuarium Dei et in potentias ejus,
Ps. L, 8. ita ut dicere possit ad Dominum : Incerta C
et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
Unde audire meretur a Christo quod au-
Luc. VIII, 10. dierunt ejus discipuli : Vobis datum est
nosse mysterium regni Dei. Talis debet
esse prælatus et pastor, imo et quilibet
I *Tim.* IV, religiosus, ut impleat illud Apostoli : Esto
12. exemplum fidelium in verbo, in conver-
satione, in caritate. Denique ad talem fit
verbum Domini, quoniam dono gratiæ di-
gnus effectus est ut unctio Spiritus Sancti
doceat et dirigat eum in omnibus (sicut
II *Tim.* II, 7. ait Apostolus, Dabit tibi Dominus de om- D
Matth. XXV, nibus intellectum : etenim habenti dabitur,
29. et abundabit), ut dicat cum sancto David,
Ps. XV, 7. Benedicam Dominum qui tribuit mihi in-
Ps. LXX, 17. tellectum; et denuo : Deus, docuisti me a
juventute mea et usque nunc.
2 *Congregans congregabo omnia a facie*
3 *terræ, dicit Dominus; congregans homi-*
nem et pecus, volatilia cœli et pisces ma-
ris. Quamvis hoc possit referri ad diem
judicii, quando universa animantia, ratio-
nalia et irrationalia, in terra, aere marique
viventia, morientur, et congregatim tol-
lentur de locis suis, juxta illud Isaiæ :
Ecce Dominus judicabit terram, et dissipa- *Is.* XXIV, 1.
bit eam, et affliget faciem ejus, et disperdet
habitatores ejus. Tunc insuper homines
terreni et reprobi, et pecora, id est bestia-
lem vitam ducentes, ut luxuriosi, et vola-
tilia cœli, puta vani, superbi, curiosi atque
instabiles, et pisces maris, videlicet cupidi
in sæculo isto tanquam in mari magno
discurrentes ut temporalia colligant, con- *Ibid.* 22.
gregabuntur congregatione unius fascis in
lacum, et claudentur in carcere, haud du-
bium quin infernali. Unde et Christus in
Evangelio : Alligate ea in fasciculos, et *Matth.* XIII,
mittite in ignem æternum. Nihilo minus 30.
istud accipi potest de quolibet hujus mun-
di vitioso ac misero amatore, qui nomine
terræ exprimitur : a quo Dominus auferet
ea quæ ei concessit, et pro negligentia, abu-
sione et ingratitudine damnabit eumdem.

Et ruinæ impiorum erunt. Impius enim
quotiescumque peccat, cadit, quum pecca-
tum sit defectus et casus a summo bono,
imo et nihil. Propter quod Salomon dicit :
In impietate sua corruet impius. Itaque, *Prov.* XI, 5.
quo peccator se amplius erigit contra ju-
stitiam, contra veritatem, contra Deum, eo

miserabilius atque profundius cadit, et A
coram Deo quasi nihil efficitur, omnique
spirituali esse et sensu privatur, ita ut
lapsum calamitatemque animæ suæ non
sentiat nec perpendat, donec de ruina cul-
pæ damnatus incidat justam voraginem
pœnæ, corruens in infernum. *Et disper-*
II *Reg.* XIV, 14. *dam homines a facie terræ.* Omnes enim
morimur, et quasi aqua dilabimur. Spe-
cialiter autem iniquos et impœnitentes
Dominus disperdet de terra, quia frequen-
ter in hac vita ante tempus, et ante natu-
ralis periodi terminum Deus, exigentibus B
eorum peccatis, punit et perimit eos atque
Job XXII, 15, 16. condemnat, juxta illud Job : Semitam sæ-
culorum calcaverunt viri iniqui, qui ante
tempus suum sublati sunt.

4 *Et extendam manum meam super Ju-*
dam, id est, etiam eos qui ore confitentur,
et credunt, fide saltem informi, juste re-
darguam et plagabo. Judas nempe inter-
pretatur confessio : quo designantur hic,
Tit. I, 16. hi qui dicunt se nosse Deum, factis autem
negant, quales præcipue sunt clerici vani,
atque inanes ministri Ecclesiæ. Unde Pe- C
I *Petr.* IV, 17. trus in prima sua scribit epistola : Tempus
est ut incipiat judicium a domo Dei. De
Matth. XV, 8; *Is.* XXIX, 13. quibus loquitur Deus : Populus iste labiis
me honorat, cor autem eorum longe est a
me. Ideo subditur : *et super omnes habi-*
tantes Jerusalem, id est prælatos Ecclesiæ,
speciales ecclesiæ incolas, qui quotidie in-
grediuntur limen ecclesiæ anima vitiosa,
et non se in ipsa ecclesia ad Deum et ora-
tionem extendunt, sed confabulationibus
vacant, facientes de domo orationis do-
mum confabulationis. D

Et disperdam de loco hoc, id est de ipsa
Ecclesia, *reliquias Baal,* id est mundanæ
gloriæ et temporalis excellentiæ vel eccle-
siasticæ dignitatis appetitores. Baal quippe,
superior vel in sublimioribus interpre-
tatur. Hi sunt qui laudem humanam et
gloriam suam magis quærunt quam Dei,
hominibus plus quam Deo optantes place-
re, qui ista terrena vanissima superglorio-
sissimo Deo mente excæcata præponunt. *Et*
nomina æditiuorum cum sacerdotibus, id est
sacrorum locorum custodes, et sacerdotes
sacerdotaliter non viventes, quorum vita a
sæcularium vita non discrepat, juxta quod
Osee prædixit : Et erit sicut populus, sic *Osee* IV, 9.
sacerdos. Unde in Jeremia loquitur Domi-
nus : Quid est quod dilectus meus in domo *Jer.* XI, 15.
mea fecit scelera multa ? Et per Ezechi-
elem : A sanctuario, inquit, meo incipite *Ezech.* IX, 6.
percutere.

Et eos qui adorant super tecta militiam 5
cœli, id est, qui altitudini sui ingenii in-
nitentes, et in propria sapientia se quasi
in alto figentes, investigationi cœlestium
creaturarum magis quam salubri notitiæ
Creatoris insudant, ita ut creata potius
quam Creatorem colere videantur. Contra
quod dicitur ab Ecclesiastico : Altiora te *Eccli.* III, 22.
ne quæsieris; sed quæ præcepit tibi Deus,
illa cogita semper. *Et adorant et jurant*
in Domino, et jurant in Melchom, id est,
qui non toto et integro corde Deo adhæ-
rent, volentes simul placere Deo et sæculo,
non pensantes quod scriptum est : Nemo *Matth.* VI, 24.
potest duobus dominis servire. Melchom
nempe interpretatur, rex eorum : sicque
per jurantes in Domino et in Melchom,
intelliguntur fideles qui principibus terræ
contra ordinem æquitatis expetunt com-
placere. De quibus Osee testatur : In mali- *Osee* VII, 3.
tia sua lætificaverunt regem ; et denuo,
Divisum est cor eorum, nunc interibunt. *Ibid.* X, 2.
Tota itaque mente Deum verum colamus, ut
ipse sit nobis causa et ratio amandi, ti-
mendi et honorandi quidquid præter eum
amamus, timemus et honoramus. Sic nam-
que implebimus illud Deuteronomii : Do- *Deut.* VI, 13.
minum Deum tuum timebis, et ipsi soli
servies, ac per nomen ejus jurabis.

Et qui avertuntur de post tergum Do- 6
mini, et qui non quæsierunt eum. Isti
sunt qui mentem suam a Deo avertunt, et
voluntati divinæ propriam præferunt, et
universis Creatoris sui beneficiis ingrati
esse non erubescunt : qui Deo tanto majo-
rem irreverentiam injuriamque impen-
dunt, quanto ipse rebus creatis, carnalibus
et terrenis, quæ sibi peccator præelegit,
exstat præstantior, et quanto plura ab ipso

bona recepimus, et quanto justius est eum A
Ps. CXVIII, 21. cunctis præferri. Ideo scriptum est : Maledicti qui declinant a mandatis tuis ; et rur-
Ibid. 118. sus, Sprevisti omnes discedentes a justitiis tuis. De talibus loquitur Dominus in Jere-
Jer. II, 27. mia : Verterunt ad me dorsum, et non faciem. Isti æquissimo Dei judicio merentur damnationem æternam.

7 *Silete a facie Domini,* id est, ex consideratione divinæ præsentiæ omnia intuentis ac judicantis metuite, atque a verbis præsumptuosis et incautis cessate, *quia juxta est dies Domini,* id est tempus quo B nos visitabit et judicabit, scilicet hora mortis et particularis judicii, vel etiam judicii finalis ac generalis, quod comparatione durationis futuri sæculi, propinquum est valde. *Quia præparavit Dominus hostiam,* id est, reprobos damnationi et spirituali æternæ occisioni dare disposuit ; *sanctificavit vocatos suos,* puta electos, quemadmodum ad Romanos scribit Aposto-
Rom. VIII, 30. lus : Quos prædestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et justificavit. Potest quoque per diem Domini, tempus gratiæ, C et per hostiam a Deo paratam, Sacramentum altaris intelligi, cui cum omni reverentia, fervore et quiete mentali obviare debemus.

8 *Et erit : In die hostiæ Domini,* id est in extremo judicio seu omni tempore ultionis divinæ, vel quotidie, quando Hostia sacra altaris Deo offertur, *visitabo super principes, et super filios regis,* id est elatos sæculi dominatores eorumque posteros, magnates et nobiles, qui de sua nobilitate, potentia, opulentia, fama et gloria jactant se D ipsos et inaniter gaudent, et subditos opprimunt, non juste gubernant, alios quoque contemnunt. Isti in die judicii simul peribunt : imo quotidie gravissime (quod ipsi non sentiunt) visitantur, dum a Deo juste relinquuntur ; itaque indesinenter
Eccli. V, 5. peccatis peccata adjiciunt, animas suas dilaniant, dæmonibus obsequuntur, et iram
Rom. II, 5. Dei sibi miserabiliter thesaurizant. Denique communiter in Scripturis comminatur Dominus principibus ac prælatis. Unde Isaias asserit : Visitabit Dominus super *Is.* XXIV, 21.
militiam cœli, et super principes terræ. Propterea in libro Sapientiæ ait Scriptura : Præbete aures, vos qui continetis multi- *Sap.* VI, 3, 4, 6.
tudines, quoniam data est vobis a Deo potestas, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur : quoniam judicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Hinc in Jeremia Dominus loquitur : Non glorietur fortis in fortitudine sua, et *Jer.* IX, 23.
non glorietur dives in divitiis suis.

Et super omnes qui induti sunt veste peregrina. Hoc verbo reprobantur a Deo, qui in vestibus superstitiosi sunt, et varias novitates vanosque ornatus confingunt ; item, qui animæ indumenta negligentes (de quibus dicit Apostolus : Induite viscera *Coloss.* III, 12.
misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam) induunt vestimenta diaboli, passiones et vitia. *Et super omnem* 9
qui arroganter ingreditur. Quid enim su- *Eccli.* X, 9.
perbit terra et cinis? Imo odibilis Deo et *Ibid.* 7.
hominibus est superbia. Ideo in Proverbiorum libro legitur : Abominatio est Domino *Prov.* XVI, 5.
omnis arrogans. *Qui complent domum Dei sui iniquitate et dolo.* Hi sunt sacerdotes et clerici qui in ecclesia opus Dei faciunt *Jer.* XLVIII, 10.
fraudulenter, et Horas imperfecte cursorieque persolvunt, qui oculis vagi et sensibus incustoditi, menteque vani ac garruli, aliis malum præbent exemplum. Quod et de vulgo accipi potest, scilicet his qui divino Officio indevote et irreverenter adsistunt, et præsertim de his qui in templo Dei sacrisve locis sæcularia atque illicita tractant, emunt, vendunt, vel mulieres adspiciunt. Horum damnatio justa est. *Rom.* III, 8.

Et erit in die illa, dicit Dominus, puta 10
in die judicii, *vox clamoris a porta Piscium,* id est afflictio sensuum exteriorum, qui curiositati frequenter deserviunt : et in Scripturis nomine piscium curiosi aliquando designantur ; *et ululatus a Secunda,* id est tribulatio quantum ad sensus interiores, *et contritio magna a collibus,* id est grandis calamitas superiorum virium animæ, intellectus et voluntatis. Tunc enim damnandi, in omnibus corporis membris

et animæ viribus punientur, tribulabuntur, et ululabunt, juxta illud Sapientiæ :
Sap. v, 2, 3. Videntes, turbabuntur timore horribili,
11 præ angustia spiritus gementes. *Ululate, habitatores pilæ.* Per pilam (quæ sicut prædictum est, vas quoddam est quo grana tunduntur) hoc loco intelligi potest caro nostra mortalis, de qua dicit Apostolus,
I Thess. IV, 4. Sciat unusquisque possidere vas suum in sanctificatione : quæ nunc diversis tribulationibus est subjecta. Hujus pilæ habitatores proprie appellantur, qui carnem suam non spiritualiter, sed carnaliter diligunt, curam carnis in desideriis perficientes, atque in carne carnaliter conversantes. Istis nunc flendum est pœnitentiæ lacrimis : quod nisi peregerint, in die judicii sui ululabunt. Qui autem carnem spiritui subdunt, dicuntur non esse in carne. Unde
Rom. VIII, 8. ad Romanos dicit Apostolus : Qui in carne
Ibid. 9. sunt, Deo placere non possunt. Vos autem, inquit, in carne non estis, sed in spiritu. Insuper omnibus nobis in hac lacrimarum valle mortalique carne (quæ per pilam intelligi potest) morantibus, flendum est atque gemendum pro propriis ac aliorum peccatis, pro patriæ dilatione, ex fame et siti justitiæ, ex Christi compassione.

Conticuit, id est, Deo in die judicii respondere non poterit, et in vita præsenti a laudibus Dei obmutuit, *omnis populus Chanaan,* id est plebs omnis instabilis,
Ephes. IV, 14. quæ omni vento doctrinæ et impetu passionum circumfertur, variisque cogitationibus atque affectibus contra justitiam agitatur. Propter quod primo Regum habe-
I Reg. II, 9. tur : Impii in tenebris conticescent. Chanaan equidem interpretatur commotio. Ideo
I Cor. XV, 58. ad Corinthios hortatur Apostolus : Fratres mei, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Hinc Christus hominem verbis Dei non
Matth. VII, 26, 27. obedientem, comparat viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam, cujus ruina facta est magna. *Disperierunt omnes involuti argento,* videlicet divites sæculi
I Tim. VI, 10. hujus et cupidi. Omnium quippe malorum

A radix est cupiditas, teste Apostolo : qui Ephes. V, 5; avaritiam quoque idololatriam vocat; et Coloss. III, 5. ad Timotheum contestatur, Qui volunt di- I Tim. VI, 9. vites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli. Eapropter scriptum est in Baruch : Ubi sunt qui thesaurizant argen- Baruch III, 16, 18-20. tum et aurum, et non est finis possessionis eorum? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt; viam autem disciplinæ ignoraverunt.

Et erit in tempore illo judicii generalis 12
et etiam particularis : *Scrutabor* ego Uni-
B genitus Dei Jesus Christus, qui sum judex Jer. XXIX, 23. et testis, cui Pater dedit omne judicium, Joann. V, 22. *Jerusalem,* id est Ecclesiam animamque credentem, *in lucernis,* id est in libris conscientiæ, de quibus in Daniele et Apocalypsi scriptum est : Aperti sunt libri. Vel, In Dan. VII, 10; Apoc. XX, 12. lucernis, id est lumine veritatis et sacræ Scripturæ sermonibus, examinabo opera ejus. Nihil enim opertum, quod non reve- Matth. X, 26. labitur; et quum venerit Dominus, illu- I Cor. IV, 5. minabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Potest quoque
C interpretari in bono, ut in præsenti Deus electorum suorum vitam dicatur in lucernis scrutari, quando per prælatos ac judices, sapientes ac virtuosos (qui sunt lucer- Joann. V, 35. næ lucentes et ardentes), examinat, castigat atque emendat subjectos; vel certe dum unicuique dat gratiam illustrationis supernæ, qua se ipsum digne examinat, judicat, corrigit et gubernat. *Et visitabo super viros defixos in fæcibus suis,* id est, qui mentem suam ad superna non elevant, sed concupiscentiis turpissimis obtenebra-
D ti, indurantur in vitiis; *qui dicunt, Non faciet Dominus bene, et non faciet male,* id est, divinam providentiam negant, vel formaliter et directe, vel æquivalenter et indirecte : quia sic vivunt, quasi non esset Deus humanorum actuum judex, dum sine timore perpetrant mala, nec metuendum Eccle. VIII, 11. Dei pensant judicium. Propter quod fides eorum mortua perhibetur. Non enim habent hujusmodi fidem de qua scribit apostolus Joannes : Hæc est victoria quæ vincit I Joann. V, 4. mundum, fides nostra; et in Marco dicitur,

Marc. XVI, 16. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus
erit.
13 *Et erit fortitudo eorum in direptionem,*
id est, hostibus suis tradentur torquendi,
et nunc dæmonum prædæ sunt, et ab inferno deglutientur, *et domus eorum in desertum,* quia corda eorum deserentur a Deo, atque æternæ oblivioni tradentur. Hæc enim sunt domus sive cubilia de quibus
Ps. IV, 5. cantatur : In cubilibus vestris compungimini. Vel per domos corpora designantur, quæ post mortem in pulverem rediguntur. *Et ædificabunt domos, et non inhabitabunt; et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum.* Reprobi quippe et sapientes hujus mundi, in quibus dominatur
Rom. VIII, 6. prudentia carnis, quæ mors animæ est, secundum Apostolum, nunc colligunt sibi terrena et construunt, quasi diu victuri; et frequenter, dum non suspicantur, tolluntur de medio, nec uti suis divitiis permittuntur. Secundum quod, diviti qui di-
Luc. XII, 19, 20. cebat, Anima, habes reposita multa bona in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare; divinitus respondetur : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt? Hinc ait
Ps. XXXVIII, 7. Psalmista : Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur; thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.
14 *Juxta est dies Domini magnus et velox*
nimis. Non mirum est hoc de die novissimo dici, quum Joannes in prima sua ferat
I *Joann.* II, 18. Canonica : Novissima hora est. Et Paulus :
I *Cor.* X, 11. Nos, inquit, sumus, in quos fines sæculo-
Hebr. X, 37. rum devenerunt; itemque : Adhuc modicum, et qui venturus est, veniet. *Vox diei Domini amara.* Nonne damnandis amarissima erit vox illa, Surgite, mortui, venite
Matth. XXV, 41. ad judicium; et, Ite, maledicti, in ignem æternum? *Tribulabitur ibi fortis,* id est potentes sua potentia abutentes, qui vere infirmi sunt, quoniam diabolo, mundo, et suæ carni succumbunt atque deserviunt.
Job XXXVI, 5. Verumtamen potentes Deus non abjicit, quum ipse sit potens, dummodo viribus
15 sibi concessis juste utantur. *Dies iræ dies*
illa, dies tribulationis et angustiæ, dies
A *calamitatis et miseriæ; dies tenebrarum et caliginis,* de quo ait Psalmista, Nubes *Ps.* XCVI, 2.
et caligo in circuitu ejus; *dies nebulæ et turbinis,* secundum illud in Psalmo, Ignis *Ps.* XLIX, 3.
in conspectu ejus exardescet, et in circui-
tu ejus tempestas valida; *dies tubæ et clan-* 16
goris : dicit enim Apostolus ad Thessalonicenses, Quoniam ipse Dominus in jussu et I *Thess.* IV, 15.
in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo; et iterum, In momento, in I *Cor.* XV, 52.
ictu oculi, in novissima tuba resurgemus, canet enim tuba; *super civitates munitas,*
B id est congregationes bonis hujus mundi vallatas, *et angulos excelsos,* id est superiores, ad quos velut ad angulos confugiunt alii.

Hæc omnia de die judicii convenientissime intelliguntur : cujus tribulatio tanto major erit super iniquos præ omnibus tribulationibus vitæ præsentis, quanto veritas præcedit figuram et claritas umbram, ita ut sanctus Job oret : Quis mihi tribuat *Job* XIV, 13.
ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et consti-
C tuas mihi tempus in quo recorderis mei? Verumtamen dies illa erit electis jucunda, quemadmodum in Evangelio ait Salvator : His autem fieri incipientibus, levate ca- *Luc.* XXI, 28.
pita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.

Et tribulabo homines, qui sensualitatem 17
sectati sunt : sicut illi quibus prima ad Corinthios ait Apostolus : Quum sit inter I *Cor.* III, 3.
vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? *Et ambulabunt ut cæci,* id est gratiæ claritate
D privati, sicque perversi in infernum descendent. *Et effundetur sanguis eorum,* id est, vita ipsorum damnabitur. Solet enim per sanguinem in Scripturis vita designari, juxta illud Ezechielis : Si non annun- *Ezech.* III, 18.
tiaveris impio, ut avertatur a via sua mala, sanguinem ejus de manu tua requiram. *Et corpora eorum sicut stercora* in tartarum
diffundentur. *Sed et argentum eorum et* 18
aurum eorum non poterit liberare eos. Per argentum intelligi potest sæcularis vel philosophica scientia; per aurum, sapientia

theologicalis. Et certum est, quod in die
judicii vanis et tumidis ista non prode-
Jacob. iv, 17. runt, sed oberunt magis. Scienti enim bo-
num et non facienti, peccatum est illi. Un-
Is. xlvii, 10. de et in Isaia scriptum est : Sapientia et
Ibid. v, 21. scientia tua decepit te; et ibidem, Væ qui
sapientes estis in oculis vestris. Similiter
exteriores divitiæ tunc juvare non pote-
Job xxvii, 19, 20. runt, juxta illud in Job : Dives quum dor-
mierit, nihil secum auferet; apprehendet
eum quasi aqua inopia. *In igne* enim *zeli*
Domini devorabitur omnis terra, id est,
omnis terrenus atque carnalis in fervore
divinæ justitiæ tunc peribit, *quia consum-*
mationem, id est omnimodam et finalem
damnationem, *cum festinatione faciet cun-*
Philipp. iii, 20. *ctis habitantibus terram,* quorum conver-
satio non est in cœlis, sed temporalibus
A magis quam æternis inhærent. De quibus
loquitur Jeremias : Domine, omnes qui te Jer. xvii, 13.
derelinquunt, confundentur; recedentes a
te, in terra scribentur.

Ecce quam fructuosus et pulcher est
mysticus hujus capituli intellectus.

Postremo, circa illud quod dictum est,
Disperierunt omnes involuti argento, ait vers. 11.
B. Hieronymus : Neque putandum est, eos
solos periisse qui argento tecti sunt; sed
juxta hanc definitionem peribit et ille qui
de generis nobilitate se jactat, peribit qui
B inflatur dignitatibus, peribit qui corporis
fortitudine gloriatur; peribit qui femineo
languore mollitus, comam nutrit, vellit pi-
los, cutem polit, et ad speculum comitur :
quæ proprie passio et insania femina-
rum est.

ARTICULUS III

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : CONVENITE, CONGREGAMINI, GENS NON AMABILIS.

PRÆCEDENTI capitulo denuntiavit Pro-
pheta Judæorum punitionem; nunc, ne
eis quod comminatum est, accidat, invi-
1 tat eos ad pœnitentiam. *Convenite* spiri-
tualiter, mente concordi et pari proposi-
to, caritatis vinculo adunati, *congregamini*
corporaliter in templo ad implorandum
misericordiam Dei, *gens non amabilis,* id
est vos, Judæi, propter peccata vestra odi-
biles Deo : qui omnia diligit, quoad id
quod ab ipso habent et sunt per naturam
vel gratiam, sed perversos odit, quantum
ad culpam. Unde per Jeremiam ait ad po-
Jer. xv, 1. pulum istum : Si Moyses et Samuel stete-
rint coram me, non est anima mea ad po-
pulum istum. Videtur quoque istud potius
referendum ad Judæos qui erant post mor-
tem Josiæ regis, quam ad eos qui sub Jo-
II Par. xxxiv, 33. sia vixerunt, quia hi Domino servierunt, et
erant per actus virtutum amabiles.
C Itaque, Convenite velociter, *priusquam* 2
pariat jussio quasi pulverem transeun-
tem diem, id est, antequam ista commis-
sio mihi facta, qua vobis pœnas futu-
ras prænuntiavi, inducat super vos diem
afflictionis præfatæ, tam cito et copiose
ut pulvis volans per ventum adducitur :
hoc est, antequam Deus, qui jussit mihi
hæc prophetare, ad effectum perducat quæ
dixi. Quidam asserunt hanc litteram de-
curtatam, et supplere aliquid oportere ;
sed hoc non apparet, quum expositio ista,
D qua nihil subintelligitur, plana sit, et in-
tegrum pariat sensum. *Antequam veniat*
super vos ira furoris Domini, antequam
veniat super vos ira indignationis ejus,
id est, antequam præscriptam dirissimam
tribulationem realiter incurratis. Qualiter
autem invariabili et supertranquillissimo
Deo ira, furor et indignatio adscribantur,

videlicet per similitudinem effectus, non A
per veritatem affectus seu passionis, di-
ctum est sæpe.
3 *Quærite Dominum,* per eleemosynas,
orationes, pœnitentiam atque jejunia, *om-
nes mansueti terræ,* id est, qui motum iræ
et impatientiam refrenatis. Tales enim
Deus singularius et promptius exaudire
Ps. CXLIX, 4. consuevit, juxta illud in Psalmo : Exalta-
Judith IX, 16. bit mansuetos in salutem; et alibi, Man-
suetorum et humilium tibi semper placuit
deprecatio. *Qui judicium ejus estis opera-
ti,* id est, recte judicastis, et recte judicata B
servastis, ac divina præcepta implestis.
Quærite justum, id est Deum totius justi-
Sap. XII, 15, 16. tiæ fontem. De quo legitur : Quum sis ju-
stus, omnia juste disponis ; virtus enim
tua, justitiæ initium est. Itemque in Psal-
Ps. CXVIII, 137. mo : Justus es, Domine, et rectum judi-
Job XXXIV, 10, 11. cium tuum. In Job quoque : Absit a Deo
impietas, et ab Omnipotente iniquitas ;
opus enim hominis reddet ei, et juxta vias
singulorum restituet. *Quærite mansuetum,*
Joel II, 13. id est Deum, qui longanimis est et præsta-
bilis super malitia, ut habetur in Joele. C
Porro si mansuetudo proprie accipiatur, ut
est virtus moralis passionem iræ refre-
nans, non convenit Deo proprie, sed nec
passio iræ, ceteræque virtutes morales cir-
ca passiones versantes; sed per similitudi-
nem actionis, quia frequenter vindictam
non statim per modum irati infligit, sed
per modum mansueti longanimiter differt.
Ps LXXXV, 5. Propter quod ait vir sanctus : Quoniam tu,
Domine, suavis et mitis. *Si quo modo abs-
condamini in die furoris Domini,* id est,
aliquo modo evadere valeatis præinducta D
divinæ æquitatis flagella a Chaldæis infli-
genda. Aliqui enim justi tempore Babylo-
nicæ captivitatis evaserunt, ut Jeremias,
Jer. XXXVIII, 7 *et seq.* Baruch, Abdemelech Æthiops de quo in
Jeremia habetur, et alii quidam. Sed quia
frequenter contingit in hac vita cum im-
piis simul involvi et justos : quod Deus
propter eorum peccata purganda, et ampli-
orem gratiam in præsenti eis præstandam,
gloriamque majorem in patria, nonnun-
quam permittit (variæ enim sunt causæ
tribulationum electorum hominum in hac
vita); ideo ait Propheta, quasi ut dubitans,
Si quo modo.

Denique ostendit Propheta, quasi per
locum a majori, quod utique Judæis ista
adversa evenient, quia et urbibus Phili-
stinorum, qui pro tempore de quo nunc
sermo fortiores erant Judæis, Babylonii
prævalebunt. *Quia Gaza destructa erit,* 4
et Ascalon in desertum, id est, in solitu-
dinem redigetur, urbe et incolis ejus de-
jectis; *Azotum* urbem Philistiim, *in meri-
die ejicient,* id est, clara luce seu media
die Babylonii destruent; *et Accaron* civi-
tas *eradicabitur* a Chaldæis. Hæ fuerunt
quatuor principales Philistinorum urbes :
per quarum demolitionem totius illius pro-
vinciæ vastitas denotatur. De qua tamen
clarius subditur :

Væ temporalis captivitatis, imo etiam 5
perpetuæ damnationis, imminet vobis, *qui
habitatis funiculum maris,* id est Phili-
stæis, quorum terra super mare Mediter-
raneum sita asseritur, *gens perditorum,* id
est de numero reproborum. *Verbum Do-
mini,* id est prophetica denuntiatio divi-
nitus inspirata, venit *super vos, Chanaan,*
id est, populus de semine Cham filii Noe
exortus, ut patet in Genesi, *terra Phili-* *Gen.* X, 6.
stinorum, id est habitatores terræ istius.
Quod autem terra Philistinorum fuerit ter-
ra Chanaan, scilicet portio ejus, habetur *Josue* XIII, 3.
in libro Josue. Erant autem Philistæi ido-
lolatræ pessimi, et filiis Israel vehementer
molesti. *Et disperdam te, ita ut non sit
inhabitator,* id est, tam graviter per Chal-
dæos vastaberis, me volente, quod habita-
tores terræ tuæ deficient, vel simpliciter
omnes, vel pene omnes, ita ut remanen-
tes præ paucitate non reputentur. *Et erit* 6
funiculus maris, id est terra Philistino-
rum, *requies pastorum et caulæ pecorum:*
quia in ea pastores pecora pascent, et in
tuguriis ponent. Destructis enim habita-
culis, nascuntur gramina animalium pa-
scuis apta. *Et erit funiculus ejus,* id est, 7
terra ista in eorum usum deveniet, *qui re-
manserint de domo Juda,* id est reliquiis

Judæorum de Babylonica captivitate redeuntium. *Ibi pascentur* greges eorum, et ipsi simul vescentur; *in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent :* id est, ubi aliquando fuerunt habitacula urbis hujus, ibi jam sole occidente remanebunt Judæorum pecora et pastores propter abundantiam pascuarum; *quia visitabit eos Dominus Deus eorum,* scilicet Judæos in Babylone. Hæc visitatio in bono accipitur : utpote pro liberatione a captivitate. Propter quod subditur : *et avertet captivitatem eorum,* reducendo eos in terram promissionis cum
I *Esdr.* I, II, VII. Esdra, ut legitur in libro Esdræ.

Consequenter vaticinatur Propheta contra Moabitas et Ammonitas. Quemadmodum enim in majoribus Prophetis, Isaia, Jeremia, Ezechiele, consuetudinis est ut post comminationes propheticas ad populum Israel pertinentes, contra gentes ei vicinas prophetetur, eo quod de adversitate Israel vitiose lætatæ sint, vel eorum oppressioni cooperatæ; ita nunc Sophonias
8 procedit. *Audivi* ego Deus, universa cognoscens : itaque, Audivi, id est, intra me intellectualiter, non de novo, sed ab æterno cognovi, et nunc me id scire per effectum ostendo : propter quod audire me dico, quia per modum aliquid de novo percipientis me habeo. Unde in libro Sa-
Sap. I, 10. pientiæ habetur : Auris zeli audit omnia. *Opprobrium Moab,* id est derisionem Moabitarum et insultationem eorum contra Judæos, *et blasphemias filiorum Ammon,* quia et Deo et populo ejus verbis perfidiæ derogaverunt, quasi Deus eorum non potuisset eis succurrere ; *quæ exprobraverunt populo meo* Israel, quem elegi et meo cultui specialiter deputavi. Hinc per Isa-
Is. XIX, 25. iam loquitur Deus : Hereditas mea Israel. *Et magnificati sunt super terminos eorum,* vel de vastitate Judææ magnifice gloriando, vel aliquid de terra illa suo territorio adjungendo, quia ex una parte fuerunt vicini.

9 *Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum,* id est angelicorum spirituum atque cœlestium agminum. Unde Septua- A ginta transtulerunt : Dominus virtutum. Iste est quasi modus jurandi ipsius Dei, qui jurare non habet nisi per se ipsum. *Hebr.* VI, 13.
Denique, ipse essentialiter vivens est fons vitæ, et actualissima, voluptuosissima ac superpurissima vita. *Deus Israel : quia Moab ut Sodoma erit,* id est, urbes ac populus Moab graviter atque totaliter a Chaldæis vastabuntur, *et filii Ammon* subvertentur a Chaldæis *quasi Gomorrha,* id est sicut urbs illa a Deo subversa. Et est similitudo non totalis, sed aliqualis : reædificata B sunt enim regna Moab et Ammon. *Siccitas spinarum* erit ibi, videlicet spinæ et vepres, *et acervi salis,* per quod terræ sterilitas insinuatur, *et desertum,* id est inhabitabilis solitudo, *usque in æternum.* Non videtur hoc verum, quia (ut tactum est) In Jer. XLVIII, 47.
provinciæ istæ ad statum pristinum redierunt. Ad quod respondet S. Hieronymus, quod dictio Hebraica loco hoc posita, significat æternitatem et sæculum. Si ergo pro æterno sumatur, sensus est quod regna ista post præscriptam pressuram re- C gnum proprium amiserunt, id est reges de genere suo, et ab alienis regibus tenebantur. Si vero accipiatur pro sæculo, intelligendum est quod dejectio illa pro aliquanto vel longo tempore, vel pro una quadam ætate duraverit. Porro responsio ista magistralior * est, quam quod aliqui * *alias* aptior.
asserunt in Hebræo haberi, Usque in sæculum.

Reliquiæ populi mei, id est Judæi a Babylone reversi, eorumve posteri, *diripient eos,* id est, sibi eos subjicient; *residui* D *gentis meæ* Israeliticæ, *possidebunt illos,* id est, Moabitas ac Ammonitas suæ ditioni substernent. Quod tempore Machabæorum fertur impletum, ut in primo libro Ma- I *Mach.* V, 6-8.
chabæorum aliqualiter innotescit. Verumtamen, ut dicit Hieronymus, Judæi non bene valent ostendere hæc esse impleta post reditum a Babylone ante Christi adventum. Propter quod aliqui Judæorum affirmant hæc in adventu Messiæ, quem inaniter præstolantur, esse adimplenda. Contra quod Hieronymus efficaciter disputat : imo

in expositione hujus capituli et alibi, for- A
titer probat litteralem Judæorum exposi-
tionem interdum stare non posse. Nihilo
minus dicit se quod ab Hebræis accepit ac
didicit, litteralem videlicet expositionem,
Latinorum auribus tradere.

10 *Hoc eis eveniet pro superbia sua :* id est,
calamitas et afflictio ista infligetur Moabi-
tis et Ammonitis propter eorum superbi-
am ; *quia blasphemaverunt et magnificati
sunt super populum Domini exercituum,*
Judæos spernendo, irridendo ac blasphe-
11 mando. *Horribilis Dominus super eos,* id B
est, per Chaldæos terribiliter eos vastabit,
et attenuabit omnes deos terræ, id est, deos
seu idola Moab et Ammon conteret per
Chaldæos. *Et adorabunt eum viri de loco
suo,* id est, qui unius veri Dei notitiam ex
suæ omnipotentiæ effectibus acceperunt,
omnes insulæ gentium, id est quidam de
omnibus insulis, inter quos habitaverunt
Judæi, qui quosdam gentilium ad veri Dei
cultum converterunt : sicut in libro Esther
Esther VIII, 17. plenius edocetur, quemadmodum multi in
regno Assueri religioni Judæorum se con- C
junxerunt. Verumtamen ista convenientius
pro tempore Christi et evangelicæ prædi-
cationis exponuntur, quando in toto orbe
terrarum seminata est fides catholica et
idololatria demolita. Liberatio quippe Ju-
dæorum a Babylonica captivitate, fuit fi-
gura redemptionis generis humani a dia-
bolica captivitate per Christum. Idcirco
Prophetæ de tempore uno ad aliud sæpe
descendunt, sicut in Isaia et Jeremia evi-
denter ostenditur.

Quæ demum nunc de Moab et Ammon D
Is. XV, XVI; *Jer.* XLVIII, XLIX, etc. breviter dicta sunt, in Isaia et Jeremia di-
versis capitulis plenius describuntur; sed
propter brevitatem, cui in omnibus stu-
deo, allegationes reliqui.

Deinceps profertur prophetalis commi-
natio contra Æthiopes atque Assyrios, qui
filiis Israel interdum molestias intulerunt,
II *Par.* XII, 3; XIV, 9; IV *Reg.* XV-XIX. sicut in libris Regum et Paralipomenon
elucescit. *Sed et vos, Æthiopes, interfecti*
12 *gladio meo eritis,* id est, gladio Chaldæ-
orum, scilicet regis Babylonis et populi
ejus, interficiemini. Horum gladium no-
minat Deus gladium suum, quoniam eo
disponente ac adjuvante, occiderunt Æthi-
opes, ita quod erant divinæ exsecutores
justitiæ. Deus enim frequenter ulciscitur
peccata unius gentis per aliam.

Et extendet exercitus Chaldæorum *ma-* 13
num suam super aquilonem, id est adver-
sus regionem Assyriorum, in aquilonari
plaga locatam, *et perdet Assur,* id est, re-
gnum Assyriorum vastabit, *et ponet spe-
ciosam,* id est Niniven urbem pulcher-
rimam in regno Assyriorum metropolim
(nam et Ninive interpretata est speciosa),
in solitudinem, et in invium, ita quod per
eam non erit consuetus vel publicus trans-
itus, *et quasi desertum,* habitatoribus ab
ea deficientibus. *Et accubabunt in medio* 14
ejus greges, omnes bestiæ gentium : quo-
niam vastitate et planitie ejus diu durante,
orientur ibidem gramina bestiarum esui
apta. Porro distributio illa, Omnes bestiæ
gentium, non est stricte accipienda pro
singulis generum, sed pro multitudine vel
generibus singulorum, ut moris est in Pro-
phetis. *Et onocrotalus et ericius in limini-
bus ejus morabuntur,* vel in locis ubi li-
mina stabant, vel in liminum ruinis. *Vox
cantantis in fenestra.* In fenestrarum rui-
nis aves sedentes, cantabunt, ut fieri so-
let in ædificiis derelictis. *Corvus in su-
perliminari,* id est, in superliminaribus
corvi quiescent, quia neminem videbunt
habitatorem quem metuant. *Quoniam at-
tenuabo robur ejus,* potentiam ipsius de-
struendo.

Deinde Propheta divinæ justitiæ se con-
formans, et zelo justitiæ pereunti civitati
insultans, subjungit : *Hæc,* scilicet Nini- 15
ve, *est civitas gloriosa, habitans in confi-
dentia :* quoniam populus in ea habitans,
de sua fortitudine et urbis firmitate mul-
tum præsumpsit ; *quæ dicebat in corde
suo, Ego sum, et extra me non est alia
amplius,* id est, in tantum devenit pompæ
tumorem, quod alias urbes comparatione
sui, nullius reputavit momenti. Sed de isto
supra in expositione Nahum prophetæ di-

ctum est plenius. *Quomodo facta est in* A
desertum, id est solitudini similis, facta-
que est *cubile bestiæ,* id est quasi stabu-
lum quoddam brutorum? Tanquam Pro-
pheta admirans insinuet, hoc divina virtute
mirabiliter factum. *Omnis qui transit,* id
est, qui transierit, *per eam,* id est ejus rui-
nas, *sibilabit,* elationi ejus insultando, *et*
movebit manum suam, demonstrando ad
quantam cladem perducta sit.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO TROPOLOGICA EJUSDEM CAPITULI SECUNDI.

MORALITER autem cuilibet congrega- B
tioni vel familiæ vitiosæ atque ma-
1 lignantium ecclesiæ dicitur : *Convenite,*
congregamini, gens non amabilis, id est,
Is. XLVI, 8. redite ad cor, ad rectæ rationis judicium,
ad divinorum et ecclesiasticorum obedi-
entiam præceptorum, ab exterioribus ad
interiora, a carnalibus ad spiritualia, a
temporalibus atque terrenis ad cœlestia et
æterna, postremo a bonis creatis, caducis,
vanis, fallacibus, ad Creatorem omnipoten-
tem, verum Deum, summum, immensum,
incommutabile bonum. Et qui per conten- C
tiones et lites, aversiones et odia estis dis-
persi et ab invicem separati, congregamini
in una individua caritate, ut sit omnium
Act. IV, 32. cor unum et anima una in Domino : quem-
admodum ad Philippenses monet Aposto-
Philipp. II, 2. lus : Implete gaudium meum, ut idem
sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes.
Denique de hac spirituali congregatione
Joann. XI, 51, 52. scriptum est in Joanne : Jesus moriturus
erat pro gente, et non tantum pro gente,
sed ut filios Dei qui erant dispersi, con-
gregaret in unum. — Quæritur, qualiter D
impii sint *gens non amabilis,* quum eos
jubeamur amare. Sed amabiles sunt, quoad
id quod a Deo sortiti sunt; odibiles autem,
quoad id quod ex voluntate propria ha-
bent. Unde in Ecclesiastico scriptum est :
Eccli. L, 27. Duas gentes odivit anima mea.

Itaque, Convenite, et pœnitentiam ex
caritate, non ex servili timore, peragite,
2 *priusquam pariat jussio quasi pulverem*
transeuntem diem, id est, priusquam di-
vina jussio, qua Deus impios perire præ-
cepit, vobis inducat diem mortis impa-
ratæ, itemque damnationis æternæ, quasi
pulverem copiose; *antequam veniat super*
vos ira furoris Domini, id est irremedi-
abilis illa vindicta, ac insanabilis plaga
morsque secunda Propter quod orat Psal- *Apoc.* XX, 14;
mista : Domine, ne in furore tuo arguas *Ps.* VI, 2;
me; et Jeremias, Corripe me, Domine, ve- XXXVII, 2.
rumtamen in judicio, et non in furore tuo, *Jer.* X, 24.
ne forte ad nihilum redigas me. Hinc ait
Salvator : Attendite, ne superveniat in vos *Luc.* XXI,
repentina dies illa. 34.

Quærite Dominum. Omnis enim qui 3
quærit, invenit. Quærite itaque Deum, et *Ibid.* XI, 10.
intra vos quærite eum : hoc est, cor ve-
strum ad ipsum convertite, ipsum rogate.
Non enim longe est ab unoquoque no- *Act.* XVII,
strum, quia in ipso vivimus, movemur et 27, 28.
sumus. *Omnes mansueti.* Quum mansueti
jam habeant Deum cordis sui per grati-
am possessorem atque mansorem, qualiter
quærent eum, nisi ut copiosius atque per-
fectius habeant eum, clarius cognoscendo,
ardentius diligendo, inseparabilius cohæ-
rendo, et non tantum pro se, sed pro aliis
quoque exaudiantur ab ipso? *Si quo modo*
abscondamini in die furoris Domini, puta
in die judicii : non quod ambiguum sit,
mansuetos Deumque perseveranter quæ-
rentes, tunc esse salvandos; sed ad insi-
nuandum quam difficile sit salvari, quam
item horrendum ac rigorosum sit Dei ju-

dicium. Juxta quem modum scriptum est :
I *Petr.* IV, 18. Si justus vix salvabitur, impius et pecca-
tor ubi parebunt ?
4 *Quia Gaza destructa erit.* Gaza inter-
pretatur, fortitudo ejus : quo designantur
in sæculari potentia et corporali fortitu-
dine, vel etiam spirituali potestate, aut
meritorum suorum copia, inaniter glori-
antes. Hi tales destruuntur a Deo, omne
spirituale esse gratiæ et gloriæ amittendo,
et mortem tartaream incidendo, quemad-
Ps. LI, 9. modum in Psalmo cantatur : Ecce homo
qui non posuit Deum adjutorem suum, sed
speravit in multitudine divitiarum sua-
rum, et prævaluit in vanitate sua. Econ-
trario timorati, atque veraciter sapientes
Ps. LVIII, 10, 11. et justi, jugiter psallunt : Fortitudinem
meam ad te custodiam, quia, Deus, susce-
ptor meus es ; Deus meus, misericordia
ejus præveniet me. *Et Ascalon in deser-
tum :* id est, vitiis aggravati, et igne mali-
gnitatis succensi, qui multas animas scan-
dalizant, a Deo derelinquentur. Ascalon
quippe, ponderata vel ignis homicida in-
terpretatur. *Azotum in meridie ejicient :*
id est, libidinosi et obsceni in ignem æter-
num projicientur ab angelis in die judicii,
Matth. XIII, 49, 50. qui separabunt malos de medio justo-
rum, et mittent eos in caminum ignis : in
meridie, id est, dum electi plenam glo-
riæ suscipient claritatem. Azotus equidem,
ignis generationis interpretatur : quo ar-
dor libidinis designatur. *Et Accaron era-
dicabitur :* id est, infructuosi, et aliorum
subversores, de electorum consortio se-
gregabuntur. Accaron namque, sterilitas
Ibid. III, 10; VII, 19. vel eradicatio interpretatur. Omnis enim
arbor quæ non facit fructum bonum, ex-
cidetur, et in ignem mittetur. Et Christus
Ibid. XVIII, 7. in Evangelio ait : Væ homini per quem
scandalum venit. Quocontra ait vir justus :
Ps. LI, 10. Ego autem sicut oliva fructifera in do-
mo Dei.
5 *Væ* vobis *qui habitatis funiculum ma-
ris,* id est, vitiis inquietudinis, turbulentiæ
et amaritudinis immoramini. Mare enim
(ut patuit) sua fluctuatione, concussione
et amaritudine inquietos, turbulentos, ama-
A ros significat; et qui vitiis istis non relu-
ctantur, sed immorantur, funiculum ha-
bitant maris. Super hos Spiritus Sanctus
non requiescit, qui super humiles et quie- *Is.* LXVI, 1, 2.
tos requiescere perhibetur. In Ecclesiastico
quoque scriptum est : Non est sensus, ubi *Eccli.* XXI, 15.
abundat amaritudo. Et Apostolus : Ope- I *Thess.* IV, 11.
ram, inquit, detis ut quieti sitis. Præter-
ea, quoniam possessio juxta mare sita, ma-
gna esse solet, saltem circa littus, potest
per maris funiculum possessio parva si-
gnari : et idem damnationis judicium est
B his qui circa parva et modica inordinate
afficiuntur, videlicet contra caritatem di-
vinam et justitiæ ordinem, quod illis qui
circa multa et magna vitiosum habent af-
fectum. Non enim res ipsa, sed affectus in
culpa est, quum et aliqui multa possideant
sine peccato, et alii pauca cum vitio. *Ver-
bum Domini,* id est divina comminatio,
super vos, Chanaan, id est, popule vitiosæ
commotionis, plebs passionata atque in-
stabilis. Chanaan enim commotio dicitur.
Terra Philistinorum. Isti enim sunt terra
C et populus Philistinorum, id est potione
cadentes, quoniam de mundi hujus sapore
et vanitate atque divitiis tantum accipi-
unt, quod præ pessima ebrietate cadunt a
summis in ima, non quæ Dei sunt et quæ *Coloss.* III, 2.
sursum sapientes, sed quæ super terram.
Et erit funiculus maris, id est vitia 6
jam præfata, *requies pastorum,* id est ma-
teria gaudii electorum, se ipsos et sibi
commissos spiritualibus animæ alimentis
pascentium. Lætabitur enim justus quum *Ps.* LVII, 11.
viderit vindictam. *Et caulæ pecorum,* id
D est repausatoria subditorum bonorum : qui
in consideratione vanitatis et ultionis pra-
vorum, quasi repausant, de sibi concessa
clementia in Domino gloriantur, cautius-
que conversari conantur, et in contempla-
tione æquitatis divinæ quasi obdormiunt
et repausant. *Et erit funiculus ejus* his 7
qui remanserint de domo Juda : id est,
peccata eorumque vitia qui terrenis in-
sudant, Sanctorum et electorum ditioni
subdentur, qui judicabunt nationes do- *Sap.* III, 8.
minabunturque populis. *Ibi pascentur in*

domibus Ascalonis : id est, electi impios A
possidebunt, et in eorum, si quando emendaverint vitam, conversione spiritualiter epulabuntur. Nihilo minus in vita futura punitio impiorum cedit electis in gloriam et pascua vitæ. *Quia visitabit eos,* scilicet electos, *Dominus Deus eorum,* per ampliorem gratiæ consolationem et infusionem, ut valeant convertere alios, vel de eorum punitione juste lætari sine offensa, imo et cum complacentia Dei, cujus se voluntati conformant; *et avertet captivitatem eorum,* liberando electos de potestate diabo- B
li, servitute peccati, insaniis mundi : aliter digni non essent alios edocere.

8 *Audivi opprobrium Moab et [blasphemias] filiorum Ammon, quæ exprobraverunt populo meo.* Moab interpretatur, ex patre : per quod hoc loco reprobi et superbi designantur, quibus loquitur Chri-
Joann. VIII, 44. stus, Vos ex patre diabolo estis : qui sunt
Job XLI, 25. quasi servi diaboli, qui est rex super omnes filios superbiæ. Ammon interpretatur, filius patris mei : quo falsi fratres atque hæretici exprimuntur, de quibus in Canti- C
Cant. I, 5. cis ait Sponsa : Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Hi itaque contumeliam faciunt Dei electis, quemadmodum Chri-
Joann. XV, 20. stus protestatur : Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Horum injuriam reputat Deus sibi illatam, sicut ad Paulum effatur,
Act. IX, 4. Quid me persequeris? eamque juste ulciscitur, eo quod super terminos electorum suorum magnificati sint, electorum Ecclesiam opprimendo, spoliando, et persequen-
9 do. Ideo subditur, quod erunt quasi Sodoma et Gomorrha, quoniam igne et sulfure D
infernali cruciabuntur; et siccitas spina-
Is. LXVI, 24. rum inerit eis, quia vermis eorum non morietur; eruntque acervi salis steriles et perditi in æternum, eo quod nunquam pœnitebunt, nec redimentur. *Reliquiæ populi mei diripient illos.* Jam etenim ta-
Sap. III, 8. ctum est, quemadmodum Sancti judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et qui nunc a reprobis opprimuntur injuste, in die judicii reprobos opprimen, juste judicando eos cum Salvatore.

Deinde Dominus comminatur. *Sed et* 12
vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis. Æthiopes sunt vitiis denigrati in anima : qui gladio Dei, id est sententia oris Christi spiritualiter interficientur, dum æternaliter damnabuntur. De quo gladio scriptum est in Apocalypsi : De ore ejus gladius ex Apoc. I, 16; XIX, 15.
utraque parte acutus exibat. *Et extendet* 13
manum suam super aquilonem, id est contra eos qui in frigore permanent vitiorum, in quibus caritas Dei refriguit, sunt- Matth. XXIV, 12.
que peccatis quodammodo congelati per duritiam cordis, quoad ea quæ Dei sunt et suæ salutis. *Et perdet Assur,* id est dirigentes ad mala, qui cæci sunt mente et Ibid. XV, 14.
duces cæcorum. Assur enim dirigens interpretatur, secundum quosdam; vel secundum Hieronymum, coarguens et convincens, sicque per Assur intelliguntur accusatores fratrum suorum et observatores : quos Dominus perdet, juxta illud Proverbiorum, Qui investigator malorum est, Prov. XI, 27.
opprimetur ab eis. *Et ponet speciosam in solitudinem :* id est, omnem congregationem carnalium, quæ se foris perornat, et mundi hujus honore, gloria atque divitiis decoratur, Deus omni suo vano privabit decore, atque ad summam deformitatem pertrahet eam, ut sit invia et deserta, sicut de impio scriptum est : Quæres locum Ps. XXXVI, 10.
ejus, et non invenies. Denique Ecclesia olim virtutibus pulchra, donis et gratiis Spiritus Sancti polita, circa Antichristi adventum et ipso regnante, quasi in solitudinem redigetur, et pristino suo ornatu privabitur, quando pene omnes fallentur. Tunc enim juxta Apostolum, insta- II Tim. III, 1, 2.
bunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes ; eritque discessio ab utroque imperio, spirituali ac temporali.

Et accubabunt in medio ejus greges, 14
omnes bestiæ gentium, id est, motus sensualitatis, passiones, et concupiscentiæ in corde ipsius per consensum manebunt. *Onocrotalus et ericius,* id est vitia per bruta hæc significata. Per ericium, qui est animal spinosum ac pungitivum, impatientia denotatur; per onocrotalum, fœtor impuri-

tatis carnalis. Hæc *in liminibus ejus mora-* A
buntur, id est inferioribus animæ viribus
et sensualitate. *Vox cantantis in fenestra,*
id est insultatio dæmonis de perditione
hominum gloriantis. *Corvus in superlimi-*
nari, id est, in superiori animi portione erit
sordidatio vitiorum, et dilatio omnis boni.
15 *Hæc* mundanorum hominum collectio
est civitas gloriosa in sæculo isto, deliciis,
divitiis, atque honoribus vitæ præsentis
intenta : quam et homines sæculares arbi-
trantur beatam, quum prorsus miserrima
sit; *habitans in confidentia,* quia de se B
Jer. XVII, 5. ipsa præsumpsit, et posuit carnem bra-
chium suum, propriam fragilitatem non
pensans; *quæ dicebat, Ego sum,* etc., id
est, aliis cunctis se prætulit, ut moris est
superborum. *Quomodo facta est in deser-*
tum? id est, quomodo repente dejecta, et
facta est *cubile bestiæ,* id est dæmonum
domus? de quibus dicitur : Ne tradas be- *Ps.* LXXIII, 19.
stiis animam confitentem tibi. Hinc in
Psalmo cantatur : Dejecisti eos, dum alle- *Ps.* LXXII, 18, 19.
varentur; quomodo facti sunt in desolati-
onem? subito defecerunt, perierunt propter
iniquitatem suam. Et in Job : Vidi iniquos *Job* IV, 8, 9.
Domino flante perisse. *Omnis qui transit*
per eam, id est, mente lustraverit quali-
tatem ejus, atque eventum ipsius perpen-
derit, *sibilabit, et movebit manum suam :*
secundum sensum in fine præcedentis ar-
ticuli positum.

ARTICULUS V

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : VÆ PROVOCATRIX ET REDEMPTA CIVITAS, COLUMBA.

1 VÆ *provocatrix et redempta civitas,* C
columba. Capitulum præsens intrica-
tum est satis, ideoque a diversis multifor-
miter explanatur, quemadmodum Domino
concedente breviter tangam, et quid rati-
onabilius magisque catholice dici videa-
tur, aperiam. Denique aliqui asserunt, in
isto capitulo consolationem Judæorum de-
scribi. Sed in exordio hujus capituli, in-
crepatio magis quam consolatio ponitur; in
prosecutione vero, præsertim circa finem
capituli, consolatio magna promittitur. Præ-
terea, sic exponendum est præsens capi- D
tulum, ut ad aliorum intentionem faciliter
valeat applicari.

Væ magnæ afflictionis imminet tibi,
o *provocatrix et redempta civitas,* id est,
o Jerusalem, quæ Deum tuis criminibus ad
rigorem justitiæ provocasti. Non quod ejus
tranquillitas conturbetur, sed quia ad in-
star animi concitati subito magnam ultio-
nem inducit. Et quoniam Deus a tempore
Judicum, civitatem istam et populum Ju-
dæorum sæpe de hostibus liberavit, voca-
tur redempta. Nuncupatur quoque *colum-*
ba, propter innocentes et simplices qui
frequenter habitaverunt in ea, vel quia
naturæ humanæ innata videtur quædam
simplicitas. *Non audivit vocem,* id est, di- 2
vina eloquia non custodivit, nec Propheta-
rum sermonibus acquievit; *et non suscepit*
disciplinam, id est, divinam correctionem
seu instructionem patienter non tulit, ne-
que a vitiis desiit, juxta illud Jeremiæ :
Renuerunt accipere disciplinam. *In Do-* *Jer.* V, 3.
mino non est confisa : quia non habuit
spem formatam, et creaturæ potius quam
Creatori fuit innitens; *ad Deum suum non*
appropinquavit per spiritualem accessum,
videlicet credendo, sperando, amando, ali-
arumque virtutum operibus ex caritate
insistendo, præsertim latriæ ac pœnitentiæ
actibus. Non enim corporaliter atque loca-
liter, sed spiritualiter et interne incircum-
scriptibili Deo approximamus. Ideo in Isaia
loquitur Deus : Cor ejus longe est a me. *Is.* XXIX, 13.

3 *Principes ejus in medio ejus quasi leo-* A
nes rugientes, id est protervi et immise-
ricordes, pauperum oppressores, *judices*
ejus lupi vespertini, id est similes lupis
vespertinis multum voracibus, *non relin-*
quebant in mane, id est, subditorum sub-
stantiam immoderatissime devoraverunt,
imo et innocentes occiderunt. Hinc ab Isaia
Is. I, 23. inducitur : Principes tui infideles. Per
eumdem quoque Prophetam loquitur Do-
Ibid. III, 14, 15. minus : Rapina pauperis in domo vestra
est. Quare atteritis populum meum, et fa-
4 cies pauperum commolitis? *Prophetæ ejus* B
vesani, viri infideles : non enim veri, sed
pseudo vates fuerunt, de quibus per Je-
Jer. XIV, 14. remiam Dominus protestatur : Ego non
misi eos; visionem mendacem et seducti-
onem cordis sui prophetant vobis. *Sacer-*
dotes ejus polluerunt sanctum, id est, jus
divinum profanarunt : non quod ipsa di-
vinæ legis justitia in se ipsa sordidetur,
sed quod ei injustitia misceatur, vel per
impietatem penitus inhonoretur ac relin-
Ezech. XXXVI, 20, 22; XLIII, 8. quatur. Sic enim per Ezechielem Dominus
ubertim affirmat nomen suum sanctum a C
Judæis inter gentes pollutum. *Injuste ege-*
runt contra legem per Moysen datam, pec-
cando in Deum et proximos, insuper et
in se ipsos. De quibus in Jeremia habe-
Jer. II, 8. tur : Sacerdotes non dixerunt, Ubi est Do-
minus ?

5 *Dominus justus in medio ejus.* Deus
enim ubique est, qui ait per Jeremiam :
Ibid. XXIII, 24. Cœlum et terram ego impleo. Sed quum,
Prov. XV, 29. Salomone testante, longe sit Dominus ab
impiis, quomodo nunc in medio horum
tam pessimorum esse narratur? Et respon- D
dendum, quod longe est Dominus ab ini-
quis, quantum ad præsentiam caritatis et
gratiæ. Nihilo minus per essentiam suam
ubique est : et quantum ad hoc, divinus
Dionysius ait, quod Deus est omnibus
æque propinquus. *Non faciet iniquita-*
tem. Quum ipse sit prima mensura, et re-
gula universæ justitiæ, ideo eo ipso quo
ipse aliquid facit, justum est : nec enim
potest peccare, quia essentialiter sanctus
est. Idcirco unicuique quod meretur, re-
tribuet. Hinc cantamus in Psalmo : Quo- *Ps.* XCI, 16.
niam rectus Dominus Deus noster, et non
est iniquitas in eo. *Mane, mane,* id est ce-
leriter utique. Repetitio enim, certitudinis
indicium est, et confirmatio dicti. *Judi-*
cium suum dabit, id est, justitiæ suæ ef-
fectum ostendet contra præfatos iniquos,
in luce sapientiæ suæ, id est secundum
suæ veritatis censuram ; vel, In luce, id
est aperte, ita quod omnibus innotescet ;
et non abscondetur. Nescivit autem ini-
quus confusionem : id est, causam suæ
confusionis et vastitatis perversus Judæo-
rum populus non advertit, videlicet pro-
pria crimina ; nec consideravit propter
quem finem castigarentur a Deo, videlicet
ut pœnitentiam agerent. Vel, Nescivit con-
fusionem, id est, salutarem erubescentiam
non admisit, de suis iniquitatibus vere-
cundando, juxta illud in Jeremia : Con- *Jer.* VI, 15.
fusione non sunt confusi, et erubescere
noluerunt.

Disperdidi gentes, id est, Judæos per 6
adversarios eorum frequenter vastavi. Ju-
dæi autem in veteri Testamento sæpe gen-
tes vocantur, juxta illud Judicum : Irritum *Judic.* II, 20.
fecit gens ista pactum meum. Et Moyses
loquitur Deo : Respice populum tuum gen- *Exod.* XXXIII, 13.
tem hanc. *Et dissipati sunt anguli ea-*
rum, id est urbes præcipuæ, vel principes
populi hujus, in quorum protectione alii
confidebant, et in eis quasi in angulis la-
tere optabant. *Desertas feci vias eorum,* id
est ejus gentis jam dictæ, *eo quod non sit** *dum non est*
qui transeat per eas. Viæ enim, viatoribus
deficientibus, terrisque vastatis, consue-
verunt deficere. *Desolatæ sunt civitates*
eorum, videlicet Judæorum, *non remanen-*
te in eis *viro neque ullo habitatore* Judæo.

Dixi, ego Dominus veritas sempiterna, 7
et virtus immensa, cujus dixisse, fecisse
est, dum volo : *Attamen timebis me :* id
est, castigationibus istis, quas tibi induxi,
non obstantibus, tandem aliquando con-
verteris ad me, et filialem ad me timorem
concipies ; *suscipies disciplinam,* id est,
informationem et correctionem paternam
æquanimiter feres : quum Salomon scri-

Prov. xv, 32. bat : Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam ; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. *Et non peribit habitaculum ejus* in toto, quantum ad justos præcipue, *propter omnia in quibus visitavi eam,* id est propter peccata ob quæ eos afflixi, vel propter mala pœnalia quæ super eos induxi : propter quæ quasi placatus habitaculum aliquod eis concessi, videlicet synagogam sive ecclesiam, vel domus ad immorandum, sive in terra sua, vel aliena. *Verumtamen diluculo surgentes,* id est mane et cito ad illicita properantes, *corruperunt omnes cogitationes suas,* pravis cogitationibus adjiciendo consensum. Istud ad alios quam de bonis, de quibus jam dixit, Attamen timebis me, referre oportet, vel ad eosdem secundum temporum intervalla, ut qui ad tempus timuerunt, nec perseveraverunt in bono.

Præterea, hæc est præcipua ratio difficultatis intelligendi Prophetas, quod ea quæ uno passu dicuntur, et satis faciliter intelligi posse videntur, verba mox sequentia impedire cernuntur, sicut et loco præsenti. Nam quum paulo ante jam dixerit, Desolatæ sunt civitates nullo remanente habitatore, mox addidit, Non peribit habitaculum ejus. Rursus quum dixisset, Attamen timebis me, mox subjunxit, Corruperunt omnes cogitationes suas.

Insuper quidam omnia jam in isto capitulo explanata, referunt ad Judæos pro tempore Christi, cujus vocem et disciplinam pro majori parte spreverunt. Quorum principes, videlicet sacerdotes, Scribæ et Pharisæi, fuerunt crudeles in Christum, et quasi lupi rapaces in subditos. Prophetæ quoque Jerusalem fuerunt vesani et pseu-
Joann. xi, 48. do, dicentes : Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum ; et venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem. Simi-
Ibid. 50. liter Caiphas : Expedit vobis, inquiens, ut unus moriatur homo pro populo. Sacerdotes ejus polluerunt sanctum : quibus Chri-
Matth. xv, 6. stus in Evangelio ait, Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Sed

A et Christo Sancto Sanctorum multa crimina imposuerunt. Dominus justus, videlicet Christus, in medio ejus, quia in Jerusalem sæpius prædicavit ; qui etiam mane judicium suum dedit, ipsos Judæos increpando, atque judicium discretionis in eos exercendo : quibus et dixit, Multa habeo Joann. viii, 26.
judicare de vobis. Porro quod subditur, Disperdidi gentes, exponunt de oppressione Judæorum a Romanis. Deinde illud, Attamen timebis me, intelligunt de credentibus in Dominum Jesum ; id vero, Cor-
B ruperunt cogitationes suas, de his qui fuerunt increduli. Alii præinducta exponunt pro tempore captivitatem Babylonicam præcedente, et de Judæorum a Babyloniis oppressione tempore Sedeciæ. IV Reg. xxv, 8

Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum. Sicut B. Hieronymus refert, Judæi hunc locum exponunt pro tempore Christi, quem putant nondum venisse, quo (ut asserunt) veniente, et mundi monarchiam tenente, gentes et regna ac principes interficientur ab
C ipso. Hæc autem expositio vana est, quum Christum jam venisse sciamus. Sed diversis expositionibus propter prolixitatem vitandam omissis, locus iste pro tempore Christi præterito exponetur, ut sit sensus :

Quapropter, id est, quia (ut dictum est) quidam Judæorum credent in Christum et jam crediderunt, quidam vero, imo pro maxima parte, in incredulitate manserunt, præsertim usque Apostolorum prædicationem in Jerusalem factam post Christi passionem et Spiritus Sancti missionem,
D *exspecta me* tu, popule Judæorum, *dicit Dominus* Jesus Christus, *in die resurrectionis meæ in futurum,* id est die qua post mortem tertia die resurgam ; jamque surrexi, sicque exspecta me in futurum, id est perseveranter et semper usque ad mortem et finem ; *quia* erit *judicium meum,* id est sapientiæ meæ dictamen, et agendum judicabo, *ut congregem gentes et colligam regna* spirituali adunatione, convertendo gentiles ad unam fidem et spem, atque individuam caritatem, ut omnes sint unum Joann. xvii, 21-23.

mysticum corpus Christi in una Ecclesia. A
Hoc est quod per Isaiam loquitur Domi-
Is. LI, 4. nus : Attendite ad me, popule meus, quia
lex a me exiet, et judicium meum in lu-
cem populorum requiescet; et in Psalmo,
Ps. LXXI, 11. Adorabunt eum omnes reges, omnes gen-
Joann. XI, 51. tes servient ei. Jesus enim moriturus erat
pro gente, ut in Joanne legimus. Et ipse-
Ibid. X, 16. met protestatur Judæis : Alias oves habeo,
quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet
Is. LV, 5. me adducere. Unde et per Isaiam : Gentem,
inquit, quam nesciebas, vocabis; et gentes
quæ non cognoverunt te, ad te current. B
Hinc Christus post resurrectionem suam
Matth. XXVIII, 19. ait Apostolis : Euntes, docete omnes gentes;
Marc. XVI, 15. et, Prædicate Evangelium omni creaturæ.

Et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra. Si istud exponatur in malo, nec superioribus, nec subsequentibus consonare videtur. Nam subditur : Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes nomen Domini, et serviant ei humero uno. Potest itaque uno modo de populo C
Judæorum intelligi : super quos Christus post passionem suam et resurrectionem, indignationem suam effudit, in manus Romanorum eos tradendo, omnem quoque iram furoris sui, eosdem finaliter derelinquendo, gratiam subtrahendo, et perpetue condemnando : sicut in Isaia protestatur,
Is. LXIII, 3. Calcavi eos in furore meo, et conculca-
Ps. XL, 11. vi eos in ira mea; itemque in Psalmo, Tu
autem, Domine, miserere mei, et resuscita
Ps. LXVIII, 25. me, et retribuam eis; et denuo, Effunde
super eos iram tuam, et furor iræ tuæ D
comprehendat eos. Propter quod dicit Apo-
I Thess. II, 16. stolus ad Thessalonicenses : Pervenit su-
per eos ira Dei usque in finem. Tunc quoque in igne zeli Dei, seu in rigore divinæ justitiæ, devorata est omnis terra Judæorum, infidelibus Judæis consumptis, seu inde sublatis, habitaculisque destructis. Secundo exponi potest de gentibus in incredulitate manentibus : super quos Deus indignationem suam effudit, eos juste relinquendo, omni gratia spoliando, atque æternam miseriam infligendo, imo et multos fidelium persecutores in præsenti sæculo dire plagando, sicut in Sanctorum legendis ostenditur. Tunc demum devorata est omnis terra, id est, omnis homo carnalis divinitus reprobatus. Versi-
culus iste, In igne zeli mei devorabitur *Cf. Is.* LXVI, 16, *juxta* LXX.
omnis terra, est in Isaia scriptus.

Porro quod subditur, *Quia tunc reddam* 9
populis labium electum, etc., referendum videtur ad id quod dictum est, Judicium meum, ut congregem gentes et colligam regna. Si vero referatur ad id quod dictum est, Et effundam super eos indignationem meam; tunc ista conjunctio, Quia, non proprie causam directam, sed concomitantiam quamdam insinuat, sicut in
Psalmo quo dicitur : Tibi soli peccavi, ut *Ps.* L, 6.
justificeris in sermonibus tuis. Juxta quem
modum ad Romanos dicit Apostolus, quod *Rom.* XI, 11, 12, 15.
Judæorum delictum salus est gentibus, et illorum amissio, reconciliatio est mundi. Unde et Paulus et Barnabas incredulis di-
xerunt Judæis : Quia repulistis verbum *Act.* XIII, 46.
Dei, ecce convertimur ad gentes. Ita ergo et hoc loco effusio indignationis et iræ Dei super induratos Judæos, assignatur velut causa illuminationis gentilium, secundum quod subditur :

Quia tunc, dum gentes congregabo ad fidem, et Judæos destruxero per Romanos, *reddam populis labium electum,* id est salutarem loquelam atque salubrem con-
fessionem, ita ut omnis lingua confiteatur *Philipp.* II, 11.
quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris; *ut invocent omnes nomen Domini,* id est verum Deum, unum ac trinum. Vel per nomen Domini specialiter intelligendus est hoc loco Dominus Jesus Christus, secundum quod Lyra quadam allegat in glossa Hebræorum super Genesim, taliter dictum : Tunc convertam ad populos labium electum, ad invocandum nomen Domini, et ad colendum eum humero uno. Et subditur : Non est autem dictum hic nomen Domini, nisi rex Messias. *Et serviant ei*
humero uno, id est mente concordi, jugum *Matth.* XI, 29.
legis evangelicæ super se intus deferendo

et observando, quemadmodum super humerum corporalem onus portatur. Unde a Daniele dictum est : Omnes populi, tribus (Dan. vii, 14.) et linguæ servient ei; item in Psalmo, Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, (Ps. lxxi, 17.) omnes gentes magnificabunt eum. Sic namque Christo servire oportet, qui habitare (Ps. lxvii, 7.) facit unius moris in domo. Propter quod hortatur Apostolus : Unanimes uno ore (Rom. xv, 6.) honorificetis Deum.

10 *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei :* id est, non solum in una terra veros habeo adoratores in spiritu et veritate, (Joann. iv, 23.) ferventer humiliterque orantes, sed a remotissimis terris et Æthiopibus, ac ceteris nationibus erunt me invocantes : sicut in Psalmo prædictum est : Venient legati (Ps. lxvii, 32, 33.) ex Ægypto; Æthiopia præveniet manus ejus Deo; regna terræ, cantate Deo. Nempe in regionibus his prædicaverunt beati Apostoli, sicut apud Isaiam Christus prædixit : Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad (Is. lxvi, 19.) gentes, in mare, in Africam et Lydiam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me. Psalmista quoque : Reminiscentur, inquit, et convertentur (Ps. xxi, 28.) ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. *Filii dispersorum meorum,* id est filii Judæorum, per mundum hinc inde habitantium, ad fidem conversi, *deferent munus mihi,* id est, spirituales hostias vel alia quælibet dona mihi devote immolabunt. Vel filii dispersorum istorum, sunt spirituales filii Apostolorum, per totum mundum dispersorum, secundum quod Paulus ait ad Corinthios : Per Evangelium (I Cor. iv, 15.) in Christo Jesu ego vos genui; et rursus ad Galatas, Filioli (ait) mei, quos (Galat. iv, 19.) iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Hoc est quod ab Isaia fuerat prophetatum : Florebit et germinabit Israel, et (Is. xxvii, 6.) implebit faciem orbis semine.

11 *In die illa,* scilicet in exordio prædicationis evangelicæ, et tempore primitivæ Ecclesiæ, *non confunderis,* o Judæa vel Synagoga, *super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me :* id est, propter tuos excessus non te confundam, nec derelinquam, sed pœnitentiæ gratiam condonabo. Hoc dicitur quoad electos Judæos : de quibus ait Apostolus ad Romanos, Non repulit Deus plebem suam; et (Rom. xi, 2.) ibidem, Reliquiæ per electionem salvæ (Ibid. 5.) factæ sunt. Potestque specialiter referri ad Judæos qui morti Christi consenserunt, et postea pœnituerunt : quibus apud Joannem prædixit Salvator, Quum exaltaveritis (Joann. viii, 28.) Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. De quibus per Jeremiam Dominus loquitur : Prævaricata est in me domus (Jer. v, 11, 12.) Israel, et domus Juda negavit Dominum, et dixerunt : Non est ipse. Quum enim Pilatus dixisset, Ecce rex vester, et, Regem (Joann. xix, 14, 15.) vestrum crucifigam? responderunt, Non habemus regem nisi Cæsarem.

Quidam ea quæ dicta sunt ab illo loco, Exspecta me in die resurrectionis meæ, usque ad verbum istud, In die illa non confunderis, exponunt de resurrectione ventura in fine mundi, et pro tempore Antichristi; quod vero nunc dicitur, In die illa non confunderis, exponunt pro tempore primi adventus Christi, passionis, resurrectionisque ejus. Quod rationabile non apparet, quum sub eodem contextu ac præcedentia jam dicatur, In die illa non confunderis.

Quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ : id est, sacerdotes, Scribas, Pharisæos, ceterosque impœnitentes Judæos, Christum et ejus discipulos superbissime blasphemantes, auferam a Jerusalem et Judæa per Romanorum exercitum, a quo occisi fuerunt, sicut et Christus ante passionem prædixisse legitur apud Lucam : Circumdabunt te inimici tui (Luc. xix, 43, 44.) undique, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. *Et non adjicies exaltari,* id est te ipsam inaniter elevare, *amplius in monte sancto meo.* Nam Judæi tunc conversi, de quibus in Actibus apostolicis habetur, devotissime atque humillime coluerunt Deum in monte Sion, et in templo (Ibid. xxiv, 53.) ibidem constructo : erant enim pariter in (Act. v, 12.) porticu Salomonis. Multa quoque turba sacerdotum (Ibid. vi, 7.) obediebat fidei, ut Lucas comme-

morat. Denique Judæi impœnitentes post A
Christi passionem, non diu poterant se ja-
ctare in templo, quoniam cito a Romanis
fuit destructum.
12 *Et derelinquam in medio tui populum*
pauperem et egenum, videlicet Apostolos,
aliosque ex Judaismo conversos, tempora-
lium divitiarum integerrimos contempto-
Act. IV, 32. res, quibus erant omnia communia, quo-
rum etiam post modicum tempus obstinati
Hebr. X, 34. Judæi bona rapuerunt. Septuaginta trans-
tulerunt : Relinquam in te populum man-
suetum et humilem. Didicerunt enim a B
Matth. XI, 29. Christo, quia mitis est et humilis corde.
Et sperabunt in nomine Domini : sicut et
Christus ante passionem præcepit apud
Joann. XV, 4. Joannem, Manete, inquit, in me; et rursus,
Ibid. XVI, 33. Confidite, inquit, ego vici mundum. Unde
in Actibus Apostolorum orasse leguntur :
Act. IV, 29. Da servis tuis cum omni fiducia loqui ver-
Ibid. 31. bum tuum. Et Lucas ibidem : Repleti,
inquit, Spiritu Sancto, loquebantur verbum
Dei cum fiducia. Non itaque in generis no-
bilitate, sæculari scientia vel eloquentia,
divitiis, potentia, vel aliquo humano præ- C
Ps. X, 2. sidio, sed in Domino sunt confisi : cujus
solo auxilio prævaluerunt, atque ad tam
supernaturalem fidem ac arduam legem
mundum converterunt. Non enim obliti
Joann. XV, 5. fuerunt verbi Domini Jesu Christi : Sine
me nihil potestis facere.
13 *Reliquiæ Israel,* id est præfati electi
Judæi, aliorum respectu perpauci : de qui-
Ibid. XIII, 18. bus et Christus prædixit, Ego scio quos
elegerim; *non facient iniquitatem, nec lo-*
quentur mendacium. Non tamen veniali-
I Joann. I, 8. bus caruerunt, quum dicat Joannes : Si D
dixerimus, quia peccatum non habemus,
nos ipsos seducimus. Apostoli vero Spiritu
Sancto recepto, in tantum confirmati fu-
erunt, quod postmodum nunquam mor-
taliter peccaverunt. *Et non invenietur in*
ore eorum lingua dolosa. Erant quippe
sanctissimæ ac innocentissimæ vitæ, se-
Act. II, 42, 46, 47. cundum illud Actuum : Erant perseveran-
tes in doctrina Apostolorum, et communi-
catione fractionis panis, et orationibus ;
sumebantque cibum cum exsultatione et
simplicitate cordis, collaudantes Deum,
et habentes gratiam ad omnem plebem.
Quoniam ipsi pascentur. Utique delicatis-
sime nutriebantur a Spiritu Sancto inter-
nis deliciis, spiritualibus alimentis, pane *Eccli.* XV, 3.
vitæ et intellectus, superdignissimo Sacra-
mento altaris, bonis operibus. Postremo, ut
Lucas in Actibus conscribit, Dividebatur *Act.* II, 45.
singulis, prout cuique opus erat. Et vere
dicere poterant : Dominus regit me, et ni- *Ps.* XXII, 1, 2.
hil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me
collocavit; super aquam refectionis educa-
vit me. *Et accubabunt* in unitate Ecclesiæ.
Hinc in Actibus habetur : Omnes qui cre- *Act.* II, 44.
debant, erant pariter. Unde et Jeremias lo-
cutus est : In diebus illis salvabitur Juda, *Jer.* XXIII, 6.
et Israel habitabit confidenter. *Et non erit*
qui exterreat eos : parati enim erant pati *Act.* XXI, 13.
et mori pro Christo. Apostoli quoque ibant *Ibid.* V, 41.
gaudentes, quod digni habiti sunt pro no-
mine Jesu contumeliam pati. Impleverunt
equidem quod docuit Christus : Nolite ti- *Matth.* X, 28.
mere eos qui corpus occidunt, animam
autem non possunt occidere. Quanta autem
fuerit discipulorum ante Christi resurre-
ctionem, ascensionem, et Spiritus Sancti
missionem formidolositas, inconstantia at-
que fragilitas, quanta vero post Spiritus
Sancti infusionem fuerit eorum constantia,
imperterritio, sive securitas, delectabile
est pensare in libro Actuum Apostolorum.

Postremo, totum istud Dominus apud
Isaiam prædixit : Sedebit, inquiens, popu- *Is.* XXXII, 18.
lus meus in pulchritudine pacis, et in ta-
bernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

Præterea, quæ sequuntur, in tantum
de Christi Ecclesia sunt intelligenda, ut
S. Hieronymus asserat, aliter sentientem,
non esse Christianum. *Lætare* spirituali 14
lætitia in Domino : in quo solo debet esse
omnis gloriatio nostra, dicente Apostolo,
Qui gloriatur, in Domino glorietur; *filia* *II Cor.* X, 17.
Sion, id est, Ecclesia militans, in divino-
rum speculatione consistens, quæ a Deo
filia appellaris, propter paternam ejus di-
lectionem ad te. Sion quippe speculatio
dicitur. *Jubila, Israel,* id est, plebs chri-
stiana, quæ vere digna es Israel appellari,

id est Deum fide contemplans. Israel namque Deum videns interpretatur. *Lætare* in mente, *et exsulta,* signa interioris lætitiæ exterius ostendendo, *in omni corde,* id est totis præcordiis intimisque medullis, intellectu, voluntate, memoria, *filia Jerusalem,* id est, Ecclesia in Christi pace per contemplationem divinorum quiescens. Denique sancti Prophetæ frequenter nominibus Sion, Israel et Jerusalem, etiam ad litteram populum christianum seu Christi Ecclesiam, præsertim primitivam, designant, quoniam noverant illam re et nomine istis appellationibus dignam. Infideles enim Judæi istis nominibus indigni censentur. Et
Is. I, 10. in Isaia dicitur eis : Audite verbum Domini, principes Sodomorum ; auribus percipite legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. Alibi
Dan. XIII, 56; *Is.* I. 21; *Jer.* II, 20; *Ezech.* XVI, 3, 35. quoque semen et terra Chanaan nuncupantur; imo non filia, sed meretrix atque adultera ab Isaia, Jeremia et Ezechiele dicuntur.

Itaque præinductis verbis Ecclesia Christi, præcipue primitiva, imo et quælibet anima christiana (quæ spiritualiter dicitur Sion propter speculationem; Israel, propter Dei visionem; Jerusalem, propter internam pacem), invitatur ad singularem ac maximam in Deo oblectationem, laudem, et gratiarum actionem, propter ineffabilia beneficia sibi a Christo collata, de quibus subjungitur. Quod autem ad Ecclesiam primitivam præcipue, imo et totam Christi Ecclesiam, referenda sint hæc, patet ex eo quod in præcedentibus verbis de ipsa locutus est sermo divinus. — Sed et eadem ad quæ nunc Sophonias hortatur, in Zacharia
Zach. IX, 9. scribuntur, ubi dicitur : Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem, etc. : quæ ad primum Christi adventum esse referenda,
Matth. XXI, 5. sacratissimus evangelista Matthæus testatur.

15 Itaque subditur : *Abstulit Dominus* Jesus Christus, vel Deus Pater, seu tota superbeatissima Trinitas, unus, verus, ac simplicissimus Deus, per ipsum ut mediatorem, *judicium tuum,* id est judicium
Joann. V, 24. condemnationis, de quo ait Salvator : Qui credit in me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transiet a morte

A ad vitam; et Psalmista, Non intres in judicium cum servo tuo. *Ps.* CXLII, 2. Ab hoc namque judicio, et a pœna originalis peccati, quantum ad descensum ad inferos, Christus liberavit Ecclesiam, juxta illud Isaiæ : Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum, et opprobrium populi sui auferet. *Is.* XXV, 8. *Avertit inimicos tuos :* quia ab hostibus visibilibus et invisibilibus redemit electos. Propter quod dixit Salvator discipulis : Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes *Luc.* XXI, 15.
B adversarii vestri; et iterum, Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. *Joann.* XII, 31. *Rex Israel.* Iste est rex Messias, de quo scriptum est in Ezechiele : Ego Dominus salvabo gregem meum, et servus meus David princeps eorum. *Ezech.* XXXIV, 22, 24. *Dominus in medio tui.* Hoc est quod Christus in Evangelio ait : Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat; *Luc.* XXII, 27. et, Non relinquam vos orphanos; *Joann.* XIV, 18. et, Ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consummationem sæculi; *Matth.* XXVIII, 20. et, Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine *Ibid.* XVIII, 20.
C meo, ibi in medio eorum sum. *Non timebis malum ultra,* id est malum pœnæ et temporalem afflictionem. Perfectorum enim est in adversis gaudere, et præsentis vitæ persecutiones ac tribulationes quasi animarum medicinam suscipere. Propterea in Jacobo habetur : Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. *Jacob.* I, 2. Et Salomon ait : Justus quasi leo confidens, absque timore erit. *Prov.* XXVIII, 1. Sed et timorem servilem ac inordinatum non admittunt hujusmodi, dicente Joanne : Perfe-
D cta caritas foras mittit timorem; *I Joann.* IV, 18. et ibidem, Qui timet, non est perfectus in caritate. *Ibidem.*

16 *In die illa,* tempore primitivæ Ecclesiæ, *dicetur Jerusalem,* id est congregationi fidelium, quæ in Jerusalem Spiritum Sanctum recepit, et suæ perfectionis initium sumpsit : *Act.* I, 4; II, 1-4. *Noli timere, Sion,* carnali et inordinato timore præsentis vitæ adversa, et persequentium tela. Hoc enim docuerunt Apostoli. Unde ait Salvator : Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. *Luc.* XII, 32. In Isaia

Is. LI, 12. quoque habetur : Quis tu ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum arescit? Sit ergo cor nostrum in Deo semper confidens; atque in ejus pietate sperantes, ejusque dispositioni nos humiliter committentes, parati simus ad omne agendum ac patiendum quod ei pla- Ps. XXVI, 1. cuerit, ut cum justo dicamus : Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo? Dominus protector vitæ meæ : a quo Ps. III, 7. trepidabo? Et rursus, Non timebo millia Ps. LVI, 8; CVII, 2. populi circumdantis me; itemque, Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Non dissolvantur manus tuæ,* id est, a bono inchoato non cesses neque tepescas.

17 *Dominus Deus tuus in medio tui fortis.* Christus enim Deus et homo, vere fortis atque omnipotens, in medio est suorum, et ipse cum Patre ac Spiritu Sancto ad electorum corda venit, ac ea inhabitat, ita quod templum Dei dicuntur. Propter quod Apoc. XXI, 3. in Apocalypsi habetur : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis, erit eorum Deus. *Ipse salvabit* vos de morte æterna, imo tandem ab omni pœna atque miseria. Hoc totum in Isaia Is. XXXV, 3, 4. sic legitur : Confortate manus dissolutas, et nolite timere; ecce Deus vester veniet, et salvabit vos. Hinc demum hortatur Apo- Hebr. XII, 12, 13. stolus : Manus dissolutas erigite, et rectos facite gressus pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem salvetur. Hinc quoque secundo libro Paralipomenon II Par. XV, 7. legitur : Vos autem confortamini, et non dissolvantur manus vestræ; erit enim merces operi vestro. *Gaudebit super te in lætitia,* id est, de tua stabilitate et gratia ac salute lætabitur in se ipso, lætitia increata, non aliunde causata : quemadmodum Ps. CXLIX, 4. scriptum est in Psalmo, Beneplacitum est Ps. CIII, 31. Domino in populo suo; et, Lætabitur Deus in operibus suis. Hinc in Jeremia fatetur : Jer. XXXII, 41. Lætabor super eis quum eis benefecero. II Esdr. VIII, 10. Et Esdras inducit : Gaudium Domini est fortitudo vestra. *Silebit* super te *in dilectione tua,* id est, peccata tua tacebit, eo quod diligat te, et propter caritatem qua

A eum amasti : quoniam caritas operit multitudinem peccatorum. I Petr. IV, 8. Unde per Isaiam locutus est : Juravi, ut non irascar tibi, et Is. LIV, 9. non increpem te. *Et exsultabit super te in laude,* id est, præconiis quibus eum collaudas, complacentiam piam habebit, et laus tua ei placebit. Vel, Exsultabit super te in laude, ita quod laudabilem te esse testabitur : secundum quod Christus in Evangelio dicit, Qui me confessus fuerit Matth. X, 32. coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Porro in his verbis de- B monstratur paterna dilectio ineffabilisque benignitas Dei ad nos.

18 *Nugas,* id est mendaces et vanos, Christum negantes, *qui a lege* divina *recesserant* per inobedientiam et peccata, *congregabo* collegio fidelium, convertendo eos ad fidem : quemadmodum in Actibus Apostolorum leguntur multa millia Judæorum Act. II, 41; IV, 4. ad S. Petri prædicationem conversa; *quia ex te erant,* id est de numero salvandorum seu electorum. Unde et Lucas in Actibus Apostolorum : Crediderunt, inquit, Ibid. XIII, 48. C quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Et de reprobis in prima sua Canonica ait Joannes : In nobis erant, sed non erant I Joann. II, 19. ex nobis; nam si ex nobis fuissent, mansissent utique nobiscum. *Ut non ultra habeas super eis opprobrium,* de eorum infidelitate et obstinatione erubescendo. Si enim nullus ex Judæis conversus fuisset, potuissent gentiles et infideles Judæi insultare Apostolis primisque credentibus, quod nullus de plebe eorum fidei consensisset.

19 *Ecce ego interficiam omnes qui afflixe-* D *runt te in tempore illo.* Judæos enim incredulos qui primitivam Ecclesiam graviter afflixerunt, Deus omnipotens per manus Romanorum occidit; et qui corporaliter occisi non fuerunt, spiritualiter perierunt, atque æternam mortem in inferno adepti sunt. Hinc dictum est a Michæa : Exaltabi- Mich. V, 9. tur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt. *Et salvabo claudicantem,* id est virtutibus imperfectam, et fide nutantem, augendo in talibus gratiæ lucem. Christus enim, sicut Isaias prædixit, Is. XLII, 3.

calamum quassatum non contrivit, et linum
fumigans non exstinxit. Certum est au-
tem discipulos Christi ante Spiritus Sancti
susceptionem sæpius claudicasse. *Et eam
quæ ejecta fuerat, congregabo :* id est, ple-
bem credentem in Jesum Christum, quam
Joann. IX, 22. Judæi extra Synagogam esse censebant, ut
legitur in Joanne, per caritatem et dona
Spiritus Sancti spiritualiter adunabo. Hoc
Ps. LXVII, 10. est quod Psalmista prædixit : Pluviam vo-
luntariam segregabis, Deus, hereditati tuæ;
et infirmata est, tu vero perfecisti eam.

Et ponam eos in laudem et in nomen, id
est, gloriosos atque famosos, sive laudabi-
les faciam eos, *in omni terra confusionis
eorum,* videlicet in tota Judæa, Galilæa,
Samaria, regnis et provinciis paganorum :
in quibus Apostoli et ceteri Christiani pri-
mo valde contempti fuerunt, sed virtute
divina tot fecerunt miracula, et tam in-
numerabiles converterunt ad fidem, quod
ubique a credentibus in summo honore,
fama et gloria habiti sunt, sicut in Psalmo
Ps. XLIV, 17. legitur prophetatum : Constitues eos prin-
Ps. XLVI, 10. cipes super omnem terram; et, Principes
populorum congregati sunt cum Deo Abra-
ham, quoniam dii fortes terræ vehementer
elevati sunt. Unde in Isaia de eis habetur :
Is. LX, 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi
columbæ ad fenestras suas? Et iterum ibi-
Ibid. 15. dem : Pro eo quod fuisti derelicta et odio
habita, ponam te in superbiam sæculorum,
gaudium in generationem et generatio-
20 nem. *In tempore illo quo adducam vos,*
o Apostoli atque credentes, ad aliorum in-
structionem et conversionem, *et in tempo-
re quo congregabo vos,* secundum modum
nunc dictum; vel, quando congregabo vos
gentibus quas convertetis.

*Dabo enim vos in nomen et in laudem
omnibus populis terræ,* quos convertetis,
*quum convertero captivitatem vestram co-
ram oculis vestris,* id est, evidenter eruero
vos de adversariorum vestrorum infidelium
persecutione et potestate : quod fuit im-
pletum, quando Romani deleverunt Judæos
incredulos, et etiam ante ac postea. Fre-
quenter etenim Deus de carceribus et vin-
culis miraculose redemit fideles, et tyran-
nos dira morte peremit. *Dicit Dominus,* qui
solus est per essentiam verus ac veritas.

Expositio spiritualis.

Præterea, quod in principio hujus capi-
tuli de Jerusalem et Synagoga ad litteram
expositum est, facile est juxta spiritualem
intelligentiam de Ecclesia explanare. Ita-
que congregationi Christianorum impœni-
tenti et Christo inobedienti, merito dicitur:
Væ provocatrix, et redempta sanguine 1
Christi, *civitas, columba* propter quosdam
innocentes et simplices impiis junctos.
Vel, Columba, eo modo quo ait Osee pro-
pheta : Ephraim quasi columba seducta, *Osee* VII, 11.
non habens cor. Ista malignantium eccle-
sia non audit vocem Christi, nec suscipit 2
disciplinam, neque in Deo confidit veraci-
ter, nec Deo appropinquat, se ad gratiam
disponendo. *Principes ejus quasi leones* 3
rugientes : quia cum austeritate atque su-
perbia præsident, subjectosque opprimunt.
Judices ejus lupi. Hoc de judicibus inju-
stis et cupidis, munera recipientibus, in-
nocentes inopesque damnantibus, verum
est. *Prophetæ ejus vesani :* id est, prædi- 4
cantes et docentes populum, allegantes et
exponentes Scripturam, et propria verba et
documenta non observantes, caput habent
insanum, et stultis ac furentibus pares
sunt. *Sacerdotes ejus polluerunt sanctum,*
sacramenta irreverenter tractando, et sa-
cerdotales sanctiones transgrediendo.

Contra hos dabit Dominus judicium su- 5
um *mane in luce,* id est, velociter, eviden-
ter, atque dirissime eos damnabit. Denique
propter Christianorum peccata tradit Deus
frequenter terras eorum hostibus suis. *De-* 6
sertas fecit *vias eorum,* gratiam et virtu-
tes, quibus ad Deum transitur, subtrahen-
do. *Desolatæ sunt civitates eorum :* quoniam
ipsi damnati sunt, et bonis spiritualibus
destituti. Et *dixi : Attamen timebis me,* 7
suscipies disciplinam. Hoc Dominus ait
propter electos. *Et non peribit habitacu-
lum* tuum : quoniam Ecclesia Christi us-
que in finem sæculi stabit, ad gloriam Dei
sublimis et benedicti. Amen.

ENARRATIO

IN AGGÆUM PROPHETAM

ENARRATIO

IN AGGÆUM PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO LITTERALIS PRIMI CAPITULI : IN ANNO SECUNDO DARII REGIS.

AGGÆUS propheta, post reditum a Ba- A
bylonica captivitate in Jerusalem, pro-
phetavit ad eos qui de Babylonia red-
ierunt, sicut ex littera mox exponenda
ostenditur. Ait enim sanctus Propheta :
1 *In anno secundo* regni *Darii regis* Persa-
rum : qui secundum Hieronymum et Jo-
sephum, fuit filius Hystaspis ; secundum
alios vero, fuit filius Assueri regis et Es-
Dan. v, 31. ther reginæ. Unde Darius iste non fuit Da-
rius ille, qui cum Cyro rege demolitus est
Babylonem, sed longe posterior eo ; imo
posterior Cyro et Artaxerxe regibus Persa- B
rum. *In mense sexto* hujus anni secundi,
in die una, id est prima, vel alia quadam
die *mensis* istius, *factum est verbum Do-*
mini in manu Aggæi prophetæ, id est ipsi
Aggæo, atque in libero usu et actu ipsi-
us. Per quod excluditur error dicentium,
Prophetas esse locutos sicut loquuntur
arrepticii et amentes : contra quos dicit
I Cor. xiv, 32. Apostolus, Spiritus Prophetarum Prophetis
subjecti sunt. *Ad Zorobabel filium Sala-*
thiel : qui Salathiel natus est in Babylone,
eratque filius Jechoniæ, juxta illud Mat- C
Matth. i, 12. thæi : Et post transmigrationem Babylonis
Jechonias genuit Salathiel. *Ducem Juda.*
Erat namque Zorobabel de tribu Juda et
I Esdr. ii, 2. semine David, ac principalis et dux inter
Judæos secum de Chaldæa regressos. *Et*
ad Jesum filium Josedec, sacerdotem ma-
gnum, id est inter sacerdotes temporis sui
præcipuum, puta pontificem. Istis duobus
tanquam capitibus populi, loquebatur Ag-
gæus, deinde et aliis. *Dicens :*
Hæc ait Dominus exercituum, dicens : 2
Populus iste de Babylone reversus, *dicit,*
Nondum venit tempus domus Domini ædi-
ficandæ, id est, a constructione templi
ignaviter se excusat. Porro, ut legitur se-
cundo libro Paralipomenon et Esdræ pri-
mo libro, Cyrus rex Persarum concessit II Par. xxxvi, 23; I Esdr. i, 2-4.
Judæis licentiam reparandi templum Dei
in Jerusalem a Chaldæis destructum : sic-
que Judæi a Chaldæis reversi, cœperunt
ædificare. Quumque altare construxissent, I Esdr. iii.
et fundamenta templi locassent, scripta est
a Samaritanis epistola Artaxerxi regi con- Ibid. iv.
tra eos, qui opus inceptum prohibuit exse-
qui. Itaque ex tunc impeditum fuit usque
ad annum secundum Darii regis, ut legitur
primo Esdræ libro. Quumque Darius iste Ibid. vi.
dedisset Zorobabel licentiam consumman-
di templum inceptum, populus Judæorum
adhuc tardus fuit ad prosequendum : ideo
a Propheta redarguuntur, quemadmodum
subditur.
Et factum est verbum Domini in manu 3
Aggæi prophetæ, dicens. Secundum Hie-
ronymum, revelatio ista prophetica eodem
die est facta Aggæo, quo verbum præce-
dens. *Numquid tempus vobis est,* o Judæi, 4

ut habitetis in domibus laqueatis, id est A
ornatis et curiosis, *et domus ista deserta,*
id est, templum adhuc permanet desola-
tum et irreparatum? Quasi dicat : Quam-
diu domus Dei manet deserta, non decet
ut vobis ipsis construatis ædificia amœna
et pulchra.
5 *Et nunc hæc dicit Dominus exercitu-
um : Ponite corda vestra super vias ve-
stras,* id est, opera vestra sapienter pensate,
et scietis quod male successerit vobis, eo
quod operi Dei, videlicet templi ædificati-
6 oni, prætuleritis proprium opus. Nam *Se-* B
minastis multum, et intulistis parum :
ita quod seminationem paucus secutus est
fructus, et terra quodammodo sterilis fuit.
*Comedistis, et non estis satiati; bibistis,
et non estis inebriati,* id est, sufficientiam
cibi et potus non habuistis propter parvi-
tatem fructuum terræ, segetum et uvarum.
Itaque inebriatio non capitur hic, ut so-
nat vitiosam superfluitatem (sic enim non
est pœna peccati, neque nocivum naturæ,
non esse inebriatum), sed ut sufficientiam
tantum vel exhilarationem quamdam cor- C
dis ex potu designat. *Operuistis vos, et non
estis calefacti :* sicque indumentorum in-
opiam habuistis. *Et qui mercedes,* id est
pecuniam vel alia quælibet, *congregavit,*
ut thesaurizando vel negotiando lucrare-
tur, *misit eas in sacculum pertusum,* id
est, inutiliter eas amisit, sicut pecunia in
sacculum confractum missa, elabitur at-
que deperditur. Hæc omnia contigerunt
vobis propter acediam vestram circa tem-
pli instaurationem.
7 *Hæc dicit Dominus exercituum : Ponite* D
8 *corda vestra super vias vestras. Ascendite
in montem,* id est ad loca silvestria et mon-
tana, in quibus sunt ligna pro templi ædi-
ficio apta, sicut in monte Libani; *portate*
inde *ligna.* Vel : Ascendite in montem
Sion, in quo construendum fuerat tem-
plum; portate ligna illuc. *Et ædificate do-
mum,* videlicet templum; *et acceptabilis
mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus,*
id est, gloriosus in ea apparebo, et mira-
bilia operabor, sicut infra patebit.

Respexistis ad amplius, id est, multum 9
de fructibus terræ habere putastis, *et ecce
factum est minus,* id est, modicum et mi-
nus quam sperastis, fuit de ipsis bladis in
culmis seu spicis. *Et intulistis in domum,*
id est, in horrea terræ nascentia collegi-
stis, *et exsufflavi illud* frumentum quod
fuit in spicis, et mea virtute dispersum
est, excidit, atque disperiit. *Quam ob cau-
sam? dicit Dominus exercituum. Quia
domus mea deserta est,* id est, templum
reparare neglexistis, *et vos festinastis* * *alias *festinatis*
unusquisque in domum suam, id est, de
proprio commodo et temporalibus bonis
solliciti fuistis.
Propter hoc super vos prohibiti sunt cœ- 10
li aerii *ne darent rorem :* id est, me ordi-
nante atque jubente, nubes, rores et plu-
via, in aere more solito generatæ non
sunt, nec terram fecundaverunt; *et terra
prohibita est ne daret germen suum :* quo-
niam ad prædictam siccitatem sterilitas
est secuta. Terra quippe Juda de cœlo
pluviam præstolatur, et inde fecundatur,
quemadmodum in Deuteronomio Moyses
loquitur : Terra ad quam ingredieris, non *Deut.* XI, 10, 11.
est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine
aquæ ducuntur irriguæ; sed montuosa est
et campestris, de cœlo exspectans plui-
am. *Et vocavi siccitatem super terram, et* 11
super montes, et super triticum, id est se-
men triticeum in terram projectum, vel
super culmum exortum, ita quod fructus
paucus secutus est; *et super vinum et su-
per oleum,* id est super vites et uvas atque
olivas, *et quæcumque profert humus,* id
est super universa terræ nascentia; *et su-
per homines et super jumenta,* id est ad
vestram afflictionem et jumentorum fa-
mem ac sitim, quorum afflictio in vestræ
redundavit calamitatis augmentum; *et su-
per omnem laborem manuum* vestrarum, id
est super possessiones vestras labore ma-
nuum acquisitas : ita quod siccitas illa ali-
quo modo nociva fuit omnibus quæ habe-
tis, vel potius vobis per relationem ad illa.
Et audivit Zorobabel filius Salathiel, et 12
Jesus filius Josedec sacerdos magnus, et

omnes reliquiæ populi, id est Judæi de ca-
ptivitate reversi, et pauci de multis reli-
cti, *vocem Dei sui, et,* pro id est, *verba Ag-
gæi prophetæ,* id est, divinæ jussioni per
Prophetam ad eos factæ obedierunt, *sicut
misit eum Dominus Deus eorum ad eos;
et timuit omnis populus a facie Domini,*
id est, adspectum divinæ majestatis vere-
bantur, et ex hoc processerunt in opus.
13 *Et dixit Aggæus nuntius Domini de nun-
tiis Domini,* id est Propheta Dei de numero
verorum Prophetarum exsistens, *populo
dicens : Ego vobiscum sum, dicit Domi-
nus,* id est, auxilium vobis præbebo, vos-
que tuebor, ita quod ædificatio vestra con-
summationem habebit. Vel sensus est, quod
Aggæus nuntius Domini, dixit populo Ju-
dæorum præfato, de nuntiis Domini, id est
de aliis Prophetis, vel ex parte seu perso-
na eorum : Ego vobiscum sum, dicit Do-
minus. Quasi dicat : Non ego solus, sed
alii quoque Prophetæ id ipsum testantur
et spondent, dicentes quod dixi, videlicet,
Jer. xxxiii; Zach. viii; Ezec. xxxiv. Ego vobiscum sum, dicit Dominus : quia
per Jeremiam et Zachariam et Ezechielem
A Deus Judæis prædixit, quod post reditum
de Babylone, adsisteret eis in omnibus.
Et suscitavit Dominus spiritum Zoro- 14
*babel filii Salathiel ducis Juda, et spiri-
tum Jesu filii Josedec sacerdotis magni, et
spiritum reliquorum de omni populo :* id
est, omnium horum animos inflammavit
ac roboravit ad faciendum beneplacitum
ejus; *et ingressi sunt* locum templi, *et fa-
ciebant opus in domo Domini exercituum
Dei sui :* id est, ad templi constructionem
quilibet, ut potuit, cooperabatur : non quod
B simpliciter omnes simul ingressi sint, sed
quidam de omnibus, ut sit distributio ac-
commoda, vel pro generibus singulorum.
Ingressi sunt autem et ædificare exorsi
sunt *in die vicesima et quarta mensis,* de 1
quo in proœmio libri istius jam dictum (cap. ii.)
est, utpote sexti mensis, sicut subjungi-
tur, *in sexto mense, in anno secundo Da-
rii regis :* ita quod inter primum diem
hujus mensis, quo die ad Aggæum locutus
est Dominus, et diem istum ejusdem men-
sis vicesimum quartum, fluxerunt medii-
C que fuerunt dies viginti duo.

ARTICULUS II

DE SPIRITUALI ET MYSTICO SENSU EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

AGGÆUS interpretatur solennitas. Qui
ergo a peccatis sæculique tumultibus
et passionum strepitibus cessat, et in men-
tis quiete sabbatum delicatum Domino ce-
lebrat, solis divinis contemplando ac di-
ligendo intendens, capax est revelationum
1 cœlestium, et dignus aptusque ut verbum
I Joann. ii, 27. Dei fiat ad ipsum, ita quod unctio Spiritus
Sancti docet eum de omnibus. Denique per
hujusmodi virum loquitur Deus *ad Zoro-
babel,* qui interpretatur magister in Baby-
lone, hoc est ad principes sæculares, qui
temporali præsunt regimini, in quo variæ
confusiones vitiorum occurrunt. Babylonis
autem nomine, mundus exprimitur. *Et ad
Jesum sacerdotem magnum,* id est ad præ-
D latos Ecclesiæ, qui aliorum salutem pro-
curare, quantum in ipsis est, debent. Jesus
autem salus vel salutaris interpretatur.
Porro, secundum Hieronymum, uterque is-
torum, Christi fuit figura. Christus enim
rex et dux noster est : sicque Zorobabel
typus fuit ipsius. Ipse quoque magnus et
summus sacerdos est, juxta illud in Psal-
mo, Tu es sacerdos in æternum : de quo Ps. cix, 4.
scriptum est in prima Canonica Petri, Con- I Petr. ii, 25.
versi estis ad pastorem et episcopum ani-
marum vestrarum : sicque per Jesum fili-

um Josedec figurabatur. Quemadmodum A
enim isti populum suum de Babylone in
terram promissionis reduxerunt; sic Christus Jesus suos electos de diabolica captivitate sæcularisque vitæ confusione eripuit, et de mundo isto confusionibus pleno, ad regionem cœlestem evexit, juxta illud ad
Hebr. II, 10. Hebræos, Multos filios adduxit in gloriam.

Insuper, quid Dominus per spiritualem
Aggæum ad principes sæculares fideles, ecclesiasticosque prælatos dicat, advertentia
2 dignum est. *Hæc ait Dominus : Populus
iste dicit, Nondum venit tempus domus* B
Domini ædificandæ : id est, plebs vobis subdita et commissa, verbis vel rebus affirmat, nondum adesse horam reformandi Ecclesiam, corrigendi mores, emendandi vitam. Domus equidem Dei, est congregatio fidelium, vel unusquisque devotus,
Ephes. III, 17. seu anima justi. Deus namque habitat in
I *Cor.* VI, 19. cordibus nostris per fidem, et corpora nostra templum sunt Spiritus Sancti, secundum Apostolum. Qui ergo se ipsum vel proximum noscit gratiam Dei amisisse, et domum diaboli factum peccando : si iste C
emendationem sui vel proximi protrahit, differt, procrastinat, nec statim pœnitentiam agit condignam; etsi non verbis, tamen rebus asserit : Nondum venit tempus domus Dei ædificandæ. Præcipue quoque circa hoc damnabiles approbabuntur principes et prælati, qui gregem sibi commissum verbo et opere ædificare non satagunt, sed malum paulatim increscere
Prov. VI, 9. sinunt. Quibus Salomon ait : Usquequo, piger, dormies? Quibus et in Isaia Domi-
Is. LVI, 10. nus loquitur : Speculatores cæci, etc., ca- D
nes muti, non valentes latrare, videntes vana, et dormientes.

Præterea universis carnalibus, temporalia et terrena magis quam cœlestia et æterna quærentibus, magisque hominibus quam Deo placere optantibus, rectissime
4 dicitur : Hæc dicit Dominus : *Numquid
tempus vobis est ut habitetis in domibus
laqueatis,* id est corporibus vestris curiose atque pompose ornatis, *et domus ista deserta,* id est, ipsa vestra conscientia, mens seu anima, quæ Dei domus esse deberet, a vobis negligitur et gratia spoliatur, spiritualiterque destruitur? Sicut enim docet Apostolus, virtuosi habitant et sunt *Rom.* VIII, 8, 9.
in spiritu, vitiosi autem in carne. Itaque qui corporibus suis de omnibus commodis carneis diligenter abundanterque provident, animam vero virtutibus vacuam, a caritate frigentem, vitiis sauciam, non reformant nec ornant : isti divinitus increpantur, carnales vocantur, et omni damnatione digni censentur. Præterea præinductis utique verbis redarguuntur carnales Christiani, qui Dei zelo non fervent, sed privato pleni amore sunt, ideoque materialia Christi templa, et domus divino cultui deputatas, inveterata, ruinosa, et quotidie deficientia vel destructa reparare, ædificare, constabilire non enituntur, sed sibimetipsis habitacula construunt curiosa, voluptuosa, superflua. In istis amor Christi non viget : quibus Isaias minatur,
Væ qui conjungitis domum ad domum, et *Is.* V, 8, 12.
agrum, etc., et opus Dei non respicitis.

*Hæc dicit Dominus : Ponite corda ve- 7
stra,* id est mentis vestræ considerationem, *super vias vestras,* id est affectiones, cogitatus et opera, ut sitis in omnibus circumspecti : quemadmodum ait Apostolus ad
Timotheum, Sine præjudicio, id est prævio I *Tim.* V, 21.
rationis judicio, nihil facias; Salomon quo-
que, Oculi tui videant recta, et palpebræ *Prov.* IV, 25.
tuæ præcedant gressus tuos. Hoc est quod
in Ecclesiastico legitur : Fili, sine consilio *Eccli.* XXXII, 24.
nihil facias, et post factum non pœnitebis.
Hoc modo posuit sanctus Job cor suum su-
per vias suas, qui dixit : Verebar omnia *Job* IX, 28.
opera mea, sciens quod non parceres, Domine, delinquenti. Quum enim, secundum positionem probabilem, in actibus humanis non sit indifferens, id est aliquid quod nec meritorium nec demeritorium sit : qui modo præfato corda sua super vias suas non ponunt, nonne quotidie quasi innumerabilia peccata incurrunt, cogitando, loquendo, appetendo et operando, imo et debita omittendo? Tales sunt omnes intimorati, qui implere non curant quod

Prov.iv,23. scriptum est : Omni custodia custodi cor
tuum.
8 *Ascendite in montem,* id est ad Chri-
stum, ejus documenta atque exempla pen-
sando et imitando, vel ad spiritualem et
altam sacræ Scripturæ intelligentiam, vel
ad veram mentis perfectionem. *Portate*
ligna, id est, dona Sancti Spiritus obtinere
Is. xi, 2. conemini. Unde de sapientia quæ est pri-
Prov.iii,18. mum inter dona, Salomon profitetur : Li-
gnum vitæ est omnibus apprehendentibus
eam. His quippe donis tanquam fortissi-
mis lignis machina virtutum consurgit et
stabilitur in anima. *Et ædificate domum*
conscientiæ, aliosque in virtutibus refor-
mate; *et acceptabilis mihi erit* spiritualis
Ibid. viii, 31. hæc domus : et deliciæ meæ esse cum fi-
liis hominum; *et glorificabor* in ea, *dicit*
Dominus, id est, a fidelibus honorabor,
gloriosus agnoscar, et majestatis ac gratiæ
meæ potentiam ipsis monstrabo.
9 *Respexistis ad amplius,* id est, grandem
in virtutibus perfectionem obtinere puta-
stis, *et factum est minus,* id est, parum
vel nihil profecistis. *Et intulistis in do-*
mum, id est, aliquid gratiæ impetrastis,
et mentis areæ induxistis, *et exsufflavi il-*
lud, id est, perire permisi, nec mea custo-
dia dignum putavi. Hoc illis contingit qui
divino honori commoda sua præponunt, et
privatum atque carnalem amorem fundi-
tus non exstirpant : quorum pœnitentia et
devotio instabiles ostenduntur, quia dum
tentatio parva occurrit, mox superantur.
II Petr. ii, 10. Tales sunt audaces, sibi placentes, sapien-
Is. v, 21. tes et magni in oculis suis, qui conversa-
tionem suam in vera ac stabili humilitate
non fundant.
6 *Seminastis multum, et intulistis pa-*
rum. Hoc accidit illis qui in exterioribus
observantiis corporalibusque exercitationi-
bus multum se occupant, et circa interio-
rem animæ reformationem atque inter-
nam in Deo caritatis affectionem parum
proficiunt. Propter quod dicit Apostolus :
I Tim. iv, 8. Corporalis exercitatio ad modicum utilis
est; pietas autem ad omnia valet. *Comedi-*
stis, et non estis satiati ; bibistis, et non

A *estis inebriati.* Hoc de his accipi potest
qui corpus et sanguinem Christi vel indi-
gne, vel minus digne suscipiunt, quoniam
sacramenti virtutem et efficaciam non sor-
tiuntur propter vitæ suæ negligentiam et
torporem ; item de his qui aqua sapien- Eccli.xv,3.
tiæ et pane vitæ operibusque virtutum,
et pane potuque lacrimarum vescuntur, Ps.lxxix,6.
aliquidque spiritualis consolationis expe-
riuntur, sed non satis condigne secundum
vocationis suæ exigentiam crescunt in is-
tis : quibus advertendum est illud apostoli
B Pauli, Resuscites gratiam Dei in te; et rur- II Tim. i, 6.
sus : Digne ambuletis vocatione qua voca- Ephes.iv,1.
ti estis; illud quoque Joannis, Memor esto Apoc. ii, 5.
unde excideris. *Operuistis vos* pallio cari-
tatis et indumentis justitiæ, *et non estis*
calefacti fervore divini amoris. Hoc dici-
tur his qui quum spiritu cœperint, carne Galat.iii,3.
consummantur, qui a pristino cadunt fer-
vore, atque in via Dei regrediuntur magis
quam progrediantur. *Et qui mercedes con-*
gregavit, id est, bene agendo aliqua sibi
merita et præmia accumulavit, *misit eas*
C *in sacculum pertusum,* id est, fructum la-
borum suorum amisit, non perseverando
usque in finem, vel laudes humanas quæ-
rendo, vel intra se inaniter gloriando, nec
intra humilitatis custodiam spirituales di-
vitias conservando. Tales sunt vani atque
inutiles homines : de quibus ait Salvator,
Amen dico vobis, receperunt mercedem Matth. vi, 2, 5, 16.
suam. Thesaurizemus ergo in cœlo, omne- Ibid. 20.
que bonum Deo humiliter adscribamus. Jacob. i, 17.
Quam ob causam? dicit Dominus. Quia 9
domus mea deserta est, id est, thalamus
D conscientiæ non purgatus, proximus ad
pœnitentiam non conversus, et plebs a dæ-
monum jugo non revocata; *et vos festina-*
stis unusquisque in domum suam, propria
commoda exquirendo, atque in carnis vi-
tiis persistendo.
Propter hoc super vos prohibiti sunt 10
cœli, id est spiritus angelici, *ne darent ro-*
rem, id est, ne corda vestra gratiæ influ-
entia instrumentaliter fecundarent, con-
solationemque cœlestis dulcedinis ad vos
deferrent. Vel cœli isti, sunt viri devoti et

prædicatores verbi Dei, in terra cœlifor- A
miter conversantes : a quibus Deus sæpe
subtrahit efficaciam exhortandi propter
negligentiam populi, quemadmodum ad
Ezech. III, 25, 26. Ezechielem loquitur Deus : Fili hominis,
linguam tuam adhærere faciam palato tuo,
et eris mutus, nec quasi vir objurgans,
quia domus exasperans est. De hoc rore
Is. XXVI, 19. loquitur Isaias ad Dominum : Ros tuus ros
Gen. XXVII, 28. lucis; Isaac quoque ad Jacob, Det tibi Deus
de rore cœli. *Et terra continuit germen
suum,* id est, habitantes in terra, fructum
virtutum non protulerunt. Non enim si- B
ne gratiæ influxu aliquid meritorie agere
Ps. CXLII, 6. queunt. Ideo profitetur Psalmista : Expan-
di manus meas ad te ; anima mea sicut
11 terra sine aqua tibi. *Et vocavi siccitatem
super terram,* id est, virtuosorum operum
sterilitatem sive carentiam super eos qui
dediti sunt peccatis carnalibus. Unde ho-
mini in vitium gulæ prolapso, dictum est
Gen. III, 19. a Deo : Terra es, et in terram ibis. Sed et
Ibid. VI, 3. in Genesi protestatus est Dominus : Non
permanebit spiritus meus in homine in
æternum, quia caro est. *Et super mon-* C
tes, id est eos qui spiritualibus vitiis, præ-
Jacob. IV, 6; *I Petr.* V, 5. sertim superbiæ, serviunt. Deus quippe
superbis resistit. *Et super triticum, et su-
per vinum et oleum, et quæcumque pro-
fert humus,* id est super universa quæ
agunt, quia etsi quid de genere bonorum
agere videantur, Deo tamen absolute non
placet, nec quidpiam promerentur, eo quod
caritatem Dei infusam sortiti non sint. *Et
super homines et jumenta,* id est doctos
in sua scientia tumidos, et indoctos, vel
super credentes fide informi atque in-
credulos.

Et audivit Zorobabel, et Jesus filius Jo- 12
*sedec, et reliquiæ populi vocem Dei et ver-
ba Aggæi prophetæ.* Electi enim et timorati
ac dociles, divinis eloquiis et devotorum
exhortationibus acquiescunt. *Et timuit po-
pulus a facie Domini.* Vultus enim Domi- *Ps.* XXXIII, 17.
ni super facientes mala, ut perdat de terra
memoriam eorum : et certe divinæ maje-
statis præsentia cum ingenti reverentia est
timenda. *Et suscitavit Dominus spiritum* 14
*Zorobabel, et spiritum Jesu filii Josedec,
et spiritum reliquorum de populo ; et in-
gressi, faciebant opus in domo Domini.* Si-
mili modo dum Spiritus Sanctus excitat
corda prælatorum ac principum et subdi-
torum, ingrediuntur ecclesiam propriam-
que conscientiam, et divina exsequuntur
mandata.

ARTICULUS III

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : IN SEPTIMO MENSE.

2 *In septimo mense* ejusdem anni de quo D
in præcedenti capitulo dictum est, *vice-
sima et prima* die *mensis* hujus septimi,
scilicet tribus hebdomadibus evolutis, *fa-
ctum est verbum Domini in manu Aggæi
prophetæ,* secundum intellectum superius
3 introductum, *dicens : Loquere ad Zoroba-
bel filium Salathiel ducem Juda, et ad Je-
sum filium Josedec sacerdotem magnum,*
4 *et ad reliquos populi, dicens : Quis in
vobis est derelictus,* id est, quis vestrum
adhuc vivit et superest, *qui vidit domum
istam* jam demolitam, atque ad intelle-
ctum potius quam ad sensum monstrabi-
lem, *in gloria sua prima,* id est in decore
et excellentia quam ante suam a Chaldæis IV *Reg.* XXV, 9.
destructionem habebat, tempore Sedeciæ
regis et ante, *et quod** *vos videtis hanc* * alias *quid*
nunc, id est, qui etiam videt hanc domum,
secundum quod jam in oculis vestris ap-
paret? *Numquid non ita est, quasi non
sit in oculis vestris?* id est, domus ista

nullius videtur esse reputationis respectu A
templi prioris a Salomone constructi. Hoc
dicit Propheta, vel quia dum ista loqueba-
tur, secundæ domus fundamenta solum ja-
cta fuerunt, et parum aut nihil superædi-
I *Esdr.* IV, 17-24. ficatum, quia a rege Artaxerxe opus fuit
prohibitum, nec fiebat usque annum se-
cundum (de quo nunc sermo) sub Dario
rege, ut legitur in Esdra. Vel quia ex con-
sideratione ejus quod jam fuit inceptum,
patere potuit quod etiam domus ista quum
ad complementum veniret, primo templo
nullatenus æquaretur, quantum ad preti- B
ositatem materiæ ac decorem structuræ.
Denique quidam eorum qui primum tem-
plum viderunt, istis adhuc diebus vixe-
Ibid. III, 12. runt. Siquidem primo libro Esdræ habetur,
quod plures de sacerdotibus ac Levitis et
principes patrum, qui viderunt templum
primum, fleverunt, visis fundamentis tem-
pli secundi.

5 *Et nunc confortare, Zorobabel, dicit
Dominus; et confortare, Jesu fili Josedec,
sacerdos magne; et confortare, omnis po-
pulus terræ* Judææ, *dicit Dominus exerci-* C
tuum : id est, fiduciam audaciamque bo-
nam ex divina promissione assumite; *et
facite* opus in domo Domini, secundum
quod hortor, *quoniam ego vobiscum sum,
dicit Dominus exercituum* per speciale
auxilium et gratiam singularem, tam gra-
6 tum facientem quam gratis datam. *Ver-
bum quod pepigi vobiscum,* id est adimple-
tio sermonis ac pacti, a me ad vos prolati
et initi, *quum egrederemini de terra Ægy-
pti.* Loquitur Deus hoc loco de toto populo
quasi de eisdem; sed non est totum quod D
dicitur, ad eosdem referendum. Hi nempe
quibus loquebatur Aggæus, nondum nati
fuerunt tempore egressionis ex Ægypto
sub Moyse, nec ad istos fiebat tunc sermo
divinus ; sed totus populus quasi unum
aliquid reputatur. *Et spiritus meus,* id
est Spiritus Sancti directio, auxilium, et
instinctus, *erit in medio vestrum,* id est
in vobis et inter vos. Hoc enim frequenter
Deus per Moysen repromisit, quod filios
Israel clementer adspiceret, quandocum-
que ei fideliter deservirent : Ego (inquiens) *Num.* XXXV, 34.
sum qui habito in medio filiorum Israel.
Nolite timere, dicit Dominus exercituum,
inordinato timore.

Adhuc unum modicum est, id est, breve 7
restat tempus comparatione prioris dura-
tionis et perpetuitatis sequentis. Vel pro-
pter magnitudinem rei promissæ, dicitur
tempus hoc modicum : quo enim majus
bonum promittitur vel exspectatur, eo mo-
ra dilationis æquanimius est ferenda et
minor putanda. *Et ego commovebo cœlum
et terram, et mare et aridam, et movebo* 8
*omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis
gentibus.* Omnia ista, secundum doctores
catholicos, ad primum Christi referuntur
adventum, et pro tunc impleta creduntur.

Movit itaque Deus *cœlum,* quando Chri-
sto jam nato cives cœlestes apparuerunt *Luc.* II, 13, 14.
hominibus, concinentes : Gloria in excelsis
Deo. Secundum Hieronymum vero Deus
cœlos movit in passione, dum sol scribi- *Ibid.* XXIII, 45.
tur obscuratus. *Et terram,* id est habitan-
tes in terra. Hoc fuit impletum, dum ex
his quæ in Christi nativitate divinitus cœ-
litusque fiebant, in admirationem ducti
sunt multi, profecti, et conturbati, juxta il-
lud Lucæ : Omnes qui audierunt, mirati *Ibid.* II, 18.
sunt. Sed et Magi, incolæ terræ, visa stella, *Matth.* II, 1-11.
nonne mox moti sunt properantes videre
puerum Jesum? *Et mare,* id est navigantes
et operantes in aquis, sicut per Isaiam
prælocutus est Dominus : Me etenim insu- *Is.* LX, 9.
læ exspectant, et naves maris in principio,
ut adducam filios tuos de longe. Multi ergo
et pene innumeri per maria propter ca-
tholicam fidem prædicandam vel audien-
dam iter fecerunt. *Et aridam,* id est ter-
ras omnino arentes, earumque incolas, in
quibus Deus mirabilia operabatur. *Et mo-
vebo omnes gentes.* Hoc secundum Hiero-
nymum, est impletum quando in omnem *Ps.* XVIII, 5.
terram exivit prædicatio Apostolorum, ad
quorum verba atque prodigia quidam de
omni genere hominum sunt conversi. —
Quidam interea superficialius percurren-
tes, asserunt cœlum motum, quando Chri-
sto nato nova stella apparuit Magis ; et *Matth.* II, 2.

terram, quando Romani divina virtute omnia regna mundi suo subdiderunt imperio; mare quoque, dum et insulas maris subjugaverunt. Denique omnes gentes as-
Luc. II, 1, 3. serunt motas, dum ad Cæsaris Augusti edictum singuli ibant, ut in loco congruo se Romano imperio subditos profiterentur.

Et veniet Desideratus cunctis gentibus, id est, Christus Unigenitus Dei omnium hominum salus, desiderabilis universis, cujus adventum omnes (vel quidam de omnibus, ut sit distributio pro generibus singulorum) desideraverunt, per incarnationis mysterium, per humanæ naturæ assumptionem, per temporalem ex Virgine gloriosa nativitatem, veniet in hunc mundum, qui secundum divinitatis suæ naturam incircumscriptus exsistens, nec loco, nec tempore, nec actione, nec aliquo modo in se ipso movetur. Unde de ipso scriptum
Habac. III, 35, 36, 38. est : Qui fecit stellas, hic est Deus noster ; et post hæc super terram visus est, et cum hominibus conversatus est. De ipso quo-
Gen. XLIX, 10. que, patriarcha Jacob prædixit : Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium. De quo va-
Is. XLII, 4; XIV, 32; Rom. XV, 12. ticinatus est Isaias : Legem ejus insulæ exspectabunt; et in ipso gentes sperabunt.

Et implebo domum istam, videlicet templum a Zorobabel ceterisque Judæis inceptum, *gloria,* id est excellentia magna, decore et fama, *dicit Dominus exercituum.*
9 *Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Quasi dicat : Dives et potens sum implere quæ spondeo, et variis rebus domum hanc decorare ad
10 placitum valeo. *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum.* Ecce his verbis Dominus perhibuit ampliorem esse debere eminentiam et decorem, sublimationem et dignificationem templi post reditum a Babylone constructi, quam ejus quod Salomon est molitus. Porro, si ea quæ de glo-
II Par. III-V; III Reg. VI. ria primi templi in libris Paralipomenon ac Regum scribuntur, pensemus : certissimum est secundum hoc templum quasi

A parvæ reputationis fuisse, pretiositatis et gloriæ, respectu templi prioris, quantum ad structuram, pretiositatem, ornatum, et insuper contenta in templo. Nam licet de templi secundi gloria scriptum sit secundo libro Machabæorum, quod reges et prin- II Mach. III, 2, 3.
cipes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent, ita ut Seleucus rex Asiæ, de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes ; nihilo minus templum Salomonis multo
B famosius ac honoratius fuit in omni terra, quam secundum hoc templum. Propter quod Salomon ait : Domus quam ædificare Cf. I Par. XXII, 5; II Par. II, 9.
cupio, talis esse debet, ut in omni terra nominetur. Præterea, quædam præclarissima erant in templo primo, quæ defuerunt secundo, videlicet arca testamenti, tabulæ Moysis, urna aurea habens manna, ignis jugiter ardens, et divina responsa : sed et cultus divinus plus viguit in templo primo.

Itaque gloria ista templi secundi et ex-
C cellentia gloriæ ejus supra primum, verificari non potest, nisi per Christi adventum, durante hoc templo secundo, et præsentationem, visitationem, prædicationem, miraculosamque operationem ejus in ipso. Siquidem in templo isto secundo Christus in die Purificationis fuerat præ- Luc. II, 22.
sentatus, et ipse illud frequenter visitavit, atque duodecim factus annorum in eo Ibid. 42, 46.
Scribas interrogavit. Postremo factus annorum triginta, sæpe in eo prædicavit, at- Matth. XXVI, 55; XXI, 14.
que miracula (ut in Evangelio legitur) fe-
D cit, secundum quod Malachias propheta prædixit : Statim veniet ad templum suum Malach. III, 1.
Dominator, quem vos quæritis. Ex hac itaque Christi et Virginis gloriosæ Apostolorumque in templo præsentia, virtute et gloria, gloriosius fuit templum istud novissimum primo. Nempe quod iste sit vere propheticus intellectus, inde patescit, quod quum dixisset Propheta, Adhuc unum modicum est; et post pauca, Veniet Desideratus cunctis gentibus : mox adjecit, Et implebo domum istam gloria; magna

erit gloria domus istius novissimæ plus A
quam primæ. Ex quibus evidenter proba-
tur, ante secundi templi demolitionem re-
gem venisse Messiam, neque post tem-
plum istud secundum exspectare debent
Judæi a Deo tertium templum, quum tem-
plum istud divinitus appelletur novis-
simum.

Et in loco isto dabo pacem, dicit Do-
minus exercituum : quia post reditum a
Chaldæis, habuerunt Judæi interdum pa-
cem in Judæa, scilicet tempore Judith, et
Judith XVI, postea, ut patet ultimo Judith et secundo B
30; II. *Mach.* III, 1. Machabæorum. Spiritualem insuper pacem
Deus dedit ibidem suis electis : de qua
Luc. II, 14. angeli cecinerunt, In terra pax hominibus
Joann. XX, bonæ voluntatis ; de qua Christus toties
19, 21, 26. *Ephes.* II, dixit discipulis, Pax vobis. Nam et Christus
14, 16. est pax nostra, qui fecit utraque unum, et
Rom. V, 10. reconciliavit nos Deo in sanguine suo.

11 Consequenter describitur alia visio. *In*
vicesima et quarta die *noni mensis, in*
anno secundo Darii regis, factum est ver-
bum Domini ad Aggæum prophetam, di-
12 *cens : Hæc dicit Dominus exercituum : In-* C
terroga sacerdotes legem, id est quæstionem
ad legis determinationem pertinentem, *di-*
13 *cens : Si tulerit homo* Judæus, durante ve-
teris legis statu, *carnem sanctificatam,* id
est Deo in altari oblatam, *in ora vestimen-*
ti sui ; et tetigerit de summitate ejus, vi-
delicet vestimenti seu panni, *panem aut*
pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut
omnem cibum : numquid sanctificabitur
aliquid horum seu quodcumque istorum
ex panni contactu ? *Respondentes autem*
sacerdotes, dixerunt : Non, id est, nihil D
istorum ex contactu præfato sanctificatio-
nem recipiet, sed quale fuit, manebit. De-
14 inde proponitur alia quæstio. *Et dixit Ag-*
gæus ad sacerdotes : *Si tetigerit pollutus*
Lev. V, 2. *in anima,* id est is qui corpus mortui teti-
git, contra legem in Levitico datam, *ex*
omnibus his, id est aliquid horum, videli-
cet panem, pulmentum, vinum, etc., *num-*
quid contaminabitur res ista contacta? *Et*
responderunt sacerdotes : Contaminabitur.
In his sacerdotes, quorum princeps exstitit
Jesus filius Josedec in lege instructus, re-
cte secundum legem responderunt. Nam et
Moyses ait : Quidquid tetigerit immundus, *Num.* XIX,
immundum erit. Facilius quippe est de- 22.
ficere quam perficere, corrumpere quam
construere, polluere quam sanctificare :
quum bonum sit ex integra causa, malum
vero ex singulis omissionibus et cujusli-
bet circumstantiæ negligentia, secundum
divinum Dionysium. Homo quoque facilius
potest pollui, quam res inanimata sancti-
ficari : ideo ipse citius polluit aliud, quam
illa sanctificet aliud.

Consequenter Propheta quæstiones suas
ad propositum applicat. *Et respondit Ag-* 15
gæus, et dixit : Sic populus iste, et sic
gens ista ante faciem meam, dicit Domi-
nus : id est, quemadmodum polluitur quod
ab immundo homine tangitur; sic isti Ju-
dæi coram me reputantur et sunt macula-
ti, quamdiu offerunt hostias templo non-
dum constructo, et negligentes sunt circa
reparationem illius, divino operi propria
commoda præferentes. *Et sic omne opus*
manuum eorum, et omnia quæ obtulerunt
ibi, contaminata erunt : id est, quidquid
fecerint sive obtulerint super altare tem-
pli reparatione neglecta, mihi displicebit.
Ingratum enim est Deo, quidquid ei obtu-
leris, neglecto eo ad quod teneris. Quod
autem hoc verum sit, subditur :

Et nunc ponite corda vestra, id est, 16
considerationem mentis figite in ea quæ
dicam, *a die hac et supra,* id est circa
præterita tempora, et quæ in illis vobis
evenerunt, *antequam poneretur lapis su-*
per lapidem in templo Domini, id est pri-
usquam inciperetis templum ædificare ;
quum accederetis ad acervum viginti mo- 17
diorum, id est ad tam grandem segetum
molem, quod æstimastis viginti modios
fructuum exinde suscipere, *et fierent de-*
cem modii tantum, ita quod propter ve-
stram negligentiam circa templi structu-
ram, mediam fructuum portionem divina
justitia abstulit ; insuper *et intraretis ad*
torcular, ut exprimeretis quinquaginta la-
genas, id est, tantum uvarum cumulum

habuistis, quod sperastis quinquaginta la- A
genas vini acquirere, *et fiebant viginti,* ita
quod peccatis vestris exigentibus, plus
quam mediam partem abstuli de fructu
18 uvarum. *Percussi vos vento urente, et au-*
rugine et grandine omnia opera manuum
vestrarum : id est, vento calido ac nocivo,
ceterisque plagis et iris divinæ justitiæ
jam præfatis terræ nascentia vestra vasta-
vi : quod faciendo, etiam vos percussi, qui
de rerum vestrarum damno estis afflicti
potius quam de negligentia ædificii tem-
pli; *et non fuit in vobis qui reverteretur* B
ad me, dicit Dominus, id est, qui divinæ
justitiæ castigationem paternam adverte-
ret, atque condignam pœnitentiam ageret.

Præterea, quod ista damna eis contige-
rint, eo quod in templi ædificatione fue-
rant negligentes, Dominus probat ex eventu
contrario, scilicet quod jam in posterum
habituri sint fructus quamplurimos, ob id
19 quod domum Dei reparare exorsi sint. *Po-*
nite corda vestra ex die ista et in futu-
rum, id est, ex hoc die pensate quod jam
in futuro mox tempore accidet vobis, vide- C
licet *a die vicesima et quarta noni mensis,*
a die qua fundamenta jacta sunt templi
Domini : quamvis (ut in fine præcedentis
capituli dictum est) ingressi fuerint Judæi
ad faciendum opus in domo Domini die
vicesima quarta sexti mensis, quia tunc
cœperunt aptare materiam inchoareque
fundamenta, quæ die nunc scripta, ple-
nius jacta sunt et elevata. *Ponite super cor*
20 *vestrum* quod dico : *Numquid jam semen*
in germine est? id est, semina missa in
terram, necdum egressa sunt, nec pullula- D
re cœperunt, ut ex hoc conjici queat an
sterilitas an fecunditas terræ immineat, se-
cundum quod subditur : *Et adhuc vinea,*
et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ
non floruit; nihilo minus certitudinaliter
vobis prædico. *Ex die ista benedicam* se-
minibus atque arboribus, et cunctis terræ
nascentibus, ita quod supernaturaliter fru-
ctibus abundabunt, quemadmodum ante
supernaturaliter sterilitatem perpessa sunt.
21 *Et factum est verbum Domini secun-*
do ad Aggæum in vicesima et quarta die
mensis noni, videlicet eodem die quo su-
pra, ita quod eodem die factum est bis ad
eum verbum Domini, *dicens : Loquere ad* 22
Zorobabel ducem Juda. Istud, secundum
doctores catholicos, ad litteram de Christo
exponitur : et quod hoc rationabiliter fiat,
statim ex ipso textu probabitur. Christus
ergo hoc loco ad litteram appellatur Zoro-
babel, quia de semine ejus natus est; et
Zorobabel fuit evidens Christi figura in
multis, quemadmodum in Jeremia, Eze- *Jer.* xxx, 9.
chiele, Osee, aliisque Scripturis ad litte-
ram Christus vocatur et dicitur David. Scri-
ptum est enim in Ezechiele : Ego Dominus *Ezech.*
ero eis in Deum; et servus meus David xxxiv, 24.
princeps eorum. In Osee quoque legitur :
Post hæc revertentur filii Israel, et quæ- *Osee* iii, 5.
rent Dominum Deum suum, et David re-
gem suum. Quod autem Christus verissime
dicatur dux Juda, ignotum non est. Ipse
enim per antonomasiam nuncupatur rex,
dominator et dux Israel. Verum tunc quæ-
stio oritur : Quomodo Aggæus jubetur lo-
qui quæ subsequuntur, ad Christum, cui
secundum utramque naturam omnia inno-
tescunt, et qui diebus Aggæi nondum fue-
rat incarnatus? Et respondendum, quod
non ad Christi, sed nostram informationem,
hoc fit. Sed et Prophetæ de futuro frequen-
ter tanquam de præterito sive præsenti lo-
quuntur et vaticinantur.

Dicens : Ego movebo cœlum pariter et
terram. Hoc paulo ante in isto articulo ex-
positum est. *Et subvertam solium regno-* 23
rum, id est regias potestates, seu sedes
regales cum regibus, *et conteram fortitu-*
dinem regni gentium, id est regnorum
gentilium. Ponitur namque singulare pro
plurali. *Et subvertam quadrigam et ascen-*
sorem ejus, id est currus et qui vehuntur
in eis; *et descendent equi et ascensores eo-*
rum, id est, occidentur et cadent, *vir in*
gladio fratris sui : ita quod proximus pro-
ximum suum exstinguet, et unus ab alio
occidetur. Istud quidam affirmant imple-
tum, quando Deo auxiliante, Romani om-
nia sibi regna et populos subjecerunt.

24 *In die illa,* id est tempore quo fient A prædicta, *dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel,* id est, Jesu Christe. Quod dicitur, vel quia humanitas Christi fuit a Verbo assumpta in unitate personæ, vel quoniam Christus Deo Patri in omnibus placuit, acceptus exauditusque fuit, et ad Patris dexteram in ascensione est collocatus, sicque a Patre assumptus, prout ipsemet Christus prædixit Apostolis (*Joann.* XIV, 3.) : Si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam, et assumam vos ad me ipsum. Denique in Isaia (*Is.* XLII, 1.) Pater ait de Christo : Ecce B servus meus, suscipiam eum ; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. In Joanne (*Joann.* XI, 42.) quoque ait Christus ad Patrem : Ego sciebam quoniam semper me audis. *Fili Salathiel.* Christus vocatur filius Salathiel, quia de ejus semine natus, sicut Abrahæ, Jacob, et David ac ceterorum in ejus genealogia descriptorum. Vel dicitur filius Salathiel propter nominis interpretationem, et rei proprietatem, quemadmodum Zacharias (*Matth.* XXIII, 35.) filius Joiadæ, in Evangelio filius dictus est Barachiæ. Raphael quoque se C dixit Azariam (*Tob.* V, 18.) Ananiæ magni filium. Salathiel equidem interpretatur, petitio Dei : et per sanctorum obsecrationem misit Pater Filium suum in mundum per incarnationis mysterium. *Serve meus, dicit Dominus,* secundum naturam assumptam : secundum quam ipsemet Christus testatur (*Joann.* XIV, 28.), Pater major me est. Et juxta Apostolum (*Philipp.* II, 7.), Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Et per Isaiam loquitur Christus : Hæc dicit Dominus (*Is.* XLIX, 5.), formans me ex utero servum sibi. *Et ponam te quasi signaculum,* id est mihi simillimum, imo secun- D dum naturam assumptam, præ omnibus creaturis plus divinæ perfectionis participantem. Christus autem secundum divinam naturam est splendor gloriæ, et character (*Hebr.* I, 3.) substantiæ ejus, atque imago Dei invisibilis, qui de se testatur : Hunc Pater signavit Deus (*Joann.* VI, 27.). *Quia te elegi,* secundum naturam assumptam, ad gratiam unionis personalis, atque ad opus humanæ redemptionis, *dicit Dominus exercituum.*

Nunc declarandum, quod ista litteraliter de Christo sunt exponenda. Innotescitque id ex eo, quod postquam Dominus dixit, Ego movebo cœlum et terram, et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem gentium ; protinus sub eodem contextu adjecit : In die illa assumam te, Zorobabel. Sed sive subversio ista regnorum ac gentium exponatur de terminatione regni Græcorum, sive regnorum a Romanis superatorum, palam quod Zorobabel, ad quem loquebatur Aggæus virum mortalem præsentem, longo defunctus est tempore ante subversionem præfatam.

Postremo nonnulli præinducta exponunt pro secundo Christi adventu ad finale judicium : ante quod virtutes cœlorum (*Luc.* XXI, 26.) movebuntur, et tellus sudore madescet, conflagrationisque igne cremabitur ; habitantes vero in ea, præ timore arescent (*Ibidem.*). Tunc omnia mundi regna et quæcumque terrena peribunt, quia et tunc Christus (I *Cor.* XV, 24.) evacuabit omnem potestatem sibi contrariam. Tempus etiam illud prælia multa (*Luc.* XXI, 9, 10.) præcedent. Tuncque Pater suscipiet Christum, cum omni sua Ecclesia, qua tanquam sponsa ornabitur, et in se ipso atque in ea gloriosus, candidus, rubicundus, electus (*Cant.* V, 10.) ex millibus, imo præ universis, æternaliter ostendetur.

ARTICULUS IV

DE SPIRITUALI ET MYSTICO INTELLECTU EJUSDEM SECUNDI CAPITULI.

2 SPIRITUALITER, *In septimo mense,* id A
est in requie mentis, fit *verbum Do-*
mini in manu Aggæi, videlicet ad eum
Ps. LXXV, qui intra se Deo agit solennia, cujus cogi-
11. tatio confitetur ei, et reliquiæ cogitatio-
nis ejus diem festum exhibent ipsi, ita
quod Deo in mentali quiete solenniter va-
Ps. IV, 9. cat, et dicere potest : In pace in id ipsum
Ps. LXII, 9. dormiam et requiescam; et rursus, Adhæ-
3 sit anima mea post te. *Loquere ad Zoro-*
babel ducem Juda, et Jesum filium Josedec
sacerdotem magnum, id est ad principes
et prælatos fidelium confitentium Deo, *et* B
ad reliquos populi, id est electos, qui re-
4 spectu reproborum perpauci sunt. *Quis in*
vobis est derelictus, qui vidit domum istam
in gloria sua prima, id est, qui conside-
ravit statum Ecclesiæ pro tempore illo
quo fuit in maxima sanctitate et gratia,
dum fulsit miraculis atque innumeris do-
nis Spiritus Sancti, præsertim tempore
* *quid* Apostolorum, *et quod* vos videtis hanc*
nunc, id est, quam vehementer eam nunc
Philipp. II, lapsam conspicitis, quando omnes quæ sua
21. sunt quærunt? *Numquid non ita est, quasi* C
non sit? id est, nullius perfectionis et de-
coris esse videtur per comparationem ad
perfectionem, quam habuit olim.

5 Nihilo minus Dominus erigit corda eo-
rum qui Ecclesiæ deflent ruinam, dicens
6 se esse cum eis. *Verbum quod pepigi vo-*
biscum, puta promissio gratiæ atque divini
auxilii in præsenti, vel sermo novi Testa-
menti et evangelicæ legis impletio ac do-
ctrina, *quum egrederemini de terra Ægy-*
pti, id est de hoc sæculo nequam, seu
conversatione carnali, tenebrosa et sæcula- D
ri, vel quando in Baptismo abrenuntiastis
diabolo. *Et spiritus meus erit in medio*
vestrum. Nam Spiritus Sanctus et novi Te-
stamenti pactum, gratia atque subsidium,
manent in mentibus electorum, sicut ait
Apostolus : Misit Deus Spiritum suum in *Galat.* IV, 6.
corda nostra. Et Christus in Evangelio :
Paracletus, inquit, Spiritus Sanctus, quem *Joann.* XIV,
mittet Pater in nomine meo, ille docebit 26.
vos omnia.

Commovebo cœlum et terram, imminente 7
finali judicio, sicut expositum est, *et mo-* 8
vebo omnes gentes. Maxima nempe erit
motio atque turbatio hominum tempore
Antichristi et in consummatione mundi,
juxta illud Danielis : Veniet tempus quale *Dan.* XII, 1.
non fuit ex eo, ex quo gentes esse cœpe-
runt, usque ad tempus illud. *Et veniet* ad
finale judicium cum majestate et gloria,
Desideratus cunctis gentibus, videlicet Chri-
stus, cujus adventus erit electis deside-
rabilis ac jucundus, quemadmodum ipse
hortatur : His, inquiens, fieri incipientibus, *Luc.* XXI, 28.
levate capita vestra, quoniam appropin-
quat redemptio vestra. *Et implebo domum*
istam gloria : tunc enim implebitur bea-
titudine sempiterna. *Meum est argentum,* 9
et meum est aurum, id est omne spiri-
tuale ornamentum quo decoretur Ecclesia,
scilicet divitiæ salutis, sapientia et scien- *Is.* XXXIII, 6.
tia, dotes animarum et corporum. *Magna* 10
erit gloria domus istius novissimæ plus
quam primæ, id est, Ecclesiæ triumphan-
tis quam militantis. Fideles quoque qui
sub Antichristi persecutione constantes
permanserint, maximi meriti erunt; sed
major est gratia Dei in Ecclesia tempore
evangelicæ legis, quam fuerat sub veteri
Testamento. *Et in loco isto dabo pacem.*
Tunc enim pax Christi, quæ omnem sen- *Philipp.* IV,
sum exsuperat, implebit Ecclesiam, cujus 7.
fines Deus posuit pacem, secundum quod *Ps.* CXLVII, 14.
per Isaiam testatur : Ponam visitationem *Is.* LX, 17.

tuam pacem. In patria namque erit perfe-
cta tranquillitas optimæ ordinationis, et
plena quies Beatorum in Deo, eritque om-
nis potentialitas redacta in actum.

12-15 Præterea, juxta propheticam interroga-
tionem, quemadmodum contactus vesti-
menti in quo sunt carnes sanctificatæ, non
sanctificat alia; sic quidam qui se exterio-
rum rerum sacrarum aut vasorum conta-
ctu purgari confidunt, manent polluti, nec
interiores suos affectus habuerunt secun-
dum divinam legem reformatos ac ordina-
tos. Iterum sicut pollutus suo tactu macu-
lat alium, sic qui proximum scandalizat,
inficit ipsum.

16 *Et nunc ponite corda vestra a die hac
et supra, antequam poneretur lapis super
lapidem in templo Domini :* id est, pensate
quales dudum fuistis, antequam ædifica-
retis Deo intra vos conscientiæ domum, et
antequam in domo hac poneretis lapidem
super lapidem, id est unam virtutem, ejus-
que operationem super aliam, in bonis
17 ordinate crescendo. Tunc utique labores
vestri inanes fuerunt, et vix pro media
parte tam fructuosi fuerunt, sicut nunc
sunt. Et si fructuosi fuerunt, hoc erat ex
sola superabundanti bonitate divinæ cle-
mentiæ de congruo, non de condigno, eo
quod Deus ob suam prorsus immensam
pietatem nullum bonum deserat irremu-
18 neratum. Insuper percutit nos Deus *vento
urente* tentationum, et opera nostra per-
cuti sinit ac destrui *aurugine et grandine*
adversitatum et persecutionum : nec ta-
men ad ipsum revertimur, gratiæ opem
humiliter implorando.

Porro, quum nos ipsos cœperimus divi-
no cultui mancipare, et Deo intra nos tem-
plum construere, promittitur nobis magna

A meritorum fecunditas, copiosusque spiri-
tualis profectus, secundum quod subditur :
Numquid jam semen in germine est? Se- 20
men est verbum Dei, seu gratia Spiritus *Luc.* VIII, 11.
Sancti : quod tunc in germine est, dum
procedit in opus. Sed antequam sic proce-
dat in actum, Deus prædicit se excitaturum
illud in opus, quia ad meritorie operan-
dum non solum gratia habituali, sed etiam
actuali motione Spiritus Sancti egemus. *Et
adhuc vinea,* id est fides quæ potus est
animæ, *et ficus,* id est caritas sancta, infu-
B sa, vere suavis, *et malogranatum,* id est
sacra doctrina vario modo distincta, for-
titer odoris optimi diffusiva, *et lignum
olivæ,* id est virtus misericordiæ, *non flo-
ruit :* id est, virtutes istæ et dona Spiritus
Sancti, necdum in pulcherrimos operatio-
num ornatus prodierunt. *Ex die ista,* qua
bonum propositum concepistis me inspi-
rante, *benedicam,* id est, gratiam multi-
plicabo in vobis, efficaciamque procedendi
in actus virtuosos ac splendidos condo-
nabo.

C *In die illa assumam te, Zorobabel serve* 24
*meus, et ponam te quasi signaculum, quia
te elegi, dicit Dominus.* Quotidie Deus im-
piis et præscitis juste relictis, electos as-
sumit clementer ad gratiam, ornatque eos
variis donis atque virtutibus; electos quo-
que aliorum rectores vicissim tanto gra-
tiarum splendore venustat, ut tanquam
signacula subditis merito objiciantur ad-
spiciendi ac imitandi. Totumque hoc efficit
Dominus, quia elegit hos quibus hoc præ-
stat. Ipse equidem sine omni merito no-
D stro prior dilexit nos, elegit et prædestina- I *Joann.* IV,
vit quos voluit, secundum quod in Exodo 10; *Ephes.* I, 4, 5.
loquitur : Miserebor cui voluero, et cle- *Exod.*
mens ero in quem mihi placuerit. XXXIII, 19.

ENARRATIO
IN ZACHARIAM PROPHETAM

ENARRATIO

IN ZACHARIAM

PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : IN MENSE OCTAVO, IN ANNO SECUNDO DARII REGIS.

SICUT sanctus ait Hieronymus, inter A
duodecim Prophetas obscurissimus est
Zacharias, cujus nunc, Deo illustrante, elu-
cidandus est liber. In proœmio autem suo
Propheta iste aperuit, quo tempore cœpe-
1 rit prophetare. *In mense octavo, in anno
secundo,* id est octavo mense anni secundi
imperii *Darii regis* Persarum : de quo in
Agg. I, 1. exordio expositionis Aggæi prophetæ jam
dictum est; *factum est verbum Domini,*
angelo mediante, et intus loquente, *ad*
* alias *filii* *Zachariam filium Barachiæ, filium* Ad-
do, prophetam.* Erantque Barachias et Addo B
Prophetæ, secundum dictum Hebræorum,
asserentium illos omnes fuisse Prophetas,
qui in titulo Prophetarum exprimuntur.

Hieronymus quoque affirmat, hunc Addo
fuisse Prophetam quem misit Deus ad Je-
roboam stantem super altare et thus idolo
II *Reg.* XIII, 1. jacientem, prout tertio Regum libro legi-
tur. Quod si verum est, constat quod Ad-
do iste non fuit proximus pater Barachiæ
istius, nec avus Zachariæ, sed pater ejus
remotus, sicut et Christus dicitur filius
David. Siquidem Addo ille fuit in diebus C
Jeroboam regis Israel, qui annis centenis
Babylonicam captivitatem præcessit. Ve-
rum, ut alii asserunt, dictum istud Hiero-
nymi, de Scripturis auctoritatem non ha-
bet. Videtur tamen Hieronymus ex libro
Paralipomenon assertionis hujus occasio-
nem sumpsisse. Etenim secundo Parali-
pomenon libro scribitur : Opera Roboam II *Par.* XII,
prima et novissima scripta sunt in libro 15.
Semeiæ prophetæ et Addo videntis. Sed ibi
non fertur quod Addo fuerit ad Jeroboam
missus. Quod quamvis ibi vel alibi scribe-
retur, consequens tamen non esset quod
fuisset iste Addo, quum diversi Prophetæ
eisdem frequenter nominibus vocati no-
scantur. Nec est consuetudo Scripturæ, ge-
nealogiam Prophetarum per patrem et
progenitorem ita remotum, intermediis pa-
tribus omissis, describere. Nihilo minus
verbis Hieronymi apparentiam facit, quod
in aliorum titulis Prophetarum, dum pro-
ximi progenitores narrantur, pater dicitur
filius avi, et avus proavi, ita quod in eo-
dem casu scribuntur, sicut in principio
Sophoniæ prophetæ quo legitur : Verbum *Soph.* I, 1.
quod factum est ad Sophoniam filium Chu-
si, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ.
Sed in titulo Zachariæ ita non agitur, quo-
niam Barachias qui scribitur pater Zacha-

riæ, non dicitur filius Addo; sed dicitur : A
Factum est verbum Domini ad Zachariam
filium Barachiæ, filium Addo. Sicque veri-
similiter dici potest, quod ob commenda-
tionem sanctitatis et gratiæ suæ, præfatus
Addo pater hujus Zachariæ vocetur, ceteris
intermediis, qui gratiam prophetalem sor-
titi non sunt, non expressis.

Porro Zacharias duobus post Aggæum
mensibus orsus est prophetare, quemad-
modum ex eorum prooemiis innotescit.
Unde et Aggæus in ordine duodecim Pro-
phetarum huic præponitur. Deinceps pari-
ter prophetaverunt ad Judæos de Babylone
I *Esdr.* v, 1. reversos, juxta illud primi Esdræ : Prophe-
taverunt autem Aggæus propheta et Za-
charias filius Addo ad Judæos, qui erant
in Jerusalem, etc.

Itaque, Factum est verbum Domini ad
Zachariam, *dicens* per eum ad populum,
2 vel ad eum sub persona populi : *Iratus est*
Dominus (in quem nec mutatio, nec per-
turbatio, nec passio cadit : propter quod
irasci non dicitur secundum passionis af-
fectum, sed operis parilitatem, justitiæque
Jer. VII, 19 rigorem, prout in Jeremia ait : Numquid
me ad iracundiam provocant? dicit Domi-
nus; nonne semetipsos in confusione vul-
tus sui?) *super patres vestros :* quos tra-
didit in manibus Chaldæorum, a quibus
gravissime oppressi fuerunt, juxta illud
Ibid. L, 17. Jeremiæ : Nabuchodonosor rex Babylonis
exossavit eos; *iracundia,* id est justa et
rigorosa punitione qua eos punivit.
3 *Et dices* tu, Zacharia, *ad eos : Hæc dicit*
Dominus exercituum : Convertimini ad
me, corda vestra ad gratiam disponendo,
actibusque pœnitentiæ insistendo, *ait Do-*
minus exercituum; et convertar ad vos,
peccata delendo, et gratiam infundendo,
augendo et conservando, *dicit Dominus*
exercituum, id est agminum supernorum
seu angelicorum spirituum. In Hebræo ha-
betur, Dominus Sabaoth : pro quo Septua-
ginta interpretes aliquando, Deus seu Do-
minus omnipotens, aliquando, Dominus
virtutum, transtulerunt. Denique, secun-
dum Hieronymum, Aggæus et Zacharias in
paucis versiculis brevibusque sententiis
semper adjiciunt, Dicit Dominus exerci-
tuum, ut hi quibus loquebantur, scirent
Dominum esse qui præcipit, ac per hoc
adversus regis imperium circumfremen-
tesque hostes ad templi ædificationem fi-
ducialiter concitarentur. Hoc tamen de Da-
rio rege accipiendum non puto, quum
juxta præhabita dederit copiosam ad tem- I *Esdr.* VI, 1-14.
pli reparationem licentiam, sed forte de
Artaxerxe.

Quæritur, quum nemo queat converti ad
B Deum, nisi Deus primo per gratiæ infusi-
onem convertatur ad ipsum (juxta illud
Jeremiæ in Threnis seu Lamentationibus :
Converte nos, Domine, ad te, et converte- *Thren.* V, 21.
mur. Unde et rursus Jeremias inducit :
Converte me, Domine, et convertar : post- *Jer.* XXXI, 18, 19.
quam enim convertisti me, egi pœniten-
tiam), quomodo nunc loquitur Dominus,
Convertimini ad me, et convertar ad vos. Et
respondendum, quod Dominus non præcipit
hoc de conversione virtuosa ac meritoria
per caritatem et gratiam, sed de conversio-
C ne inchoativa, qua quis ad Dei gratiam se
ipsum habilitat, faciendo quod in se est.
Juxta quod scriptum est : Appropinquate *Jacob.* IV, 8.
Deo, et appropinquabit vobis; et in Psal-
mo, Accedite ad eum, et illuminamini. *Ps.* XXXIII, 6.
Paulus quoque : Surge, inquit, qui dormis, *Ephes.* V, 14.
et illuminabit te Christus. Si vero verbum
illud dirigatur ad eos qui jam sunt in
gratia Dei, intelligendum est de spirituali
profectu et actuali tendentia mentis in
Deum : quod tamen non fit sine prævia
motione Spiritus Sancti.

D Insuper, juxta mysticam rationem, per
hoc quod Deus toties in Scripturis Domi-
num exercituum appellari se voluit, insi-
nuatur quod pertinentes ad se vult esse
armatos fortesque milites, et stare in acie
contra adversarias potestates, ut virtutibus
cunctis muniti, victorialiter dimicent con-
tra mundum, carnem atque diabolum.

Ne sitis sicut patres vestri indurati et 4
impœnitentes, *ad quos clamabant* magno
caritatis fervore et voce sonora, sicut Isaias
hortatur, Quasi tuba exalta vocem tuam, *Is.* LVIII, 1.

Prophetæ priores, qui ante me fuerunt, A sive in Babylone, ut Daniel et Ezechiel, sive in Jerusalem et Judæa ante Babylonicam captivitatem, ut Jeremias, Sophonias, etc., *dicentes : Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini* ad Deum *de viis,* id est operibus atque affectibus, *vestris malis, et cogitationibus vestris pessimis.* Hoc omnes clamaverunt Prophetæ. Unde et per
Is. I, 16. Isaiam Dominus ait : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. *Et non audierunt* auribus mentis : de quibus
Luc. VIII, 8. loquitur in Evangelio Christus, Qui habet B aures audiendi, audiat; *neque attenderunt ad me,* verba mea considerando, divinam justitiam intuendo, divinis præceptis ob-
5 temperando; *dicit Dominus. Patres vestri,* qui non attenderunt ad me, *ubi sunt?* quasi dicat : In suis vanitatibus defecerunt, et de hac temporali, brevi ac labili vita, ad æternam damnationem perducti sunt. *Et prophetæ* eorum fallaces? Loquitur enim de falsis, nam subditur : *Numquid in sempiternum vivent?* quasi diceret : Nequaquam; imo æternam mortem illapsi sunt. C
Sap. V, 16. Quocontra scriptum est : Justi in perpe-
Ibid. III, 4. tuum vivent; et rursus, Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum immortalitate plena est. De his falsis pro-
Jer. XIV, 14. phetis multa loquitur Jeremias : Mendacium, inquiens, et seductionem cordis sui
Ibid. 18. loquuntur vobis; et denuo, Propheta namque et sacerdos abierunt in viam quam ignoraverunt. Loquitur itaque nunc Dominus de prophetis iniquis, qui Judæis promiserunt Jerusalem capiendam non esse a Chaldæis : qui simul cum aliis perierunt. D
6 *Verumtamen verba mea,* quibus patrum vestrorum captivitatem prædixi, *et legitima mea,* id est præcepta de illorum punitione, nisi se emendarent, *quæ mandavi servis meis Prophetis* ut proponerent ea ipsis, *numquid non comprehenderunt patres vestros?* id est, imo super eos venerunt, et in ipsis verificata consistunt. Hinc in persona istorum scriptum est in Danie-
Dan. III, 29, 30, 32. le : Peccavimus, et inique egimus, recedentes a te, et præcepta tua non observavimus, et tradidisti nos in manibus iniquorum. *Et conversi sunt :* id est, quidam eorum considerando plagas sibi a Deo illatas, pœnituerunt, secundum illud Isaiæ : Tan- *Is.* XXVIII, 19.
tummodo sola vexatio dabit intellectum auditui; itemque in Psalmo, Imple facies *Ps.* LXXXII, 17.
eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine; *et dixerunt : Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, et secundum adinventiones nostras,* id est, quemadmodum decrevit atque prædixit reddere nobis secundum exigentiam iniquitatum nostrarum, sic *fecit nobis,* derelinquendo nos in captivitate Babylonica septuaginta annis.

Consequenter consolatur Propheta populum Judæorum, a captivitate reversum.
In die vicesima et quarta undecimi mensis nomine *Sabath,* secundum linguam Hebræam, *in anno secundo Darii,* utpote 7
tertio mense post primam visionem, quæ facta est mense octavo anni secundi Darii regis, *factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filium Addo, prophetam, dicens,* id est, ad loquendum inducens ac instruens Zachariam : qui ex verbo Dei in anima sua angelica revelatione formato, motus est ad dicendum quæ subsequuntur.

Vidi per noctem, id est tempore noctur- 8
no, quod divinis revelationibus suscipiendis propter silentium sensuumque et phantasiæ quietem aptius fertur. Propter quod in libro Job scribitur : Per somnium in *Job* XXXIII, 15, 16.
visione nocturna, quando sopor irruit super homines, aperit Deus aures virorum. Unde visio ista imaginaria fuit, et forte in somno. *Et ecce* apparuit mihi in visione hac *vir ascendens super equum rufum.* Per virum intelligitur angelus Dei in forma viri apparens, secundum quod Daniel ait : Vir Gabriel stetit coram me. Et in *Dan.* VIII, 15; IX, 21. *Act.* I, 10.
Actuum libro de angelis legitur : Ecce duo viri adstiterunt juxta illos. Porro per equum rufum, propter rubeum colorem, significata est ultio Dei, adversariis Judæorum infligenda, propter peccata in Judæos commissa. Et ut refert Hieronymus, per

angelum istum Hebræi intelligunt Michaelem, qui ultor fuit iniquitatum in Judæos factarum, et præfuit Synagogæ. *Et ipse stabat inter myrteta,* id est in locis ubi crescunt myrti, qui sunt arbores elegantes, poma odorifera atque pulcherrima proferentes : propter quod dicit Hieronymus, quod per myrtum significabatur lætitia Judæis adfutura de templi et terræ recuperatione. Judæi quoque secundum Hieronymum, per myrtos intelligunt Prophetas et sanctos, qui in medio populi Judæorum in Chaldæa captivorum versabantur, inter quos sanctos angelus libenter tunc stetit. *Quæ erant in profundo :* quia in convalle nascuntur, vel apparebant, et quoniam Prophetæ et sancti in profundo humilitatis atque in alto contemplationis exstiterant. Unde Septuaginta transtulerunt : Ipse stabat inter montes umbrosos.

Et post eum equi rufi, varii, et albi. Per equos rufos, propter rubeum colorem intelliguntur illi qui populum Judæorum graviter afflixerunt, eorumque sanguinem effuderunt, puta Chaldæi, vel (ut Judæi exponunt) Romani. Per equos albos intelliguntur, qui Judæis clementes fuerunt, videlicet Persæ et Medi, quorum reges remiserunt
I *Esdr.* I, VI. Judæos de Chaldæa in propriam terram, et licentiam reædificandi Jerusalem templumque in ea, largiti sunt, scilicet Cyrus ac Darius. Per varios equos intelliguntur Græci sive Macedones, quorum quidam fuerunt Judæis amici, alii persecutores, ut
I *Mach.* passim; *Dan.* XI. patet in libro Machabæorum, et in ultima visione Danielis prophetæ. Quidam nomine equorum dicunt etiam ascensores equorum insinuari, atque per ascensores equorum intelligunt angelos præfatis regnis prælatos. Quidam autem per equos intelligunt angelos, divini imperii promptissimos atque fortissimos exsecutores, qui propter ordinum distinctionem albi, rufi, variique dicuntur.

9 *Et dixi* ego Zacharias, ad angelum per quem fiebant mihi revelationes propheticæ : *Quid sunt isti?* id est, quid equi isti designant, *Domine mi* angele Dei? Dicuntque aliqui, quod iste fuit angelus Zachariæ ad custodiam deputatus : quod certum non reor, quum constet propheticas revelationes non semper exhibitas per angelos Prophetarum custodiis deputatos. Unde Gabriel qui Danieli loquebatur, legitur in *Dan.* IX, 21.
Evangelio Zachariæ sacerdoti et Virgini *Luc.* I, 11-20, 26-37.
benedictæ futura prædicere. *Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me,* cujus ministerio Deus mihi futura ostendit : ita quod angelus iste formavit in spiritu et imaginativa virtute Zachariæ formas, phantasmata, sive imagines rerum quæ sibi præmonstrabantur, deditque ei intelligere quid imagines istæ significarent. Intelligentia enim est opus in visione. *Dan.* X, 1. Ideo subditur : *Ego ostendam tibi,* per me ipsum vel angelum superiorem, *quid sint hæc,* id est, quid equi isti significent.

10 *Et respondit vir qui stabat inter myrteta, et dixit :* id est, angelo qui in me loquebatur, per se ipsum non respondente, sed paulisper tacente, angelus stans inter myrteta, angelo in me loquente id impetrante, mihi respondit : *Isti sunt, quos misit Dominus ut perambulent terram :* id est, equi præscripti significant populos memoratos seu regna præfata, quæ nutu divino diversas regiones peragraverunt, easque suo dominio subjecerunt. Vel, Isti sunt, etc., id est, angelos divinæ voluntatis exsecutores, et terram celeriter perambulantes, significant.
11 *Et responderunt* angeli regnis ac nationibus præsidentes, *angelo Domini, qui stabat inter myrteta,* id est superiori angelo qui præfuit Synagogæ, et erat de ordine Principatuum, scilicet Michael princeps magnus, qui stetit *Ibid.* XII, 1.
pro filiis Israel, ut dicit Daniel. *Et dixerunt : Perambulavimus terram,* id est, statum regnorum pensavimus, et per diversa loca processimus, nobis commissos custodiendo. Nec oportet perambulationem istam humano more intelligi, quanquam angeli interdum more hominum cum hominibus ambulasse legantur, ut Raphael *Tob.* V, 21; XII, 15.
cum Tobia, et angeli cum Abraham et Lot. *Gen.* XVIII, 16; XIX, 16, 17.
Et ecce omnis terra habitatur, et quiescit,

id est, omnia regna sub nostra custodia tuta sunt atque pacata, nec prælia notabilia jam exsurgunt.

12 *Et respondit angelus Domini, et dixit,* ille qui stetit inter myrteta, interpellans pro Judæis, et ex verbis angelorum prædictorum occasionem accipiens orandi pro eis, utpote præsidens Synagogæ. Hic ergo respondit, id est, ad præinducta verba convenienter locutus est : *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es?* id est, quum cetera regna idololatriæ dedita prosperentur, quamdiu differes reædificationem Jerusalem et urbium regni Juda, quorum peccata hucusque castigasti, et oppida reliquisti destructa? *Iste jam septuagesimus annus est :* id est, septuaginta anni fluxerunt, quibus evolutis, dixisti te miseraturum urbibus istis et populo Judæorum per Jeremiam prophetam,
Jer. xxix, 10. juxta illud : Quum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos et suscitabo super vos verbum meum bonum. Sed quum anni isti fuerint tempore
I Esdr. i, 3. Cyri regis impleti, quando relaxavit captivitatem Judæorum in Babylone, qualiter Zacharias ait, quod tempore hujus prophetiæ, videlicet secundo anno Darii, septuagesimus fuerit annus, præsertim quum (teste Hieronymo) inter primum annum Cyri et annum secundum Darii fluxerint anni quadraginta? Et respondendum, quod numerus major non excludit minorem.

13 *Et respondit Dominus angelo qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria,* scilicet quod Jerusalem, urbesque Juda repararentur, et populus Judæorum prosperaretur.

14 *Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : Clama* ad Judæos, *dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno,* id est, magno ac speciali amore dilexi populum Judæorum et quæ pertinebant ad eos, atque ex isto amore tam diligenter et aspere correxi ejus excessus, ut in posterum cautior sit, quemadmodum vir uxorem carissi-
A mam, si infidelis sibi fuerit, asperrime corripit. Hoc quantum ad electos verificatur; quantum vero ad reprobos populi hujus, Dominus ait per Ezechielem : Zelus Ezech. xvi, 42.
meus recessit a te.

Et ira magna ego irascor super gentes 15
opulentas, id est regnis et gentibus quæ Judæorum populum afflixerunt. His iratus est Dominus ira magna, quia non tantum in sæculo isto, sed et æternaliter eos perire præcepit. Unde secundo Machabæorum libro habetur : Non enim, sicut II Mach. vi, 14-16.
B in aliis nationibus Deus patienter exspectat, ut eas, quum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat; ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet : propter quod nunquam a nobis misericordiam suam amovet; corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquit.

Quia ego iratus sum parum, id est, vos Judæos citra condignum punivi, et pro damnatione æterna quam meruistis, tem-
C porali pœna vos castigavi intentione emendandi, non conterendi; *ipsi vero adjuverunt,* id est, exsecutioni justitiæ meæ cooperati sunt circa vos, *in malum,* id est crudeliter atque perversa intentione. Quamvis enim Assyrii et Chaldæi, Deo or- IV Reg. xvii, xxv.
dinante, Judaicam plebem vastaverint, in quantum Deus per illos voluit populi sui peccata in præsenti punire; ipsi tamen intuitu Dei et zelo justitiæ id non fecerunt, sed ex superbia, cupiditate, et pessimo fine. Hinc per Isaiam Dominus ait :
D Væ Assur, virga furoris mei et baculus Is. x, 5, 7.
ipse est; ipse autem non sic arbitrabitur, sed ad conterendum erit cor ejus, et ad perdendas gentes.

Propterea hæc dicit Dominus, qui quum 16
iratus fuerit, misericordiæ recordatur : *Re-* Habac. iii, 2.
vertar, non locum mutando, qui incircumscriptus illocalisque sum, *ad Jerusalem in misericordiis,* id est ad populum Juda et urbem per varios pietatis meæ effectus multipliciter eis benefaciendo; *et domus mea,* id est templum, *ædificabitur in ea,*

II *Esdr.* vi, 15. *ait Dominus exercituum :* quod sub Zoro-
babel factum est; *et perpendiculum,* id est
hujusmodi instrumentum cæmentariorum,
quo perpenditur an murus vel paries con-
venienter et recte ædificentur, *extendetur*
super Jerusalem : quod factum est, quando
muri et domus civitatis ædificabantur sub
I *Esdr.* iii, vi; II *Esdr.* ii-iv. Esdra et Nehemia, sicut in libro Esdræ
describitur.
17 Insuper angelus præcipit Zachariæ : *Ad-*
huc clama, dicens : Hæc dicit Dominus
exercituum : Adhuc affluent civitates meæ
bonis : id est, post reditum de Babylone
habitatores urbium Juda divitiis abunda-
bunt, imo et spiritualibus gratiæ donis,
quantum ad virtuosos : quod tempore Zo-
I *Esdr.* i, etc. passim. *Judith* xvi, 30. robabel, Esdræ et Prophetæ istius cœpit
impleri : deinde post victoriam Judith et
tempore Machabæorum, præsertim sub Si-
mone sacerdote ac principe magno, quando
I *Mach.* xiv, 8-12. unusquisque sedit sub vite et ficulnea sua,
et de bonis terræ tractabant, quemadmo-
dum primo libro Machabæorum circa fi-
nem plenius scriptum est. Porro in ad-
ventu Christi, quando per se ipsum atque
Apostolos prædicavit, miracula fecit, et
Act. ii. Spiritum Sanctum misit, copiosius adim-
pleta sunt hæc. *Et consolabitur adhuc Do-*
minus Sion, id est Synagogam et templi
ministros. In monte etenim Sion repara-
tum est templum, et consolati sunt sacer-
dotes. *Et eliget adhuc Jerusalem,* id est,
præ ceteris urbibus eam suo cultui dedica-
bit : quod factum est templo constructo, ad
quod Judæi certis temporibus anni tene-
bantur venire, hostiasque offerre et Domi-
num invocare.
Præterea introducitur alia revelatio pro-
phetalis de regnorum Judæis adversantium
18 repressione. *Et levavi* ego Zacharias *oculos*
meos interiores, *et vidi,* visione imagina-
ria; *et ecce quatuor cornua* vidi in spiritu.
19 *Et dixi ad angelum qui loquebatur in*
me : Quid sunt hæc? id est, quid signifi-
cant? *Et dixit ad me : Hæc sunt cornua,* id
est, per cornua ista significantur quatuor
regna, *quæ ventilaverunt Judam,* id est
regnum ac populum Judæorum, *et Israel*

A *et Jerusalem,* tribus Israel de propria terra
expellendo, ipsamque Jerusalem devastan-
do. Prædicta autem regna intelliguntur
Chaldæi et Persæ, quantum ad reges Persa-
rum adversantes Judæis; Græci quoque,
præsertim tempore Antiochi, et Romani.
Verumtamen, quum tempore Romanorum,
post Christi passionem fuerint Judæi fina-
liter a Deo relicti, nec [jam] populus ejus *Dan.* ix, 26, 27.
propter Christi occisionem et abnegatio-
nem; nec regnum Romanum destructum
fuerit eo quod Judæos vastavit : arbitror
B loco Romanorum Assyrios, vel alios quos-
dam aptius posse intelligi.
Et ostendit mihi Dominus quatuor fa- 20
bros, id est similitudines eorum : sicut
ostendit regi Ægypti boves et spicas, regi- *Gen.* xli, 1-7.
que Babylonis auream statuam. Illis tamen *Dan.* ii, 31 *et seq.*
non dedit intelligentiam visionis, quemad-
modum Zachariæ, ut subditur. *Et dixi* ad 21
angelum in me loquentem, qui in perso-
na Dei loquebatur ad me : *Quid isti* qua-
tuor fabri *veniunt facere? Qui ait, di-*
cens : Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt
C *Judam* (hic repetit quod jam dixit de cor-
nibus, ut clarius ostendat quod de fabris
Propheta quæsivit) *per singulos viros,*
unumquemque Judæorum in manus eorum
venientium affligendo; *et nemo eorum,*
scilicet Judæorum, *levavit caput suum,* id
est, resistere potuit adversariis suis. *Et*
venerunt isti, utpote quatuor fabri, *deter-*
rere ea, id est regna præfata reprimere, *ut*
dejiciant cornua gentium, id est, regna
ista gentilium deprimant. Assyriorum enim
et Chaldæorum regnum ante prophetiam
D istam defecit; postea quoque regnum Per-
sarum atque Græcorum. Sed regnum Ro-
manum non est propter Judæorum vasti-
tatem dejectum, imo in Christo feliciter
exaltatum. Vel si dejectum dicatur, quo-
niam Christo subjectum, hæc est bona
dejectio, nec pro peccato inflicta. *Quæ le-*
vaverunt cornu, id est potestatem suam,
super terram Juda, id est contra Judæos,
ut dispergerent eam, id est habitantes in
ea. Itaque per fabros significabantur an-
gelicæ potestates, divinæ jussionis exse-

cutores, qui venerunt superborum regna destruere, et populum Dei recuperare.

Postremo, per quatuor cornua memora- A ta, intelligi possunt persecutores populi Israel, qui eum a quatuor partibus mundi invaserunt.

ARTICULUS II

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI PRIMI INTELLIGENTIA.

1 FACTUM *est verbum Domini ad Zacha-*
riam filium Barachiæ, filium Addo.
Zacharias interpretatur memoria Domini.
Ps. LXXVI, 4. Itaque ad eum qui memor est Domini Dei
Ps. I, 2. sui, qui meditatur in lege Domini die ac
Cant. VIII, 6. nocte, qui ponit Deum sicut signaculum
II *Cor.* III, 18. super cor suum, et revelata facie gloriam
Domini speculatur, cum Psalmista decan-
Ps. LXXVI, 4. tans, Memor fui Dei, et delectatus sum :
ad istum, inquam, fit verbum Dei, quia
I *Joann.* II, 27. talis illuminatur a Deo, et unctio docet
Ps. XV, 7. eum, ita ut dicere possit : Benedicam Do-
minum qui tribuit mihi intellectum; et
Ps. XXVI, 1. rursus : Dominus illuminatio mea et salus
mea. Is demum Barachiæ, id est divinæ
benedictionis, est filius, quoniam Barachias
benedictio Domini interpretatur. Recorda-
tio etenim Dei, ex gratia cœlestis benedi-
ctionis emanat, quoniam actualis memoria
Dei ex Spiritus Sancti motione procedit,
sicut et quælibet actio meritoria. Insuper
Zacharias iste est filius Addo, qui inter-
pretatur testimonium ejus, quatenus Chri-
Luc. XII, 8. stus testimonium bonum perhibeat ei, con-
fitendo eum coram Patre cœlesti et angelis
ejus; ipse quoque divinæ virtuti in omni-
bus attestetur, et Deum in cunctis zelo
veritatis honoret, sitque de eorum catalo-
Is. XLIV, 8. go quibus per Isaiam Dominus dicit : Vos
testes mei estis.

Itaque per hujuscemodi Zachariam ait
2 Deus Ecclesiæ : *Iratus est Dominus,* scili-
cet ego Deus, *super patres vestros,* id est
præcedentes Christianos, qui fidem suam
vita ac moribus non approbarunt. Hoc Do-
minus ait, ut posteriores sint cautiores, ne
B eis contingat quod patribus suis evenit.
Nempe felix, quem faciunt aliena damna
peritum; et pestilente flagellato, sapiens, *Prov.* XIX, 25.
imo et stultus, sapientior erit, ut Salomon
docet. Nam et ideo Deus in præsenti vita
quosdam graviter manifesteque punit, ut
illorum exemplo alii terreantur, corrigan-
tur, salventur.

Et dices ad eos. Qui enim modo præfato 3
memor est Dei, aptus est mitti a Deo ad
insinuandum proximis verbum Dei, ut de
plenitudine ejus accipiant alii, et memo- *Joann.* I, 16.
C riam abundantiæ suavitatis divinæ, quam *Ps.* CXLIV, 7.
in secreto ex Dei contemplatione sortitus
est, eructet et aliis, secundum quod Petrus
in prima sua ait Canonica : Unusquisque I *Petr.* IV, 10.
sicut accepit gratiam, in alterutrum illam
administrantes. *Hæc dicit Dominus : Con-*
vertimini ad me. Incessabiliter per sacræ
Scripturæ lectionem, prædicationem et re-
cordationem hortatur nos Deus, ut con-
vertamur ad ipsum, omnia ista carnalia,
terrena, vilissima contemnendo, ipsique
summo, superessentiali, immenso et per-
D fecto bono integerrima mente fortiter ad-
hærendo : in quo utique est omnium
divitiarum, deliciarum, et honestatis super-
infinitissima plenitudo. Quum enim Deus
sit primum et summum appetibile, hono-
rabile, ac formidabile, ipsum primo et
summe desiderare, honorare, ac formidare
debemus; ipse quoque esse debet nobis
causa et ratio amandi seu appetendi, vene-
randi ac metuendi, quidquid citra eum
desideramus, amamus, honoramus, aut for-
midamus, quatenus omnes nostri cordis

affectus sint ordinati, reducti, ac adunati
in ipsum : quo facto, veraciter dicere pos-
Ps. IX, 2; CXXXVII, 1. sumus, Confitebor tibi, Domine, in toto
corde meo. *Et convertar ad vos.* Tanta
equidem est munificentia atque benignitas
bonitatis divinæ, ut quacumque hora pec-
cator ex animo ingemuerit, vel homo quod
in se est fecerit, Deus gratiam mox infun-
dat : idcirco de nullo viatore est desperan-
dum. Præterea verbum istud Dei nostri
dulcissimum, Convertar ad vos, et tanta
Dei pronitas ad ignoscendum, ad succur-
rendum atque salvandum nos, quantum-
cumque inique egerimus, dummodo modo
prædicto convertamur ad ipsum, merito
inflammare nos debet ad admirandum ac
Luc. I, 78. diligendum et imitandum viscera caritatis
et misericordiæ Dei nostri, ut simus imita-
Ephes. V, 1, 2. tores Dei sicut filii carissimi, et ambule-
mus in dilectione sicut et Christus dilexit
nos, nec aliquam a proximo aversionem
admittamus.

5 Denique viatoribus Dominus ait : *Patres
vestri ubi sunt et prophetæ?* Hoc nobis in-
cessanter pensandum est, quatenus, pa-
trum et prædecessorum nostrorum obitum
considerantes, et quo venerint ignorantes,
quod item in æternum mansuri sint vel
in summa gloria, vel in summa miseria,
discamus vitæ præsentis vanitatem, falla-
ciam, brevitatem, periculositatem, incer-
titudinemque pensare ac spernere, et Deo
cum omni reverentia et timore servire,
dicendo : Ubi jam patres nostri, et ceteri
qui ante pauca tempora nobiscum fue-
runt? Ecce in momento sublati sunt, æter-
naliterque manebunt vel in tormentis in-
ferni, vel in jucunditate cœlesti, prout in
hac vita brevissima meruerunt. Prophetæ
autem de quibus jam sermo, sunt qui,
quod scribunt, docent seu prædicant, non
observant : quorum damnatio justa est.

Præterea ait spiritualis hic Zacharias,
8 Dei jugiter reminiscens : *Vidi per noctem,*
I Cor. XIII, 12. id est cognitione obscura : nunc enim vi-
demus per speculum in ænigmate eum qui
Ps. XVII, 12. posuit tenebras latibulum suum ; *et ecce
vir ascendens super equum rufum,* id est,
A Christus Deus et homo, corpus humanum
tempore passionis sanguine rubricatum,
suæ divinitati adjungens, ipsoque ad no-
stram recuperandam salutem ministeriali-
ter utens. De quo in Isaia habetur : Ecce *Is.* XIX, 1.
Dominus ascendet super nubem levem ; et
rursus, Quare rubrum est indumentum *Ibid.* LXIII, 2.
tuum? *Et ipse stabat inter myrteta,* id est
inter vetus ac novum Testamentum : quæ
tanquam duo Cherubim versis vultibus re-
spiciunt in ipsum, tanquam in propitiato-
rium, quoniam ipse veraciter est propitiatio *I Joann.* II, 2.
B pro peccatis nostris. Hæc autem testamen-
ta cooperta sunt difficultatibus multis, tan-
quam densissimis foliis. Vel myrteta sunt
omnes viri perfecti, in quorum medio Do-
minus commoratur : qui sunt bonus odor *II Cor.* II, 15.
Dei, et fructus operum meritoriorum co-
piose producunt.

Et post eum equi rufi, varii, et albi.
Equi rufi sunt martyres sancti, qui lave- *Apoc.* VII, 14.
runt stolas suas in sanguine Agni. Equi
varii sunt confessores diversis gratiæ cha-
rismatibus adornati. Equi albi sunt virgi-
C nes puritatis candore splendentes. Istis,
præsertim Apostolis, qui et martyres exsti-
terunt, jussit Dominus ut perambularent 10
terram, verbum Dei prædicando ubique,
juxta illud : Euntes in mundum univer- *Marc.* XVI, 15.
sum, prædicate Evangelium omni creatu-
ræ ; et alibi, Eritis mihi testes in omni *Act.* I, 8.
Judæa et Samaria, et usque ad fines ter-
ræ. In omnem quippe terram exivit so- *Ps.* XVIII, 5.
nus eorum. Denique Sancti hi, injuncto
sibi prædicationis officio digne completo,
revertuntur ad Christum, dicentes : *Per-* 11
D *ambulavimus terram, et ecce omnis terra
habitatur, et quiescit :* id est, ubique terra-
rum fides catholica disseminata est, et ho-
mines ad Deum conversi, inhabitantur a Spi-
ritu Sancto, atque in spe bona quiescunt.

Tunc vir qui stabat inter myrteta, vi- 12
delicet Christus magni consilii Angelus, *Is.* IX, 6, juxta LXX.
orat Deum Patrem, secundum quod homo
et mediator, pro militanti Ecclesia, dicens :
*Usquequo tu non misereberis Jerusalem et
urbium Juda,* id est universali Ecclesiæ,
et particularibus congregationibus electo-

rum confitentium tibi, perducendo eos ad A
beatitudinem consummatam, *quibus iratus
es,* permittendo eos in sæculo isto multi-
pliciter tribulari, ita ut quasi iratus ap-
13 pareas? Ad hanc precem respondit Deus
verba bona ac consolatoria, scilicet quod
cito liberabuntur, et ista tribulatio atque
dilatio gloriæ ipsis perutilis est.

14 *Hæc dicit Dominus : Zelatus sum Je-
rusalem,* id est Ecclesiam divinæ pacis
visione aliqualiter nunc gaudentem, *et
Sion,* id est animas divinorum speculatri-
ces. Jerusalem enim visio pacis, et Sion B
speculatio interpretatur. *Zelo magno :* sic
Joann. III, 16. enim Deus dilexit mundum, ut Filium su-
Apoc. III, 19. um unigenitum daret. Ideo quos amat zelo
15 paterno, arguit et castigat. *Et ira magna
ego irascor super gentes opulentas,* id est
electorum ac justorum persecutores, ac
Luc. VI, 24. divites qui consolationem suam jam ha-
bent, et bonos impia intentione angustant.
Et tamen per eos Deus nunc purgat cor-
rigitque electos : quibus purgatis, illi pro-
jiciuntur in tartarum, quemadmodum filio
emendato, virga projicitur mox in ignem. C
16 Sicque Dominus revertitur *ad Jerusalem
in misericordiis,* dando electis piissima
gratiæ dona pro tribulationibus quas tu-
lerunt; et domus sua, videlicet cubiculum
conscientiæ, ædificatur in eis, ita quod
Deus clementissime et libenter corda eo-
rum inhabitat. Tunc demum *perpendicu-
lum,* id est recta consideratio atque discus-
sio justa conversationis, extenditur *super
Jerusalem,* id est Ecclesiam : ita quod
Spiritus Sanctus illustrat fideles ad con-
siderandum, dirigendum, et judicandum D
se ipsos et omnia opera vitæ suæ, secun-
dum rectitudinem æquitatis, divinæque le-
*certitudinem gis rectitudinem *.

17 *Adhuc clama, dicens : Hæc dicit Domi-
nus : Adhuc affluent civitates meæ bonis,*
id est, Ecclesiæ particulares seu religio-
nes, claustra sive collegia, donis et gratiis
spiritualibus, magna devotione et regula-
ribus observantiis exuberabunt. Hoc Deus
frequenter tempore evangelicæ legis im-
plevit, reformando per quosdam sanctissi-
mos patres statum Ecclesiæ, saltem in par-
te. *Et consolabitur adhuc Dominus Sion,* id
est animas fidelium in divinorum specu-
latione consistentes : quæ lapsum Ecclesiæ
vel propria mala deplorant, quas Deus
nonnunquam dulciter visitat, afficit, re-
creat, earumque preces exaudit, et quos-
dam meritis earum convertit. Hinc ad
Corinthios dicit Apostolus : Benedictus II *Cor.* I, 3-5, 7.
Deus, Pater misericordiarum, et Deus to-
tius consolationis, qui consolatur nos in
omni tribulatione nostra ; quoniam sicut
abundant passiones Christi in nobis, ita et
per Christum abundat consolatio nostra ;
et sicut socii passionum sumus, sic erimus
et socii consolationis. Non enim permittit
misericors Deus sibi devotos immoderan-
ter et super vires affligi ; virtuosam quo- I *Cor.* X, 13.
que tristitiam spiritualis delectatio con-
comitatur, præsertim quum omni actui
virtutis annexa dicatur delectatio bona,
connaturalis, et propria. *Et eliget adhuc
Jerusalem,* id est, præ ceteris universis sa-
lutem gratiamque impendit Ecclesiæ Chri-
sti, extra quam nemo salvatur. Hoc ad
Ecclesiam referri potest pro tempore An-
tichristi, quando Elias adveniens restituet *Matth.* XVII, 11.
omnia, et Judæi convertentur ad fidem,
magnaque valde erit Christianorum devo-
tio, Antichristo occiso.

Et levavi oculos meos, et vidi; et ecce 18
quatuor cornua. Sic dum spiritualiter ocu-
los mentis erigimus, statum et tentationes
fidelium considerantes, adspicimus qua-
tuor cornua. *Quæ ventilaverunt* et venti- 19
lant jugiter *Judam,* id est Domino confi-
tentes, *et Israel,* id est contemplativos, *et
Jerusalem,* id est Ecclesiam. Cornua ista,
sunt contrariæ potestates, hostes nostræ
salutis : de quibus ait Apostolus, quod sit *Ephes.* VI, 12.
nobis colluctatio adversus principatus et
potestates, adversus mundi rectores tene-
brarum harum, contra spiritualia nequitiæ
in cœlestibus. Vel cornua ista, sunt mun-
dus, diabolus, caro, et propria voluntas,
vel quatuor animæ passiones principales,
vel spiritus superbiæ, spiritus fornicationis,
spiritus cupiditatis, spiritusque invidiæ ;

quibus homines præcipue tentantur, pul- A
santur, et impelluntur, ita ut nemo levet
caput, id est, propriis viribus eis præva-
leat. Vel cornua ista, sunt hæretici, schi-
smatici, tyranni, et generaliter omnes ju-
storum persecutores.
20 *Et ostendit mihi Dominus quatuor fa-*
21 *bros.* Isti quatuor fabri, qui venerunt de-
terrere atque dejicere cornua jam prædicta, sunt quatuor Evangelistæ, quorum doctrina omnis adversariorum perversitas superatur, et quod in anima per peccata destructum est, reparatur. Sed et quatuor Doctores Ecclesiæ, et quatuor virtutes cardinales, aliquo modo per fabros istos intelligi possunt.

ARTICULUS III

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : ET LEVAVI OCULOS MEOS, ET VIDI.

RURSUS Dominus præostendit Prophe- B
1 tæ reædificationem urbium Juda. *Et*
levavi oculos meos mentales per adverten-
tiam diligentem, *et vidi,* visione imagina-
ria simul et intellectuali ; *et ecce vir,* id
est, angelus in specie viri mihi apparuit.
Dicuntque aliqui, quod fuit angelus qui
Zach. I, 8. in præcedenti capitulo fertur stetisse inter
myrteta, videlicet Michael, præsertim quum
angelus iste totius terræ ac populi curam
gerere videatur, quasi præsidens Synago-
gæ. *Et in manu ejus funiculus menso-*
rum, id est talis qualem mensuratores lo- C
2 corum ac ædificiorum solent habere. *Et*
dixi, cupiens informari de ignotis : *Quo tu*
vadis ? Et dixit ad me : Ut metiar Jerusa-
lem, et videam quanta sit latitudo ejus, et
quanta longitudo ejus. Per hanc mensurationem Jerusalem metropolis in Judæa et aliorum locorum ejus, significabatur recuperatio civitatum istarum, atque reductio populi ad pristinum statum, etsi non per omnia parem. Metiebatur quoque angelus loca hæc, non quod eorum quantitatem ignoravit ; sed ad instructionem D Prophetæ humano more se habuit, quo solent mensurari ædificia secundum longum et latum, et loca eorum antequam
Ezech. XL, 3 et seq. construantur. Simile huic in Ezechiele legitur.

Et ecce angelus qui loquebatur in me, 3
per quem mihi familiarius dicebantur futura, meque immediate instruxit, *egrediebatur,* ut extra me aliquid operaretur. Angeli enim sunt in loco definitive : nam ubi operantur, ibi sunt. Denique aliqui asserunt, quod egrediebatur, ut ab angelo superioris ordinis aliquam novam de futuris revelationem acciperet. Quibus obviare videtur, quod secundum doctores, localis distantia mutuam angelorum locutionem et illuminationem non impedit, quia ut ait Augustinus, Quod in corporalibus facit situs, hoc in spiritualibus efficit ordo. *Et*
alius angelus egrediebatur, forte de cœlo
descendens, vel aliunde de aliquo exiens,
in occursum ejus. Et dixit ad eum : Cur- 4
re, loquere ad puerum istum Zachariam.
Septuaginta transtulerunt, Loquere adolescentulo illi : quia ut ait Hieronymus, comparatione angelicæ dignitatis, omnis humana conditio et natura quasi pueritia est. Vel puerum dicit propter puritatem ejus et innocentiam. Ex quo constat, quod angeli superiores mittunt et illuminant inferiores, quemadmodum S. Dionysius scribit.

Dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus exsistentium. Is-

tud, ut refert Hieronymus, præstolantur A
Judæi corporaliter in adventu sui Mes-
siæ implendum. Quibus objici potest illud
Isaiæ, quod etiam ipsi corporaliter putant
Is. LX, 18; XLIX, 16; LXII, 6, etc.; *Ezech.* XL *et seq.* in Messiæ adventu futurum, Occupabit sa-
lus muros tuos, et alia multa quæ Isaias
atque Ezechiel de muris civitatis conscri-
bunt : non quod ista corporaliter sint in-
telligenda, sed quod litterales atque car-
nales Judæi figmenta sua salvare non
queunt. Est igitur sensus, quod Jerusalem
habitanda esset in magna securitate et
abundantia, quasi muris non indigeret. Et B
ita est locutio figurativa ac hyperbolica, ad
insinuandum inopinatam prosperitatem ac
multiplicationem Jerusalem in ædificiis,
5 hominibus ac jumentis. *Et ego ero ei, ait*
Dominus, murus ignis in circuitu, id est
fidelis protector ex omni parte, quamdiu
mihi obedient ; *et in gloria ero in medio*
ejus, id est, glorificabor per latriæ cultum
ab inhabitantibus eam, eroque eis in glo-
riam, corda ipsorum lætificando, et ipsos
magnifice exaltando.

Consequenter dirigitur sermo Domini ad C
Judæos qui sponte in Chaldæa remanse-
rant post reditum aliorum de Babylone
6 sub Cyro. *O, o, o, fugite de terra aquilo-*
nis, scilicet a Chaldæa, *dicit Dominus :*
quoniam in quatuor ventos cœli dispersi
vos, id est per quatuor plagas terræ, ex
quibus principales venti erumpunt : qui
dicuntur venti cœli, quia in aere flant.
Deus enim per Assyrios et Chaldæos di-
spersit populum Judæorum per diversas
mundi provincias. *Et ex quatuor ventis*
colligam vos, id est, de prædictis locis vos D
congregabo atque in terram Juda redu-
Ezech. XXXVI, 24. cam : juxta illud Ezechielis, Tollam quip-
pe vos de gentibus, et congregabo vos de
nationibus, et adducam vos in terram ve-
7 stram. *O Sion,* id est, plebs Judæorum, *fu-*
ge, quæ habitas apud filiam Babylonis, id
est, ad propriam terram revertere, quæ in
regione Babyloniæ demoraris. Dicitur au-
tem gens illa, quamvis fuerint infideles,
filia Dei, propter paternum amorem quo
Deus amat humanam naturam, et item ra-
tione creationis. Unde et in Isaia Dominus
ait : Descende, sede in pulvere, filia Ba- *Is.* XLVII, 1.
bylon.

Quia hæc dicit Dominus exercituum : 8
Post gloriam misit me ad gentes quæ spo-
liaverunt vos. Ecce hic ait Dominus exer-
cituum, se missum a Domino, scilicet Filius
a Patre. Nam secundum seriem litteræ,
quod dictum est, Post gloriam misit me,
non est verbum in persona Zachariæ pro-
latum, sed Dei perhibentis se mitti post
gloriam : quod multipliciter explanatur.
Hieronymus enim exponit, Post gloriam
majestatis divinæ : non quod Filius illam
amiserit, sed quod forma servi accepta, in *Philipp.* II, 7.
humilitate apparuit. Sed tunc videretur ad
tempus incarnationis hæc missio referen-
da. Quod aliqui concedentes, per gloriam
hoc loco intelligunt excellentiam monar-
chiæ a Romanis adeptæ, præsertim a Cæ-
sare Augusto, sub quo descriptus est or- *Luc.* II, 1, 7.
bis, et tunc natus est Christus. Sed verba
sequentia non satis consonare videntur.
Quidam vero per gloriam istam intelligunt
dominationem Chaldæorum, post quam a
rege Babylonis adeptam, missus est spiri-
tuali missione Filius a Patre ad gentes
quæ spoliaverunt Judæos, videlicet ad Chal-
dæos, quos Persæ ac Medi virtute Filii Dei
destruxerunt. Juxta quem modum de Filio
Dei scriptum est in Sapientia : Dum me- *Sap.* XVIII, 14, 15.
dium silentium tenerent omnia, omnipo-
tens sermo tuus, Domine, de cœlo exsili-
ens, a regalibus sedibus venit. Et loquitur
ibi ad litteram de punitione Ægyptiorum.
Porro quod Filio conveniat spiritualiter
mitti, non solum per incarnationem et na-
turam assumptam, primo Sententiarum sa-
tis edocetur.

Qui enim tetigerit, id est vexaverit, *vos*
Judæos, qui estis populus meus, *tanget*
pupillam oculi ejus *, id est, se ipsum læ- * alias *mei*
det : hoc est, tam diligenter vos custo-
diam, et injurias vobis illatas ulciscar,
quod persequens vos sibi ipsi nocebit, ut
is qui oculi sui pupillam molestat. *Quia* 9
ecce ego levo manum meam super eos, id
est, potestate mea adversarios vestros de-

jiciam, *et erunt prædæ his qui serviebant* A
sibi. Hoc fuit impletum, quando Chaldæi
victi fuerunt a Persis, et Persæ a Græcis,
quia et aliqui reges Persarum adversabantur Judæis. *Et cognoscetis* per experientiam ultionis divinæ contra æmulos vestros, et per auxilium liberationis vestræ, *quia Dominus exercituum misit me,* modo jam declarato.

Itaque pro tantis beneficiis invitatur populus Dei ad spiritualem lætitiam et gra-
10 tiarum actionem : *Lauda* Deum, *et lætare*
in eo, *filia Sion,* id est, plebs Synagogæ, B
quia ecce ego Dominus Deus tuus *venio*
per misericordiæ meæ effectum, *et habitabo in medio tui,* per gratiæ infusionem et beneficiorum largitionem, *ait Dominus.*
Num. xxxv, 34. Unde per Moysen loquitur : Ego sum qui
habito in medio filiorum Israel.
11 *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa :* id est, tempore illo multi convertentur ad Dominum, adhærentes ei fideliter. Nam et Judæi post reditum a Chaldæa, multos gentilium fecerunt pro-
selytos. *Et erunt mihi in populum,* id est C
de numero electorum meorum, *et scies quia Dominus exercituum misit me ad te,*
o popule meus, quia ex effectibus istis
12 pensabitis adsistentiam præsentiæ meæ. *Et*
possidebit Dominus Judam, id est populum Judæorum, *partem suam,* id est plebem præ ceteris gentibus divino cultui deputatam, atque ab aliis separatam et præelectam : propter quod in Deuterono-
Deut. xxxii, 9. mio habetur, Pars autem Domini populus
Esther xiii, 16. ejus ; et in libro Esther, Ne despicias par-
tem tuam ; *in terra sanctificata,* videlicet D
in terra promissionis, quæ terra sancta vocatur, quia ad Dei obsequium ab antiquo deputata, et propter sanctos qui in ea fuerunt. *Et eliget adhuc Jerusalem :* sicut expositum est paulo ante.
13 *Sileat omnis caro a facie Domini,* id
est, divinam justitiam metuat omnis homo, nec impie aliquid proferat contra Deum ; *quia consurrexit de habitaculo sancto suo,* id est, hostes populi sui dejicere est paratus : ita quod quasi de cœlo consurgere videtur, quando in terra aliquid novi terribiliter operatur. Unde ora-
mus in Psalmo : Exsurge, Domine, adjuva Ps. xliii, 26.
nos. De quo in Deuteronomio scribitur :
Habitaculum ejus sursum, et subter bra- Deut. xxxiii, 27.
chia sempiterna.

Hanc litteralem expositionem inserui, sequendo S. Hieronymum, qui etiam hic alibique frequenter hujusmodi expositiones inducit, potius Judæorum dicta recitando, quam aliquid de proprio asserendo.

Alia expositio.

PRÆTEREA quibusdam expositio ista non placet, sed totum capitulum istud ab illo
loco, Ecce angelus qui loquebatur in me, vers. 3.
egrediebatur, etc., exponunt ad litteram de Christo et Ecclesia pro tempore gratiæ.

Itaque quod dicitur, *Absque muro habi-* 4
tabitur Jerusalem, exponunt sic : id est, Ecclesia in divina protectione confidet, non in muris et fortalitiis. Sed huic sensui non concordat quod subditur, *præ multitudine hominum et jumentorum :* ex quo insinuatur, quod multitudo hominum et jumentorum sit causa habitandi sine muris. Per homines autem intelligunt sapientes ac litteratos ; per jumenta, idiotas et simplices. Dicunt insuper, quod Jerusalem per Esdram et Nehemiam reædificata, semper fuit in timore inimicorum et subjectione extraneorum, usque ad ejus destructionem per Romanos. Cui repugnat illud
libri primi Machabæorum : Et siluit terra I Mach. xiv, 4, 6, 8-13.
Juda omnibus diebus Simonis ; et dilatavit fines gentis suæ, et obtinuit regionem. Et unusquisque colebat terram suam cum pace ; seniores in plateis sedebant omnes, et de bonis terræ tractabant, et juvenes induebant se gloriam. Civitatibus tribuebat alimonias, quoadusque nominatum est nomen gloriæ ejus usque ad extremum terræ ; fecit pacem super terram, et lætatus est Israel lætitia magna. Et sedit unusquisque sub vite sua, et sub ficulnea sua, nec erat qui eos terreret ; defecit impugnans eos super terram, reges contriti sunt in illis diebus. Præterea in libro Judith legi-
tur : In omni spatio vitæ ejus, non fuit Judith xvi, 30.

qui perturbaret Israel, et post mortem ejus
annis multis.
Quæ autem sequuntur, ita exponunt :
6 *O, o, o, fugite de terra aquilonis.* O homines
universi, et Christifideles, recedite de
Is. XIV, 13. potestate diaboli, qui dixit : Sedebo in
lateribus aquilonis. *Quoniam in quatuor
ventos cœli dispersi vos,* id est, per varios
errores ubique dispergi permisi ante Christi
adventum, *et ex quatuor ventis colligam
vos* sub ecclesiastica unitate per
7 fidem et spem. *O Sion, fuge,* id est, Ecclesia,
de potestate diaboli te abstrahe, *quæ
habitas apud filiam Babylonis,* id est cultum
idololatriæ, et in vitiorum confusione.
Non enim, ut dicunt, per filiam Babylonis
potest hoc loco intelligi terra vel
civitas Babylonis, quoniam ante hujus prophetiæ
impletionem, fuit per Cyrum destructa,
Judæi quoque fuerunt remissi.
Rursus terra quæ hic dicitur Babylonis,
immediate jam dicta est terra aquilonis.
Babylonia autem non est ad aquilonem
respectu Judææ, sed magis ad orientem.
Verum hæc faciliter solverentur. Quamvis
enim civitas nomine Babylon fuit destructa,
non tamen omnia loca habitabilia Babyloniæ.
Judæorum quoque quamplurimi,
præcipue indevoti, in Babylonia post Cyri
licentiam remanserunt, amore rerum quas
ibi possidebant, itemque uxorum quas illic
acceperant. Postremo, Hieronymus hic
dicit, quod Assyrii et Babylonii habita-
Jer. I, 13-15. bant in terra aquilonis, probatque hoc ex
Jeremia.
8 *Hæc dicit Dominus : Post gloriam* monarchiæ
a Romanis adeptæ, *misit me* unicum
Filium suum Deus per incarnationis
mysterium, *ad gentes quæ spoliaverunt
vos,* id est ad infideles Judæos, qui primitivam
Ecclesiam graviter afflixerunt, qui-
9 bus tamen Christus prædicavit. *Ecce ego
levo manum meam super eos,* scilicet Ecclesiæ
persecutores, *et erunt prædæ his
qui serviebant sibi.* Hoc dicitur, quia Romani
et alii multi Ecclesiam persequentes,
tandem ad fidem conversi sunt, et servierunt
Ecclesiæ. *Et cognoscetis,* o Christi-

A fideles, *quia Dominus exercituum,* scilicet
Deus Pater, *misit me* ad te, o Ecclesia, per
incarnationem pro tua salute. *Lauda et* 10
lætare, filia Sion, quia ecce venio, humanam
naturam hypostatice assumendo, *et
habitabo in medio tui, ait Dominus.* Christus
enim homo factus, in terris est visus, *Baruch* III, 38.
et cum hominibus conversatus, juxta illud
Joannis : Verbum caro factum est, et ha- *Joann.* I, 14.
bitavit in nobis. *Et applicabuntur gentes* 11
multæ ad Dominum in die illa : id est,
tempore gratiæ multi gentilium, imo et
B Judaicæ gentis, convertentur ad Christum.
Quod constat impletum a tempore prædicationis
Apostolorum, sicut prædixit Psalmista
: Reminiscentur et convertentur ad *Ps.* XXI, 28.
Dominum universi fines terræ.

Denique ex præhabitis faciliter elucescit *Expositio spiritualis.*
spiritualis hujus capituli intellectus : quem
breviter tangam, ne nimia prolixitas fastidium
pariat. Itaque per virum haben- 1
tem in manu funiculum mensorum, intelligitur
Christus omnium judex, in cujus
C potestate est æquitas atque scientia discernendi,
mensurandi et judicandi virtutes
et merita singulorum : ita quod judicandi
auctoritas, scientia seu æquitas
est iste funiculus. Hunc autem virum elevatis
oculis mentis spiritualiter contemplatur
Zacharias, id est quicumque fidelis
Domini Dei jugiter reminiscens. Denique
Christus vadit per providentiæ suæ extensionem,
ut metiatur Jerusalem et Judæam, 2
id est merita Christianorum : quatenus
qua mensura mensi fuerimus, remetiatur *Matth.* VII, 2.
D nobis ; *quanta sit latitudo ejus* in caritate,
an scilicet diligat etiam inimicos, *et longitudo
ejus* in perseverantia. Altitudo autem
est in contemplatione, et profunditas
in humilitate. Quod insuper Christus sit
Ecclesiæ murus, testatur Isaias, dicendo :
Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator po- *Is.* XXVI, 1.
netur in ea murus et antemurale ; item
Psalmista : Dominus in circuitu populi sui, *Ps.* CXXIV, 2.
ex hoc nunc et usque in sæculum.
Fugite de terra aquilonis, id est frigo- 6
re sæcularis conversationis, et hominibus

Matth. XXIV, 12. in quibus amor Christi refriguit. Nomine A
quippe aquilonis, unde frigidissimus oritur ventus, isti signantur. *Quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos.* Ubique enim boni et impii sunt commixti. Unde mente fugiendum est, si corporaliter fugere non suppetit : hoc est non communicare, nec conformari affectibus atque
7 operibus amatorum sæculi hujus. *O Sion,* id est, anima fidelis, *fuge* a malo : juxta
Eccli. XXI, 2. quod scriptum est in Ecclesiastico, Quasi a facie colubri fuge peccatum ; *quæ habitas apud filiam Babylonis,* id est eam quæ viti- B
orum inordinatione confusa est et distorta, non quærens nisi quæ mundi sunt et com-
Ps. XVII, 27. moda carnis, ne cum perversa pervertaris.
Eccli. XIII, 1. Qui enim tetigerit picem, inquinatur. Et mala societas summe vitanda est, quum sit utique summe nociva. Ideo dicit Aposto-
II *Cor.* VI, 17. lus : Exite de medio eorum, et immundum
Num. XVI, 26. ne tetigeritis; Moyses quoque, Recedite, inquit, a tabernaculis hominum impiorum.
8 *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.* In hoc manifestatur qualiter Deus Christus suos amet et protegat, eorumque C
ulciscatur injurias. Propter quod ait ad
Paulum : Quid me persequeris? Et rursus *Act.* IX, 4.
in Evangelio : Quod uni ex minimis meis *Matth.* XXV, 40.
fecistis, mihi fecistis. Insuper persecutores bonorum divinitus opprimentur, electorumque pedibus saltem in die judicii subjicientur.

Lauda et lætare, filia Sion, id est, Ec- 10
clesia seu anima speculativa, *quia venio et habitabo in medio tui.* In cordibus enim devotis gratiose moratur, et in Ecclesia per sacramentalem præsentiam manere inæstimabili caritate dignatur. Hinc in Levi-
tico Dominus loquitur : Ponam taberna- *Lev.* XXVI, 11, 12.
culum meum in medio vestrum, et non abjiciet vos anima mea; et ambulabo inter vos, et ero vester Deus, vosque eritis mihi populus. Ecce quam incomprehensibilis est dignatio Dei superaltissimi ad nos miseros pauperrimosque vermiculos. Simus igitur grati caritati, pietati et beneficiis ejus ad nos, ipsum delectabiliter collaudando, laudabiliterque in ipso semper gaudendo, nec bonitatis ac gratiæ ejus ullatenus obliviscendo.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : ET OSTENDIT MIHI DOMINUS JESUM SACERDOTEM MAGNUM.

1 Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini.* Sicut refert Hieronymus, Judæi hunc locum ad litteram exponunt de Jesu filio Josedec sacerdote magno : et littera ad hoc satis aptatur. Sed quia inferius, quando de Jesu isto locutus est Zacharias, semper adjecit nomen patris ejus, hic autem simpliciter exprimit nomen ejus, idcirco quidam catholici putant hæc ad litteram de Jesu Christo Domino nostro prolata : quod difficile est tenere, sicut patebit. D

Ostendente igitur Deo, vidit in spiritu Zacharias Jesum filium Josedec pontificem, qui cum Zorobabel præfuit populo,
stantem coram angelo Dei, illo videlicet *Zach.* I, 8.
qui stetit inter myrteta, et præfuit Synagogæ, utpote Michaele, sicut communiter dicitur. *Et Satan,* id est adversarius nostræ salutis diabolus, *stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei,* id est, eum accusaret, præsertim de acceptione uxorum alienigenarum sive gentilium : quia ut Esdras
narrat, Judæi et sacerdotes atque Levitæ I *Esdr.* IX, 1, 2.
de Babylone reversi, graviter peccaverunt alienigenas contra legem ducendo uxores.
Fuitque in hoc etiam Jesus iste culpabilis, *Ibid.* X, 18.
vel quia et ipse talem accepit uxorem, ut

affirmat Hieronymus, vel quoniam subdi- A
tos suos et proprios filios in hoc reos, non
1 *Reg.* II, 29. satis redarguit, sicut primo Regum Heli
sacerdos divinitus increpatur, quod filios
suos condigne non arguit. Porro dictum
Hieronymi ex hoc posset fulciri, quod in
1 *Esdr.* IX, 2. Esdra habetur quemadmodum manus prin-
cipum et magistratuum fuit in transgres-
sione hac prima. In eodem libro legi-
Ibid. X, 18. tur : Inventi sunt de filiis sacerdotum, qui
duxerunt uxores alienigenas : de filiis Jo-
sue, filii Josedec, et fratres ejus, etc. Unde,
secundum Hieronymum, diabolus stat a B
dextris Jesu istius, quoniam vera fuit ac-
cusatio ejus.
2 *Et dixit Dominus ad Satan : Increpet*
Dominus in te, Satan, id est, accusatio
tua redarguatur, et tu reprobus convinca-
ris, qui invidiose accusas; *et increpet Do-*
minus in te, id est, increpationem suam
contra te dirigat, *qui elegit Jerusalem,* ut
cultus Dei in ea recuperetur. Denique in
modo hujus locutionis designatur impli-
cite trinitas Personarum in simplici Deo.
Ter enim ponitur, Dominus; et in Hebræo C
exprimitur nomen tetragrammaton, quod
soli vero convenit Deo. Loquitur namque
Dominus de Domino, quasi una Persona
de alia, seu Pater de Filio. Huic etiam mo-
Gen. XIX, 24. do loquendi consonat illud in Genesi : Pluit
Dominus super Sodomam et Gomorrham
ignem et sulfur a Domino. Causa insuper
increpationis Satan a Domino, subditur :
Numquid non iste, videlicet Jesus quem
accusas, *torris est erutus de igne,* id est
similis titioni semiusto? quia de Babyloni-
ca captivitate, quasi de igne tribulationis D
evasit, et tu ultra hoc quæris eum obru-
ere, et quasi totum comburere.
3 *Et Jesus erat indutus vestibus sordidis,*
id est, anima ejus vitio negligentiæ et pec-
cati præfati fuit operta et maculata, et ipse
squalore captivitatis erat confectus. Sicut
enim virtutes et opera bona sunt splen-
dida animæ vestimenta, sic passiones et
vitia vestes sunt sordidæ. Unde in Psalmo
Ps. CVIII, 29. cantatur : Induantur, qui detrahunt mihi,
pudore. *Et stabat ante faciem angeli* prin-
cipis Synagogæ. *Qui respondit, et ait ad* 4
eos qui stabant coram se, id est ad ange-
los inferiores præsentes, *dicens : Auferte*
vestimenta sordida ab eo, id est, a pecca-
tis eum purgate instrumentaliter, dispo-
nendo eum ad pœnitentiam veram seu
pleniorem. Deus enim solus remittit et au-
fert peccata principaliter; angeli vero pur-
gando, hortando, illuminando disponunt
ad hoc. *Et dixit ad eum,* id est angelus
superior ad Jesum : *Ecce abstuli a te ini-*
quitatem tuam, quia et angelis id commi-
si, et principalius eis hoc feci; *et indui te*
mutatoriis, id est ornatu gratiæ ac virtu-
tum; vel, secundum Hebræos, Israelitidem
tibi conjugem copulavi. *Et dixit* angelus 5
iste superior inferioribus angelis : *Ponite*
cidarim mundam, id est mitram episco-
palem, *super caput ejus. Et posuerunt ci-*
darim mundam super caput ejus, id est,
pontificali honore atque officio dignum
eum fecerunt, vel ostenderunt, *et indue-*
runt eum vestibus ad summum sacerdotem
spectantibus. Totum istud fiebat coram
Zacharia propheta spirituali repræsentati-
one, non vana, sed aliquid veraciter signi-
ficante.

Et angelus Domini iste superior *stabat;*
et contestabatur angelus Domini Jesum, 6
dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : 7
Si in viis meis ambulaveris, legis præcepta
implendo, *et custodiam meam custodieris,*
id est, cultum et cærimonias templi, tu-
umque officium reverenter ac diligenter
impleveris; *tu quoque judicabis domum*
meam, id est populum Synagogæ, præser-
tim in spiritualibus causis, *et custodies*
atria mea, id est, pontifex perseverabis;
et dabo tibi ambulantes, id est tecum ma-
nentes teque custodientes, *de his qui nunc*
hic adsistunt, id est, de numero angelo-
rum istorum quosdam ad tui et tuorum
custodiam deputabo, ne a Satana convin-
caris.

Consequenter Dominus populum Syna-
gogæ consolatur, prænuntiando Christi ad-
ventum. *Audi, Jesu fili Josedec, sacerdos* 8
magne, tu et amici tui, qui habitant co-

ram te, id est, qui tibi in cultu divino A concordes sunt, tibique subditi et circa te commorantes, *quia viri,* id est prædicti tui amici, *portendentes sunt,* id est visum spiritualem procul in posterum extendentes, de Christi adventu vaticinando, vel eum præstolando. Isti viri fuerunt Prophetæ tempore Jesu hujus prophetantes, scilicet Aggæus, Zacharias, Malachias, ac ceteri justi Christum cordialiter advenire optantes. Vel, Viri portendentes sunt, id est portentum dantes, sicut ad Ezechielem Domi-
Ezech. XII, 6. nus ait, Portentum te dedi domui Israel; B vel quia in signum sunt positi futurorum. *Ecce enim ego adducam servum meum*
Hebr. I, 3. *Orientem,* id est Christum, qui est splen-
Sap. VII, 26. dor gloriæ, et candor lucis æternæ: de
Luc. I, 78. quo in Evangelio dicitur, Visitavit nos Oriens ex altô. Ipse namque est oriens ille fons universæ lucis, nascens ex æterno supersplendidissimo Patre, quemadmodum in
Eccli. XXIV, 5, 6. Ecclesiastico fatetur: Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam; ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.

9 *Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu,* id est Christus seu Oriens, quem per fidem et Prophetarum oracula manifestavi huic Jesu Josedec esse venturum: qui est
Ephes. II, 20, 14. *Dan.* II, 34, 44, 45. lapis angularis, faciens utraque unum, lapis fortissimus qui omnia regna terræ contrivit, et apud Danielem de monte sine manibus abscissus describitur. De quo in
Is. XXVIII, 16. Isaia loquitur Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum. Quem vidit filius Josedec, sicut de D
Joann. VIII, 56. Abraham ait Salvator Judæis: Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est. *Super lapidem unum,* id est in Christo, in quo sunt duæ naturæ, sed una hypostasis, *septem oculi sunt,* id est septem dona Spiritus Sancti, quibus anima limpide videt quid scire et agere debeat. Et quamvis tria istorum donorum, videlicet fortitudo, pietas, timor, ad voluntatem subjective pertineant, oculi tamen dicuntur, quia clarificant animam. Fueruntque dona ista in anima Christi perfectissime atque plenissime, præsertim quantum ad actus quos habent in patria. Propter quod Isaias: Requiescet, *Is.* XI, 2, 3.
inquit, super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.

Præterea, quod loco præsenti per Orientem Christus, non Zorobabel vel alius intelligatur secundum Lyram, ex translatione Chaldaica authentica apud Judæos ostenditur, ubi sic legitur: Ecce ego adducam servum meum Messiam, et revelabitur. — Præterea, quidam per septem oculos intelligunt universitatem angelicorum spirituum, qui sunt oculi intellectuales, ad Christi cultum obsequiumque parati. Nempe quod septenario universitas designetur, innuitur in Tobiæ libro, ubi Raphael ait: Ego sum unus ex septem qui adstamus *Tob.* XII, 15.
ante Deum. Et in Apocalypsi inducitur: A septem spiritibus qui in conspectu thro- *Apoc.* I, 4.
ni ejus sunt.

C *Ecce ego cœlabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum:* id est, corpus Christi in utero Virginis supernaturaliter formabo, et subito organizabo; vel, secundum Hieronymum, corpus ejus in passione flagellis, clavis, spinis ac lancea vulnerari ac perforari permittam. Unde Septuaginta transtulerunt, Ego fodiam foveam; et Christus ait in Psalmo, Foderunt manus meas *Ps.* XXI, 17.
et pedes meos. *Et auferam iniquitatem terræ illius,* id est totius mundi, vel Synagogæ, sive Ecclesiæ, *in die una,* puta in die dominicæ passionis. Christus namque quantum in se est, pro omnibus satisfecit: de quo dictum est, Ecce Agnus Dei qui *Joann.* I, 29.
tollit peccata mundi.

In die illa (de qua fertur in Psalmo, 10
Hæc est dies quam fecit Dominus, exsulte- *Ps.* CXVII, 24.
mus et lætemur in ea), hoc est statim post Christi passionem misso desuper Spiritu Sancto, *dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum,* id est, unus alium invitabit venire, *subter vineam et subter ficum,* id est ad Christi ovile et pascua

ejus, ad dona et unitatem Ecclesiæ, ad spi-
rituales consolationes atque divitias. Hoc
maxime impleverunt Apostoli, aliique viri
perfecti, dona gratiæ sibi collata in alios
administrare fervide cupientes. Vel certe
per istum modum loquendi in Scripturis
veteris Testamenti frequentem, insinuatur
abundantia divitiarum et pacis in populo
Judæorum. Et sic fuit in Christi adventu.
Judæi enim tunc in temporalium affluen-
tia ac pace fuerunt, omnibus regnis impe-
ratori Romano subjectis.

Expositio de Christo. JAM intuendum, qualiter omnia ista pos-
sint de Christo intelligi. Itaque quidam
1 catholici ita exponunt : *Et ostendit mihi
Dominus Jesum sacerdotem magnum,* id
est Christum Salvatorem : de quo legitur
Ps. CIX, 4. in Psalmo, Tu es sacerdos in æternum; et
Hebr. IV, 14. ad Hebræos, Habentes pontificem magnum,
qui penetravit cœlum, Jesum Filium Dei ;
stantem coram angelo Domini, id est co-
Is. IX, 6, juxta LXX. ram se ipso magni consilii Angelo : quia
in quantum homo mortalis, propter nos
infirmatus apparuit coram se ipso, ut Dei
et hominum summo mediatore, imo et ve-
ro Deo. *Et Satan stabat a dextris ejus, ut
adversaretur ei.* De hoc in Evangelio legi-
Matth. IV, 1. tur, quemadmodum ductus est a Spiritu
in desertum, ut tentaretur a diabolo. Pas-
Joann. XIV, 30. sione quoque instante dixit : Venit prin-
ceps mundi hujus, et in me non habet
quidquam. Ideo ad Hebræos dicit Aposto-
Hebr. IV, 15. lus : Tentatus est per omnia absque pec-
2 cato. *Et dixit Dominus* Jesus *ad Satan :
Increpet Dominus in te.* Hoc Christus dixit
et fecit, dum tertia tentatione completa,
Matth. IV, 10, 7. respondit : Vade, Satana; scriptum est, Non
Deut. VI, 16. tentabis Dominum Deum tuum. Christus
enim se ipsum Dominum dixit, et ipse se
ipsum ad increpationem Satanæ excitavit.
*Numquid non iste torris est erutus de
igne?* Hoc Christo rectissime convenit, cu-
jus tota in hoc sæculo vita, igne persecu-
tionis, tribulationis, et paupertatis plena
fuit, nec tamen vitiorum flamma incen-
sus, et ab omni adversitate in resurrectio-
ne est erutus.

A *Et Jesus erat indutus vestibus sordidis,* 3
id est indetrahibilibus defectibus, quos
pro nobis suscepit, sicut et Isaias testatur :
Vidimus eum, et non erat adspectus; et *Is.* LIII, 2, 4.
reputavimus eum quasi leprosum, et per-
cussum a Deo. Vere languores nostros ipse *Ibid.* 4.
tulit, et dolores nostros ipse portavit. Ipse
denique de suo corpore ait ad Patrem in
Psalmo : Conscidisti saccum meum, et cir- *Ps.* XXIX, 12.
cumdedisti me lætitia. Teste etiam Paulo,
ipse pro nobis factus est maledictum. Sed *Galat.* III, 13.
et tempore passionis vestes ejus adspersæ
B sunt sanguine, et ipse in Isaia protestatur :
Omnia indumenta mea inquinavi. Hæc sor- *Is.* LXIII, 3.
dida vestimenta sunt a Christo tempore 4
resurrectionis ablata, quando in corpore
immortali impassibilique surrexit. *Et dixit
ad eum* angelus, id est ipse ad se ipsum
ratione corporis sui mystici : *Ecce abstuli
a te iniquitatem tuam,* id est tuorum :
juxta id in Psalmo : Deus, tu scis insipi- *Ps.* LXVIII, 6.
entiam meam, et delicta mea a te non sunt
abscondita. Dominus enim posuit in eo *Is.* LIII, 6.
iniquitatem omnium nostrum. *Et indui te*
C *mutatoriis,* id est dotibus corporis glorifi-
cati in resurrectione, scilicet impassibili-
tate, agilitate, claritate, ac subtilitate. Chri-
stus nempe ut Deus suscitavit se ipsum,
et corpus suum glorificavit, juxta quod ait
in Evangelio S. Joannis : Solvite templum *Joann.* II, 19, 21.
hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc
autem dixit de templo corporis sui. *Poni-* 5
te cidarim, id est divinæ majestatis splen-
dorem, *super caput ejus.* Sed quomodo
angeli jubentur hoc facere, vel sordida ve-
stimenta a Christo auferre, nisi quantum
D ad manifestationem? Cooperati sunt enim
glorificationi Christi, in cordibus homi-
num ejus notitiam hominibus revelando,
et ita *induerunt eum vestibus* in cognitio-
ne credentium. Sic namque et Christus
perhibet se Patrem clarificasse : Ego, in- *Ibid.* XVII, 4.
quiens, te clarificavi super terram.

Præterea quod subditur, quemadmodum 6
angelus contestatus est Jesum, dicens, *Hæc* 7
*dicit Dominus, Si in viis meis ambulave-
ris,* etc., *judicabis domum meam,* refertur
ad mysticum ejus corpus. *Audi, Jesu sa-* 8

cerdos magne, tu et amici tui, id est Apo-
stoli ac viri perfecti; *ecce ego adducam*
servum meum Orientem, id est te ipsum
secundum naturam humanam, ad explen-
da universa humanæ salutis mysteria.

Expositio moralis.
1, 2 Moraliter autem, ostendit Dominus Za-
chariæ, id est viro perfecto Dei jugiter re-
cordanti, Jesum sacerdotem magnum, id
est quemcumque aliorum prælatum sive
episcopum, cujus est aliorum cooperari
saluti, stantem coram angelo, qui custos
est animæ ejus. Satan vero non cessat tali-
bus adversari; sed Deus noster pugnat pro
nobis, et per angelicos spiritus, dæmonum
Rom. XVI, 20. impugnationem coercet a nobis, conterit-
que Satanam sub pedibus nostris veloci-
ter. Hujusmodi autem sacerdos propter
sollicitudinem et laborem, ceterasque pro-
pter justitiam persecutiones quas habet in
regimine pastorali, recte assimilatur tor-
I Cor. X, 13. ri eruto de igne. Ideo Dominus non per-
mittit eum supra id quod potest, tentari,
sed opem impendit, faciens cum tentatione
proventum.
3-5 Iste insuper est indutus vestibus sordi-
Prov. XXIV, 16. dis. Justus enim septies in die cadit; sed
ministerio angelorum, et inspiratione eo-
rum purgatur ac pœnitet; mutatoriisque
vestitur, id est donis et gratiis Spiritus
Sancti. Sed et cidaris ponitur super caput
ejus, id est dignitas Ordinis sacerdotalis
dispositive ab angelis, a quibus electi diri-
guntur, secundum præordinationem divi-
nam ad sacerdotii Christi susceptionem:
sicque induitur vestimentis virtutum, et
gratia sacramentali quæ in susceptione
Ordinis sacerdotalis confertur.
Denique hujuscemodi sacerdotem sive 6-8
pontificem Dominus contestatur: Si in
viis meis ambulaveris, tu quoque judica-
bis domum meam, id est, congregationem
fidelium tibi commissam sapienter discu-
ties, discernes ac reges, atque in sacerdotii
tui officio salubriter permanebis. Datque
ei Deus omnipotens angelorum subsidium,
qui sibi in subditorum custodia et salute
fideliter cooperentur. Hinc insuper Domi-
nus ait: Ecce adducam servum meum Ori-
entem, id est, Christum tibi adesse faciam
in Sacramento, et in medio loquentium de *Matth.*
ipso ex caritate. Sed et Pater et Filius ad XVIII, 20. *Joann.* XIV,
fideles veniendo, mansionem in ipsis effi- 23.
ciunt gratiosam.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : ET REVERSUS EST ANGELUS QUI LOQUEBATUR IN ME.

Capitulo præcedenti facta est ad pon-
Zach. III, 7. tificem Judæorum divina promissio,
quod in sacerdotii sui ministerio esset
divinitus stabiliendus, dummodo divinis
pareret mandatis. Nunc ad ducem seu prin-
cipem eorumdem divina fit sponsio conso-
lativa de templi perfectione.
1 *Et reversus est angelus qui loquebatur*
in me, id est, per quem mihi specialius
propheticæ revelationes fiebant: de quo
Ibid. II, 3. jam supra secundo capitulo dixerat, An-
gelus qui loquebatur in me, egrediebatur.
Ad horam namque disparuit. *Et suscitavit*
me, id est, ad intellectualem consideratio-
nem mentisque elevationem excitavit me,
a stupore animi quem ex præscriptæ vi-
sionis inspectione incurri, *quasi virum*
qui suscitatur de somno suo. Unde ad Eze-
chielem loquitur angelus: Fili hominis, *Ezech.* XL,
pone cor tuum in omnia quæ dicam tibi. 4.
Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: 2
Vidi, et ecce candelabrum aureum totum,
et lampas ejus super caput ipsius, id est, in
summitate candelabri fuit; *et septem lu-*

cernæ ejus, puta candelabri, *super illud,* A
id est, in calamis candelabri pendere videbantur; *et septem infusoria lucernis,* id
est vasa aurea deservientia usui lucernarum, quia ex eis oleum infundebatur lucernis, *quæ erant super caput illius,* quia
3 in vertice candelabri apparebant; *et duæ*
olivæ super illud, una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus, id est, duo
rami olivarum circa candelabrum apparuerunt, formam spicarum habentes, et
eminebant candelabro, inter quas media
fuit lampas in summitate candelabri lu- B
cens. Hæc omnia vidit Propheta imaginaria visione, et quid significarent, ignorabat.
Ideo subditur :

4 *Et respondi, et aio ad angelum qui loquebatur in me, dicens : Quid sunt hæc,*
domine mi? id est, quid similitudines istæ
5 rerum significant? *Et respondit angelus*
qui loquebatur in me, et dixit ad me :
Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi :
6 *Non, domine mi. Et respondit, et ait ad*
me, dicens : Hoc est verbum Domini ad
Zorobabel, id est, sermo Domini qui ad C
Zorobabel factus est, prædictæ visionis interpretatio est. Et quis sit sermo ille, subjungitur, *dicens : Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum,* id est, non in multitudine pugnatorum, nec virtute humana, sed in Dei spiritu, seu inspiratione divina, ex
1 *Esdr.* I, VI. qua Cyrus ac Darius annuerunt petitionibus Judæorum, ipsos Judæos de Babylonica captivitate esse reductos, pleniusque reducendos, adversarios quoque vastandos, et templum in brevi perficiendum. D
Nempe quum candelabrum aureum cum ceteris prænominatis, fuerit de specialibus templi ornamentis, nec ponebatur in eo nisi jam consummato, idcirco per visionem candelabri, et ceterorum ad illud pertinentium, significabatur quod templi ædificium esset per Zorobabel mox complendum, ob cujus completionem divina inspiratione atque potentia fuerunt Judæi reducti.

Præterea, sicut refert Hieronymus, Hebræi, a quibus ipse in veteri Testamento se asserit eruditum, per candelabrum aureum intelligunt solidam legem per Moysen divinitus datam ; per lampadem autem, id est flammam in vertice candelabri lucentem atque fulgentem, Christum, qui caput est legis et omnium hominum illuminator; per septem lucernas, septem dona Spiritus Sancti; per septem infusoria intelligunt, quod dona ista de cœlo ad homines per legem descendunt; per duas vero olivas, legem et Prophetas.

Quis tu, mons magne, id est, diabole, 7
per superbiam intumescens, et sublimis naturæ, quamvis vitiatæ, *coram Zorobabel in planum,* id est divina virtute in terram dejectus, atque in planum coram duce Judæorum jacens prostratus ac victus? tanquam dicat : Tu, dæmon, qui stetisti ad *Zach.* III, 1.
dexteram Jesu sacerdotis, ut ei insidiareris, frustra te erexisti contra Zorobabel, ut eum a templi ædificio impedires. *Et educet lapidem primarium,* id est, Deus Christum Filium suum mittet in mundum : de quo Christo dictum est præcedenti capitulo, Super lapidem unum oculi septem sunt; *Ibid.* 9.
fuitque semper auxilio populo Judæorum. *Et exæquabit gratiam gratiæ ejus,* id est, gratia subventionis quam fecit Deus patribus Judæorum ab antiquo, et nunc post reditum de Chaldæa, similis est gratiæ quam faciet Christus quum venerit, quamvis non sit omnino æqualis. Vel sic, secundum Hieronymum : Gratia ejus, utpote lapidis hujus, in eos quos de Babylone reduxit, exæquavit gratiam quam in patres eorum semper exercuit. Quidam exponunt sic : Et educet ipse Zorobabel lapidem primarium, id est, super lapidem fundamenti ante jam positum, educet structuram templi in altum; et exæquabit gratiam gratiæ ejus, id est, Zorobabel impetrabit a Da- 1 *Esdr.* VI.
rio rege gratiam consummandi templum, quemadmodum Cyrus rex dedit gratiam *Ibid.* I.
ædificandi. Unde subjungitur :

Et factum est verbum Domini ad me, 8
dicens : Manus Zorobabel fundaverunt do- 9
mum istam, scilicet templum tempore Cy-

ri, *et manus ejus perficient eam,* Dario
I *Esdr.* vi, 15. regnante, sicut in libro Esdræ clarius reci-
tatur. Opus quippe adscribitur principi,
tanquam principali agenti. *Et scietis,* tem-
pli consummatione perspecta, *quia Do-
minus exercituum misit me* Zachariam
prophetam *ad vos* de templo construendo
monendos. Impletio enim vaticinii, signum
est veritatis et destinationis divinæ, secun-
Jer. xxviii, 9. dum quod in Jeremia habetur : Propheta
qui vaticinatus est, quum venerit verbum
ejus, scietur Propheta quem miserit Do-
minus in veritate.

10 *Quis enim despexit dies parvos?* Hoc
dupliciter declaratur. Primo sic : Quis con-
tempsit brevem ac fragilem potestatem eo-
rum qui nisi sunt templi instaurationem
impedire? quasi dicat : Pauci fuerunt, vi-
delicet constantes, qui non obstante adver-
sariorum furore, templum cum Zorobabel
construxerunt. Secundo sic : Quis despexit
dies parvos, id est statum Judæorum a Ba-
bylonia reversorum? qui primo modicus
fuit, et ab adversariis valde contemptus,
II *Esdr.* iv, 3. juxta illud Esdræ : Dixerunt : Ædificent; si
ascenderint vulpes, transilient murum eo-
rum. *Et lætabuntur* Judæi qui dies parvos
hostium despexerunt, atque ab adversa-
riis Samaritanis ac ceteris despecti fue-
runt, *et videbunt lapidem stanneum in
manu Zorobabel,* id est fortem materiam
atque idoneam facultatem ad templi ere-
ctionem. Gavisi sunt ergo Judæi, ex divini
subsidii experientia, et templi eminentia.
Quidam per lapidem stanneum intelligunt
Christum, quem illuminati Judæi viderunt
per fidem de stirpe Zorobabel nasciturum.
Septem isti oculi sunt Domini, id est,
Zach. iii, 9. septem oculi de quibus supra dictum est
quod erant super lapidem unum, sunt sep-
tem gratiæ intellectuales, omnium corda
illuminantes. Propter quod subditur : *qui
discurrunt in universam terram,* id est ad
omnes habitantes in terra fideles. Vel per
septem oculos, juxta sensum præhabitum,
intelligitur universitas angelorum qui ad
explenda divinæ majestatis obsequia emit-
tuntur, præsertim ad homines.

Consequenter sciscitatur Propheta quid
duæ olivæ superius positæ ac descriptæ vers. 3.
11 significent. *Et respondi, et dixi ad eum,*
id est angelum in me loquentem : *Quid
sunt duæ olivæ istæ ad dexteram cande-
labri, et ad sinistram ejus?* Sic enim in
12 visione imaginaria situatæ videbantur. *Et
respondi secundo, et dixi ad eum.* Primæ
enim interrogationi angelus non statim re-
spondit, ut desiderium agnoscendi verita-
tem accenderetur in corde Prophetæ, sicque
divinæ illustrationis capacior redderetur.
*Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt
juxta duo rostra aurea, in quibus sunt
suffusoria ex auro?* Rostra ista fuerunt
duæ recurvationes in candelabro factæ, in
quibus infusoria aurea dependebant. De-
nique, primo quæsivit Propheta quid es-
sent duæ olivæ ; nunc quærit quid sint
duæ spicæ olivarum, quasi parcius quæ-
rens. Sed quia redit in idem, angelus ei
13 respondit. *Et ait ad me, dicens : Numquid
nescis quid sunt hæc,* id est, quid desi-
gnent? *Et dixi : Non, domine mi.* Interro-
gatio angeli ex ignorantia non procedit;
sed quærit, ut responsionis dilatio augeat
in Propheta audiendæ veritatis amorem :
desideria siquidem dilatione crescunt.

14 *Et dixit : Isti sunt duo filii olei,* id est,
designati per duas olivas, sunt duo filii
olei, scilicet Jesus pontifex filius Josedec,
atque Zorobabel dux populi. Primus enim
erat de tribu sacerdotali, alter de stirpe re-
gali, quarum utraque in veteri Testamento
ungebatur, quantum ad regem et pontifi-
cem, quamvis unctio illa in transmigra-
tione Babylonis cessasse, nec post fuisse
dicatur. Vel dicuntur filii olei propter
gratiam et pietatem quam circa populi gu-
bernationem habebant. Unde Aquila trans-
tulit : Filii splendoris, id est divinæ illustra-
tionis. *Qui adsistunt Dominatori universæ
terræ,* id est, Deo omnipotenti omnibus
imperanti, in ejus obsequio ac templi in-
stauratione, et populi administratione fi-
deliter efficaciterque intenti. Sic quippe
Elias et Eliseus Deo adstantes, dixerunt : III *Reg.* xvii, 1 ; IV *Reg.* iii, 14.
Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.

ARTICULUS VI

DE SPIRITUALI ET MYSTICO EJUSDEM CAPITULI QUARTI INTELLECTU.

1 *Et reversus est angelus qui loquebatur* A
in me. Per Zachariam, qui interpreta-
tur memoria Domini, designatur quicum-
que fidelis divinorum speculationi semper
intentus. Ad talem ergo angelus ejus, qui
animæ suæ illuminator et custos est, fre-
quenter revertitur, atque cum eo libenter
moratur. *Et suscitavit me, quasi virum
qui suscitatur de somno.* Quotiescumque
humana fragilitas suæ relinquitur imbecil-
litati, Dei et angelorum auxilium ab ea re-
cedit. Dum ergo mens contemplativi inci-
pit evagari, inaniter affici, acediæ torpore B
pulsari, tentatione gravari, adversitatibus
dejici, passione aut vitio aliquo obrui, indi-
get ab angelo visitari, et velut de somno ne-
gligentiæ suscitari, confortari et consolari.
2 *Vidi, et ecce candelabrum aureum to-
tum, et lampas ejus super caput ipsius,*
etc. Per candelabrum aureum Prophetæ
monstratum, allegorice intelligitur ipsa Ec-
clesia, quoad electos præ cunctis mundi
hominibus, rutilantissimis gratiarum or-
namentis fulcita, quæ in sacra Scriptura
sensum et mentem magis quam verba at- C
Apoc. i, 13. tendit. Unde in Apocalypsi vidit Joannes
similem Filio hominis, ambulantem in
medio candelabrorum aureorum. In hujus
Ecclesiæ capite est lampas, videlicet Chri-
Joann. viii, 12; i, 9. stus, qui ait : Ego sum lux mundi, quæ
illuminat omnem hominem venientem in
hunc mundum. Insuper per septem lu-
cernas, ut dictum est, intelliguntur septem
dona Spiritus Sancti, quæ descendunt super
electos. *Et septem infusoria lucernis, quæ
erant super caput illius.* Ista septem infu-
soria, quæ sunt super caput Ecclesiæ, et D
in nutrimentum lucernarum præstantur,
intelligi possunt septem sacramenta Eccle-
siæ, quæ sunt vasa medicinalia, gratiæ
contentiva, significativa, et effectiva. Effi-
ciunt enim quod repræsentant. Et oleum
pietatis in eis est, scilicet gratia sacramen-
talis, per quam dona Spiritus Sancti con-
servantur, aluntur, ac perficiuntur : siqui-
dem gratiæ et virtutes ac dona, se invicem
muniunt, juvant, perficiunt. *Et duæ olivæ* 3
*super illud, una a dextris lampadis, et
una a sinistris ejus.* Per duas istas olivas
super Ecclesiam, id est aliorum directioni
prælatos ac præsidentes, quidam intelli-
gunt Moysen et Eliam, qui cum Christo Matth. xvii, 3.
loquebantur in monte in hora transfigura-
tionis; alii, Petrum et Paulum; alii, vitam
contemplativam, quasi a dextris, et acti-
vam, quasi a sinistris; alii, vetus et novum
Testamentum, illud a sinistris, istud a dex-
tris. Sed quoniam nomine olivæ, pietas
compassionis exprimi solet : per illam quæ
fuit a dextris, intelligi potest qui opera
misericordiæ spiritualia explet; per aliam,
qui operibus misericordiæ corporalibus
vacat.
Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, 6
id est Christum populi christiani ducem
ac principem : *Non in exercitu, nec in
robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus.*
Hoc quippe Christus in Evangelio docet,
quod salus, virtus, sufficientia, et profe-
ctus animæ nostræ non est in multitudine
aut robore creaturarum, sed ex Spiritu
Sancto : et hoc Deus Trinitas docuit Chri-
stum, quantum ad naturam assumptam :
nam animæ ejus hoc revelavit. Denique et
ipse de se ipso testatur : Non potest Filius Joann. v, 19.
a se facere quidquam. Et iterum ait : A Ibid. viii, 28.
me ipso facio nihil, sed sicut docuit me
Pater, hæc loquor.
Quis tu, mons magne, id est, diabole 7
tumide, *coram Zorobabel,* id est Christo,

contra quem te erigens, dicere præsumpsisti, Hæc omnia mundi regna tibi dabo, si cadens adoraveris me; sed coram eo ab eo *in planum* dejectus et victus es. *Et educet* Dominus exercituum *lapidem primarium,* utpote Christum : quem secundum carnem eduxit de semine Patriarcharum. Deinde eduxit eum de sæculo isto ad regnum æternum, et per Apostolorum doctrinam eduxit eum de occulto ignorantiæ ad lucem salutaris notitiæ in cordibus electorum. De quo scriptum est : Ecce ponam in Sion lapidem summum, electum, angularem, pretiosum; et omnis qui crediderit in eum, non confundetur. Apud Matthæum quoque Christus loquitur de se ipso : Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret ipsum. *Et exæquabit gratiam gratiæ ejus,* id est, gratiam evangelicæ legis æquabit Deus gratiæ veteris Testamenti, ut non minor sit perfectio patrum novi Testamenti quam veteris : imo Prophetis ac Patriarchis præferuntur Apostoli. Propter quod a Joanne asseritur : De plenitudine ejus, videlicet Christi, nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.

(Matth. IV, 9. — I Petr. II, 6; Is. XXVIII, 16. — Matth. XXI, 44. — Joann. I, 16.)

9 *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam :* id est, virtus et gratia Christi initiavit Ecclesiam, et perficiet eam, præsertim in resurrectione futura; et a tempore Apostolorum quotidie eam, quantum ad quosdam electos, perfecit, augendo in eis spiritualem profectum. Ipse equidem ait : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et in Psalmo cantamus eidem : Infirmata est, tu
vero perfecisti eam. *Quis enim despexit* 10
dies parvos? id est, utique ipse Christus mundi hujus statum, vanitatem, dominium, ac brevissimam vitam contempsit, idcirco construxit Ecclesiam, instruendo fideles ad terrenorum contemptum, cœlestiumque amorem. Sic et ceteri fecerunt electi. Unde et beatissimus patriarcha Jacob profitetur : Dies peregrinationis vitæ meæ super terram, centum triginta anni sunt, parvi et mali. *Et lætabuntur* gaudio spirituali fideles, qui temporalia vilipenderunt, *et videbunt lapidem stanneum,* id est virtutem discretivam, *in manu Zorobabel,* id est in potestate atque judicio Christi. Sicut enim, teste Hieronymo, stannum alia metalla ab ignis læsione defendit, mixta quoque et adulterata inter se metalla per ignem dissociat; sic Christus per judiciariam potestatem triticum a paleis, hoc est electos a reprobis, separabit, quemadmodum de ipso in Evangelio legitur : Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam; et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.

(Matth. XVI, 18. — Ps. LXVII, 10. — Gen. XLVII, 9. — Matth. III, 12; Luc. III, 17.)

Duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro. Jam dictum est quemadmodum per septem infusoria aurea, intelliguntur septem Ecclesiæ sacramenta. Et ista esse dicuntur in aureis rostris, id est in manibus et membris ministrorum Ecclesiæ consecratis, per quos conficiuntur, tractantur, ac dispensantur. Cetera ex præinductis clarissime innotescunt. 12

ARTICULUS VII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : ET CONVERSUS SUM.

POSTQUAM divinitus ostensa sunt Prophetæ jucunda de Judæorum liberatione a Babylone, et Judææ ac templi reparatione, nunc ostenduntur eidem adversa ac
tristia. *Et conversus sum* ego Zacharias in- 1
teriori conversione ab una visione prophetali ad aliam, *et levavi oculos meos,* præsertim intellectuales, *et vidi* visione

imaginaria ac mentali, *et ecce volumen* A
2 *volans* mihi apparuit. *Et dixit ad me* an-
gelus qui loquebatur in me, de quo jam
dictum est sæpe : *Quid tu vides? Et dixi :
Ecce ego video volumen volans.* Cujus
quantitas subditur : *longitudo ejus viginti
cubitorum, et latitudo ejus decem cubito-
rum.* Cujus rationem quidam assignant,
quia volumen istud videbatur de civitate
Jerusalem et templo exire. Ideo, sicut lon-
III *Reg.* VI, 3. gitudo porticus erat viginti cubitorum, et
latitudo ejus decem cubitorum ante faciem
templi, ita et de mensura voluminis fuit. B
Porro, secundum Hieronymum, per nume-
rum vicesimum, qui ex duabus decadibus
fit, austera ac tristia nuntiantur; per de-
cem, id est una decade, meliora et prospe-
Judith VIII, 27. ra. Quoniam ergo flagella et pœnæ præsen-
tis vitæ a Deo infliguntur, ut corrigamur
et emendemur (pœnæ namque hujusmodi
sunt medicinales, ut castigati erudiamur),
hinc longitudo hujus voluminis recte fuis-
se describitur cubitorum viginti, latitudo-
que decem.
3 *Et dixit ad me : Hæc est maledictio,* id C
est, in volumine isto scripta sunt et signi-
ficata peccata atque supplicia Judæorum,
quæ egreditur super faciem omnis terræ, id
est, simul cum Judæis de terra promissionis
expellitur ad diversas mundi provincias
in quibus captivi abducti fuerunt Judæi
tempore Babylonicæ captivitatis et ante.
Nunc enim est sermo de expulsione multi-
plicium iniquitatum a terra populoque Ju-
dææ. *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum
est,* scilicet in præfato volumine, *judicabi-
tur* judicio condemnationis, *et omnis ju-* D
rans, ex hoc volumine *similiter judicabi-
tur,* si vitiose, false, inordinateque juret.
Dan. VII, 9, 10. Simile est quod in Daniele legitur : Throni
positi sunt, judicium sedit, et libri aperti
sunt. Per quæ omnia designatur, quod ho-
mines judicantur a Deo secundum infal-
libilem sapientiam atque notitiam ejus,
itemque secundum quod in libris consci-
4 entiarum contentum est. *Educam illud*
volumen egrediens, *dicit Dominus exer-
cituum; et veniet ad domum furis, et ad*
*domum jurantis in nomine meo mendaci-
ter :* id est, punitio per istud volumen fi-
gurata, inducetur et infligetur furibus ac
perjuris : quod ad Judæos præsertim re-
fertur, in quibus vitia ista plurimum abun-
dabant ante Babylonicam captivitatem. Et
ita loquitur Propheta de præterito, tan-
quam futuro, sicut frequenter fit in libris
propheticis. *Et commorabitur,* id est, pu-
nitio ista manebit, *in medio domus ejus,*
id est in ipso fure seu perjuro et cunctis
ad ipsum spectantibus, suæque pravitatis
consortibus, *et consumet eam et ligna ejus
et lapides ejus,* id est totam ejus conge-
riem sive familiam peccatricem, vel etiam
habitacula ejus, dum comburuntur aut
destruuntur.

Denique ei quod nunc dictum est hic de
volumine volante, simile est quod Ezechiel
scribit de libro in quo continebantur la- *Ezech.* II, 9.
mentationes et væ. Ex his quoque secun-
dum Hieronymum elucescit, quanta sit
gravitas furti atque perjurii. Quod si in
his (ut idem ait) quæ minora putantur pec-
cata, videlicet furto ac perjurio, tanta pœ-
narum est comminatio : quid dicemus de
fornicatione, adulterio, homicidio, sacri-
legio, cunctisque criminibus quæ ab Apo- *Galat.* v, 19-21.
stolo inter carnis opera numerantur?

Consequenter inducitur alia visio, idolo-
latriam præsertim concernens. *Et egressus* 5
est angelus qui loquebatur in me, et stetit
quasi coram me, *et dixit ad me : Leva
oculos tuos, et vide* visione imaginaria,
quid est hoc quod egreditur de templo et
urbe Jerusalem et Judæa. *Et dixi : Quid-* 6
*nam est? Et ait : Hæc est amphora egre-
diens. Et dixit : Hæc est oculus eorum in
universa terra,* id est, amphora ista desi-
gnat multiplicationem et collectionem ini-
quitatum Judæorum : per quam multiplica-
tionem ipsi Judæi manifestati sunt cunctis
gentibus, quales inter se fuerunt. Dum
enim propter facinora sua hinc inde capti-
vi translati sunt, innotuit omnibus qualia
in terra propria egerunt peccata : sicque
amphora ista fuit eorum oculus, id est
causa præfatæ manifestationis eorum.

7 *Et ecce talentum plumbi portabatur,* id A
est, plumbea massa ferebatur, vel jussione
divina, vel ab angelo. *Et ecce mulier una*
8 *sedens in medio amphoræ. Et dixit* ange-
lus ad me : *Hæc est impietas,* id est idolo-
latria: quæ antonomastice impietas nuncu-
patur, quum sit maxime contra Deum, sicut
Job xxxi, 28. de ea ait beatus Job : Quæ est impietas
maxima, et negatio contra Deum omnipo-
tentem. *Et projecit eam in medio ampho-
ræ,* id est, infra amphoram eam depressit,
ita quod amplius foras non eminebat, nec
apparebat ut ante, nec egredi poterat : id B
est, hanc impietatem aliis suis criminibus
superposuerunt Judæi ante Babylonicam
captivitatem. *Et misit massam plumbeam
in os ejus,* scilicet amphoræ, eam superius
claudens ob causas prætactas. Hæc massa
significavit enormitatem et gravitatem vi-
tiorum populi hujus.
9 *Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce
duæ mulieres egredientes* de terra Israel,
et spiritus, id est potestas diaboli, *in alis
earum,* id est, in processu et actu, vani-
tate, flatu, atque impulsu earum fuit; *et* C
habebant alas quasi alas milvi, id est, ra-
pacissimæ erant et insidiosæ, quemadmo-
dum milvus avis est rapax, semperque
domesticis avibus insidians. Hæ duæ mu-
lieres significabant, secundum Hierony-
IV *Reg.* xvii, 6; xxv. mum, plebem decem tribuum ab Assyriis
captam, et plebem duarum tribuum, scili-
cet Juda ac Benjamin, a Chaldæis vastatam.
Alii per duas mulieres intelligunt duas has
tribus. *Et levaverunt amphoram inter cæ-
lum et terram,* id est, peccatorum suorum
mensuram secum ferebant, quocumque D
10 ducebantur. *Et dixi ad angelum qui lo-
quebatur in me: Quo istæ deferent ampho-*
11 *ram? Et dixit ad me : Ut ædificetur ei
domus in terra Sennaar,* id est in terra
Gen. x, 10; xi, 2-4. Babylonis. Sennaar quippe est campus in
quo filii Adam ædificaverunt turrim, ubi
postea constructa est Babylon, sicuti in
Genesi scribitur. Unde Septuaginta trans-
tulerunt: In terra Babylonis. *Et stabiliatur
et ponatur ibi super basim suam.* Per ista
insinuatur, quod Judæi simul cum idolola-
tria sua transferebantur in Babylonem, et
illic domum seu mansionem sumpserunt;
ipsaque idololatria horum taliter ibi super
basim suam locata est, quod in terram
Judææ ultra non rediit, saltem tam copiose
et frequenter ut ante. Non enim Judæi
post reversionem a Babylone idola colue-
runt, nisi quidam, comparative pauci, sub
rege Antiocho, secundum quod in libro I *Mach.* i, 55; ii, 16.
Machabæorum describitur.

Exposilio spiritualis.
PRÆTEREA, secundum spiritualem ac my-
sticum intellectum, non est difficile, ea
quæ ad populum Judæorum relata sunt,
generaliter omnibus gentibus applicare.
Sicque per volumen volans, intelligi po- 1-4
test sacra Scriptura, quantum ad commi-
nationes et increpationes quæ peccatoribus
fiunt in ea. Idcirco vocatur maledictio, quia
in ipsa omnium reproborum peccata atque
tormenta conscripta sunt; egrediturque su-
per faciem universæ terræ, quia ubique
Scriptura ista vulgata est. Omnis quoque
fur et perjurus et omnis transgressor, se-
cundum quod ibi scriptum est, judicabitur
atque damnabitur.

Insuper, per amphoram egredientem, 6
intelligitur totius plebis iniquitas congre-
gata, atque in tanta mensura multiplicata,
ut divina exigente justitia, oporteat eam
mox vindicari, ac per hoc omnibus decla-
rari, quales exstiterint, qui tanta commi-
serunt flagitia, quum tamen vicissim boni
fuerint reputati. Frequenter enim contin-
git, quosdam tanto interius gravioribus
criminibus deformari, quanto exterius com-
positiores ac meliores videntur. In hujus
amphoræ medio sedet mulier, quæ appella- 7, 8
tur impietas, utpote sui ipsius amor priva-
tus ac improbus, vel gloriatio in peccatis,
vel propriæ culpæ defensio seu impœni-
tentia : quæ infra amphoram talento plum-
bi deprimitur atque includitur, quoniam
vitiositatis suæ gravissimo pondere ampli-
us ad loca inferni pœnalia mox trudetur.

At vero duæ mulieres de electorum Ec- 9-11
clesia egredientes, quæ amphoram istam
ad terram Sennaar, id est Babyloniæ, por-

tant, sunt collectio hæreticorum et inobe-
dientium Christianorum, qui peccata sua
quotidie deferunt ad Babylonem, id est ad
terram confusionis et totius inordinationis,
puta ad sortem et societatem reproborum,
ad ecclesiam malignantium, vel certe ad
Job x, 22. locum tartareum, qui est terra miseriæ ac
tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiter-
nus horror inhabitat. Prævaricatores nam-

A que dum in vitia prolabuntur, nec pœni-
tent, a mystico Christi corpore separantur,
ac dæmoni incorporantur, ejusque dam-
nando consortio connectuntur. Vel duæ
mulieres amphoram deferentes, sunt amor
voluptatis et timor adversitatis, quia hæc
duo sunt omnium pene vitiorum origines.
Hæc breviter tacta sint, ut detur lectori
occasio subtilius cogitandi.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : ET CONVERSUS SUM, ET LEVAVI OCULOS MEOS.

In præsenti capitulo describit Prophe-
ta quadripartiti regni distinctionem ac
successionem, Christi quoque adventum,
et Ecclesiæ ab eo ædificationem.
1 *Et conversus sum, et levavi oculos meos,*
et vidi. Hoc totum in exordio capituli præ-
cedentis expositum recolo. *Et ecce quatuor*
quadrigæ, id est quatuor regna, erant se-
cundum imaginariam visionem seu pro-
pheticam repræsentationem, *egredientes de*
medio duorum montium, id est secundum
oracula Prophetarum, quoniam regnave-
runt, atque in regnando sibi invicem suc-
cesserunt, secundum modum et ordinem
a Prophetis descriptum; *et montes, montes*
ærei, id est, Prophetæ isti similes erant
montibus æreis, propter stabilitatem men-
tis in Deo, constantiamque virtutum et
inflexibilitatem animi a via justitiæ. Di-
cuntur autem Prophetæ montes, propter
vitæ eminentiam, contemplationisque api-
cem, et gratiarum sublimitatem. Duo quo-
que vocantur : vel propter duo regna, de
quibus fuerunt. Nam quidam de regno dua-
rum tribuum, alii de regno decem tribuum
exstiterunt. Vel per duos montes, speciali-
ter intelliguntur Propheta hic Zacharias et
Dan. II, VII. Daniel, qui de præsenti materia evidentius
prophetasse videntur.
2 *In quadriga prima equi rufi :* id est, in

B regno atque exercitu Chaldæorum fuerunt
reges sanguinarii et cruenti. Chaldæi nam-
que sanguinem plurimum effuderunt, mul-
tos Judæorum occiderunt, et nimia crude-
litate omnibus erant terribiles. Porro reges
per equos congrue designantur, quoniam
post se trahebant exercitum, ut equi qua-
drigas. *In quadriga secunda equi nigri :*
id est, regno Persarum ac Medorum erant
præsidentes, qui populo Judæorum sum-
mum horrorem ac tristitiam incusserunt,
præsertim dum ad suggestionem Aman, *Esther* III,
C Assuerus rex jussit universos Judæos in 8 *et seq.*
omni suo imperio simul interfici. Cam-
byses quoque rex filius Cyri contristavit
Judæos, dum templum reædificari prohi- I *Esdr.* IV,
buit. *In quadriga tertia equi albi :* id est, 17 *et seq.*
in regno Græcorum fuerunt reges Judæis 3
valde faventes, videlicet Alexander rex
Magnus, et Seleucus Asiæ rex. Quamvis II *Mach.* III,
enim Alexander adveniret Jerusalem ut 3.
eam destrueret, tamen obviante sibi in via
summo Judæorum pontifice in pontificali-
bus cum ceteris sacerdotibus, magnam ei
D reverentiam fecit, asserens quod Deus Ju-
dæorum sibi in tali habitu apparuisset, sic-
que pacatus a Judæa discessit, quemadmo-
dum in Scholastica historia plenius conti-
netur. *Et in quadriga quarta equi varii et*
fortes : id est, in imperio Romanorum fue-

runt reges diversi ac præpotentes : quorum A
nonnulli fuerunt Judæis clementes, ut Octa-
vianus atque Tiberius ; alii autem crudeles,
ut Nero, Vespasianus et Adrianus.
4 *Et dixi ad angelum qui loquebatur in
me : Quid sunt hæc, domine mi?* id est,
5 quid currus isti et equi significant? *Et
respondit angelus, et ait ad me : Isti sunt
quatuor venti cœli,* id est quatuor plagæ
seu plagatores mundi, *qui egrediuntur ut
stent coram Dominatore universæ terræ,*
id est, divinæ pareant voluntati, in quan-
tum divina justitia punivit peccatores per B
eos. Ita exponit Hieronymus. Vel, secun-
dum alios : Isti sunt quatuor venti cœli, id
est quatuor regna instar ventorum veloci-
ter per mundum currentia, atque in qua-
tuor mundi partibus, in quibus oriuntur
venti, exorta ; qui egrediuntur ad regnan-
dum, ut stent coram Dominatore universæ
terræ, id est, in potestate dominioque per-
durent secundum tempus eis a Deo præfi-
Dan. II, 21. xum, de quo scriptum est in Daniele : Ipse
mutat tempora et ætates, transfert regna
atque constituit. Vel dicuntur venti cœli, C
id est ventilatores Synagogæ, quæ eis suc-
cessive servivit : et ipsi divino præsenta-
buntur judicio.
6 *In qua erant equi nigri,* id est Persæ
ac Medi, *egrediebantur* de terra sua *in
terram aquilonis,* id est versus Chaldæos
ac Babylonem. Cyrus enim rex Persarum,
Ibid. V, 30, 31. et Darius rex Medorum, regnum Chaldæ-
orum sunt demoliti. *Et albi egressi sunt
post eos,* id est, Græci sive Macedones post-
ea eamdem terram vastaverunt, scilicet
Alexander Magnus, qui regnum Persarum D
ac Medorum in terra Chaldæa sibi subju-
gata regnantium, superavit. *Et varii egres-
si sunt ad terram austri,* id est, Romani
imperium suum in plaga australi pugnan-
7 do auxerunt. *Qui autem erant robustis-
simi,* id est præfati Romani, qui supra
designati sunt per equos fortes ac varios,
quorum regnum potentissimum fuit : pro-
Ibid. II, 40. pter quod a Daniele ferreum nuncupatur;
exierunt de Italia, *et quærebant ire et dis-
currere per omnem terram,* quoniam to-
tum sibi mundum subjecerunt. *Et dixit
eis angelus,* vel Deus per angelum : *Ite,
perambulate terram,* omnia regna vestro
subjugantes imperio. *Et perambulaverunt
terram.* Deo enim volente, Romani cetera
regna propter eorum peccata impugnave-
runt, atque vicerunt : non tamen a pecca-
to excusantur, quia non recta intentione
egerunt hoc.
Et vocavit me angelus, mihi ista demon- 8
strans, atque interpretans, *et locutus est
ad me, dicens : Ecce qui egrediuntur in
terram aquilonis,* id est Persæ ac Medi
Babyloniam impugnantes, vel ut alii di-
cunt, Græci per albos equos designati, qui
post Persas introierunt Chaldæam, *requi-
escere fecerunt spiritum meum in terra
aquilonis,* id est, indignationem vel iram
seu zelum justitiæ meæ contra Chaldæos
impleverunt, ipsis Chaldæis oppressis. Deus
namque crudelitatem Chaldæorum per præ-
dictos punivit. Hoc in persona Dei loqui-
tur angelus. Vel, secundum Hieronymum,
Græci fecerunt requiescere spiritum pro-
phetalem, quando Alexander rex in terra
aquilonis dejecit regnum Persarum atque
Medorum propter eorum peccata, sicut
prædixit spiritus prophetalis.
Et factum est verbum Domini ad me, 9
dicens per angelum in me loquentem :
Sume a transmigratione, id est Judæis in 10
Babylonem ductis et inde reversis, vel quia
iidem numero, vel iidem specie erant, vi-
delicet transmigrantibus a Judæa in Ba-
bylonem. Et subduntur nomina eorum a
quibus sumere debeat : *ab Holdai, et a
Tobia, et ab Idaia. Et venies tu in die
illa, et intrabis in domum Josiæ filii So-
phoniæ, qui venerunt de Babylone. Et su-* 11
mes aurum et argentum, et facies ex eis
coronas auri et argenti varietate distinctas
in domo Josiæ, *et pones* unam *in capite
Jesu filii Josedec sacerdotis magni, et lo-* 12
*queris ad eum, dicens : Hæc dicit Domi-
nus exercituum : Ecce vir, Oriens nomen
ejus.* Hoc Hebræi de isto Jesu Judæorum
summo sacerdote accipiunt, vel de ipso
Zorobabel duce ipsorum : quorum uterque

dictus sit Oriens, quia in similitudine germinis in bonis succrevit, profecit, et sub eis ortum sive constructum est templum. Propter quod subditur : *Et subter eum orietur,* id est, sub Jesu isto sive Zorobabel crescet ac perficietur ædificium templi, *et ædificabit templum Domino :* ambo enim principales fuerunt in templi reparatione.

13 *Et ipse exstruet templum Domino. Et ipse portabit gloriam :* id est, Zorobabel alteram feret coronam, vel Jesus filius Josedec portabit pontificatus honorem atque decorem; *et* ipse *sedebit et dominabitur super solio suo :* alter quippe præfuit in regimine spirituali, alter in temporali. *Et erit sacerdos super solio suo :* id est, Jesus iste sedebit ut pontifex in pontificali throno. *Et consilium pacis erit inter duos illos :* id est, Jesus iste et Zorobabel in populi gubernatione unanimes erunt.

14 *Et coronæ erunt Helem, et Tobiæ, et Idaiæ, et Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini :* id est, coronæ prædictæ postquam in capitibus summi sacerdotis principisque fuerint, tollentur et consecrabuntur in templo ad ornatum ac reverentiam ejus, in memoriam prædictorum virorum, de quorum argento et auro factæ fuerunt.

15 *Et qui procul sunt* a vobis, puta gentiles, vel Judæi qui hucusque in terris gentilium remanserunt, *venient* in Jerusalem, *et ædificabunt in templo Domini,* illud ordinando, ditando, seu perficiendo : sicut in libro Machabæorum scriptum est, (II *Mach.* III, 2.) quod reges et principes locum summo honore dignum duxerunt, et templum maximis muneribus illustraverunt. *Et scietis* per prophetiæ meæ evidentem impletionem, *quia Dominus exercituum misit me ad vos* ad prænuntiandum et faciendum hæc omnia. Etenim per impositionem coronæ super caput pontificis, figurabatur prosperatio sacerdotii sui et consummatio templi. — Præterea, teste Hieronymo, Hebræi affirmant Ananiam, Azariam et Misael de Babylone redisse, et aurum ac argentum in oblationem templi et pro faciendis coronis summi sacerdotis ac ducis, secum tulisse, Danielem quoque venisse cum donis.

Erit autem hoc, id est, prædicta implebuntur, *si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri,* id est, auribus mentis verba Prophetarum adverteritis, credendo eis ac obediendo. Et bene ait Propheta, Erit hoc, si, etc., quoniam promissiones divinæ, similiter comminationes, quæ fiunt in sacra Scriptura, frequenter intelligendæ sunt sub conditione, videlicet si illi quibus fit promissio, non demereantur, sed in bono persistant, illi quoque quibus fit comminatio, in vitiis perseverent. Propterea per Jeremiam Dominus ait : Repente loquar (*Jer.* XVIII, 7-10.) adversus gentem et regnum, ut eradicem et destruam illud; si pœnitentiam egerit gens illa, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Et repente loquar de gente et regno, ut ædificem et plantem illud; si fecerit malum in oculis meis, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei.

Denique, ut quidam catholice dicunt,
ubi nostra translatio continet, *Ecce vir,* 12
Oriens nomen ejus, translatio Chaldaica, quæ apud Judæos authentica fertur, sic habet : Ecce vir, Messias nomen ejus. Sicque locus iste ad litteram intelligendus est de Domino Jesu Christo : qui est vir de quo in Jeremia habetur, Mulier circumdabit virum; (*Ibid.* XXXI, 22.) et Oriens appellatur, tanquam splendor lucis æternæ, et quia in diebus ejus orta est justitia et abundantia pacis, (*Ps.* LXXI, 7.) sicut Psalmista prædixit. *Et subter eum orietur,* id est, se ipsum exinaniet, formam servilem assumens : (*Philipp.* II, 7.) ita quod secundum naturam humanam, qua temporaliter orietur ex Virgine, erit se ipso inferior quoad naturam divinam, qua æternaliter oritur a Patre. *Et ædificabit templum Domino,* id est Ecclesiam Deo Patri, vel Deo omnipotenti, trino ac simplici, ex electis tanquam ex vivis lapidibus. De qua ædificatione dicit Apostolus ad Ephesios : In Christo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in (*Ephes.* II, 21, 22.)

quo et vos coædificamini in habitaculum
Dei in Spiritu Sancto. Hæc est ædificatio
spiritualis, qua corda humana per fidem,
caritatem et spem, ceterasque virtutes jun-
guntur, et templum Divinitatis efficiuntur,
I Petr. II, 4, 5. secundum quod Petrus inducit : Ad Chri-
stum accedentes lapidem vivum, et ipsi
tanquam lapides vivi superædificamini in
13 domos spirituales. *Et ipse portabit glori-
am,* id est, principatum universorum, et
corporis glorificationem accepit in resur-
Hebr. II, 9. rectione, juxta illud ad Hebræos : Eum, qui
modico quam angeli minoratus est, vi-
demus Jesum propter passionem mortis
gloria et honore coronatum. De quo ait
Ps. XX, 6. Psalmista : Magna gloria ejus in salutari
tuo; gloriam et magnum decorem impones
super eum. *Et sedebit* ad dexteram Patris
in die ascensionis, *et dominabitur* in omni
creatura *super solio suo :* de quo ait in
Apoc. III, 21. Apocalypsi, Qui vicerit, dabo ei sedere
mecum in throno meo; Apostolus quoque
Hebr. IV, 16. ad Hebræos, Adeamus cum fiducia ad thro-
num gratiæ ejus. Assumptus est enim in
Marc. XVI, 19. cœlum, et sedet ad dexteram Patris, se-
cundum Marcum. Vel solium Christi, est
judiciaria ejus potestas, vel ipsa Ecclesia.
Et erit sacerdos super solio suo. Est enim
Ps. CIX, 4. sacerdos in æternum secundum ordinem
Melchisedech. Et ut ait Apostolus ad He-
Hebr. VII, 24. bræos, Christus eo quod maneat in æter-
num, sempiternum habet sacerdotium. Ipse
namque est princeps pastorum, mediator
Ibid. 25. Dei et hominum, semper vivens ad inter-
pellandum pro nobis. De quo ait princeps
I Petr. II, 25. Apostolorum : Conversi estis ad pastorem
et episcopum animarum vestrarum. *Et
consilium pacis erit inter duos illos,* id
est populum Judæorum, atque gentilium
in Christum credentium, ex quibus con-
structa est una Ecclesia, uno Dei Spiritu
congregata.

Postremo, quum Jesus filius Josedec summus sacerdos fuerit Christi figura re et appellatione, convenienter Propheta quum locutus fuisset de illo, qui fuit figura, inseruit prophetiam de figurato, quemadmodum alibi sæpius in Scripturis de fi-
A gurato transitur ad figuram sub eodem contextu, propter similitudinem eorum ad
invicem, sicut in Isaia et Ezechiele de re- Is. XIV; Ezec. XXVIII.
ge Babylonis et principe Tyri atque diabolo fit sermo permixtim.

Expositio mystica.

At vero juxta mysticum intellectum, spiritualis Zacharias, id est contemplativus,
Dei jugiter reminiscens, ait : *Et conversus* 1
sum a multis ad unum (unum enim est ne- Luc. X, 42.
cessarium), ab exterioribus et terrenis ad
interiora atque divina. *Et levavi oculos me-*
B *os* mentales ab infimis ad superna. Levantur nempe, dum contemplantur cœlestia; deprimuntur, dum sensibilibus immerguntur. *Et vidi, et ecce quatuor quadrigæ,* id est quatuor libri Evangelistarum, seu quatuor Evangelia, quibus homines vehuntur de terra ad cœlum : quæ licet sint unum ex parte objecti, videlicet Christi, de quo loquuntur, quatuor tamen sunt ex parte describentium ea; *egredientes de medio duorum montium,* id est a Christo, cujus verba in Evangelio principalissime reci-
C tantur, et a Moyse seu veteri Testamento, cujus scripta in libris evangelicis sæpius allegantur. Hi *montes* sunt *ærei,* id est in virtutibus valde robusti.

In quadriga prima equi rufi : id est, in 2
evangelio S. Matthæi sunt, qui pro Christo sanguinem fuderunt, sicut ipse Matthæus et similes ei, qui istam quadrigam post se traxerunt, verba evangelica semper secum ferentes : qui martyrio rufi sunt. *In quadriga secunda equi nigri :* id est, in evangelio Marci sunt, qui maximis in hoc sæ-
D culo tribulationibus obscurantur, sicut et Marcus etiam ante suam pro Christo occisionem, eique similes, quorum tota vita
adversitatibus singulariter plena est. *In* 3
quadriga tertia equi albi : id est, in evangelio Lucæ sunt, virgineæ munditiæ observatores, quemadmodum Lucas, qui etiam de beatissima Virgine et Christi innocentissima pueritia plenius scripsit, et similes ejus, qui hujus evangelii documenta specialiter secum deportant. *Et in quadriga quarta equi varii et fortes :* id est, in

evangelio Joannis sunt, viri perfecti, activi A
simul et contemplativi, variisque gratia-
rum charismatibus singulariter adornati,
quales fuerunt præsertim Apostoli, dein-
5 de apostolicæ perfectionis viri. *Isti* libri
sunt quatuor venti cœli : quoniam omnium
in quatuor mundi partibus demorantium
corda dulciter atque celeriter perflaverunt,
Ps. CXLVII, 15. quemadmodum scriptum est : Velociter
currit sermo ejus; *qui egrediuntur* ex ore
Evangelistarum, *ut stent coram Domina-
tore universæ terræ,* id est, a Christo ap-
probentur et confirmentur, juxta illud B
Marc. XVI, 20. Marci : Prædicaverunt ubique, Domino co-
operante, et sermonem confirmante se-
quentibus signis.
6 *In qua erant equi nigri, egrediebantur
in terram aquilonis,* id est ad eos qui in
frigore vitiorum morantur, a quibus et
adversa multa perpessi sunt; *et albi egres-
si sunt post eos,* quia virginalis puritatis
candore fulgentes, prædicaverunt eisdem.
7 *Qui autem erant robustissimi, quærebant
discurrere per omnem terram,* puta Apo-
stoli, qui ceteris latius prædicaverunt, ita C
Ps. XVIII, 5. quod in omnem terram exivit sonus eo-
Act. I, 8. rum : quibus et Christus, Eritis (inquit)
mihi testes usque ad ultimum terræ. Deni-
8 que *qui* egressi sunt *in terram aquilonis,
requiescere fecerunt spiritum* Dei *in terra
aquilonis :* quia quos converterunt ad fi-
dem, inhabitari fecerunt a Spiritu Sancto.
10 Porro a transmigratione, hoc est ab his
qui de vitiis redeunt ad virtutes, et de via
ad patriam properant, considerantes se hic
Hebr. XIII, 14. non habere manentem civitatem, sumitur
11 aurum et argentum, id est vita caritate D
fulcita atque scientia clara. Ex quibus
fiunt coronæ quæ ponuntur in capite Jesu,
id est animarum varia ornamenta ac divina
præconia, quæ omnia Christo principaliter
adscribuntur. Per Jesum quoque intelligi
potest quicumque efficax pastor, idoneus-
que sacerdos, cui virtutes et merita gre-
gis sibi commissi non immerito, tanquam
dispositivo principio, attribuuntur; et ipse
eisdem ornatur, sicut quosdam discipulo-
rum suorum Paulus apostolus asserit suam

esse coronam in Christi adventu. Et Joan- *I Thess.* II, 19.
nes in tertia sua Canonica : Majorem, in- *III Joann.* 4.
quit, horum gratiam non habeo, quam ut
audiam filios meos in veritate ambulantes.
Talis quippe audiet a Christo : Euge, serve *Matth.* XXV, 21, 23.
bone et fidelis, quia super pauca fuisti
fidelis, supra multa te constituam. Insuper
talis meretur audire atque laudari his
verbis :
Ecce vir, a vigore virtutum animique 12
virore ex gratiæ innovatione, *Oriens no-
men ejus.* Quum enim quotidie oriatur in
eo Christus per gratiam pleniorem, et ipse
renovetur in Spiritu Sancto, fiatque fecun-
dus in sanctis operibus, recte Oriens nun-
cupatur. *Et subter eum orietur,* id est, sub
ipso prosperatur in spiritualibus plebs
sive Ecclesia sibi commissa; *et ædificabit
templum Domino,* id est, Christo parabit
plebem fidelem, et in cordibus gregis sui
construet Deo conscientiæ domum; faci-
etque congregationem cui præsidet, esse
habitaculum Spiritus Sancti, non dæmo-
num, expellendo ab eis dominium vitiorum
atque insidias diabolorum. Hoc utique per-
tinet ad omnem prælatum. *Et ipse portabit* 13
gloriam, quia cooperator atque vicarius
Christi est, et prælationis sacerdotiique
honorem digne possidet. Maximum quo-
que a Deo præmium sortietur. Unde ad
Timotheum ait Apostolus : Qui bene præ- *I Tim.* V, 17.
sunt presbyteri, duplici honore digni ha-
beantur. Imo, secundum divinum Diony-
sium, divinissimum est Deo cooperari in
animarum reductione ad Deum. *Et domi-
nabitur* sibi commissis spirituali regimine
cum omni humilitate, sollicitudine, ac ti-
more. *Et erit sacerdos* re et nomine, sacra
subditis administrando, eorumque preces
et vota Deo fideliter offerendo. *Et consi-
lium pacis erit inter duos illos,* id est in-
ter quoscumque subditorum suorum prius
aliquando discordantes : quoniam quantum
in se est, debet omnis prælatus indesinen-
ter conari, ut subditi inter se pacifice
conversentur. Beati enim pacifici, quo- *Matth.* V, 9.
niam filii Dei vocabuntur. Simili ratione,
infelices discordes, quoniam filii dæmonis

probabuntur. Ideo ad Hebræos dicitur : A
Hebr. xii, 14. Pacem sequimini cum omnibus, sine qua
nemo Deum videbit.
15 *Et qui procul sunt,* id est, per dissimi-
litudinem vitiorum longe distant a Deo et
a conversatione electorum ipsius, *venient*
per pœnitentiam salutarem, *et ædificabunt*
in templo Domini, id est, in Ecclesia Chri-
sti virtuose operabuntur, et proximos bo-
nis exemplis roborare curabunt. Boni enim
prælati tales frequenter convertunt, ita ut
Rom. v, 20. ubi abundavit iniquitas, abundet et gratia.
Eccli. x, 2. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Secun- B
dum judicem populi, sic et ministri ejus;
et qualis est rector civitatis, tales et habi-
tantes in ea.
14 Postremo *coronæ erunt Helem, et Tobiæ,*
et Idaiæ, etc., id est, quamvis ornamenta
ista virtutum atque donorum exsistentium
in mentibus subditorum eorum, prælatis,
et maxime Christo, attribuantur, nihilo
minus remanent eis et decorantur eisdem;
suntque eis *memoriale in templo Domini,*
id est, in Ecclesia militanti merentur per
ea perpetuam, honorabilem, ac felicem
habere memoriam. Deus enim glorificantes I Reg. ii, 30.
se glorificat. Et Salomon ait : Memoria ju- Prov. x, 7.
sti cum laudibus; nomen autem impio-
rum putrescet. Videmus namque ad ocu-
lum, quam præclare atque magnifice Deus
sanctos suos in tota Ecclesia mirificet et
exaltet : tanto plane sublimius, quo illi
gloriam et honorem Dei sincerius intende-
runt et acquisierunt.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : ET FACTUM EST IN ANNO QUARTO DARII REGIS.

1 *Et factum est in anno quarto Darii re-* C
gis, factum est verbum Domini ad Za-
chariam, in quarta mensis noni, id est
die quarto mensis noni, *qui est Casleu,* id
2 est, in lingua Hebræa ita vocatur. *Et mi-*
serunt ad domum Dei quidam adhuc in
Babylonia demorantes, videlicet *Sarasar*
et Rogomelech, et viri qui erant cum eis.
Isti miserunt nuntios ad templum, *ad de-*
precandum faciem Domini, quatenus mi-
nistri templi, et prophetæ ac ceteri justi,
ac ipsi quoque eorum nuntii, orarent Deum
verum pro ipsis, qui in templo illo speci- D
aliter se esse, habitare, et exaudire asse-
ruit. Itaque Sarasar iste non fuit unus de
nuntiis, ut quidam affirmant. Multi insu-
per dicunt, viros præfatos fuisse Judæos.
Hieronymus vero refert, quod Hebræi di-
cunt eos fuisse Persas et duces Darii regis,
3 Deum timentes. *Ut dicerent* nuntii isti ex
parte mittentium, *sacerdotibus domus Do-*
mini exercituum et prophetis, loquentes :
Numquid flendum est mihi populo Dei in
Babylonia remanenti, *in quinto mense, vel*
sanctificare me debeo, id est per jejuni-
um emundare, *sicut feci multis jam an-*
nis, videlicet septuaginta, quibus vastitas
templi duravit? Judæi quippe in Babylone
annuatim planxerunt et jejunaverunt, die
quo urbs Jerusalem et templum eversa fu-
erunt a Chaldæis mense quinto. Simili mo- IV Reg. xxv, 8.
do fecerunt septimo mense, propter occisi- Ibid. 25.
onem Godoliæ et dispersionem Judæorum
qui erant cum ipso. Quoniam ergo nunc
isti in Babylone audierunt urbem et tem-
plum pene instaurata, dubitabant an jux-
ta pristinum morem flere ac jejunare de-
berent, an potius inde cessare atque lætari,
quia mutata causa, mutatur effectus.
Et factum est verbum Domini exerci- 4
tuum ad me, dicens : Loquere ad omnem 5
populum terræ, et ad sacerdotes, id est ad
universos qui de Judæa ad templum con-
currunt, et per eos ad alios non præsentes,

dicens : Quum jejunaretis et plangeretis A
in quinto et septimo mense pro causis jam
tactis, *per hos septuaginta annos,* quibus
Babylonica duravit captivitas, *numquid*
jejunium jejunastis mihi? id est, absti-
nentia vestra mihi non placuit, nec erat
actus virtutis debito modo exhibitus, quo-
niam abstinendo a cibis, non abstinuistis
a divinorum præceptorum transgressioni-
6 bus. *Et quum comedistis et bibistis* immo-
deranter et cum sensuali affectu seu de-
licate, *numquid non vobis comedistis, et*
vobismetipsis bibistis? id est, ad vestram B
voluptatem et carnalitatem, non ad meum
7 honorem, illa fecistis. *Numquid non hæc*
sunt verba quæ locutus est vobis *Domi-*
nus? id est, imo sunt verba Dei, de modo
jejunandi virtuose, et etiam vitiose, quæ
dixit Dominus, *in manu Prophetarum pri-*
orum, id est per ministerium Prophetarum
qui ante Babylonicam captivitatem fue-
runt, *quum adhuc Jerusalem habitaretur*
a Judæis, *et esset opulenta; et ipsa, et ur-*
bes ejus, quarum ipsa metropolis fuit, *in*
circuitu ejus habitarentur, *et ad austrum,* C
et in campestribus, id est ad omnem situs
differentiam, *habitaretur,* quantum ad ur-
bes ad ipsam pertinentes.

Denique Isaias aliique Prophetæ suffi-
cienter instruxerunt Judæos, quale jejuni-
um Deo placeret, et quale non. Quum enim
Is. LVIII, 3, 4. interrogarent inordinate jejunantes, Quare
jejunavimus, et non adspexisti? respondit
Dominus : Ecce in die jejunii vestri inve-
nitur voluntas vestra, ecce ad lites et con-
tentiones jejunatis. Nolite jejunare sicut
usque ad hanc diem, ut audiatur in excel- D
so clamor vester. Deinde de virtuoso jeju-
Ibid. 6, 7. nio subditur : Nonne hoc est magis je-
junium quod elegi? Dissolve colligationes
impietatis; frange esurienti panem tuum,
et egenos vagosque induc in domum tu-
am; quum videris nudum, operi eum. Hinc
Joel I, 14. quoque Joel disseruit : Sanctificate jeju-
nium, hoc est, aliarum virtutum actibus
ipsum perficite. Idcirco jam subditur :
8 *Et factum est verbum Domini ad Za-*
9 *chariam, dicens : Hæc ait Dominus exerci-*
tuum, dicens : Judicium verum judicate, id
est, ex virtute justitiæ secundum directi-
onem prudentiæ, sententiam et proprios
actus discutite, dijudicate, punite, ne amo-
re vel odio a recto tramite recedatis, nec
alicujus personam accipiatis, nec munera
diligatis. Hoc demum et Christus in Evan-
gelio ait : Nolite, inquiens, secundum fa- *Joann.* VII,
ciem judicare, sed justum judicium judi- 24.
cate. Porro quod alibi dicit, Nolite judicare *Matth.* VII,
ut non judicemini, dictum est de judicio 1.
temerario, usurpato, inordinato. Unde Moy-
ses scribit : Juste judicabis, nec consideres *Lev.* XIX, 15.
personam pauperis, nec honores vultum
potentis; et alibi, Sic parvum audietis ut *Deut.* I, 17.
magnum, quia judicium Dei est. Væ ita-
que eis, præsertim judicibus ac prælatis,
qui secundum affectionem potius judicant,
quam secundum rationem. Propter quod
secundo libro Paralipomenon Josaphat ait
judicibus suis : Videte quid faciatis : non II *Par.* XIX,
enim hominum exercetis judicium, sed 6, 7.
Domini; et quidquid judicaveritis, in vos
redundabit. Sit timor Domini Dei vestri
vobiscum, et cum diligentia cuncta faci-
te. Insuper judicando non palpemus, nec
vane justificemus nos ipsos, sed fortiter
arguamus : quia ut ait Apostolus, Si nos I *Cor.* XI,
ipsos dijudicaremus, non utique judica- 31.
remur.

Et misericordiam, quantum ad interio-
rem compassionis affectum, *et miseratio-*
nes, quantum ad opera pietatis, *facite,*
unusquisque cum fratre suo, id est pro-
ximis, primo cognatis atque fidelibus, si
indigeant, secundum ordinem caritatis, spi-
rituali, non carnali, amore. Beati enim mi- *Matth.* V, 7.
sericordes, quoniam misericordiam conse-
quentur. Et judicium sine misericordia fiet *Jacob.* II, 13.
ei qui non fecerit misericordiam. *Et vi-* 10
duam, et pupillum, et advenam, et paupe-
rem nolite calumniari. Hæ namque perso-
næ sunt magis destitutæ humano solatio,
et magis miserabiles sunt : ideo major eis
est pietas impendenda, non calumnia in-
ferenda, secundum quod ait Psalmista :
Judicate egeno et pupillo, humilem et pau- *Ps.* LXXXI, 3.
perem justificate. Moyses quoque protesta-

Deut. x, 18. tur : Deus facit judicium pupillo et viduæ,
amatque peregrinum. *Et malum,* id est
nocumentum, *vir fratri,* id est proximo,
suo non cogitet in corde suo cum consen-
su et mora. Ex quo patet error dicentium
cogitationem non esse peccatum, quoadus-
que procedat in opus.
11 *Et noluerunt attendere* verba ista patres
vestri ante destructionem Jerusalem, *et
averterunt scapulam recedentes,* id est, cor
suum ex malitia averterunt a me, sicut is
qui hortantem contemnit, et ex contemptu
dorsum sibi in faciem vertit. Unde in Je-
Jer. II, 27. remia Dominus ait de istis : Verterunt ad
me dorsum, et non faciem. *Et aures suas
aggravaverunt,* id est, aures cordis imple-
verunt peccatis, quæ sunt gravissima ani-
mæ onera usque in infernum eam pre-
Ps. XXXVII, 5. mentia, sicut fertur in Psalmo : Quoniam
iniquitates meæ supergressæ sunt caput
meum, et sicut onus grave gravatæ sunt
12 super me; *ne audirent* verba salutis. *Et
cor suum posuerunt ut adamantem,* id est,
obstinatum atque durissimum exhibue-
runt, *ne audirent legem,* observando di-
vina præcepta, *et verba* exhortatoria, sa-
luberrima atque prophetica, *quæ misit
Dominus exercituum in spiritu suo sancto,*
id est in Spiritu Sancto, et ex revelatione
ipsius, *per manum,* id est subministra-
tionem, *Prophetarum priorum,* Jeremiæ,
Isaiæ, et aliorum qui Babylonicam captivi-
tatem præcesserunt. Simile huic est illud
Is. VI, 10; Matth. XIII, 15. Isaiæ : Incrassatum est cor populi hujus,
et auribus graviter audiverunt. Hinc Je-
Jer. V, 3. remias asserit : Induraverunt facies suas
super petram, et noluerunt reverti. Et ite-
Ibid. XVII, 23. rum : Non audierunt, inquit, nec incli-
naverunt aurem suam, sed induraverunt
aures suas, ne audirent, et ne reciperent
disciplinam. Porro, secundum Hierony-
mum, adamas lapis durissimus est, ita ut
omnia metalla confringat, et a nullo con-
fringatur. *Et facta est indignatio magna,*
id est, grandis et rigorosa punitio Judæis
inflicta est, *a Domino exercituum.*
13 *Et factum est sicut locutus est :* quia
per Chaldæos vastati sunt, sicut Prophetæ

A divinitus prænuntiaverunt. *Et sicut non
audierunt* verba mea, *sic clamabunt, et
non exaudiam* eos in tempore necessita-
tis : vel quia ex timore servili precati sunt,
et necessitate compulsi, non caritate indu-
cti; vel quia in præsenti sæculo volui eos
corrigere, ne in æternum perirent. Unde
per Isaiam Dominus ait : Quum extenderi- Is. I, 15.
tis manus vestras, avertam oculos meos;
et quum multiplicaveritis preces, non ex-
audiam.

Et dispersi eos per omnia regna quæ 14
B *nescierunt,* id est per diversa ac pluri-
ma regna, in quæ translati fuerunt, et eis
incognita erant, puta per regna Assyrio-
rum, Chaldæorum, Persarum, Medorum,
et regiones illis subjectas. *Et terra deso-
lata est ab eis,* eorum incolatu privata, *eo
quod non esset transiens et revertens* per
eam de populo Judæorum. *Et posuerunt
terram desiderabilem,* id est terram pro-
missionis uberrimam, lacte et melle ma-
nantem (de qua cantatur in Psalmo, Pro Ps. CV, 24.
nihilo habuerunt terram desiderabilem ;
C et Moyses asserit eam inter omnes terras Deut. IV, 22; VIII, 7-10.
egregiam), *in desertum :* id est, suis pec-
catis id meruerunt, quod per Chaldæos in
solitudinem est redacta, habitatoribus ejus
sublatis.

Expositio mystica. 5-7
DENIQUE, quod in hujus capituli princi-
pio dictum est contra Judæos indiscrete
abstinentes, mystice applicandum est om-
nibus Christianis non internis, sed rudi-
bus, qui pietatis actus et interiorem pro-
fectum ac virium animæ reformationem
D non satis curantes, sed negligentes, cor-
poralem exercitationem et exteriores ob-
servantias habent pro magno, faciunt-
que scrupulositatem non parvam in minus
principalibus, et principalia non adver-
tunt, caritatem, humilitatem, patientiam,
mititatem. Istis, si jejunia sua et cetera ex-
teriora sua exercitia cupiunt Deo placere,
inculcandum est ut juxta sensum præin-
ductum, verum judicium judicent, suisque 9-12
proximis compassivi, benigni, ac liberales
exsistant, mentem suam semper in Deo

stabiliant, omnem cordis duritiam prorsus A
abjiciant, sintque molles ac patuli ad sus-
14 cipiendum in se verbum Dei. Alioqui ter-
ra eorum erit desolata, id est Spiritus San-
cti inhabitatione privata, et per varia vitia
dispergentur.

ARTICULUS X

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI EXERCITUUM AD ME.

POSTQUAM præcedenti capitulo Domi- B
nus populum Judæorum multiplici-
ter increpavit, nunc variis promissionibus
consolatur eumdem, more optimi medici,
post potionem amaram adhibens remedi-
um dulce ac lenitivum : sic enim Sama-
Luc. x, 34. ritanus ille piissimus infudit vinum et
oleum.
1 *Et factum est verbum Domini exercitu-*
2 *um ad me, dicens : Hæc dicit Dominus*
exercituum : Zelatus sum Sion zelo ma-
Zach. i, 14. *gno.* Hoc idem scriptum est atque exposi-
tum primo capitulo. Synagogam quippe si- C
ve Israeliticum populum, qui hic nomine
Sion designatur, desponsavit sibi Deus, et
quasi in conjugem sibi assumpsit, dum ei
in deserto tradidit legem, ne de cetero
mente fornicaretur cum idolis gentium,
Ezech. xvi. sicut de hoc in Ezechiele multa mystice
conscribuntur. Propter quod in Jeremia
Jer. ii, 2. Dominus loquitur : Recordatus sum tui,
miserans adolescentiam tuam et caritatem
desponsationis, quando secuta es me in de-
serto. Itaque singulari quodam amore Deus
Sion dilexit, quemadmodum et in Deute- D
Deut. x, 15. ronomio Moyses contestatur : Patribus tuis
conglutinatus est Dominus Deus tuus, et
amavit eos, elegitque semen eorum post
eos. *Et indignatione magna zelatus sum*
eam, id est, contra transgressiones ipsius
ex zelo meo ad eam indignatus sum val-
de : non motum passionis vel tranquillita-
tis habendo, sed rigorosam punitionem in-
fligendo, sicut vir uxorem peccantem dire
redarguit. Ista indignatio fuit, quod tradi-
dit eam manibus adversariorum, Assyriis *IV Reg.* xv,
atque Chaldæis, ut patet in libro Regum. 19, 29; xvii, 3-6; xxv, 1
Hæc dicit Dominus exercituum : Rever- *et seq.*
sus sum ad Sion, id est, ab effectu justitiæ 3
ad misericordiæ dulcorem, ad populum
istum sine mea mutatione conversus sum,
et pœnitenti indulsi, ac gratiam præstiti ;
et habitabo in medio Jerusalem, id est in
templo ac populo, corda bonorum per ca-
ritatem ac gratiam inhabitando. Christus
quoque verus Deus et homo, Deus deorum, *Ps.* lxxxiii,
in Sion visibiliter conversatus ac visus est. 8.
Et vocabitur Jerusalem, civitas veritatis,
id est veri Dei, vel veritatis vitæ, doctrinæ
atque justitiæ, eo quod post reditum a
Chaldæa, fuerint in Jerusalem viri perfecti
ac virtuosi, veritatem in omnibus colen-
tes, loquentes, ac diligentes. Istud tamen
præcipue verificatum est per Christi ad-
ventum, qui in Jerusalem pluries prædi-
cavit : in quem et urbs postea credidit. *Et*
mons Domini exercituum, id est mons Sion
in quo constructum est templum, vocabi-
tur *mons sanctificatus,* id est ab idolola-
tria expurgatus, divinoque cultui deputa-
tus : de quo fertur in Psalmo, Induxit eos *Ps.* lxvii,
in montem sanctificationis suæ. Hinc in 54.
Isaia Dominus ait : Post hæc vocaberis ci- *Is.* i, 26.
vitas Justi, urbs fidelis.
Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc 4
habitabunt senes et anus in plateis Jeru-
salem, id est, viri et feminæ non interfi-
cientur nunc ut ante, tempore Babylonicæ
vastitatis, sed naturalis periodi cursum im-
plebunt; *et viri baculus in manu ejus præ*

multitudine dierum, id est, viri adeo erunt A
antiqui, quod deficientia atque trementia
5 membra baculo sustentabunt. *Et plateæ*
civitatis Jerusalem *complebuntur infanti-*
bus et puellis ludentibus in plateis ejus,
id est, ingens erit securitas, pax, et propa-
gatio hominum in Jerusalem, ita ut adole-
scentior ætas, juxta consuetudinem suam,
lusibus vacet. Hinc per Jeremiam loquitur
Jer. XXXIII, 10, 11. Dominus : Adhuc audietur in loco isto vox
gaudii et vox lætitiæ, vox sponsi et vox
sponsæ, vox dicentium : Confitemini Domi-
no exercituum, quoniam bonus, quoniam B
in æternum misericordia ejus.
6 *Hæc dicit Dominus exercituum : Si dif-*
ficile videbitur in oculis reliquiarum po-
puli hujus, id est, si et quamvis vobis, qui
de Babylonica captivitate superstites estis
atque reversi, videatur difficile, ut Jerusa-
lem ad tantam (sicut jam dixi) hominum
multitudinem, reparationem et prosperita-
tem pertingat, *in diebus illis,* id est tem-
pore isto quo hoc futurum dixi (istud
enim videbatur multis incredibile, eo quod
tempore prophetiæ hujus, adhuc pauci es- C
sent ibidem Judæi) ; *numquid in oculis*
meis, id est in luce sapientiæ et virtute
omnipotentiæ meæ, *difficile erit* istud im-
plere? *dicit Dominus exercituum.* Non uti-
Luc. XVIII, 27. que. Ideo in Evangelio ait Salvator : Quæ
apud homines impossibilia sunt, possibilia
sunt apud Deum. In Jeremia quoque habe-
Jer. XXXII, 17. tur : Domine Deus, non erit tibi difficile
omne verbum.
7 *Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce*
ego salvabo populum meum de terra ori-
entis, et de terra occasus solis, id est, de D
captivitate seu dispersione qua dispersi
ac capti fuerunt in diversis partibus mun-
di, scilicet in oriente et occidente, eruam
8 eos; *et adducam eos* ad Judæam, *et habi-*
tabunt in medio Jerusalem; et erunt mihi
in populum per specialem gratiam, quam
eis præstabo, *et ego ero eis in Deum* per
præcipuam devotionem eorum ad me, *in*
veritate, id est vera fide, et sana doctrina,
et in justitia, qua reddent unicuique quod
ei debetur, videlicet Deo et sibi ac proxi-
mo. Ut autem refert Hieronymus, quidam
Hebræi asserunt hæc impleta post ipsum
Zorobabel usque Herodis alienigenæ tem-
pus, quoniam interim templo reparato et
urbe, multi Judæorum de multis mun-
di partibus ad Jerusalem habitandi gratia
confluxerunt. Verius tamen pleniusque im-
pletum est post Christi adventum, quando
per Apostolorum prædicationem multi ubi-
que Judæi et gentiles a Deo electi, con-
versi sunt; spiritualiter quoque per fidem
et caritatem adducti, habitaverunt in ipsa
Ecclesia. De quibus et Christus prædixit :
Multi ab oriente et occidente venient, etc. *Matth.* VIII, 11.
Quidquid hic breviter dicitur, in Jeremia
et Ezechiele, imo et in Isaia diffusius scri-
bitur; sed brevitati studens, allegationes
dimitto.
Hæc dicit Dominus exercituum : Con- 9
fortentur manus vestræ, o Judæi, et virili-
ter agite, confidentes in Domino, *qui audi-*
tis in his diebus quibus templum quotidie
prosperatur, *sermones istos per os Prophe-*
tarum, videlicet Aggæi et Zachariæ, lo-
quentium vobis *in die qua fundata est*
domus Domini, de qua die supra dictum
est, *ut templum ædificaretur.* Ad hoc enim
domus Dei seu templum fuit fundata, ut
ædificaretur perfecte.
Siquidem ante dies illos, id est ante- 10
quam templum ædificaretur, *merces homi-*
num non erat, nec merces jumentorum
erat, id est, homines et jumenta in agri-
cultura, in mercimoniis aliisque diversis
operibus infructuose et frustra laborave-
runt, ita ut vix necessaria victui obtine-
rent. De hac terræ sterilitate propter negli-
gentiam populi circa ædificationem templi
inducta, dictum est plenius in Aggæo pro- *Agg.* I, 10, 11.
pheta. *Neque introeunti, neque exeunti*
propria loca, id est habitatoribus terræ,
erat pax præ tribulatione, id est adversa-
riorum persecutione atque multiplici ad-
versitate. Hoc clarius patet in libro Esdræ,
ubi inter cetera dicitur in principio libri
Nehemiæ : Qui remanserunt in provincia, II *Esdr.* I, 3.
in tribulatione magna sunt et in oppro-
brio; et murus Jerusalem dissipatus est, et

portæ ejus combustæ sunt igni. *Et dimisi* A
omnes homines, puta Judæos a captivitate
reversos, *unumquemque contra proximum*
suum, id est, domesticas insidias inter se,
permittente me, habuerunt. Ista tamen dis-
tributio est accommoda. De hoc quoque in
II *Esdr.* v, 4, 5, 8, 15. Esdra habetur, quemadmodum quidam Ju-
dæorum fratres suos vendebant, superio-
res quoque gravabant populum, et subdi-
tos oppresserunt.
11 *Nunc autem,* dum ædificationi templi
fortiter insudatis, *non juxta dies priores*
ego faciam reliquiis populi hujus, dicit B
Dominus exercituum, id est, populum is-
tum, qui de multis paucus remansit, non
ita affligam, sicut prædictis afflixi diebus ;
12 *sed semen pacis erit,* id est, filii pacis
erunt, me eis pacem donante. Vel, Semen
pacis erit, id est, semen eorum in terram
projectum, pacifice excoletur et germina-
bit. Ideo subditur : *Vinea dabit fructum*
suum, et terra dabit germen suum, et cœli
aerii *dabunt rorem suum :* quia ex nubi-
bus in aere motis, humor ad terræ fecun-
dationem descendit ; *et possidere faciam* C
reliquias populi hujus universa hæc ter-
ræ nascentia, ita quod hostes terram non
13 occupabunt. *Et erit,* id est, fiet quod di-
cam : *Sicut eratis maledictio in gentibus,*
domus Juda et domus Israel, id est, quem-
admodum vos, o duæ tribus, per domum
Juda significatæ, et vos, decem tribus, per
domum Israel designatæ, a gentibus male-
dicebamini tanquam infelices, egeni et mi-
Jer. xxix, 18. seri : juxta illud in Jeremia, Dabo eos in
vexationem et maledictionem et in stupo-
rem et sibilum gentibus ; *sic salvabo vos* D
de tribulationibus præinductis, *et eritis*
benedictio, id est, felices vos reputabunt.
Nolite timere carnali seu mundano timo-
re ; *confortentur manus vestræ.*
14 *Quia hæc dicit Dominus exercituum :*
Sicut cogitavi ut affligerem vos, quum ad
iracundiam me provocassent patres ve-
stri, Babylonica scilicet captivitate instan-
te, quando patres vestri idololatriæ dediti
15 erant, et etiam postea, *dicit Dominus, et*
non sum misertus ; sic conversus, cogitavi
in diebus istis quibus circa templum effi-
caciter laboratis, *ut benefaciam Jerusalem*
et domui Juda, id est duarum tribuum po-
pulo a Chaldæa reverso. Loquitur autem
Deus affectu et more humano, ut melius
capiatur, quanquam in ipso imperturba-
bili atque invariabili Deo nulla provocatio
sit ad iram, neque conversio mutationem
ponens in ipso. Qualiter vero ista sibi con-
veniant, dictum est sæpe. Hinc demum in
Jeremia habetur : Ego scio cogitationes *Jer.* xxix, 11.
quas cogito super vos, ait Dominus, cogi-
tationes pacis, et non afflictionis, ut dem
vobis finem et patientiam. *Nolite timere.*
Hæc sunt ergo verba quæ facietis : id 16
est, subscripta præcepta servabitis, ut me-
reamini beneficia repromissa semper te-
nere. *Loquimini veritatem, unusquisque*
cum proximo suo : id est, nullus alteri
mentiatur, sed veritatem simplici proferat
corde, secundum exigentiam causæ, loci
ac temporis, observando circumstantias ad
operationem virtutum requisitas. *Verita-*
tem, et judicium pacis, id est, quo pax
reparetur ac conservetur, *judicate,* id est
judicando perfecte, *in portis vestris,* o ju-
dices populi. Siquidem olim apud Judæos
judices residebant in portis, sicut et Moy-
ses jussit, Judices constitues in portis tuis : *Deut.* xvi, 18.
ut ab omnibus facilius invenirentur, et ne
rusticani atque agricolæ compellerentur
ingredi urbes, et rerum suarum pati dis-
pendium. *Et unusquisque malum contra* 17
amicum suum ne cogitetis in cordibus ve-
stris, et verbum * *mendax ne diligatis :* * juramentum
imo ut colubrum incessabiliter abhorrea- *Eccli.* xxi, 2.
tis. *Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit*
Dominus, qui detestatur, odit et reprobat
omne peccatum. De quo scriptum est in
libro Judith : Deus odit iniquitatem. Et *Judith* v, 21.
Moyses ait : Aversatur Dominus omnem *Deut.* xxv, 16.
injustitiam.
Et factum est verbum Domini ad me, 18
dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : 19
Jejunium quarti mensis, quo dirupta et IV *Reg.* xxv, 4 ; *Jer.* xxxix, 2.
capta est Jerusalem a Chaldæis, ut patet
quarto Regum : quo etiam mense secun-
dum Hebræos, Moyses tabulas testamenti *Exod.* xxxii, 19.

IV *Reg.* xxv, 8, 9. confregit; *et jejunium quinti* mensis, quo A
incensum est templum urbsque Jerusalem
Num. xiii, xiv. a Chaldæis : quo et Judæi in deserto jussi
sunt in eremum regredi, eo quod propter
verba exploratorum contra Dominum gra-
viter murmurassent; *et jejunium septimi*
IV *Reg.* xxv, 25. mensis, quo occisus est Godolias, et qui
secum erant Judæi, dispersi sunt; *et jeju-*
nium decimi mensis, quo propheta Eze-
chiel, et secum consistentes in Babylone
Judæi, primo audierunt templum esse com-
bustum, Jerusalemque destructam; *erit*
domui Juda, id est populo Synagogæ, *in* B
gaudium et lætitiam mentis et corporis,
Ps. lxxxiii, 3. juxta illud : Cor meum et caro mea exsul-
taverunt in Deum vivum. Delectatio siqui-
dem cordis redundat in corpus, atque in
Prov. xvii, 22. facie lucet, juxta illud Proverbiorum : Ani-
mus gaudens ætatem floridam facit; spi-
ritus tristis exsiccat ossa. *Et in solennitates*
præclaras : id est, sicut hucusque habue-
runt ista jejunia in luctu et gemitu pro-
pter adversa quæ temporibus prænomina-
tis contigerunt, ita deinceps habebunt ea
cum gaudio et festivitatibus magnis, pro- C
pter bona eis a me nunc promissa. His
Zach. vii, 3, 5. verbis solvitur quæstio, quæ præcedenti
movebatur capitulo, de observatione jeju-
nii quinti ac septimi mensis.

Veritatem tantum et pacem diligite,
veritatem videlicet triplicem, et triplicem
pacem, videlicet : veritatem doctrinæ, vi-
tæ, justitiæ; pacem pectoris, temporis,
æternitatis. Hæc igitur tantum amanda
sunt, non ut alia non amentur, sed ut ista
principalius quam corporalia exercitia dili-
gantur, nec aliquid his contrarium admit- D
tatur. Ecce his verbis jubemur vere, juste,
atque pacifice invicem conversari. Unde
Marc. ix, 49. et Christus ait : Pacem habete inter vos;
Matth. v, 9. et, Beati pacifici, quoniam filii Dei voca-
Joann. viii, 31, 32. buntur. Apud Joannem quoque : Si man-
seritis, inquit, in sermone meo, vere disci-
puli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et
veritas liberabit vos.

20 *Hæc dicit Dominus exercituum : Usque-*
quo veniant populi, prædicta jejunia erunt
Judæis in gaudium et solennitates præcla-
ras. Veritatem etiam et pacem diligendas
eis præcipio, quousque veniant populi, *et*
habitent in civitatibus multis, id est, Ju-
dæi in urbibus suis hucusque destructis
multiplicentur, *et vadant habitatores* ur- 21
bium harum, *unus ad alterum, dicentes :*
Eamus Jerusalem, *et deprecemur faciem*
Domini in templo jam reparato, *et quæra-*
mus Dominum exercituum, id est, ei pla-
cere, uniri, obedire, eumque perfectius
noscere studeamus per opera bona. Judæi
etenim certis temporibus anni tenebantur *Deut.* xvi, 16.
venire ad templum. *Vadam etiam ego.*
Istud, si ordinem litteræ rite pensemus, est
verbum in persona Domini exercituum,
et de ipso dictum, ut sit sensus : Vadam
etiam ego Dominus exercituum cum aliis
ad templum : quod utique in Domino no-
stro Jesu Christo, vero Deo et homine, im- *Luc.* ii, 42-46.
pletum esse Evangelistæ testantur. Unde
his verbis implicite insinuatur incarnatio
unigeniti Filii Dei. — Hinc alii præcedentia
verba pro tempore Christi exponunt, ut
sit sensus : *Usquequo veniant populi* ad
fidem Christi, nempe usque ad id temporis
cærimonialia legis duraverunt, *et habitent*
in civitatibus multis, non in Judæa dum-
taxat, sed in omni orbe terrarum, *et vadant*
habitatores, dicentes : Eamus, et depre-
cemur faciem Domini, in Ecclesia Christi
orantes Patrem in spiritu et veritate, in *Joann.* iv, 23.
omni loco puras manus ad Deum levantes. I *Tim.* ii, 8.

Et venient populi multi, et gentes robu- 22
stæ ad quærendum Dominum exercituum
in Jerusalem, et deprecandam faciem Do-
mini : quia ad templum illud non solum
Judæi, sed multi quoque gentilium oran-
di gratia confluxerunt, quemadmodum ex *Joann.* xii, 20.
evangelio Joannis comprobatur. Huic in-
super expositioni sequentia amplius con-
sonant.

Hæc dicit Dominus exercituum : In 23
diebus illis, videlicet tempore promulga-
tionis evangelicæ legis, seu apostolicæ præ-
dicationis, *in quibus apprehendent decem*
homines ex omnibus linguis gentium, et
apprehendent fimbriam viri Judæi, id est
vestimentum Christianorum ex Judaismo

in Christum credentium, præsertim Apo- A
stolorum, *dicentes : Ibimus vobiscum,* id
est, Deum colemus, et in Ecclesiam col-
ligemur, sicut et vos, credendo in Chri-
stum. *Audivimus enim* ex fama miraculo-
rum et documentorum vestrorum ex lege
et Prophetis, *quoniam Deus,* verus, unus
ac trinus, seu Christus, *vobiscum est* per
gratiam præeminentem et singularem. Por-
ro per decem, qui est numerorum termi-
nus, numerusque perfectus, multitudo seu
universitas gentilium Apostolis cohæren-
tium, atque in Christum credentium, de-
signatur. Innumerabiles enim adhæserunt
eisdem. Postremo quod ait, Decem homi-
nes ex omnibus linguis, dupliciter accipi
potest : primo, quod ex qualibet lingua
decem homines istud acturi sint; secundo,
quod ex omnibus simul : sed utroque modo
tempore Apostolorum exstat impletum.

ARTICULUS XI

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI OCTAVI INTELLECTU.

QUOD in præsentis capituli exordio ad B
litteram dictum est de Synagoga, spi-
ritualiter de Christi Ecclesia et qualibet
anima christiana accipi potest. Itaque Do-
2 minus ait : *Zelatus sum Sion,* id est Ec-
clesiam, seu animam christifidelem, *zelo
magno.* Ipsa enim est sponsa Christi, qui
ex amore suo ad eam factus est homo pro
ea, et proprio ipsam sanguine liberavit :
Cant. iv, 9. ad quam ait in Canticis, Vulnerasti cor
meum, soror mea, sponsa. Propter quod
Ephes. v, 25, 26. ad Ephesios dicit Apostolus : Christus di-
lexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum C
pro ea, ut illam sanctificaret. Sed et ipse-
Joann. xv, 9. met Christus in Joanne protestatur : Sicut
dilexit me Pater, et ego dilexi vos. *Et in-
dignatione magna zelatus sum eam,* quo-
niam quo eam plus diligo, eo peccata illius
amplius odio, et statim castigationem ad-
Apoc. iii, 19. hibeo : juxta illud Apocalypsis, Ego quos
amo, arguo et castigo.
3 *Hæc dicit Dominus : Reversus sum ad
Sion,* quoniam pœnitentem clementer re-
cipio, gratiamque refundo. Imo nondum
pœnitentem Christus frequenter piissime D
prævenit, ad bona instigat, ad gratiam
Job xiv, 15. aptat, spiritualiter visitat, et operi manuum
suarum in vitiorum cœno jacenti, adjutri-
Ps. xxxix, 3. cem porrigit manum, de lacu miseriæ et
de luto fæcis ipsam educens. *Et habitabo
in medio Jerusalem,* id est in pectore ani-
mæ seu Ecclesiæ, divinæ pacis visioni fi-
deliter inhiantis. Ideo orat Apostolus : Det Ephes. iii, 16, 17.
vobis secundum divitias gloriæ suæ, vir-
tutem corroborari in interiori homine per
Spiritum Sanctum, habitare Christum per
fidem in cordibus vestris. *Et vocabitur Je-
rusalem,* id est Ecclesia, *civitas veritatis,*
videlicet Christi, qui ait : Ego sum via, Joann. xiv, 6.
veritas, et vita. De qua fertur in Psalmo :
Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. In Ps. lxxxvi, 3.
Ecclesia nempe est unio civium : quibus
scribit Apostolus, Jam non estis hospites Ephes. ii, 19.
et advenæ, sed estis cives Sanctorum et
domestici Dei. Anima quoque justi, civitas
Christi censetur : quia in ea est cogitatio-
num et affectionum, tanquam civium, sub
rationis imperio ordinata consensio; et
mons sanctificatus, propter contemplatio-
nis sublimitatem, vitæ eminentiam, gratiæ
apicem. De quibus civitate ac monte ad
Hebræos legitur : Accessistis ad montem Hebr. xii, 22.
Sion, et civitatem Dei viventis, Jerusalem
cœlestem.
Hæc dicit Dominus : Adhuc habitabunt 4
senes et anus, id est in virtutum perfe-
ctione maturi, animo graves, in virtutibus
exercitati : quibus lacte opus non est, sed Ibid. v, 12.

solidum queunt capere cibum ; qui tentationibus probati sunt atque experti. Unde Sap. IV, 8, 9. in Sapientiæ libro habetur : Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis, vita immaculata. Verum, ut Isaias asserit : Is. LXV, 20. Puer centum annorum morietur. De hujuscemodi senibus scriptum est in Ecclesia- Eccli. VIII, 11. stico : Non te prætereat narratio seniorum. Hi moriuntur in senectute bona, senes et pleni dierum. Anus quoque sunt simili modo accipiendæ : quæ et aliorum matres digne possunt vocari. De qualibus dicit I Tim. V, 3. Apostolus : Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Hi itaque habitabunt, id est, stabiliter vivent ac permanebunt, *in plateis Jerusalem,* in divinis præceptis atque consiliis, in virtutibus cunctis, præsertim in caritate Dei ac proximi. Per has plateas ad æternam illam supercœlestem Jerusalem itur et pervenitur. Unde et scriptum est in Ps. XXX, 9. Psalmo : Statuisti in loco spatioso pedes Ps. CXVIII, 96. meos ; et, Latum mandatum tuum nimis. Cant. III, 2. Sponsa quoque in Canticis per vicos et plateas quærit quem diligit. Nec obstat, Matth. VII, 14. quod arcta est via quæ ducit ad vitam : arcta est equidem, quia difficulter in ea persistitur; et lata, quia ut regia via omnes capere potest, et per caritatem ad universos, etiam ad adversarios, se extendit.

Et viri baculus in manu ejus, id est, in horum seniorum manu seu potestate erit virga directionis, paterna correptio, auctoritas prælationis, consolatio et sustentatio infirmorum : idque conveniet eis *præ multitudine dierum,* id est merito sanctæ conversationis quam tempore longo du- I Tim. III, 6. xerunt. Unde Apostolus non vult neophytum ordinari episcopum. Propter quod Deut. I, 13. Moyses dixit : Date ex vobis viros sapientes et gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes. Et de reprobo populo Dominus Is. III, 4. in Isaia loquitur : Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis.

5 *Et plateæ civitatis,* id est mandata Ec- A clesiæ, *complebuntur infantibus et puellis,* id est innocentibus simplicibus, qui juxta Christi doctrinam conversi sunt, et facti Matth. XVIII, 3. ut parvuli : quibus dicit et Paulus, Nolite I Cor. XIV, 20. pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote; et Petrus in prima sua Canonica, Deponentes omnem malitiam et omnem I Petr. II, 1, 2. dolum, et simulationes et invidias, quasi modo geniti infantes rationabiles, lac concupiscite; *ludentibus in plateis ejus,* id est in divinorum præceptorum observantiis cordialiter gloriantibus, atque internam læ- B titiam gestu corporali monstrantibus : sicut et David testatur, Ludam, et ero hu- II Reg. VI, 22. milis in oculis meis. Denique et Sapientia ait in Proverbiorum libro : Delectabar per Prov. VIII, 30, 31. singulos dies, ludens coram Domino omni tempore, ludens in orbe terrarum. Insuper spiritualis recreatio et ludus ad eutrapeliam pertinens, competit istis pro causa, loco, et tempore.

Hæc dicit Dominus : Si difficile videbi- 6
tur in oculis reliquiarum populi hujus, id est, licet reformatio Ecclesiæ, et multi- C plicatio fidelium videatur impossibilis, aut multum difficilis bonis Christianis perpaucis, propter nimium lapsum fidelium; *numquid in oculis meis difficile erit?* Non plane, quia non erit impossibile apud Luc. I, 37. Deum omne verbum. Non ergo de reformatione Ecclesiæ desperemus, sed quo major est ejus indigentia ac ruina, eo instantius atque ferventius divinæ pietatis imploremus suffragia.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego salvabo 7
populum meum de terra orientis, et de D *terra occasus solis.* Ubique novit Dominus II Tim. II, 19. qui sunt ejus; et salvantur quicumque Act. XIII, 48. præordinati sunt ad vitam æternam.

Confortentur manus vestræ, et indefessi 9
in operibus bonis estote, *qui auditis in his diebus sermones istos* de reformatione Ecclesiæ promissionibusque divinis, et animarum profectu, *per os Prophetarum,* id est a prædicatoribus atque doctoribus, ceterisque devotis, futurum Dei judicium, ac omnium venturam finalem remunerationem jugiter vobis narrantibus (de quibus

I *Cor.* XIV, 29. ad Corinthios scribit Apostolus : Prophetæ A
duo vel tres dicant, et ceteri dijudicent),
in die qua fundata est domus Domini, id
est, animæ vestræ esse cœperunt domus,
templum ac thalamus Sponsi cœlestis, per
fidem formatam et gratiæ infusionem, *ut
templum ædificaretur,* id est, per opera
virtuosa continuata vos ipsi consecraremini
in templum Spiritus Sancti : sicut
Ibid. III, 17. ait Apostolus, Templum Dei sanctum est,
quod estis vos.

10 *Siquidem ante dies illos,* id est, antequam
domus Dei modo præfato initiaretur B
in vobis, *merces hominum non erat, nec
merces jumentorum,* id est, nec litterati,
nec idiotæ aliquid meritorie operabantur,
quoniam caritate infusa (quæ est animæ
vita) carebant, et sine gratia nihil futuræ
beatitudinis promeretur natura; *neque introeunti,
neque exeunti erat pax,* id est
vera mentis tranquillitas in Deo, *præ tribulatione,*
id est vitiorum inordinatione et
confusione. Animus quippe inordinatus,
sibi ipsi pœnosus est : sicut et vir eruditus,
Eccli. XXXVII, 22. tus, in Deo tranquillus, suavis est animæ C
suæ. *Et dimisi omnes homines, unumquemque
contra proximum suum.* Quum
enim caritas et gratia deest, mox oriuntur
Galat. V, 19-21. ex amore privato lites, contentiones, discordiæ,
et cetera opera carnis.

11 *Nunc autem,* quum domum conscientiæ
mihi præparaverunt, *non juxta dies priores,*
quibus sine gratia exsistentes, sine
mercede fuerunt, *ego faciam reliquiis po-*
12 *puli hujus,* id est residuis Christianis; *sed
semen pacis erit,* id est filii pacis atque
pacifice mutuo conversantes. *Vinea,* id est D
Ecclesia: de qua ait in Evangelio Christus,
Luc. XX, 9. Homo quidam plantavit vineam; de qua
Cant. VIII, 11. scriptum est in Canticis, Vinea fuit Pacifico;
dabit fructum suum, id est, in bonis
operibus fructuosa erit, ut dicere queat :
Ps. LI, 10. Ego autem sicut oliva fructifera. Vel vinea
Joann. XV, 1. ista est Christus, qui ait, Ego sum vitis
vera : qui dedit et dat fructum, spirituales
filios generando, et de plenitudine suæ
gratiæ ceteris influendo, suumque meritum
nobis per sacramenta applicando et

communicando. *Et terra dabit germen
suum.* Terra ista sunt, de quibus ait Salvator
: Quod autem in terram bonam cecidit, *Luc.* VIII, 15.
hi sunt qui audientes verbum Dei,
corde bono et optimo retinent, et afferunt
fructum in patientia. Quum ergo Dominus
benignitatem dat gratiæ suæ, terra nostra *Ps.* LXXXIV, 13.
dat fructum suum. *Et cœli dabunt rorem
suum :* id est, viri spirituales et contemplativi,
prædicatores verbi Dei, verba eruditionis
et consolationis auditoribus suis
infundent, et corda eorum irrigabunt, ac
fecundabunt.

Et erit : Sicut eratis maledictio in gentibus, 13
*domus Juda et domus Israel, sic
salvabo vos, et eritis benedictio.* Frequenter
contingit, ut aliqui Christiani, sive
sæculares, sive religiosi, et præsertim religiosi
et clerici, qui ad perfectiorem vitam
tenentur, suis exigentibus vitiis, gratia
Dei priventur, et deinceps valde reprehensibiliter
conversentur, atque ob id ab aliis
contemnantur et maledicantur. Quumque
clementia Dei ad virtuosam vitam reduxerit
eos, eatenus se emendant, ut alii ædificentur
et benedicant eisdem. Ideo Petrus
inducit : Abstinete a carnalibus desideriis, I *Petr.* II, 11, 12.
quæ militant adversus animam, conversationem
vestram inter gentes habentes bonam,
ut in eo quod detrectant de vobis,
tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus
vos considerantes, glorificent Deum.
Et rursus : Hæc est, inquit, voluntas Dei, ut *Ibid.* 15.
obmutescere faciatis imprudentium hominum
ignorantiam.

Cetera ex præcedenti articulo adeo lucide
patent, ut hic nihil reiterare oporteat.
Verumtamen huic quod nunc ait
Propheta, *Jejunium quarti, et jejunium* 19
quinti, etc., *erit domui Juda in gaudium,*
consonat quod in Matthæo loquitur
Christus : Quum jejunatis, nolite fieri sicut *Matth.* VI, 16-18.
hypocritæ, tristes; tu autem quum jejunas,
unge caput tuum, et faciem tuam
lava, ne videaris hominibus jejunans, sed
Patri tuo qui est in abscondito. Docemur
quoque ex his, jejunia temporalia, et alia
ab Ecclesia instituta atque præcepta, dili-

genter servare. Non enim sine mortali A
peccato omittuntur, nisi adsit vere ratio-
nabilis causa. Siquidem Deo et Ecclesiæ
rectæque rationi pariformiter obedire de-
bemus. Postremo, sic jejunare debet Chri-
stianus, ut vitia universa pro viribus vitet.
Eccli. Scriptum est enim : Homo qui jejunat in
xxxiv, 31. peccatis suis, et iterum facit ea, quid
23 proficit humiliando se? — Iterum, quum
aliquem justum sensatum et laudabiliter
in omnibus se habentem conspicimus, ap-
prehendamus vestem ipsius, dicentes :
Ibimus tecum : audivimus enim quoniam
Dominus tecum est. Hocque dicendo, se-
quamur vestigia ejus, seu virtutum exem-
pla. Ideo enim in Ecclesiastico dicitur : Eccli. vi,
Quum videris sensatum, statim evigila ad 36.
illum; et, Cum viro sancto assiduus esto. Ibid. xxxvii, 15.

ARTICULUS XII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI NONI : ONUS VERBI DOMINI.

CAPITULUM nunc elucidandum, obscu- B
ritatibus plenum est, atque ob id a
diversis diversimode explanatur. Porro di-
vus Hieronymus in exordio expositionis
ejus affirmat : Omnis hæc visio, ad voca-
tionem gentium et exstructionem Ecclesiæ
pertinet. Verumtamen expositio ista S. Hie-
ronymi, videtur aliis potius spiritualis et
mystica, quam litteralis : idcirco quidam
exponunt ad litteram de triumphis Judæo-
rum tempore Machabæorum, alii de victo-
riis Alexandri Magni. Judæi vero putant
hæc corporaliter adimplenda in adventu C
regis Messiæ, quem inaniter præstolantur
venturum, et in hoc mundo temporaliter
regnaturum; civitates quoque et regna hic
expressa, imo totum orbem Judæis subje-
cturum, non obstante quod in hoc ipso
capitulo primus Christi adventus in omni-
moda paupertate describatur. Primo igitur
breviter introducenda est expositio B. Hie-
ronymi.
1 *Onus verbi Domini*, id est afflictio pro-
phetico Dei eloquio designata, *in terra*
Adrach; Adrach, secundum Hieronymum, D
est dictio ex duobus integris composita,
scilicet ab AD, quod est acutum, et DRACH,
quod est molle. Itaque, Onus verbi Domini
Adrach, id est acutum in peccatores, et
molle in justos, in terra, id est, hominibus
imminet. Istudque onus verbi Domini, *et*
Damasci requiei ejus, id est super Dama-
scum, quæ est requies ejus, scilicet oneris
hujus, vel requies Domini, cujus onus su-
per eam incubuit. Unde Adrach quidam re-
ferunt ad populum Judæorum (in quos Do-
minus austeritatem clementiamque suam
exercuit : in eos quidem qui crediderunt,
clementiam; in alios, æquitatis rigorem),
Damascum autem, ad vocationem genti-
lium. *Quia Domini est oculus hominis,* id
est, oculus cujuscumque de gentibus in
Deum fide respiciens, ad Dominum perti-
net, *et omnium tribuum Israel,* id est,
oculus omnium Israelitarum in Deum re-
spicientium, similiter Dei est. *Emath quo-* 2
que, id est urbs illa quæ alio nomine
Antiochia appellatur, *in terminis ejus, et*
Tyrus et Sidon : id est, civitates istæ erunt
in terminis Damasci vel terræ Adrach,
credendo in Dominum Salvatorem, cui Pa-
ter ait in Psalmo : Postula a me, et dabo Ps. ii, 8.
tibi gentes hereditatem tuam. Et rursus de
Tyro cantat Psalmista : Audi, filia, et vide, Ps. xliv, 11-13.
et concupiscet rex decorem tuum, quo-
niam ipse est Dominus Deus tuus, et ado-
rabunt eum; et filiæ Tyri in muneribus,
etc. *Assumpserunt sibi quippe sapientiam*
valde : nam ante conversionem ad fidem,
in sapientia sæculi abundare conatæ sunt,

deinceps fide suscepta, in sapientia christiana.

3 *Et ædificavit Tyrus munitionem suam,* id est sophismata sua et dialecticæ retia, contra fidei veritatem, antequam fidei obediret; *et coacervavit argentum,* id est eloquentiæ nitorem, *quasi humum,* id est copiose, *et aurum,* id est sensuum calliditatem, *ut lutum platearum.* Sed istæ munitiones, per spiritualia arma sapientiæ atque virtutum Apostolorum dejectæ sunt, quemadmodum ad Corinthios dicit Apostolus : Arma militiæ nostræ non carnalia (II *Cor.* x, 4, 5.) sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

4 *Ecce Dominus possidebit eam,* convertendo eam ad fidem; *et percutiet in mari fortitudinem ejus :* id est, in mundo isto, qui est mare magnum amaritudine vitiorum, inquietudine negotiorum, multitudine periclitantium, conteret per apostolicam prædicationem præfatas Tyri munitiones, ne quid pristinæ sapientiæ in ea permaneat, sed eloquentiam suam atque scientiam in Dei convertat honorem; *et hæc igne devorabitur,* id est, quidquid vitiorum in ea est, igne illo purgabitur et tolletur, de quo Salvator : Ignem, inquit, veni mittere in (*Luc.* xii, 49.) terram. De quo in Matthæo loquitur Joannes Baptista, Ipse baptizabit vos in Spiritu Sancto et igni. (*Matth.* iii, 11.)

5 *Videbit Ascalon,* id est, urbs illa Palæstinæ considerabit conversionem Emath, Sidonis et Tyri, *et timebit* divinum judicium; *et Gaza, et dolebit nimis,* id est, etiam civitas illa, visis prædictis, sua vehementer lugebit peccata; *et Accaron* simili modo dolebit, *quoniam confusa est spes ejus,* id est, spes ejus pristina vana fuit, reprobataque est. *Et peribit rex de Gaza,* id est, princeps mundi hujus amplius in ea dominium non habebit, sed Christus; *et Ascalon non habitabitur* a talibus, quales ante demorabantur in ea, sed a fidelibus : nam et conversi, non fuerunt quod ante,

A eo sensu quod Salomon ait in Proverbiis : Verte impios, et non erunt. (*Prov.* xii, 7.) *Et sedebit separator in Azoto,* id est, Christus, qui triticum a palea, id est electos a reprobis, (*Matth.* iii, 12.) 6
segregat, in populo urbis istius converso regnabit. *Et disperdam superbiam Philistinorum,* id est, elationem eorum tollam ab ipsis, ut discant a Salvatore, quoniam (*Ibid.* xi, 29.) mitis est et humilis corde. *Et auferam* 7
sanguinem ejus, id est verba crudelitatis atque blasphemiæ, *de ore ejus, et abominationes ejus,* id est idololatriam et esum

B idolothytorum, *de medio dentium ejus,* ita quod ultra idola non colet, nec idolis immolata manducabit. *Et relinquetur etiam ipse Deo nostro,* id est, populus urbium harum Deo Israel adhærebit et attinebit, *et erit quasi dux in Juda,* id est ductor aliorum virtuosus in populo Christum confitente. Unde Septuaginta transtulerunt : Relinquentur et ipsi Deo nostro. *Et Accaron,* id est hujus civitatis plebs conversa, *quasi Jebusæus,* id est, similis erit Jerosolymitanis credentibus. Jerusalem quippe alio (*Josue* xviii, 28.)

C nomine dicta est Jebus.

Et circumdabo domum meam, id est 8
Ecclesiam militantem, *ex his qui militant mihi,* id est prædictis ad fidem conversis, vel prædicatoribus sanctis, qui muniunt alios, circumdant ac protegunt. Ideo subditur : *euntes et revertentes,* id est, hinc inde ad imperium Dei discurrentes, ad confirmandum credentes vel militantes. Isti sunt angeli sancti de cœlo ad terram euntes ac revertentes, quorum præsidio circumdat Deus Ecclesiam. *Et non trans-*

D *ibit super eos ultra exactor,* id est diabolus pro culpa pœnam infligere exigens, insatiabilis homicida, persecutorque pessimus. Is namque Christifidelibus prædestinatis prævalere in finem nequaquam permittitur. *Quia nunc vidi in oculis meis,* id est, ista omnia implebuntur, quoniam ego Dominus nunc et in momento æternitatis vidi ista futura, et ea facere decrevi in oculo pietatis ac sapientiæ meæ.

Hæc est Hieronymi super hunc passum expositio, quæ si litteralis censenda sit,

diligentis judicio derelinquo. Alii demum
exponunt pro tempore Alexandri Magni;
eritque sensus :
1 *Onus verbi Domini,* id est punitio pro-
phetice prænuntiata et superventura, *in
terra Adrach,* id est Syriæ, *et Damasci
requiei ejus,* id est in terra Damasci : quæ
fuit civitas metropolitana in Syria, ita quod
Syria in ea tanquam in capitanea urbe
Is. VII, 8. quievit, juxta illud Isaiæ, Caput Syriæ Da-
mascus; *quia Domini est oculus,* id est
inspectio, *hominis et omnium tribuum
Israel :* id est, Deus inspicit et disponit
actus humanos, præsertim populi Israel,
quem peculiariter præelegit, et de quo in-
carnari decrevit. Quoniam ergo Deus om-
nia regit, ejus est mala punire, et bona
remunerare. Unde Septuaginta transtule-
runt : Quia Dominus respicit homines, et
2 omnes tribus Israel. *Emath quoque et
Tyrus et Sidon in terminis ejus,* id est, ad
III *Reg.* VIII, 65; IV *Reg.* XIV, 28. Syriam pertinent : sicut tertio Regum in-
nuitur. *Assumpserunt sibi quippe sapien-
tiam valde,* id est terrenam illam pruden-
tiam, per quam temporalia colliguntur, ut
vita præsens in deliciis, divitiis atque ho-
noribus deducatur. De qua testatur Apo-
Rom. VIII, 6. stolus : Prudentia carnis mors est. De qua
Jacob. III, 15. item apud Jacobum fertur : Non est sa-
pientia ista de cœlo descendens, sed terre-
Baruch III, 23. na, animalis, et diabolica. Et Baruch : Filii
Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de
terra est, viam sapientiæ nescierunt.
3 *Et ædificavit Tyrus munitionem* contra
hostes, *et coacervavit argentum et aurum,*
etc. Erat nempe opulentissima civitas, et
Ezech. XXVI-XXVIII. sita in corde maris, sicut in Ezechiele ple-
4 nissime legitur. *Ecce Dominus possidebit
eam, et percutiet in mari fortitudinem
ejus, et igne devorabitur.* Hoc dicitur, quo-
niam Alexander rex divina virtute istam
urbem devicit atque combussit : nam ter-
ra, lignis et saxis aquam maris a littore
usque ad mœnia Tyri implevit, sicque
eam accessit.
5 *Videbit Ascalon,* etc., id est, præscriptæ
urbes Philistinorum, cognita Tyri destru-
ctione (quæ erat fortissima civitas : unde

A Nabuchodonosor eam obtinere non potuit
modo præfato), vehementer timebunt, ne
et ipsis similiter accidat. Timebit et civitas
Accaron, quoniam confusa est spes ejus,
id est, fiducia qua in auxilio Tyri confisa
est, evacuata consistit. *Et peribit rex de
Gaza.* Regulos enim Philistiim Alexander
dejecit. *Et sedebit separator,* id est Ale- 6
xander, qui terras separavit et suis divisit, I *Mach.* I, 7.
ut dicitur primo libro Machabæorum, *in
Azoto.* Secundum Hieronymum, in Hebræo
dicitur, Sedebit manzer. Et alius quidam
B affirmat, quod in Hebræo dicatur, Sedebit
spurius : idque huic expositioni alludit,
quoniam Alexander de adulterio natus fuit
ex Olympiade uxore Philippi, de Nectanabi
profugo rege Ægypti. *Et auferam san-* 7
guinem ejus de ore ejus, id est, non per-
mittam Alexandrum effundere sanguinem
Judæorum, quorum se sanguinem dixit fu-
surum : quia ut dictum est sexto capitulo, Cf. in *Zach.* VI, 3.
quum contra Judæam veniret, Deo dispo-
nente, in mansuetudinem versus fuit; *et
abominationes ejus,* id est, blasphemias
C ejus contra Deum Israel auferam. *Et relin-
quetur etiam ipse Deo nostro.* Nam Ale-
xander tandem Deum verum Judæorum
cognovit, et ei in templo sacrificavit, se-
cundum Josephum. *Et erit quasi dux in
Juda :* quia Judæis favorabilis fuit, præ-
sertim quia ex Daniele ostenderant sibi,
quod Deus prænuntiasset, ei subjicienda
esse plurima regna mundi, imo Medorum
atque Persarum, sicut in Scholastica ha-
betur historia. *Et Accaron quasi Jebu-
sæus :* id est, urbem Accaron nomine, sub-
D jugabit Judæis, quemadmodum per manum
David fuerat Jebusæus Judæorum plebi
subjectus, ut legitur secundo libro Regum. II *Reg.* V, 6, 7.
Præterea quæ sequuntur, de Machabæis
exponunt. *Et circumdabo domum meam,* 8
id est Synagogam et templum, *ex his qui
militant mihi,* id est Juda Machabæo, fra-
tribus et adjutoribus ejus, qui præliaban- I *Mach.* III, 2.
tur prælia Israel cum lætitia, templumque
Domini recuperaverunt ac mundaverunt, *Ibid.* IV, 36 *et seq.*; II *Mach.* X, 1-8.
ut scribitur primo et secundo libro Macha-
bæorum. *Et non transibit super eos ultra*

exactor, id est tributi quæsitor. Unde pri- A
I Mach. XIV, 13. mo libro Machabæorum legitur : Defecit impugnans eos super terram; reges contriti sunt in illis diebus. Postremo, si innumerabiles atque magnificæ illæ victoriæ [considerantur], quas primo Machabæorum in diversis capitulis leguntur Judas Machabæus et fratres ejus habuisse contra gentes vicinas, et præcipue contra Philistæos ac Syros, arbitror litteram istam satis congruenter posse applicari ad Machabæorum triumphos : cujus prosecutionem brevitati studens pertranseo, quia et B unicuique diligenter legenti innotescere potest.

Et quoniam sanctus Dei propheta hic Zacharias, Spiritu Sancto revelante agnovit, statim post eorum quæ dicta sunt expletionem, esse venturum regem Mes-
9 siam, mox gratulabundus adjungit : *Exsulta satis, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem*, id est, plebs Juda in Jerusalem habitans, in qua fuit mons Sion, ubi fuerat templum : ita quod idem populus designatur per fi- C liam Sion, filiamque Jerusalem : qui populus dicitur filia Sion, juxta modum loquendi propheticum sæpe jam explanatum.

Ecce Rex tuus, Christus Dominus : de
Jer. XXIII, 5. quo in Jeremia inducitur, Regnabit rex
Luc. I, 32, 33. et sapiens erit; et in Luca, Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis; *veniet tibi*, id est ad tuam operandam salutem, *justus* : quia secundum divinam naturam, totius sanctitatis atque justitiæ fons est. De quo in Sapientiæ libro
Sap. XII, 15, 16. legitur : Quum sis justus, omnia juste dis- D ponis; virtus enim tua, justitiæ initium est. Secundum naturam quoque assumptam justissimus utique fuit, quoniam Pa-
I Petr. II, 22. tris gloriam semper quæsivit, et peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Per viam quoque justitiæ pro hominibus satisfecit, pro illorum culpa se ipsum tradens caritative in pœnam acerbissimæ mortis, ut divinæ majestatis honori satisfieret, nec peccatum remaneret inultum.
Joann. VII, 18. Hinc de se ipso loquitur in Joanne : Qui quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est. De quo et Stephanus ait Judæis : Patres vestri Act. VII, 52. occiderunt eos qui annuntiaverunt de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis. *Et salvator*. De quo angelus dixit ad Joseph : Vocabis nomen Matth. I, 21. ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Nempe ut Deus, est salvator creative, efficienter et principaliter, peccata auctoritative dimittendo, gratiam per creationem infundendo, gloriam tribuendo; sed ut homo, Dei et hominum mediator, ipse quoque salvator est ut causa instrumentalis, dispositiva ac meritoria, quoniam sua sanctissima conversatione ac morte omnibus meruit indulgentiam, gratiam et gloriam. De quo ait Apostolus : Apparuit gratia Salvatoris Tit. II, 11. nostri. In cujus typo Joseph appellatus est Gen. XLI, 45. Salvator mundi.

Ipse pauper, secundum humanitatem, quantum ad usum. Siquidem, etiam ut homo, fuit Dominus universæ creaturæ, secundum quod dicitur in Joanne : Pater Joann. III, 35. diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. Sed nil in hoc sæculo voluit possidere per usum, ut perfectissimæ paupertatis et contemptus omnium terrenorum temporaliumque bonorum nobis exhiberet exemplum. Unde de se ipso in Evangelio contestatur : Volucres cœli nidos habent, Matth. VIII, 20. et vulpes terræ foveas; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Quum II Cor. VIII, 9. enim dives esset, propter nos egenus factus est, ut inopia ejus divites essemus. Hanc regis Messiæ paupertatem in primo suo adventu Jeremias admirans, ait : Quare Jer. XIV, 8. quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? *Et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ*. Hoc in Christo Domino nostro fuisse Matth. XXI, 1 et seq.; Luc. XIX, 29 et seq. impletum in die Palmarum, sacrosancti Evangelistæ concorditer profitentur. Scriptum est enim in Luca : Quum autem ap- Luc. XIX, 37, 38. propinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna,

super omnibus quas viderant virtutibus,
dicentes : Benedictus qui venit in nomine
Domini, pax in cœlo, et gloria in excel-
sis. Credendum est quoque, quod Christus
successive super utrumque animal sedit,
Cf. in Matth. xxi, 7. quemadmodum super Matthæum plenius
comprobavi. Porro, secundum Hierony-
mum, per asinam designabatur populus
Judæorum, qui jugum legis diu portavit;
per pullum, gentiles, qui populus freno-
rum legis divinæ ignarus, lascivus fuit
atque indomitus. Christus ergo utrique ani-
mali insedit, ad figurandum quod in mili-
tanti Ecclesia electis ex utroque populo
præsideret.

10 *Et disperdam quadrigam ex Ephraim,
et equum de Jerusalem :* id est, equi et
currus non erunt causa pugnandi in tribu-
bus Israel, sed [erit] pax atque concordia :
ideo subditur, *et dissipabitur arcus belli.*
Is. ii, 4. Unde in Isaia habetur : Non levabit gens
Jer. xxiii, 6. contra gentem gladium; et in Jeremia, In
diebus illis Israel habitabit confidenter. In
Christi enim adventu fuit pax inaudita,
longa et magna, toto orbe Romanis subje-
cto. Ex his confunditur Judæorum figmen-
tum, dicentium quod Christus in primo
suo adventu omnibus mundi regnis tem-
poraliter præsidebit, multosque gentilium
occidet. Unde jam subditur : *Et loquetur
pacem gentibus :* quia Apostolis jussit præ-
Marc. xvi, 15. dicare gentibus Evangelium pacis ; imo
Joann. xii, 20 *et seq.* per se ipsum aliquibus gentilium in Evan-
gelio legitur prædicasse. Hinc de Christo
Is. lv, 4. loquitur Pater in Isaia : Ecce testem popu-
lis dedi eum, ducem ac præceptorem gen-
Ibid. xlix, 6. tibus; et item, Dedi te (inquit) in lucem
gentium, ut sis salus mea usque ad extre-
mum terræ. Christus namque pacem docuit
Luc. x, 5. et præcepit; suisque Apostolis dixit : In
quamcumque domum intraveritis, primum
dicite, Pax huic domui. *Et potestas ejus a
mari usque ad mare,* id est per omnem
terram, a brachiis maris magni, inter se
vehementer distantibus, *et a flumine* Jor-
danis, seu alio quolibet, *usque ad fines
terræ :* quia ubique diffusa fuit prædicatio
novæ legis. Propter quod prædixit Psalmi-
A sta : Dominabitur a mari usque ad ma- *Ps.* lxxi, 8.
re, et a flumine usque ad terminos orbis
terræ.

Consequenter Propheta, vel Deus Pa-
ter omnipotens per Prophetam, alloquitur
Christum. *Tu quoque in sanguine testa-* 11
menti tui, id est merito tuæ benedictæ
passionis, et sanguinis tui effusione qua
confirmatum est novum Testamentum :
secundum quod Christus hora Cœnæ dixit
Apostolis, Hic est calix novi Testamenti in *Luc.* xxii, 20.
meo sanguine ; *emisisti vinctos tuos,* id
B est sanctos patres, et eos qui solo origina-
lis peccati reatu differebantur a gloria, *de
lacu in quo non est aqua,* id est de limbo
inferni, in quo consolatio defuit seu refri-
gerium vitæ æternæ. Christus equidem in
die resurrectionis hoc fecit, illos de infer-
no secum ducendo, sicut per Osee loqui-
tur : Ero morsus tuus, inferne. Unde et *Osee* xiii, 14.
hoc loco nomine laci, intelligit Hieronymus
infernum, in quo nulla est refrigeratio.
Verum de hoc inferno, quantum ad partem
ejus in qua nulla est spes futuræ libera-
C tionis, sancti patres non fuerunt.

Denique quæ sequuntur, intricata sunt
valde, et a diversis multiformiter intelli-
guntur. Itaque ait : *Convertimini ad mu-* 12
nitionem, id est, ad tutum locum redite,
vincti spei, id est, qui captivi fuistis cum
spe evadendi. Hoc S. Hieronymus bene
atque catholice refert ad præfatos electos,
qui cum Christo ascenderunt paradisum
cœlestem, qui est munitissimus locus. Qui-
dam exponunt de vocatione gentium ad
evangelicam legem, quæ est firma munitio;
D alii, de reditu Judæorum a Babylone ad
Jerusalem reædificatam; alii, de reversione
Judæorum a facie Antiochi regis fugien-
tium, qui auditis victoriis Judæ Machabæi
fratrumque ejus contra duces Antiochi, ad
Judam de diversis locis reversi sunt. Sed
quoniam tædiosum atque prolixum esset
omnes expositiones has prosequi, unam
quæ rationabilior apparet, deducam.

Sequitur ergo : *Hodie quoque annun-
tians,* id est, jam nunc per Zachariam
prophetam ista prædicens atque insinuans,

duplicia reddam tibi, id est præmium copiosum ac superabundans pro labore temporali et persecutione terrena, scilicet duplicem stolam, quæ est gloria corporis et animæ. Propter quod ait Apostolus ad Corinthios (II *Cor.* iv, 17.) : Id quod est in præsenti modicum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Christus quoque in Evangelio (*Luc.* vi, 38.) : Mensuram, inquit, bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinus vestros.

13 *Quoniam extendi mihi Judam, quasi arcum,* id est, electos Judæos in Christum credentes mihi assumpsi : ut sicut per arcum adversarii compelluntur et sagittantur, sic per eos gentiles, qui fuerant Deo inimici, convertantur et Christo subdantur. De his enim in Isaia Dominus loquitur (*Is.* lxvi, 19.) : Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes longe, tenentes sagittam. De quorum sagittis ait Psalmista (*Ps.* xliv, 6.) : Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis. *Implevi Ephraim,* id est filios Israel ex decem tribuum plebe in Christum credentes, Spiritu Sancto. Nomine equidem Ephraim, regnum ac populus decem tribuum in Scripturis sæpius designatur. Apostoli autem pro majori parte, multique credentium ex Judaismo in primitiva Ecclesia, ex decem tribubus erant : de quibus cantamus in Psalmo (*Ps.* lxvii, 28.), Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthali. *Et suscitabo filios tuos, Sion,* id est Apostolos atque ex Synagoga Christifideles, *super filios tuos, Græcia,* id est super plebem Græcorum, cui multi Apostolorum prædicasse noscuntur ; *et ponam te quasi gladium fortium :* id est, mea virtute infidelibus, o fidelis Synagoga, seu primitiva Ecclesia, prævalebis, convertendo eos ad fidem per hoc quod efficaciter ingeres eis verbum Dei (*Ephes.* vi, 16.) : quod est gladius spiritus, sicut ad Ephesios dicit Apostolus. Unde et in Isaia habetur (*Is.* xlix, 2.) : Dominus posuit os meum quasi gladium acutum.

14 *Et Dominus Deus super eos videbitur :* id est, gratia atque potentia ejus in illorum conversione splendebit ac innotescet ; *et exibit ut fulgur jaculum ejus :* id est, sermo divinus (qui est sagitta spiritualis, de qua in Isaia asseritur (*Is.* xlix, 2.), Posuit me Dominus quasi sagittam electam) splendide atque velociter ab Apostolorum ore ad corda illorum procedet. *Et Dominus Deus in tuba canet,* id est, per evangelicam Apostolorum prædicationem tubalem illis, quæ salutaria sunt, insonabit. Unde et Isaias (*Ibid.* lviii, 1.) : Quasi tuba, ait, exalta vocem tuam. Hinc Christus in Evangelio (*Marc.* iii, 17.) Joannem et Jacobum appellat filios tonitrui. *Et vadet in turbine austri,* id est, per Apostolos aliosque credentes, etiam australibus vitiorum turbine inquietis verbum Dei inferet gratiose.

15 *Dominus exercituum proteget eos,* videlicet prædicatores et milites suos præfatos, ne frangantur adversis; *et devorabunt et subjicient lapidibus fundæ,* id est, prædicationibus et comminationibus Scripturarum infideles totaliter superabunt, eorumque vitia consument, et ipsos evangelicæ legi prorsus subjicient. Prophetæ autem frequenter metaphorice et obscure loquuntur. Et jam mox in fine hujus capituli elucescet, quod Zacharias metaphorice nunc loquitur. *Et bibentes,* id est prædicatores prædicti de aliorum conversione se ipsos spiritualiter reficientes, *inebriabuntur quasi a vino,* id est, exuberanter omnino delectabuntur in Domino, sicut et Paulus scribit discipulis suis (I *Thess.* iii, 8.) : Nunc vivimus si vos statis in Domino; *et replebuntur ut phialæ,* id est, charismatibus Spiritus Sancti mirabiliter redundabunt : unde Paulus profatur (II *Cor.* vii, 4.), Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra; *et quasi cornua altaris,* quæ sacrificiorum sanguine replebantur in lege. Juxta hunc modum fertur in Psalmo (*Ps.* xxxv, 9.) : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; et (*Ps.* lxvii, 4.), Justi epulentur et exsultent in conspectu Dei. Atque in Canticis (*Cant.* v, 1.) : Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi.

16 *Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa,* id est, in evangelicæ legis prædicatione sanctos suos prædicatores de om-

nium persecutorum manu eripiet, æternaliterque salvabit, *ut gregem populi sui,* id est sicut oves suas electas : quibus ait,
Luc. xii, 32. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri dare vobis regnum. Unde et
II *Tim.* iv, 17, 18. Paulus ad Timotheum scribit : Dominus mihi adstitit et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur; liberavit me autem Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regnum suum cœleste. *Quia lapides sancti,* id est præfati Apostoli et viri perfecti a Deo electi, *elevabuntur super terram,* id est, per dona gratiæ meritaque præclara magni erunt in Ecclesia militanti, deinde per dona gloriæ et præmium consummatum in Ecclesia triumphanti et regione vivorum, quæ est terra ac patria Beatorum. De eis namque fertur in Psal-
Ps. xliv, 17. mo : Constitues eos principes super omnem terram. Ecce ex isto ostenditur, quod Propheta hic metaphorice loquitur, præsertim quum subdat :
17 *Quid enim bonum ejus est, et quid pul-*

A *chrum ejus?* id est, quid Deo omnipotenti decorum, gratum et placitum est? *nisi frumentum electorum,* id est corpus Christi, ex pane frumenti consecratum, seu ipsemet Christus, qui ait : Nisi granum fru- *Joann.* xii,
menti cadens in terram, mortuum fuerit, 24, 25.
ipsum solum manet; et alibi, Ego sum *Ibid.* vi, 51.
panis vivus; et, Caro mea vere est cibus. *Ibid.* 56.
De quo et in Psalmo cantamus, Erit firma- *Ps.* lxxi, 16.
mentum in terra in summis montium : ubi pro firmamento, alia translatio continet, Frumentum; et alia, Memoriale triticum.
B *Et vinum germinans virgines,* id est sanguis Christi sub vini specie, ad virgineam vitam sua gratia conferens ac perducens. Certum est autem, hæc de consueto materiali frumento et vino non posse intelligi : corporalia namque non sunt Dei præcipua bona. Quidam vero per frumentum electorum, intelligunt legem divinam, quæ est spiritualis fidelium cibus; per vinum vero, eruditionem sacræ Scripturæ, quæ gignit credentes.

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI DECIMI : PETITE A DOMINO PLUVIAM.

Zach. ix, 9. QUEMADMODUM præcedens capitulum, præsertim ab illo loco, Exsulta satis, filia Sion, a quibusdam ad litteram exponitur pro tempore Christi, ita et præsens capitulum. Verumtamen aliqui ipsum exponunt de multiplicatione fructuum terræ, et magnitudine victoriarum tempore Machabæorum. Tanta demum est capituli hujus difficultas, ut S. Hieronymus dicat : Omnis hic locus obscurus et dubius est. Itaque primam expositionem, quæ spiritualior est atque utilior, diffusius prosequar, deinde aliam tangam.

Quoniam ergo in præcedenti capitulo annuntiavit Propheta de Christi adventu et gentium conversione ad ipsum, nunc ad-

C monet : *Petite,* o omnes qui Christi optatis 1
adventum, *pluviam,* id est cœlestis gratiæ et evangelicæ prædicationis irrigationem, *a Domino,* ut Deus Pater Filium suum mittat in mundum. De quo canit Psalmi-
sta : Descendet sicut pluvia in vellus, et *Ps.* lxxi, 6.
sicut stillicidia stillantia super terram. Doctrina quippe pluviæ comparatur, juxta
illud Deuteronomii : Concrescat ut pluvia *Deut.* xxxii,
doctrina mea. *In tempore serotino,* id est 2.
in ultima mundi ætate et novi tempore Testamenti, de quo ait in prima sua epi-
D stola Joannes : Novissima hora est. *Et Do-* I *Joann.* ii,
minus faciet nives, id est documenta et 18.
gratiæ dona, vitiorum ardorem et concupiscentiæ æstum exstinguentia, *et pluviam*

imbris (de qua jam dictum est), quæ animæ infecunditatem siccitatemque tollit. *Et dabit eis singulis herbam,* id est incrementum spiritualis fecunditatis, *in agro* cordis, vel in ipsa Ecclesia, quæ est ager dominicus. Hæc ergo ad veri Dei cultum pertinentia, sunt petenda.

2 *Quia simulacra locuta sunt inutile :* id est, idola, quæ gentiles et aliquando Judæi coluerunt, inutiliter suis cultoribus sunt locuta, imo dæmones per illas imagines : non enim statuæ illæ, sed dæmones per eas, responsa dederunt; *et divini,* id est futurorum conjectores, *viderunt mendacium,* id est, falsum prædixerunt; *et somniatores,* id est, qui ex somniis suis phantasticis de rebus ferre sententiam præsumpserunt, *frustra locuti sunt* aliis, *et vane consolabantur* desolatos. Idololatriæ namque divinationibus, somniis atque auguriis intendebant gentiles, et frequenter Judæi.
Lev. xix, 26. Quocontra scriptum est in Levitico : Non augurabimini, nec observabitis somnia. In
Eccli. xxxiv, 1-3. Ecclesiastico quoque : Somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, secundum
Ibid. 7. hoc visio somniorum. Multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in
Ibid. 5, 6. illis. Divinatio erroris et auguria vanitas est; ne dederis cor tuum in illis. *Idcirco abducti sunt quasi grex :* id est, prædictis vanitatibus intenti, per errores a via veritatis atque justitiæ erraverunt; vel, in captivitatem translati sunt. Propter quod in
Is. liii, 6. Isaia legitur : Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit. *Affligentur* adversis et debitis pœnis, nisi pœniteant, *quia non est eis pastor,* id est fidelis atque idoneus doctor, prælatus seu princeps. Ideo Moyses oravit ad Do-
Num. xxvii, 17. minum : Ne sit populus tuus sicut oves absque pastore. Et in Proverbiis Salomon
Prov. xi, 14. scribit : Ubi non est gubernator, populus corruet.

3 *Super pastores iratus est furor meus.* Istud de indignis et falsis pastoribus tam Judæorum quam aliorum intelligi potest, qui sua negligentia atque malitia se ipsos

A et alios perdiderunt. Hinc per Ezechielem Dominus protestatur : Væ pastoribus qui Ezech. xxxiv, 2.
pascebant semetipsos. His non tantum ira, sed et furor imminet Dei, quia judicium Sap. vi, 6.
durissimum in his qui præsunt, fiet. Et Jeremias ait : Ululate, pastores, et clamate; Jer. xxv, 34.
et adspergite vos cinere, optimates gregis : quia impleti sunt dies vestri, ut interficiamini, et cadetis quasi vasa pretiosa. *Et super hircos visitabo,* id est, pastorum illorum discipulos, in vitiis consentientes suis pastoribus, puniam.

B Hujus autem causam vel signum subjungit Propheta. *Quia visitavit Dominus exercituum gregem suum,* id est oves, electos videlicet, *domum Juda,* puta Judæos in Christum credentes, et ceteros ei fideliter confitentes confessione laudis divinæ ac propriæ culpæ. Hæc visitatio in bono accipitur. *Et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello,* id est, in bonis fecit eos fortes, victoriosos ac agiles contra humanæ hostes salutis, instar equorum prævalidorum.

C *Ex ipso angulus,* id est, ex præfato Dei 4
grege processit regia dignitas, quæ continet populos, et copulat eos; *et ex ipso paxillus,* id est potestas seu ordo sacerdotalis, in quo alii pendent, quemadmodum in paxillo alia suspenduntur. Propterea in
Isaia Dominus ait : Figam illum, puta Elia- Is. xxii, 23.
cim sacerdotem, quasi paxillum. Et Petrus : Vos, inquit, genus electum, rega- I Petr. ii, 9.
le sacerdotium. Denique in domino Papa utriusque potestatis residet plenitudo. Et sicut per angulum Imperator, ita per pa-
D xillum summus posset accipi Pontifex. Imo per utrumque illorum intelligi potest Christus rex pontifex noster, qui secundum naturam assumptam est de grege
Ecclesiæ : sic enim caput Christi Deus. Et I Cor. xi, 3.
ipsemet : Narrabo, inquit, nomen tuum Ps. xxi, 23.
fratribus meis. *Et ex ipso arcus prælii,* id est efficacia impugnandi adversarios veritatis, videlicet sapientia, virtus et eloquen-
tia. De quibus testatus est Christus : Ego Luc. xxi, 15.
dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes ad-

versarii vestri. *Ex ipso egredietur omnis* A *exactor simul :* id est, a grege Dei electo separabitur et recedet omnis indignus ac reprobus dominator sive oppressor, juxta illud in prima Joannis Canonica : Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. (I *Joann.* II, 19.)

5 *Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio :* id est, omnibus adversariis suis, mundo, carni, diabolo, victoriosissime Deo auxiliante prævaluerunt, quemadmodum ait Apostolus ad Ro- B manos : Certus sum quia neque angeli, neque principatus, nec vita, nec mors, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei. (*Rom.* VIII, 38, 39.) *Et bellabunt, quia Dominus cum eis est.* Nonne sancti in primitiva Ecclesia fortissime contra hoc sæculum nequam, contra diabolum et proprium corpus pugnaverunt? quum dicat Apostolus : Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit; (II *Tim.* II, 5.) et item, Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi. (I *Cor.* XV, 32.) Fuit autem Christus cum eis per gratiam singularem, qui C ait : Sine me nihil potestis facere. (*Joann.* XV, 5.) Unde hac Dei gratia Petrus destitutus, mox ad vocem ancillæ succubuit : (*Matth.* XXVI, 69-74.) qui postea in verbo oris sui contra principes sacerdotum triumphanter pugnavit. (*Act.* IV, 8 *et seq.*) *Et confundentur ascensores equorum,* id est filii hujus sæculi in propria fortitudine confidentes. Quidam enim eorum bene confusi sunt, ad pœnitentiam redeuntes; alii in malitia persistentes, æternam confusionem illapsi sunt. Est nempe duplex confusio, scilicet bona et mala, secundum illud Ecclesiasti- D ci : Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. (*Eccli.* IV, 25.)

6 *Et confortabo* per dona Spiritus Sancti, per virtutes et gratiam multiformem, *domum Juda,* id est ex Judaismo credentes in Christum de regno duarum tribuum; *et domum Joseph salvabo,* eos videlicet qui ex decem tribubus crediderunt : qui nomine Joseph designantur, eo quod primus eorum rex fuit Jeroboam de tribu Ephraim filii Joseph. *Et convertam eos* ad fidem catholicam, *quia miserebor eorum.* Bonitas enim et pietas Dei, non meritum nostrum, est totius salutis et gratiæ nostræ prima principalisque causa. Ideo ait Psalmista : Brachium eorum non salvavit eos; sed dextera tua et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis. (*Ps.* XLIII, 4.) *Et erunt sicut fuerunt, quando non projeceram eos,* id est, donis gratiæ abundabunt, quemadmodum ipsi seu patres eorum, quando peccatis a me aversi non fuerant. Sicut autem tempore David fuit magna valde in Synagoga devotio, sic multoque plus, quando post resurrectionem Christi missus est filiis præelectis Israel Spiritus Sanctus. *Ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos.* Ideo Joannes in prima fatetur sua Canonica : Fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus. (I *Joan.* III, 21, 22.) Christus quoque in Evangelio : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. (*Joann.* XIV, 13; XVI, 23.) Porro in quam supernaturalibus et miraculosis operibus Deus exaudierit eos, in Actibus Apostolorum, legendis chronicisque Sanctorum relucet.

Et erunt quasi fortes Ephraim, id est 7
sicut Josue ac ceteri justi de tribu Ephraim nati, qui ab æquitatis semita non discesserunt : prout de ipso in Josue legitur, quod non præterivit de universis mandatis Domini, ne unum quidem verbum. (*Josue* XI, 15.) *Et lætabitur cor eorum quasi a vino,* id est, spiritualibus delectationibus exuberabunt in Deo. Quibus et Christus locutus est : Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis; (*Luc.* X, 20.) et rursus, Gaudete in illa hora et exsultate, quando videlicet omnem adversitatem et persecutionem patimini. (*Ibid.* VI, 23.) *Et filii eorum,* id est discipuli per eos in Christo renati per prædicationem atque Baptismum, *videbunt,* id est, gratiam patrum suorum cognoscent, *et lætabuntur,* considerando beneficia Dei; *et exsultabit cor eorum in Domino,* sicut in principali objecto, omnis boni datore primo, summo, dignissimo, ad quem referenda est omnis lætitia ex creatis bonis concepta : ut omnino qui gloriatur, in Domino glorietur, in (II *Cor.* X, 17.)

quo solo delectari debet rationalis crea- A
tura.
8 *Sibilabo eis,* id est, verbum evangelicæ
legis eis annuntiabo, *et congregabo illos*
spirituali unione per fidem, spem et ca-
ritatem, *quia redemi eos.* Christus enim
quantum in se est, universos redemit. *Et*
multiplicabo eos, sicut ante fuerant mul-
tiplicati. Apostoli enim, aliique ex Ju-
daismo conversi, plures spirituales filios
habuerunt, videlicet universos quos genu-
erunt in Christo, quam unquam carnales
9 filios habuit Synagoga. *Et seminabo eos in* B
populis, id est, per diversas gentium na-
tiones et terras dispergam et mittam Apo-
stolos et primos ex Judæis credentes : de
Is. XLII, 12. quibus scriptum est in Isaia, Ponent Do-
mino gloriam, et laudem ejus in insulis
Marc. XVI, 15. nuntiabunt. Quibus et Christus ait : Euntes
in mundum universum, prædicate Evan-
gelium omni creaturæ. *Et de longe recor-*
dabuntur nominis mei, id est, de omnibus
finibus mundi me collaudabunt, per se
ipsos et eos quos converterint. Propter
Is. XXIV, 16. quod cecinit Isaias : A finibus terræ audi- C
vimus laudes, gloriam Justi. *Et vivent* vita
gratiæ in via, et vita gloriæ in patria, *cum*
filiis suis spiritualibus ac devotis ; *et re-*
vertentur per mentis recollectionem atque
affectuum adunationem ac simplificatio-
Luc. X, 42. nem in Deum, ut unum illud quod solum
necessarium est, ultimate intendant.
10 *Et reducam eos de terra Ægypti, et de*
Assyriis congregabo eos, id est, de terris
dispersionis eorum eripiam eos ; *et ad ter-*
ram Galaad et Libani adducam eos. Plu-
rimi quippe Judæi in mundi partibus con- D
versi, ad terram promissionis rediisse ex
devotione leguntur. *Et non invenietur eis*
locus. Hoc accipi potest, quia tot converte-
runt, quod solita locorum angustia conti-
neri non poterant, juxta illud in Isaia :
Is. XLIX, 20. Angustus est mihi locus ; fac spatium, ut
11 habitem. *Et transibunt in maris freto,* per
loca aquosa redeundo ad terram optatam
navigio aut pari adminiculo ; *et percutiet*
in mari fluctus, id est, fluctus marinos
cessare Dominus faciet, ut secure proce-
dant. Unde per Isaiam Dominus ait : Me *Is.* LX, 9.
insulæ exspectant, et naves maris in prin-
cipio, ut adducam filios tuos de longe. *Et*
confundentur omnia profunda fluminis,
id est, per modum erubescentis se habe-
bunt, dum jussione divina a naturali desi-
nunt fluctuatione turbulenta. *Et humilia-*
bitur superbia Assur, id est, Assyriorum
elatio dejicietur, quia conversi ex eis, facti
sunt humiles, increduli vero, in tartarum
sunt projecti ; *et sceptrum Ægypti recedet*
a pristina idolorum cultura, vel in parte
magna deficiet, quia Octavianus, sub quo
natus est Christus, regnum Ægypti sibi
subjecit, atque in diversas partes divisit,
ut esset de cetero regnum humile et non
rebelle.
Confortabo eos, videlicet primitivæ Ec- 12
clesiæ filios, *in Domino, et in nomine ejus*
ambulabunt, id est in ipso, secundum vo-
luntatem ipsius, atque in gratia ejus ac spe
divina in omnibus conversari, prædicare,
et facere satagent, *dicit Dominus.* Ecce
in isto versiculo rursus loquitur Deus Do-
minus de Deo Domino, quasi de alio : per
quod in divinis pluralitas Personarum in-
nuitur.

NUNC breviter tangam quomodo præsens Alia expositio.
capitulum pro tempore Machabæorum pos-
sit exponi. Itaque, quod in ejus exordio
dicitur, *Petite pluviam a Domino,* etc., 1
accipiendum est de pluviis quibus terra
Israel fecundabatur, et quæ ad fructifican-
dum necessariæ erant.
Visitavit Dominus exercituum gregem 3
suum, domum Juda, id est fideles atque
constantes illos qui sub persecutione An-
tiochi permanserunt in lege, quibus præ-
fecit Judam Machabæum et fratres ipsius.
Ex quo grege fuit *angulus,* scilicet regia 4
dignitas, *et paxillus,* id est sacerdotium,
et arcus prælii, id est viri fortissimi ad
pugnandum. Unde ait Hieronymus : Judas
Machabæus, et quotquot de genere ejus
principes fuerunt in populo, et angulus
erant, quia regia potestate populum con-
tinebant ; et paxillus, quia fuerunt sacer-

dotes; et arcus prælii, quia viri fortissimi, A
ut non solum aciem exercitumque disponerent, sed primi ad prælium prosili-
5 rent. *Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio.* Longo siquidem tempore oppresserunt Macedones. *Et confundentur ascensores equorum,* videlicet duces regum Græciæ, contra quos Machabæus cum suis pugnavit atque præliavit, sicut primo Machabæorum copiose describitur.
6 *Et confortabo domum Juda,* id est eos qui de genere Judæ Machabæi fuerunt, vel B
ex duarum tribuum populo Machabæum juverunt; *et domum Joseph salvabo,* id est, illos qui ex decem tribubus sibi adsistebant, de manu adversariorum eripiam. *Et convertam eos* de locis ad quæ confugerunt, in quibus et latuerunt ad tempus, scilicet in deserto, juxta illud secundi libri
II *Mach.* v, 27. Machabæorum : Judas Machabæus secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat, et fœni cibo vescentes demorabantur. *Ego Dominus Deus exaudiam eos.* Quam mira- C
biliter Deus exaudierit Judam et commilitones ejus, primo et secundo Machabæorum
7 libris satis describitur. *Et lætabitur cor*
I *Mach.* III, 2. *eorum quasi a vino.* Præliabantur enim

prælia Israel cum lætitia, et post victorias quasdam valde supernaturales, maximas Deo gratias referebant, juxta illud secundi
Machabæorum : In hymnis et confessionibus benedicebant Domino, qui magna fecit in Israel, et victoriam dedit eis. II *Mach.* x, 38.
Et filii eorum videbunt patrum suorum triumphos, *et lætabuntur.*
Sibilabo eis, id est, sono aliquo, ut re- 8
vertantur, eis insinuabo, *et congregabo illos, quia redemi eos* de adversantium manibus; *et multiplicabo eos, sicut ante fuerant multiplicati,* antequam scilicet Baby-
lonica fuit captivitas. *Et seminabo eos in* 9
populis. Judas namque cum suis diversas
gentilium terras intravit atque vastavit, I *Mach.* v.
videlicet terram Philistiim, Idumææ, filiorum Ammon et Syriæ. *Et de longe recordabuntur mei :* in omni enim loco Deo
gratias referebant. *Et reducam eos de terra* 10
Ægypti et de Assyriis. Judæi namque hinc inde dispersi, audita eorum qui in terra Israel habitabant prosperatione, redierunt illuc quamplurimi. *Et non invenietur eis locus,* id est, terra Israel capere eos non poterit. Hoc per hyperbolen dictum esse intelligi potest, eo quod ultra spem plures valde reversi sunt. Cetera ex præinducta expositione utcumque clarescunt.

ARTICULUS XIV

DE SPIRITUALI ET MYSTICA EJUSDEM CAPITULI DECIMI ELUCIDATIONE.

UNIVERSIS autem fidelibus, id quod ait D
1 scriptura ista, implendum est : *Petite pluviam a Domino,* id est divinorum stillicidiorum instillationem a Deo in mentem, uberrimam quoque a Spiritu Sancto fecundationem, refrigerationem, et salutaris sapientiæ aquam. Unde apud Joannem
Joann. IV, 13. dicitur : Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. *Et Dominus faciet nives,* id est dona gratiæ, desi-

deriorum malorum ardorem delentia; *et pluviam* optatam jam dictam infundet,
secundum illud Apocalypsis : Qui sitit, veniat; et qui vult, bibat aquam vitæ gratis. *Apoc.* XXII, 17.
Hinc in Joanne legitur : Clamabat Jesus : Si quis sitit, veniat ad me et bibat. *Joann.* VII, 37.
Et dabit eis singulis herbam, id est bonæ famæ odorem, virtutum virorem, spirituale germen,
in agro cordis atque Ecclesiæ. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit. *Matth.* VII, 8.

2 *Quia simulacra,* id est vana phantasma- A
ta, feminarum imagines cordi impressæ,
Coloss. III, 5. peccata, præsertim avaritia, quæ idolorum
est servitus, hæreticorum et schismatico-
rum figmenta et dogmata, hypocrisis, et
cetera vitia specie virtutum velata, *locuta
sunt inutile,* quia ad inanissima verba fa-
ciunt hominem prosilire; *et divini,* qui
sibi quod Dei est usurpantes, de futuris
prænosticant inordinate, et longam sibi
vitam promittunt, *viderunt mendacium,*
quia decepti; *et somniatores frustra locuti
sunt.* Ecce his verbis docemur somnia B
vana contemnere, nec somniatorum verbis
intendere. Circa quod multi imprudenter
se habent, et tales sæpe a dæmonibus ad
magnas illusiones trahuntur. Angelus quip-
II Cor. XI, 14. pe Satanæ se transfigurat in angelum lu-
cis. Unde subjungitur : *Abducti sunt* a
Deo et veritate doctrinæ per vitia et erro-
res, *affligentur* ultione divina, *quia non
Joann. X, 11, 14. est eis pastor.* Christum enim, qui ait, Ego
sum pastor bonus, non imitantur : ideo
devorantur ab infernalibus lupis, de qui-
Ps. LXXIII, 19. bus cantamus in Psalmo, Ne tradas bestiis C
animam confitentem tibi.

3 *Super pastores iratus est furor meus.*
Sicut dicit S. Bernardus : A nullis sustinet
Christus tantam jacturam atque injuriam,
ut a sacerdotibus, prælatis, pastoribusque
indignis, qui gregem sibi creditum negli-
gunt, et animas pro quibus sanguinem
suum Christus effudit, perire permittunt,
imo sæpe et faciunt, subditos scandalizan-
do, insufficientes vicarios substituendo,
sæculariter carnaliterque vivendo. His ergo
justissime iratus est furor impassionabilis D
Dei. Quocontra beatissimus archiapostolus
Petrus in prima sua hortatur Canonica :
I Petr. V, 1-3. Seniores, obsecro, pascite qui in vobis est
gregem, providentes secundum Deum, non
turpis lucri gratia, neque ut dominantes in
cleris, sed forma gregis effecti, et ex ani-
mo. *Et super hircos visitabo,* id est carna-
les et reprobos : de quibus in Evangelio
Matth. XXV, 33. fertur, quod Christus statuet oves a dex-
tris, hœdos autem a sinistris.

*Visitavit Dominus exercituum gregem
suum, domum Juda,* id est veros Christi
confessores, et electorum Ecclesiam. Tales
enim Dominus Deus per gratiam Spiritus
Sancti, angelorum præsidia et alia media,
dirigit, custodit et salvat, quamvis pastores
negligenter et vitiose se habeant, quemad-
modum apud Ezechielem testatur : Ecce Ezech. XXXIV, 10, 11, 15, 22.
ego ipse requiram gregem meum, et pa-
scam oves meas, salvabo gregem meum.
Ex ipso angulus, id est, Deus ex grege suo 4
præficiet principem virtuosum, qui conti-
neat alios et conservet; *et ex ipso paxil-
lus,* id est prælatus idoneus : propter quod
in Jeremia, Dabo, inquit, vobis pastores Jer. III, 15.
juxta cor meum, et pascent vos scientia et
doctrina; *et ex ipso arcus prælii,* id est
arma spiritualis militiæ, virtutes et dona
Spiritus Sancti, quibus victorialiter contra
omnia tentamenta pugnatur. *Et erunt qua-* 5
*si fortes conculcantes lutum viarum in
prælio.* Electi nempe ac virtuosi, divino
suffulti auxilio, miserabilem istam ac lu-
tosam carnem castigant, refrenant, sicque
Satanam cum mundo suppeditant, cum
Paulo dicentes : Omnia possum in eo qui Philipp. IV, 13.
me confortat; et cum Psalmista, Qui tribu- Ps. XXVI, 2.
lant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et
ceciderunt. *Et bellabunt* contra concupi-
scentias, passiones et vitia, quibus impii
vincuntur et obsequuntur, *quia Dominus
cum eis est* per gratiam adjuvantem : aliter
enim et ipsi fœdus inirent cum morte, et
adversariis suæ salutis manum porrige-
rent. Ideo illud Jeremiæ dicere cum gra-
tiarum actione humilitateque possunt :
Dominus mecum est quasi bellator fortis : Jer. XX, 11.
idcirco qui me persequuntur, cadent et
infirmi erunt. *Et confundentur ascensores
equorum,* id est inaniter gloriosi in sæculo
isto : de quibus cantatur in Psalmo, Ab Ps. LXXV, 7.
increpatione tua, Deus Jacob, dormitave-
runt qui ascenderunt equos.

Et confortabo domum Juda, eos vide- 6
licet qui in verbis et actibus Dominum
laudant; *et domum Joseph,* id est eos qui
in virtutibus crescunt, *salvabo.* Joseph au-
tem incrementum vel crescens interpre-
tatur. Qui vero in virtutibus non crescit,

decrescit. Ideo dicit Apostolus ad Colos- A
Coloss. I, 10. senses : Ambuletis digne Deo, per omnia
7 crescentes in scientia Dei. *Et erunt quasi*
fortes Ephraim, id est, spirituali ubertate
Matth. XXV, 29. implebuntur. Habenti enim dabitur, et
abundabit. Merita quoque de meritis ori-
untur, atque ad majora merita pertrahunt,
sicut mala de malis, et mala minora ad
Eccli. XIX, 1. graviora disponunt : idcirco qui modica
negligit, cito deficiet. Ephraim autem in-
terpretatur ubertas.
8 *Sibilabo eis,* per instinctum angelicum
Joann. III, 8. ac divinum. Spiritus enim ubi vult spirat; B
et vocem ejus audis, sed nescis unde ve-
niat aut quo vadat. *Et congregabo illos,* ut
vinculo caritatis maneant jugiter adunati,
Ps. LXVII, 7. uniusque moris habitent simul in domo;
et multiplicabo eos numero et merito :
quemadmodum ad Thessalonicenses orat
I Thess. III, 12. Apostolus : Vos autem Deus multiplicet, et
abundare faciat caritatem vestram in in-
10 vicem et in omnes. *Reducam eos de terra*
Ægypti et de Assyriis, id est de tenebris
hujus mundi et potestate diaboli. Ægyptus
namque, quæ interpretatur caligo, figura C
est mundi. Assyrius vero, qui secundum
Hieronymum interpretatur arguens vel con-
vincens, est diabolus, fratrum infatigabilis Apoc. XII, 10.
accusator. *Et ad terram Galaad et Libani,*
id est ad societatem ac vitam spiritualem
virtute splendentium, *adducam eos,* ut de
vitiis ad virtutes transmigrent, virtutibus-
que dealbati nitescant. Galaad enim, trans-
migrationis testimonium ; Libanus vero,
dealbatio interpretatur. *Et transibunt in* 11
maris freto, id est, sæculum istud mari
comparatum, sine submersione peccati per-
ambulabunt ; *et percutiet in mari fluctus,*
id est, inquietudines mundi eis sedabit.
Post tempestatem enim dat Deus tranquil- Tob. III, 22.
litatem : qui non sinit nos tentari supra I Cor. X, 13.
possibilitatem, et tribulationis tempore spe- Ps. XC, 15.
cialius adest. *Et humiliabitur superbia*
Assur : id est, dæmonum tentatorum no-
strorum præsumptio dejicietur, dum Chri-
sti virtute ab electis vincuntur, atque sub
pedibus fortium conteruntur ; *et sceptrum*
Ægypti recedet : id est, mundanæ conversa-
tionis imperium cadet, nec electis fidelibus
prævalebit. Cetera ex præinductis patent.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : APERI, LIBANE, PORTAS TUAS.

POSTQUAM de prosperatione Judæorum
post reditum de Babylone, multa præ-
dixit Propheta, jam de eorum calamitate D
non parva prænuntiat, ne prosperis extol-
Eccli. XI, 27. lantur, sed in die bonorum memores sint
malorum.
1 *Aperi, Libane, portas tuas.* Secundum
Hieronymum et universos expositores, hic
prænuntiatur destructio templi, civitatum
et populi Judæorum a Romanis : ita quod
nomine Libani, templum tempore Zacha-
riæ ædificatum notatur, ob suam altitudi-
nem et decorem. Nihil enim monte Libano
in terra promissionis excelsius est, nemo-
rosius, sive condensius, secundum Hiero-
nymum. Libanus ergo portas suas aperuit
permissive, quando per eas ingressi sunt
templum Romani sub Tito ac Vespasiano.
Et comedet ignis cedros tuas. Romani enim
templum incenderunt, et omnia ligna ex
quibus fuit constructum. *Ulula, abies, quia* 2
cecidit cedrus. Per abietem principes, per
cedrum sacerdotes Judæorum signantur.
Monet igitur eos Propheta ut mutuo se
deplorent. Quid enim per abietem cedrum-
que significaverit, subdit : *quoniam ma-*
gnifici, id est superiores in Synagoga,
vastati sunt a Romanis. *Ululate, quercus*

Basan, quoniam succisus est saltus muni- A
tus. Si per quercus Basan et saltum mu-
nitum seu nemorosum, intelliguntur ligna
illa et arbores in regione Basan trans Jor-
Num. XXXII, 33. danem, ubi olim tribus Ruben et Gad ac
media tribus Manasse habitaverunt; tunc
quercus jubentur ululare materialiter et
metaphorice, propter succisionem saltus
illius : Romani enim ligna succiderunt. Si
vero per quercus Basan intelliguntur Ju-
dæi ibidem manentes ; tunc per saltum
succisum accipitur ipsa Jerusalem urbs
Judææ fortissima, vel templum ejus fir- B
missimum, cujus destructio fuit omnibus
3 Judæis ratio ululandi. *Vox ululatus pasto-*
rum, id est, sonus et clamor maximi fle-
tus sacerdotum atque doctorum Judaicæ
plebis, dire insonuit, *quia vastata est ma-*
gnificentia eorum, scilicet famosum il-
lud ac prænominatum templum ipsorum.
Vox rugitus leonum, id est principum po-
puli hujus, *quoniam vastata est superbia*
Jordanis, id est terræ seu populi Judæo-
rum circa Jordanem, qui est maximus flu-
vius in Judæa, secundum Hieronymum : C
unde et de fluvio illo tremebant.
4 *Hæc dicit Dominus Deus meus : Pasce*
pecora occisionis : id est, tu, Zacharia pro-
pheta, populum istum instar brutorum oc-
cidendum tempore Titi, nunc instrue, præ-
dicendo jam eorum calamitatem futuram,
quatenus ipsi tempore suo, illam ex tuo
vaticinio perpendentes sibi mox immine-
re, convertantur, spiritualiterque salven-
5 tur. *Quæ* pecora *qui possederant,* puta
Romani, *occidebant* ea, *et non dolebant*
eis compatiendo ; *et venundabant ea, di-* D
centes : Benedictus Dominus, divites facti
sumus. Romani quippe innumerabiles Ju-
dæos vendiderunt, et de eorum pretio glo-
riantes, benedicebant Domino, cujus nutu
et potestate putabant se prævaluisse. Et
forte quemadmodum Nabuchodonosor ad
Jer. XL, 2, 3. Sedeciam, ac Nabuzardan ad Jeremiam di-
xerunt ac fassi sunt, quod Judæi propter
peccata in Deum ipsorum commissa, tra-
diti essent in manus hostiles, ita Romani
saltem nonnulli judicabant Judæos propter

iniquitates suas traditos sibi. *Et pastores*
eorum, id est sacerdotes et majores Ju-
dæorum, *non parcebant eis.* Nam ante ad-
ventum Romanorum subditos aggravave-
rant, suaque infidelitate ac vitiis ad tantam
vastitatem eos duxerunt.
Et ego non parcam ultra super habi- 6
tantes terram, id est, Judæorum terræ ac
plebi non parcam diutius, *dicit Dominus.*
De hac siquidem terra Judææ fit sermo.
Ecce ego tradam homines Judæos, *unum-*
quemque in manu proximi sui : quia ut
Josephus scribit, instante Judæorum de-
jectione a Tito, maxima fuit inter eos dis-
cordia, ita ut in tres partes dividerentur,
et se mutuo impugnarent atque oppri-
merent ; *et in manu regis sui,* videlicet
principis Romanorum, seu imperatoris,
qui contra Judæos per Titum prævaluit. *Et*
concident terram, id est, urbes et habita-
cula Judæorum demolientur Romani. Uni-
versas siquidem Judæorum urbes, secun-
dum Hieronymum, destruxerunt. *Et non*
eruam de manu eorum, id est, Judæos de
manu Romanorum usque in finem mundi
non eripiam. Pervenit enim ira Dei super I *Thess.* II, 16.
eos usque in finem, sicut a Daniele fuit
prædictum : Civitatem et sanctuarium dis- *Dan.* IX, 26, 27.
sipabit populus cum duce venturo, et finis
ejus vastitas, et usque in finem perseve-
rabit desolatio. De hac Judæorum vastatio-
ne apertissime scriptum est in Isaia : Facti *Is.* XLII, 22, 25.
sunt (inquit) in rapinam, nec est qui eru-
at ; in direptionem, nec est qui dicat, Red-
de. Dominus combussit eos in circuitu, et
non cognoverunt. Ideo hoc loco ait Hie-
ronymus : Audi, Judæe, qui tibi spes va-
nissimas repromittis, et non audis dicen-
tem affirmantemque Dominum, Non eruam
de manibus eorum, quod æterna sit apud
Romanos tua futura captivitas. *Et pascam* 7
pecus occisionis, id est, Judæos morti de-
stinatos interim alam, donec eorum tem-
pus adveniat. *Propter hoc, o pauperes gre-*
gis, id est, o vos fideles Judæi in Christum
credentes, ex populo gregis præfati, seu
Synagogæ, qui in primitiva Ecclesia cun-
cta terrena sprevistis, vitamque pauper-

rimam deduxistis : audite quæ sequenter A
dicturus sum.
Et assumpsi mihi duas virgas, id est,
duos populos ad cultum meum ego Deus
omnipotens vocavi : eos videlicet qui erant
et mihi servierunt sub lege naturæ, quan-
Gen. IX, 1 et seq. do post diluvium tempore Noe omnibus
gentibus benedixi et modum vivendi præ-
scripsi ; et alios qui a tempore Moysis, vel
potius Abrahæ, specialiter ad cultum Dei
vocati sunt, puta Judæos. *Unam vocavi*
* alias *decorem* *decoram*,* id est, primum populum appel-
lavi pulchrum, vel propter naturæ purita- B
tem, vel quoniam nondum ad idololatriam
declinavit, et quia pulcherrimum fuit ut
universitatis creator et pater omnes indif-
ferenter ad se colendum vocaret; *et alte-
ram vocavi funiculum,* scilicet populum
Judæorum, quem a ceteris mihi abscidi,
meoque cultui singulariter, aliis ad idolo-
latriam labentibus, mancipavi : quemad-
Deut. XXXII, 9. modum in Deuteronomio habetur, Pars
autem Domini populus ejus, Jacob funicu-
lus hereditatis ejus. *Et pavi gregem :* quia
utrumque populum sustentavi, et specia- C
liter populum Israel spiritualiter enutri-
Is. I, 2. vi : juxta illud Isaiæ, Filios enutrivi et
exaltavi, ipsi autem spreverunt me.
8 *Et succidi tres pastores in mense uno.*
Hos tres pastores intelligit Hieronymus,
fuisse Moysen, Aaron, et Mariam : qui
Deum offenderunt, atque eodem mense
deleti sunt aliquo modo. Siquidem illo
Num. XX, 1-13. mense quo Maria soror Moysis Aaronque
defuncta est, Moyses et Aaron Deum ad
aquas Contradictionis offenderunt, mox-
que divinitus adjudicati sunt non ingredi D
terram promissam, sed mori in solitudine.
Is. XLIII, 27. De quibus et per Isaiam Dominus ait : In-
terpretes tui prævaricati sunt ; itemque
Ps. CXL, 6. in Psalmo, Absorpti sunt juncti petræ ju-
dices eorum. Alii, tres pastores accipiunt
sacerdotes, et prophetas falsos, ac princi-
pes Judæorum : qui omnes pariter post
Christi passionem a Romanis occisi sunt.
Et contracta est anima mea in eis, id est,
peccatis eorum indignatus sum, et quan-
tum ad hæc, mihi displicuerunt. Unde de

eis cantamus in Psalmo : Deus, tu propi- Ps. XCVIII, 8.
tius fuisti eis, et ulciscens in omnes adin-
ventiones eorum. *Siquidem et anima eorum
variavit in me,* id est, mihi uniformiter
atque stabiliter non adhæsit, nec credidit,
sed sæpe male agentes variaverunt cor
suum a me.
Et dixi : Non pascam vos. Deus enim 9
comminabatur frequenter se populum Is- Exod.
rael occisurum propter eorum peccata, sed XXXII, 10-14; Num. XIV,
Moyse exorante, placatus est. Vel, Non pa- 11-20.
scam vos, ad terram promissionis introdu-
cendo. *Quod moritur, moriatur ; et quod
succiditur, succidatur :* id est, universi
Judæi, qui contra me toties murmurave-
runt in solitudine, cadant et deleantur.
Nempe de tot millibus numeratis, soli Jo- Num. XXVI,
sue et Caleb terram sanctam ingressi sunt, 64, 65.
ceteris in eremo mortuis. *Et reliqui vorent
unusquisque carnem proximi sui,* id est,
mutuo se occidant : sicut et factum fuit
post aurei vituli adorationem ; quando tot
millibus occisis, Moyses dixit : Consecra- Exod.
stis manus vestras Domino, unusquisque XXXII, 29.
in fratre suo et proximo suo.
Et tuli, id est, a me projeci seu abstuli, 10
virgam meam quæ vocabatur decus, id
est populum nationum, *et abscidi eam* a
collegio electorum, atque a meo obsequio,
quando ad idololatriam declinaverunt. Om- Ps. XIII, 3.
nes enim declinaverunt, simul inutiles fa-
cti sunt. Ista abscisio facta est quando
Judæorum populus ad Dei cultum speciali-
ter vocabatur, secundum Hieronymum. *Ut
irritum facerem fœdus meum, quod per-
cussi cum omnibus populis,* id est, pactum
illud dirumperem, per quod tempore Noe
omnes nationes ad cultum meum vocan-
das institui, quando et omnibus benedixi,
formamque vivendi præfixi : secundum Gen. IX, 1-17.
quod in Genesi describitur. Hæc dictio, Ut,
tenetur hic concomitanter, non causaliter,
sicut in Psalmo : Tibi soli peccavi, ut ju- Ps. L, 6.
stificeris. *Et in irritum deductum est in* 11
die illa, id est, tempore jam præfato dirу-
ptum est : quia ut ait Hieronymus, statim
ut Israel assumptus est, gentium turba
projecta est. *Et cognoverunt sic pauperes*

gregis, id est humilis atque fidelis populus Judæorum, vel etiam alii ad gregem dominicum pertinentes, divinitus illustrati, puta electi gentiles, qui de Christi adventu fidem habuerunt, ut Job, *qui custodiunt mihi,* id est, ad honorem nominis mei præcepta mea observant, *quia verbum Domini est,* id est, quod ista gentium abjectio sit a Deo prævisa, prædicta, inflicta. *Gen.* xvii, 7. Unde ad Abraham Dominus dixit : Pactum meum statuam inter me et te et semen tuum. Moyses quoque populo Judæorum *Deut.* vii, 6; xiv, 2; xxvi, 18. perhibuit : Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram.

12 *Et dixi* ego Deus *ad eos,* puta ad Judæos mihi deservientes : *Si bonum est in oculis vestris,* id est, si rationabile vobis apparet, *afferte mercedem meam,* id est, vicem mihi rependite, et aliquid pro me donate, mihi servite ac obedite pro beneficiis tantis, quod scilicet præ cunctis nationibus vos in populum hereditarium funiculumque assumpsi ; *et si non,* id est, si istud vobis non placet, nec justum videtur, *quiescite,* id est, a cultu meo cessate. Hoc Dominus ait, non licentiando ad malum, sed insinuando quod nullum cogit ad bonum, sed quemlibet in libertate arbitrii sui relinquit. Sic namque et Christus dixit ad Judam : *Joann.* xiii, 27. Quod facis, fac citius, scilicet me tradendo. Unde in Ecclesiastico scriptum est : *Eccli.* xv, 14. Deus creavit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos :* id est, pro tantis bonis quæ eis exhibui, tandem pro me jam incarnato, ut traderer eis ad occidendum, exposuerunt triginta denarios, juxta illud Matthæi : *Matth.* xxvi, 14, 15. Abiit Judas ad principes sacerdotum, et ait eis : Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam ? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Hæc ergo dicuntur ex persona Filii, non Patris, aut Spiritus Sancti.

13 *Et dixit Dominus ad me* Zachariam : *Projice illos ad statuarium,* id est, ante Deum omnium judicem, fictorem, fusorem, seu figulum, projice istos argenteos, A vel projiciendos pronuntia, ut Deus factum istud decernat, et pretium istud dijudicet. Statuarius autem, fictor seu fusor statuarum vocatur. Denique aliqui dicunt, in Hebræo tale verbum haberi, quo non solum statuarius, sed et thesaurarius possit intelligi : ut denarii isti designentur projecti coram sacerdotibus in templum, qui erant thesaurorum templi custodes. *Decorum pretium quo appretiatus sum ab eis.* Hoc Christus ironice seu cum irrisione subsannationeque dicit, tanquam dicat : B Quam vilis ab eis sum reputatus, qui me tam modico pretio vendendum atque emendum judicaverunt ! *Et tuli,* id est, accepi ego Zacharias, *triginta argenteos,* pretium Christi, *et projeci illos in domum Domini ad statuarium.* Hoc Zacharias in imaginaria quadam repræsentatione, et prophetica futuri significatione fecisse credendus est, ad innuendum quod proditor Christi realiter faceret quod Propheta sibi facere in visione imaginaria videbatur.

Hanc autem scripturam allegat beatissimus *Matth.* xxvii, 9. C Evangelista in Christi passione impletam. Sensum tamen magis quam verba commemorat, et aliqua interponit, secundum quod Spiritus Sanctus eum instruxit. — Præterea, sicut in aliis locis, ita et hic sacra Scriptura quasi de eisdem loquens, loquitur de diversis, ad eumdem tamen pertinentibus populum. Solet quippe sub nomine populi de diversis quasi de eisdem loqui.

14 Consequenter Dominus ait : *Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur funiculus :* D id est, statim quum tam vili pretio Judæi Christum emissent, tamque atrociter occidissent, abjeci virgam meam secundam, videlicet populum Judæorum, tradens eos usque in finem manibus Romanorum ; *ut dissolverem germanitatem,* id est propinquitatem atque concordiam, *inter Judam et Israel,* id est, fratres ab invicem separarem : eos videlicet qui ex Judaismo crediderunt in Christum, qui nomine Judæ signantur, et eos qui credere renuerunt, et nomine Israel exprimuntur,

eo quod decem tribus quæ in infidelitate
sua a tempore Jeroboam permanserunt,
nomine Israel et Ephraim sæpius denoten-
Matth. x, 34, 35. tur. Unde Christus in Evangelio ait : Non
veni pacem mittere in terram, sed gladium : veni enim separare filium adversus
patrem suum, et filiam adversus matrem
suam, etc.

Jam per Zachariam Deus prædixit se relicturum populum Judæorum, eo quod
Christum suscipere despexerunt ; nunc de
eorum seductione ab Antichristo, et de adventu atque operibus Antichristi, prophe-
15 tia inducitur. *Et dixit Dominus ad me : Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti,* id
est, insignia et vestimenta seu habitum
pastoris hujusmodi indue, vel applica tibi,
videlicet peram pastoralem, baculum, fistulam, sibilum : hoc est, ista assumendo,
non solum verbis, sed rebus et factis denuntia esse futurum quod dicam : quem-
Is. xx, 2-4. admodum Isaias, nudus eundo, populi
Ezech. xii, 7 *et seq.* captivitatem monstravit ; Ezechiel quoque
parietem perfodiendo, et vasa sua transferendo, quid futurum eis esset, rebus ostendit. Prophetæ namque non verbis dumtaxat, sed operibus etiam frequenter aliqua
nuntiant. Insuper juxta Hebræos, cujuslibet artis instrumenta, vasa artificis nuncupantur.

16 *Quia ecce ego suscitabo* permissive *pastorem in terra,* utpote Antichristum, de
Joann. v, 43. quo ait Salvator : Ego veni in nomine
Patris mei, et non accepistis me ; si alius
venerit in nomine suo, illum accipietis.
Quoniam enim Christum summam veritatem suscipere noluerunt, justo Dei judicio
ab Antichristo decipi merebuntur Judæi,
sicut ait Apostolus ad Thessalonicenses :
II Thess. ii, 11, 10. Quia non crediderunt veritati, consenserunt autem iniquitati, ideo mittet illis Deus
spiritum erroris, ut credant mendacio. Is-
vers. 9. tis enim dixerat Deus : Non pascam vos ;
quod moritur, moriatur. *Qui derelicta non visitabit,* id est, impios a Deo relictos, ad
viam justitiæ non reducet, *dispersa non quæret,* id est, a Deo per errores vitiaque
divisos spiritualiter non adunabit, *et con-*

A *tritum non sanabit,* id est, vitiis saucium
non curabit, *et id quod stat, non enutriet,*
id est, exsistentes in gratia non corroborabit, *et carnes pinguium comedet,* id est,
divitum bona consumet, *et ungulas eorum dissolvet,* non consentientes sibi crudeliter
persequendo, vel consentientes sibi spiritualiter occidendo. Itaque pastor iste nefarius, nullum veræ pietatis opus ad bonum spectans prælatum habebit, sed omnia
prorsus contraria. Ideo contra eum exclamat Propheta :

B *O pastor,* simulatione ac nomine, *et ido-* 17
lum, id est, falsum et vanum simulacrum,
quod appares non exsistendo, et qui te
pro Deo facies adorari (extolletur enim *II Thess.* ii, 4.
supra omne quod est aut colitur Deus, ita
ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus), *derelinquens gregem,* id
est, tibi adhærentes subvertens ! *Gladius super brachium ejus :* id est, supra et contra potestatem Antichristi erit virtus, ultio
atque sententia Christi, qui spiritu oris *Ibid.* 8.
sui interficiet eum ; *et super oculum dex-*
C *trum ejus,* id est super sapientiam illam
eximiam, quam sibi inesse confinget. Asseret enim se omnibus sapientiorem. Sed
Christus illustratione adventus sui destruet *Ibidem.*
eum, ejusque figmenta nudabit. De qua re
in Daniele, et in Apocalypsi per diversa *Dan.* vii, 21-27 ; *Apoc.* xiii-xxii.
capitula plenius scribitur. *Brachium ejus ariditate siccabitur,* id est, omnis potestas
ejus dejicietur ; *et oculus dexter ejus,* id
est sapientia divinorum, quam sibi inesse
testabitur, *tenebrescens,* vitiorum caligine
obnubilata, *obscurabitur :* quia et ipse in
D exteriores tartareas impelletur tenebras.
Ipse enim est pseudopropheta et bestia, de
quibus tanta in Apocalypsi leguntur.

Præterea ista de Antichristo prolata, de
negligentibus et superbis, imperitis carnalibusque pastoribus accipi possunt : qui
sibi commissos spiritualiter non pascunt,
non docent, non arguunt, non emendant,
neque sustentant, neque perficiunt, imo
negligunt et seducunt, sed de eorum bonis
delicate se nutriunt. Horum cuilibet Dominus clamat : O pastor et idolum, derelin-

quens gregem ! Cujus potestatem et intel- A
lectum Christus dure tractabit. Unde boni
pastoris est, gratia auxiliante, implere quod
Ezech. xxxiv, 16. Dominus ait per Ezechielem : Quod per-
ierat requiram, et quod abjectum erat re-
ducam, et quod confractum fuerat alliga-
bo, et quod infirmum fuerat consolidabo,
et quod pingue et forte custodiam ; et pa-
scam illas in judicio.

Postremo, per duas virgas de quibus
nunc factus est sermo, quidam intelligunt
duos reges, vel duo regna, videlicet dua-
III *Reg.* xii. rum tribuum ac decem, hoc est : Jero- B
boam, qui pulcherrime locutus est decem
tribubus, propter quod dicitur virga de-
cora; et Roboam, qui dixit ad populum,
Ego cædam vos scorpionibus, ideo ap- III *Reg.* xii, 11.
pellatur funiculus. Primo autem abscidit IV *Reg.* xvii, 6.
Deus regnum decem tribuum per Salma-
nasar regem Assyriorum, deinde duarum
tribuum regnum per Titum atque exerci-
tum Romanorum. Siquidem per Chaldæos *Ibid.* xxv.
non erat omnino præcisum, sed post cer- I *Esdr.* i, ii, vii.
tum tempus reductum. Per tres autem
pastores, uno mense succisos, intelligunt
Ochoziam regem Juda, et Joram regem Is-
rael, ejusque matrem Jezabel, quæ simul
cum ipso populum rexit : quos Jehu fi- IV *Reg.* ix, 24, 27, 33.
lius Namsi simul occidit, ut legitur quar-
to Regum.

ARTICULUS XVI

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : ONUS VERBI DOMINI SUPER ISRAEL.

PRÆSENS capitulum et omnia quæ se- C
quuntur, maximis obscuritatibus plena
sunt, et a diversis expositoribus multifor-
miter exponuntur. Intendo autem sequi
Hieronymum, quanquam et ipse recita-
tive potius quam assertive in hoc loco
loquatur.

1 *Onus verbi Domini,* id est vastitas divi-
no sermone prænuntiata, *super Israel,* id
est contra plebem Judaicam. *Et dixit Do-
minus extendens cœlum,* id est, orbes cœ-
lestes in latissima figura constituens, vel
in maxima quantitate molitus : sphærica D
namque figura capacissima est. Unde in
Is. xl, 22. Isaia dicitur : Qui extendit velut nihilum
cœlos, et expandit illos sicut tabernaculum
Ps. ciii, 2. ad inhabitandum; itemque in Psalmo, Ex-
tendens cœlum sicut pellem. *Et fundans
terram,* id est, sua virtute eam in medio
universi tanquam centrum fulciens et con-
servans, sine omni sustentaculo ei suppo-
Job xxxviii, 6. sito, quum sit infimum elementum. Hinc
Ibid. xxvi, 7. in Job habetur : Super quo bases ejus so-
lidatæ sunt? Et alio loco : Deus appendit
terram super nihilum. Non quod nihil sub
ea sit, sed quia id ad ejus sustentationem
non facit. Propter quod in Proverbiis legi-
tur : Dominus sapientia fundavit terram. *Prov.* iii, 19.
Verumtamen, secundum Philosophum, om-
nia tendunt ad centrum, sicque universæ
partes terræ ad medium ejus naturaliter
inclinantur. Et hoc unde? nisi ex institu-
tione et impressione omnipotentis sapien-
tiæ supergloriosissimi, supersanctissimi,
supervoluptuosissimi Creatoris. *Et fingens
spiritum hominis in eo,* id est, animam
corpori organizato per creationem infun-
dens, juxta illud Isaiæ : Ego Dominus, dans *Is.* xlii, 5.
flatum hominibus super terram. Ex hoc
demonstratur, quod anima rationalis in
corpore esse incipiat, seu suæ exsistentiæ
exordium sumat : ita quod nec omnes si-
mul creatæ sunt, nec suis corporibus præ-
exsistunt, sed quælibet dum corpori suo
infunditur, simul creatur, juxta illud in
Psalmo : Qui finxit sigillatim corda eorum. *Ps.* xxxii, 15.
*Ecce ego ponam Jerusalem superlimina- 2
re crapulæ,* id est, hujusmodi superlimi-

nari eam assimilo, ita quod omnis qui eam A
invaserit, quasi crapula victus impingat et
corruat. Sic itaque pono eam *omnibus po-*
pulis in circuitu ejus manentibus, qui
eam impugnant. Istud creditur tempore
Pompeii adimpletum : qui (ut Josephus
scribit) Jerusalem cepit, et templum irre-
verenter ingressus est; cui et gentes in
circuitu Judæorum manentes adhærebant,
imo et quidam Judæorum capti ab eo, qui
licet invite, tamen eidem videbantur ferre
auxilium, de quibus subjungitur : *Sed et*
Juda erit in obsidione contra Jerusalem. B
Sic quippe secundo Machabæorum quidam
II *Mach.* xv, 2. Judæi leguntur Nicanorem per necessita-
tem secuti contra Machabæum.

3 *Et erit : In die illa,* id est tempore illo,
ponam Jerusalem lapidem oneris, id est,
gravissimo oneri eam assimilabo, *cunctis*
populis impugnantibus eam : ita quod sicut
sine labore et pœna lapis gravis levari non
valet, sic et Jerusalem non sine impugna-
torum suorum ruina atque periculo deji-
cietur sive vincetur. *Omnes qui levabunt*
eam, concisione lacerabuntur : id est, sicut C
rupturam incurrunt, qui saxum gravissi-
mum ultra vires levare conantur, sic et
vastantibus Jerusalem fiet. *Et colligentur*
adversus eam omnia regna terræ : id est,
aliqui de regionibus singulis principi Ro-
manorum contra Jerusalem se adunabunt.
Distributiones quippe in libris propheticis
non sunt stricte intelligendæ in pluribus
4 locis. *In die illa, dicit Dominus, percu-*
tiam omnem equum in stuporem, et ascen-
sorem ejus in amentiam, id est, equos et
equites præinductos conteram et vastabo. D
Ut enim in chronicis atque historiis scri-
ptum est, ab eo tempore quo Pompeius
templum ingressus est, ipse cum suis de-
ficere et perire incepit, nec amplius ut an-
te est prosperatus, tandemque decollatus
occubuit. *Et super domum Juda aperiam*
oculos meos, id est, Judæos qui necessitate
compulsi contra Jerusalem pugnaverunt,
clementer adspiciam, nec ut ceteros pu-
niam eos. *Et omnem equum populorum*
percutiam cæcitate, vita et visu eos pri-
vando, ne ultra subserviant his qui contra
Jerusalem intumescunt et pugnant.

Et dicent duces Juda in corde suo, id 5
est principales Judæorum contra Jerusa-
lem necessitate quadam pugnantium : *Con-*
fortentur mihi, id est ad gaudium meum
et commodum, *habitatores Jerusalem in*
Domino exercituum Deo eorum. Cordia-
liter namque optabant ipsam Jerusalem
prævalere. *In die illa ponam duces Juda* 6
jam dictos, *sicut caminum ignis in lignis,*
et sicut faciem ignis in fœno. Cur autem
comparatio ista detur, subjungitur : *Et de-*
vorabunt, id est, occident vel superabunt,
ad dexteram et ad sinistram, et pari ra-
tione ad alios situs terræ, *omnes populos*
in circuitu, id est quosdam de omnibus, et
inopinabiliter multos circa se et in suo
gyro manentes. *Et habitabitur Jerusalem*
rursus in loco suo, id est, a civibus suis
pacifice iterum incoletur, *in Jerusalem,* id
est in loco et spatio solito. Judæi namque
post abscessum mortemque Pompeii, in
magna potestate fuerunt ac pace. Nam et
Octavianus favebat eisdem. *Et salvabit* 7
Dominus tabernacula Juda, id est urbes,
castella, villas, et viculos eorum qui ne-
cessitate quadam sequebantur Pompeia-
nos, illis a Judæa abscisis, *sicut in princi-*
pio : ut non magnifice, id est immoderanter
et vane, *glorietur domus David, et gloria*
habitantium Jerusalem, id est famosi et
inclyti cives Jerusalem, qui tempore per-
secutionis manserunt constantes, quorum
nonnulli de David progenie fuerant, *contra*
Judam, id est eos qui formidine victi, ad-
versariis se junxerunt, sed considerando
se divina potestate protectos, ad suos re-
versi sunt.

In die illa proteget Dominus habitato- 8
res Jerusalem, ne ab adversariis eos obsi-
dentibus penitus conterantur. *Et erit qui*
offenderit ex eis in die illa, id est, qui
peccaverit, *quasi David,* id est, misericor-
diam a Deo cito et largiter consequetur,
sicut et David frequenter : de quo dixerat
Deus, Misericordiam meam non auferam II *Reg.* vii, 15.
ab eo; *et domus David,* id est filii ejus

carne et fidei atque constantiæ imitatione,
erunt *quasi Dei,* id est sicut prælectissimi
gratiæ filii, qui mentem suam nusquam
mutaverunt a Deo. Ideo subditur : *sicut
angelus Domini in conspectu eorum* qui
gratiam istam eis donandam præsentialiter
viderint, apparebunt : sicut solemus de
homine plurimum gratioso asserere, quod
sit angelicus homo. Ad ipsumque David
II *Reg.* XIV, 17. mulier Thecuites loquitur : Tu, Domine
mi rex, quasi angelus Dei es super ter-
9 ram. *Et erit in die illa : Quæram conte-
rere omnes gentes,* de quibus nunc dictum
est, *quæ veniunt contra Jerusalem* animo
disperdendi quæ perierunt.

10 *Et effundam super domum David et
super habitatores Jerusalem :* de quibus
jam facta est mentio, scilicet super poste-
ros David et cives Jerusalem, super nobiles
et vulgares; *spiritum gratiæ et precum,* id
est Spiritum Sanctum totius gratiæ fon-
tem, devotarumque orationum datorem.
Rom. VIII, 26. Quid enim oremus sicut oportet, ignoramus,
sed ipse Spiritus orantes nos facit. Istud
potissimum fuit impletum modico tempo-
re post prædicta. Siquidem post mortem
Pompeii, Julius ei contemporaneus usur-
pavit sibi imperium : cui successit Octa-
vianus, sub quo natus est Christus. Post
cujus nativitatem mox cœpit gratia Dei
abundare in populo Judæorum : propter
quod, tempus Christi appellatum est per
antonomasiam tempus gratiæ. Hinc in Isaia
Is. XLIV, 2, 3. Deus hortatur : Noli timere, serve meus
Jacob; effundam spiritum meum super se-
men tuum, et benedictionem meam super
stirpem tuam. Hoc est quod Christus ait :
Joann. IV, 23. Venit tempus, quando veri adoratores ad-
orabunt Patrem in spiritu et veritate.

Et adspicient ad me, quem confixerunt.
Istam scripturam ad Christi passionem
pertinere, et in ea impletam esse, docet
Ibid. XIX, 36, 37. discipulus quem diligebat Jesus : Facta,
inquit, sunt hæc, ut scriptura impleretur :
Videbunt in quem transfixerunt. Adspexe-
runt autem Judæi ad Christum quem occi-
derunt, quando post passionem et resur-
rectionem atque Paracleti missionem, ad

A prædicationem Apostolorum conversi sunt,
in tantum quoque, ut multa sacerdotum *Act.* VI, 7.
turba Evangelio obediret, ut scribitur in
Actibus. De illis quippe Christus, passione
sua instante, in Joanne scribitur prædixis-
se : Quum exaltaveritis Filium hominis, *Joann.* VIII, 28.
tunc cognoscetis quia ego sum. Tunc insu-
per impleta sunt quæ subjunguntur : *Et
plangent eum,* videlicet Christum a se
occisum Judæi isti conversi, *planctu quasi
super unigenitum,* id est tali deploratione,
qua decuit unigenitum Dei Filium a suis
B interfectoribus lamentari. Vel sensus est,
quod plangerent eum cordialiter et amare,
sicut unigenitus defunctus solet a suis de-
fleri parentibus. Propter quod subditur : *et
dolebunt super eum,* quod eum tam crude-
liter fuerant persecuti, *sicut doleri solet
in morte primogeniti,* id est valde ve-
hementer. Dubium enim non est, quin
inæstimabiliter eum, imo et propria sua
peccata, deplanxerint, prout mox clarius
subditur.

In die illa magnus erit planctus in Je- 11
C *rusalem, sicut planctus Adadremmon in
campo Mageddo,* id est, sicut Judæi vehe-
mentissime deplanxerunt Josiam regem a
Pharaone Nechao rege Ægypti occisum :
qui planctus fuit Adadremmon, id est ci-
vitatis sic dictæ, ac sitæ in campo Mageddo,
in quo campo Josias fuit occisus, propter II *Par.* XXXV, 22-24.
quod planctus iste incepit in urbe et cam-
po præfatis. De qua re scriptum est ple-
nius secundo libro Paralipomenon, quo
inter cetera legitur, quod Jeremias luxerit *Ibid.* 25.
eum maxime : cujus cantores et cantatri-
D ces usque in præsentem diem lamentatio-
nem super Josiam replicant.

Et planget Christum *terra* Juda, id est 12
habitatores terræ, de quibus mox additur :
familiæ et familiæ seorsum, id est quæ-
libet per se; *familiæ domus David seor-
sum, et mulieres eorum seorsum.* Tempore
enim tribulationis et orationis decet viros
ab uxoribus separari, ut devotius atque
honestius invocent Deum. Propter quod
dictum est a Joele : Egrediatur sponsus *Joel* II, 16.
de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.

Hoc apud Judæos observabatur, quemad- A
modum nunc in Ecclesia viri et feminæ
13 resident segregatim. *Familiæ domus Na-
than seorsum, et mulieres eorum seorsum;
familiæ domus Levi seorsum, et mulieres
eorum seorsum; familiæ Semei seorsum,
et mulieres eorum seorsum.* Secundum Hie-
ronymum, per familiam David intelligitur
regia tribus, videlicet Juda; per familiam
Nathan, prophetalis ordo signatur; per fa-
miliam Levi, sacerdotalis progenies; per
tribum Semei, doctores expressi sunt, quia
ex hac tribu magistrorum agmina pullula- B
14 verunt. *Omnes familiæ reliquæ, familiæ
et familiæ seorsum, et mulieres eorum
seorsum.* Hæ familiæ generaliter expri-
muntur, non particulariter distinguuntur,
quoniam speciale dignitatis privilegium
non habuerunt. Secundum Hieronymum,
si consideremus quam multa millia Judæ-
orum in Jerusalem ab Apostolis mox mis-
so Spiritu Sancto conversa fuerunt, facile
est pensare quam vere tunc ista impleta
sunt, præsertim quum in Actibus dicatur:
Erant autem in Jerusalem habitantes Ju- *Act.* II, 5.
dæi viri religiosi ex omni natione quæ
sub cœlo est : et ex illis multi tunc con- *Ibid.* 41.
vertebantur.

Denique vehemens planctus iste statim
in hora mortis Christi sumpsit exordium,
juxta illud : Omnis turba eorum qui simul *Luc.* XXIII, 48.
aderant ad spectaculum istud, et videbant
quæ fiebant, percutientes pectora sua, re-
vertebantur.

ARTICULUS XVII

DE ALIA EJUSDEM CAPITULI DUODECIMI EXPLANATIONE.

DENIQUE intuendum, quod quidam ex- C
positores præinductum capitulum ad
litteram exponunt de Ecclesia Christi, et
persecutione ipsius : quorum nonnulli ex-
ponunt de persecutione Ecclesiæ primitivæ
a Judæis incredulis principibusque Roma-
nis, alii vero de persecutione Ecclesiæ
tempore Antichristi. Ceteri autem, quos
jam assecutus sum, exponunt ad litteram
de Synagoga; mystice vero, de Ecclesia se-
cundum ejus decursum a principio usque
ad finem. Nunc ergo præsens capitulum
taliter exponetur, ut ad omnia ista faciliter D
valeat ejus expositio applicari.

1 *Onus verbi Domini,* id est tribulatio di-
vinitus denuntiata, *super Israel,* id est Ec-
clesiam, quæ vere ac spiritualiter Israel, id
est Deum videns, vocatur. *Et dixit Do-
minus extendens cœlum,* id est, homines
contemplativos puræ cœliformisque con-
versationis, ad amorem divinorum sustol-
lens, ad supernaque elevans, atque per
caritatis latitudinem ad benefaciendum om-
nibus ducens; *et fundans terram,* id est
activos et conjugatos, quorum pedes ter-
ram jugiter calcant, dum in temporalibus
quotidie occupantur. Hos Deus fundat in
humilitate, timore, et præceptorum custo-
dia, ne per multa diffusi ac vagi, mente
separentur a Deo, caducis magis quam
summo ac invariabili bono affectualiter
adhærendo. *Et fingens spiritum hominis
in eo,* id est, gratiam devotionis, contritum
ac humilem spiritum præstans hominibus,
sicut oramus in Psalmo : Cor mundum *Ps.* L, 12.
crea in me, Deus, et spiritum rectum in-
nova in visceribus meis. Ad Timotheum
quoque ait Apostolus : Dedit nobis Deus II *Tim.* I, 7.
spiritum virtutis, et dilectionis, et sobrie-
tatis.

Ecce ego ponam Jerusalem, id est Ec- 2
clesiam : de qua ab Isaia dicitur, Surge, *Is.* LX, 1.
illuminare, Jerusalem; et in Apocalypsi, Vi- *Apoc.* XXI, 2.
di civitatem sanctam Jerusalem, descenden-

tem de cœlo; *superliminare crapulæ :* ita A
ut omnis qui limen ejus, seu eam mali-
gnanter invaserit, cadat et pereat. Sic enim
perierunt persecutores primitivæ Ecclesiæ,
saltem in anima, et multi etiam corporali-
ter fuerunt plagati. Sic etiam Antichristus
cum suis peribit; sic et tyranni et hæreti-
ci, itemque schismatici, omnesque persecu-
tores justorum perierunt, pereunt, et peri-
bunt. *Sed et Juda erit in obsidione contra*
Jerusalem. Hoc fuit in primitiva Ecclesia
adimpletum, quando aliqui corde christi-
ani, qui nomine Judæ, qui interpretatur B
confessio, designantur, ex timore junxe-
runt se persecutoribus Ecclesiæ, quæ per
Jerusalem significatur. Sic demum erit et
tempore Antichristi, in cujus exercitu erunt
aliqui fideles timore compulsi. Sed et per-
secutionis tempore id sæpius accidit. Præ-
terea, Juda est in obsidione contra Jerusa-
lem, dum clerici, et qui alios a peccatis
revocare deberent, vulgum et simplices
vel subjectos ad vitia pertrahunt, a bono
impediunt, vel propter justitiam tribulant.
3 *In die illa ponam Jerusalem,* id est Ec- C
clesiam, *lapidem oneris cunctis populis :*
ita quod omnes qui eam tollere moliuntur,
succumbent, sicut succumbit qui saxum
gravissimum levare conatur. Non enim
deficit, sed augetur persecutionibus Eccle-
sia Christi. Et quamvis tempore Antichristi
ad tempus aliquantulum valde minorari
videbitur persecutione dirissima, finaliter
tamen, imo et cito, penitus prævalebit. *Et*
colligentur adversus eam omnia regna ter-
ræ, id est multi de regionibus universis :
quemadmodum tempore imperatorum Ec- D
clesiam vastantium constat impletum, et
in Antichristi diebus implebitur. Propter
Matth. xxiv, 9. quod Christus dixit discipulis : Odio eritis
4 omnibus hominibus propter me. *In die*
illa, percutiam omnem equum in stupo-
rem, et ascensorem ejus in amentiam, id
est, universa præsidia prædictorum Eccle-
siæ adversariorum dejiciam. Denique dæ-
monum equi sunt omnes perversi, præser-
tim qui opprimunt bonos. Hæreticorum
quoque et schismaticorum equi sunt, qui
eis consentiunt, eosque portant atque cir-
cumferunt : imo omnes qui aliorum im-
pietatibus subministrant, eorum equi cen-
sentur. *Et super domum Juda aperiam*
oculos meos, id est, eos qui solo timore et
non ex animo adhæserunt persecutoribus
Ecclesiæ, clementer adspiciam, ne æter-
naliter pereant. Talibus quoque miserebi-
tur Deus tempore Antichristi, quia cum
ipso non peribunt, imo eo occiso ad fi-
deles redibunt, et suam imperfectionem
deflebunt.
Et dicent duces Juda in corde suo, id 5
est principales inter hos : *Confortentur*
mihi habitatores Jerusalem, id est, filii
Ecclesiæ prævaleant. Hoc quippe toto cor-
de concupient. Potestque hoc etiam ad
primitivam Ecclesiam applicari (quamvis
quidam dicat oppositum) : eo quod tunc
multi Judæi fuerint occulte christiani, sic-
ut fuit ad tempus magnus ille Gamaliel; *Act.* v, 34.
imo et ante passionem non pauci credide-
runt in Christum, juxta illud Joannis : Ex *Joann.* xii, 42.
principibus multi crediderunt in eum; sed
propter Judæos non confitebantur. Tales
ergo prosperitatem Ecclesiæ affectabant. *In* 6
die illa ponam duces Juda, de quibus jam
dictum est, *sicut caminum ignis,* id est,
virtutem constantiæ roburque animi tri-
buam eis, ut adversariis suis prævaleant,
vel spiritualiter tantum, vel etiam corpo-
raliter. Nam Antichristo sublato, qui ei ex
timore adhærebunt, Christianis conjuncti,
contra perfidos victoriose resistent. Insu-
per Salvator suis ait : Ecce dedi vobis *Luc.* x, 19.
potestatem calcandi super omnem virtu-
tem inimici, et nihil vobis nocebit. Spi-
ritualiter vero devoraverunt fideles primi-
tivæ Ecclesiæ, *et devorabunt* post mortem
Antichristi tunc Christifideles, *ad dexte-*
ram et sinistram omnes populos in circui-
tu, quosdam, imo plurimos valde, de omni
natione et regnis convertendo, et Domino
Salvatori eosdem salubriter incorporando.
Et salvabit Dominus tabernacula Juda, id 7
est præfatos, qui ad tempus timore inor-
dinato a fidelibus recesserunt; *ut non ma-*
gnifice glorietur domus David, et gloria

habitantium Jerusalem contra Judam, id A est, ne inconcussi atque perfecti, qui in omni eventu constantes in Ecclesia perstiterunt, eos qui perterriti fuerant prorsus contemnant, sed eis redeuntibus, caritative condoleant et succurrant.

8 *In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem,* id est electos Ecclesiæ filios : quos et in primitiva Ecclesia protexit, nunc quoque protegit, et tempore Antichristi defendet. Nam etsi corporaliter eos occidi permittat, animas tamen ab omni periculo eripit, ipsamque quam sustinent B passionem, ad ineffabilem eis felicitatem convertet, juxta illud Sapientiæ : Etsi co- (*Sap.* III, 4. 5; V, 17.) ram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum immortalitate plena est; in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus dextera sua teget eos, et brachio suo defendet eos. *Et erit qui offenderit ex eis, quasi David,* ita quod cito per pœnitentiam surget, et cautior erit post lapsum, quam fuit: *et domus David,* id est Ecclesia fortium mente atque constantium in æquitate, erit *quasi Dei, sicut* C *angelus Domini,* id est, magna gratia decorabitur : per quod magnitudo excellentiæ gratiæ Dei tempore legis evangelicæ insinuatur.

10 *Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum.* Hoc in fine mundi copiose implebitur, quando ad prædicationem Eliæ Judæi convertentur, sicut in Evangelio Christus testatur : Elias quum venerit, re- (*Matth.* XVII, 11; *Rom.* XI, 25, 26.) stituet omnia. Quum enim plenitudo gentium intraverit, omnis Israel salvus fiet, secundum Apostolum ad Romanos. Præterea omni die effundit Deus spiritum gratiæ et precum super domum Juda, videlicet eos qui fide et opere Dominum confitentur ac laudant, et super habitatores Jerusalem, eos videlicet qui in pace cum Deo deambulant. *Et adspicient ad me, quem confixerunt,* etc. Antichristo quippe sublato, Judæi fide suscepta cum ingenti dolore ac lacrimis fatebuntur se Christum crucifixisse : vel quia ab eorum populo occisus est, vel quia occisoribus Christi usque ad fidei susceptionem faverunt, putantes illos bene fecisse. Præterea ingrati et impii quotidie Christum, quantum in eis est, configunt. De quibus ad Hebræos ait Apostolus : Rursum crucifigentes sibimet Fi- (*Hebr.* XI, 6.) lium Dei, et ostentui habentes. Et super hos Christus nonnunquam ex sua pietate immensa, spiritum gratiæ precumque effundit, ita ut mox compuncti, cum interno cordis doloroso ac lacrimoso affectu adspiciant Christum, ejus passioni compatientes, propriasque impietates deflentes. Cetera patent ex præcedenti articulo.

ARTICULUS XVIII

ELUCIDATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : IN DIE ILLA ERIT FONS PATENS DOMUI DAVID.

QUUM in principio hujus capituli dica- D
tur, In die illa, certum est ista quæ
nunc dicentur, ad idem tempus pertinere
referendaque esse, de quo in fine præce-
1 dentis capituli dictum est. Itaque, *In die*
illa, id est tempore illo quo omnes Ju-
dæorum familiæ præmemoratæ Christum
a se confixum adspicient atque deplangent : quod et post Christi passionem mox factum est, et in fine mundi Judæis conversis fiet. Imo, ut sanctus ait Methodius martyr, detecta per Eliam et Enoch falsitate Antichristi, tot Judæi convertentur ad Christum, ita quod de qualibet tribu eorum quadraginta quatuor millia martyrio coronabuntur. Tunc ergo *erit fons,* id est

Christi Baptismus, seu aqua Baptismatis, A
patens, id est apertus, manifestus atque
paratus, *domui David et habitantibus Jerusalem,* id est cunctis Judæis sancti David fidem sequentibus, atque in Christum
credentibus, *in ablutionem peccatoris et menstruatæ,* id est ad emendationem peccatorum virorum ac mulierum quantumcumque immundorum. De quo fonte multa
Ezech. prædicta sunt ab Ezechiele, quod scilicet
XLVII, 8, 9. erumpet fons de domo Domini, et pergat
ad solitudinem, et omnis anima ad quam
Joel III, 18. devenerit, vivat. Item a Joele : Fons de B
domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. De hoc fonte dixit Petrus Judæis corde compunctis veniamque
Act. II, 38. petentibus : Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.

2 *Et erit in die illa,* scilicet tempore promulgationis evangelicæ legis, *dicit Dominus exercituum : Disperdam nomina idolorum de terra,* id est, idololatriam ubilibet destruam, in omnibus locis ubi gentes fidem Christi suscipient, *et non memorabuntur ultra,* id est, oblivioni tradentur a C
suis cultoribus, quantum ad cultum, non quantum ad nudam memoriam. Sic enim et nunc usque fideles reminiscuntur qualiter olim gentes idola coluerunt. Innumerabiles quoque Christiani de idolis gentium loqui nil sciunt. Istud videtur quibusdam non esse impletum tempore Apostolorum et interim, sed in fine mundi : quia ut dicunt, tunc Antichristo occiso, omnes concorditer gentiles atque Judæi unientur in
fide Christi. Sed istud infirmiter dictum D
est. Constat enim, quod eo modo ac sensu tempore Apostolorum et interim impletum
Ps. XVIII, 5. est illud Psalmi : In omnem terram exivit
Ps. LXXI, 17. sonus eorum, etc. ; et item, Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes
Ps. XXI, 28. gentes magnificabunt eum ; itemque, Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ ; et quod Christus
Marc. XVI, 15. dixit Apostolis, Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ ; multaque alia ad idem spectantia.

Etiam tunc impletum est quod nunc de idololatriæ ablatione asseritur. Nec verum quod circa finem sæculi, vel post mortem Antichristi, omnes penitus convertentur ad Christum : imo multi in malo obstinati
manebunt. De quibus ait Apostolus : Quum *I Thess.* V, 3.
dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus sicut dolor in utero habentis, et non effugient. Christus
quoque : Tanquam laqueus superveniet *Luc.* XXI, 35.
dies illa, puta judicii, in omnes qui sedent super faciem omnis terræ; et iterum,
Sicut fuit, inquit, in diebus Noe, etc. *Et* *Ibid.* XVII, 26.
pseudoprophetas et spiritum immundum auferam de terra, id est, prophetas falsos tam gentilium quam Judæorum fidem Christi sumentium, spiritusque malignos de infidelium cordibus auferam : secun-
dum quod Christus dixit, Nunc princeps *Joann.* XII, 31.
hujus mundi ejicietur foras.

Et erit : Quum prophetaverit quispiam 3
ultra, id est, quum aliquis inter conversos et Christianos vaticinari non ex Spiritu Sancto, sed spiritu proprio vel maligno, præsumpserit, *dicent ei pater ejus et mater ejus qui genuerunt eum : Non vives,*
*quia mendacium locutus es in Domino**, * nomine Domini
id est, dixisti te ex Deo locutum, quod effectum non habuit, ideo morte es di-
gnus. Tales enim et Moyses jussit occidi. *Deut.* XIII, 5.
Et configent eum pater ejus et mater ejus quum prophetaverit : id est, tantæ justitiæ erunt parentes et cognati, quod contra ordinem legis divinæ et æquitatis christianæ nemini parcent, quantumcumque propinquo, inaniter prophetanti, aut mala similia perpetranti.

Et erit in die illa : Confundentur pro- 4
phetæ fallaces, *unusquisque ex visione sua quum prophetaverit :* quia Deo revelante, scient fideles quod divinitus missi non sint ; *nec operientur pallio saccino,* id est, veste cilicina et aspera seu sacco et vili indumento non induent se : quemadmodum moris fuit Prophetis, quando futura prænuntiando, populum ad pœnitentiam
provocabant, ut legitur quarto Regum de IV *Reg.* I, 8.
Elia ; Isaiæ quoque Dominus dixit, Tolle *Is.* XX, 2.

saccum de lumbis tuis ; *ut mentiantur,* id A
est, quatenus sub aliena et humili veste
prophetalique indumento simplices fal-
lant. Hoc igitur timore pœnæ facere non
5 audebunt. *Sed dicet,* id est, quilibet ta-
lium dicet : *Non sum propheta, homo agri-
cola ego sum,* id est, non officio prophe-
tandi, sed agriculturæ intendo, *quoniam
Adam exemplum meum,* id est, Adam fa-
ctus est mihi forma vivendi, et ejus vitam
quasi exemplum sectatus sum, *ab adole-
scentia mea,* observando quod in Genesi
Gen. III, 19. Dominus loquitur ei : In sudore vultus tui B
vesceris pane tuo. Et de ipso scribitur in
Ibid. 23. Genesi : Emisit eum Dominus de paradi-
so voluptatis, ut operaretur terram de qua
sumptus est.
6 *Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in
medio manuum tuarum ?* id est, cur ita
confixus es, vel affixus patibulo ? quid
criminis commisisti, ut sic vulneratus ap-
pareas ? *Et dicet : His plagatus sum in
domo eorum qui diligebant me,* id est,
vulnera ista a propinquis atque amicis
meis accepi, non ex eorum rancore ad me, C
sed zelo justitiæ et pro mea correctione.
Denique, quia nunc de fonte Baptismatis
locutus fuit Propheta, interserit et aliud
de Christi passione, a qua Baptismus et
cetera sacramenta efficaciam suam sortita
7 sunt. Loquitur itaque Deus Pater : *Fra-
mea,* id est, rhomphæa passionis, *suscitare
super pastorem meum,* id est, consurge et
irrue super Christum summum pastorem :
Joann. X, 11, 14. qui ait in Joanne, Ego sum pastor bonus ;
de quo in Ezechiele Dominus contestatur :
Ezech. XXXIV, 22, 23. Salvabo gregem meum, et suscitabo super D
eum pastorem unum qui pascat eum, Da-
vid servum meum, id est Christum, ut
Judæi quoque exponunt. Framea ergo non
sumitur hic determinate pro gladio, sed
pro acerba afflictione : de qua Christus in
Ps. XXI, 21. Psalmo precatur, Erue a framea, Deus, ani-
mam meam. Et per Amos Dominus asse-
Amos IX, 10. rit : In gladio morientur omnes peccatores
terræ. *Et super virum cohærentem mihi,*
id est Christum mihi inseparabiliter adhæ-
Joann. VIII, 29. rentem : qui ait, Qui me misit, mecum

est ; et, Pater non reliquit me solum, quia Joann. VIII, 29.
ego quæ placita sunt ei, facio semper.
Præterea Christus secundum divinam na-
turam adhæret Patri per amorem immen-
sum, voluntatis indivisibilem identitatem,
atque essentiæ unitatem ; sed secundum
naturam assumptam adhæret per creatæ
voluntatis conformationem et subjectio-
nem ad voluntatem divinam. Propter quod
dixit : Descendi de cœlo, non ut faciam Ibid. VI, 38.
voluntatem meam, sed ejus qui misit me ;
et rursus, Pater, non quod ego volo, sed Matth. XXVI, 39.
quod tu. *Dicit Dominus exercituum.*
Percute, o framea, *pastorem,* videlicet
Christum, *et dispergentur oves gregis,* id
est, discipuli sui electi gregis cui dicebat,
Nolite timere, pusillus grex, ab ipso diffu- Luc. XII, 32.
gient. Porro hanc scripturam ad se suam-
que passionem respicere ipsemet Christus
docet, quum ait Apostolis : Omnes vos Matth. XXVI, 31.
scandalum patiemini in me in ista nocte :
scriptum est enim, Percutiam pastorem, et
dispergentur oves gregis. Nec obstat, quod
hic dicitur, Percute ; ibi, Percutiam pa-
storem : nam sensus redit in idem, quo-
niam Deo volente et præordinante, framea
passionis irruit super Christum, qui in
Psalmo ait ad Patrem : Quoniam quem tu Ps. LXVIII, 27.
percussisti, persecuti sunt. Et per Isaiam
Pater testatur : Propter peccata populi mei Is. LIII, 8.
percussi eum. Unde in Actibus Petrus fa-
tetur : Deus qui prænuntiavit per os om- Act. III, 18.
nium Prophetarum pati Christum suum,
implevit sic. Postremo, ipse Christus tradi- Galat. II, 20.
dit semetipsum, oblatusque est quia voluit. Is. LIII, 7.
Et convertam manum meam ad parvulos, id
est, potestatem gratiæ meæ ostendam et
exercebo circa humiles Christi discipulos :
qui tempore passionis ex propria infir-
mitate fugerunt, sed post passionem per
virtutem gratiæ Spiritus Sancti invincibi-
les constantissimique fuerunt. De quibus
per Isaiam loquitur Christus : Ecce ego et Ibid. VIII, 18.
pueri mei, quos dedit mihi Dominus ;
itemque in Evangelio, Confiteor tibi, Pa- Matth. XI, 25.
ter, Domine cœli et terræ, quia abscondisti
hæc a sapientibus et prudentibus, et reve-
lasti ea parvulis. Impleverunt enim quod

Matth. xviii, 3. dixit Salvator : Nisi conversi fueritis, et A efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

8 *Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes,* id est, in toto mundo genus hominum seu populus terræ erit divisus in partes tres, puta Judæorum, et gentilium, ac Christianorum. *Duæ in ea,* id est duæ partes hominum, scilicet gentiles et Judæi increduli, *dispergentur ac deficient,* id est, a Deo reprobabuntur, et a gratia cadent. Unde Septuaginta transtulerunt : Duæ partes peribunt. *Et tertia pars relinquetur in* B *ea,* id est, Christiani sequentur salutem, et habitatione terræ digni consistent. In fine etiam sæculi, Judæi atque gentiles pro maxima parte convertentur ad Christum, ita quod tunc duæ primæ sectæ quasi deficient : tamen, ut dictum est, aliqui in obstinatione sua persistent usque in diem judicii.

9 *Et ducam tertiam partem per ignem,* id est, multiplici et pœnosa tribulatione, persecutione, tentatione, adversitate exercebo electos, fideles seu Christianos : quibus ait C Joann. xv, 20. Salvator, Si me persecuti sunt, et vos persequentur ; et rursus, Non est servus ma- Ibid. xiii, 16; xv, 20. jor domino suo. Ideo Paulus : Per multas, Act. xiv, 21. inquit, tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. In Psalmo quoque cla- Ps. lxv, 12. mant electi : Transivimus per ignem et aquam. *Et uram eos, sicut uritur argentum,* id est, omnem peccati impuritatem per tribulationes has tollam ab eis ; *et probabo eos,* non ut ego agnoscam, sed ad aliorum ædificationem, et sic eos probatos ostendam per ignem adversitatum, *sicut* D *probatur aurum* in conflatorio artificis. In adversis enim potissimum virtus probatur, et quid homo profecerit, demonstratur. Propter quod patientia opus perfe- Jacob. i, 4. ctum habet, ut dicitur in Jacobo : et ipsa ceterarum virtutum probatio nuncupatur. Hinc scriptum est : Tanquam aurum in Sap. iii, 6. fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit eos ; et alibi, Omnes qui placuerunt Deo, per multas tri- Judith viii, 23. bulationes transierunt fideles. Non ergo in adversis tristemur, sed quod ea quæ electis Dei conceduntur, patimur, cordialiter gloriemur, præsertim quum Tobiæ angelus Raphael dicat eidem : Quia acceptus eras Tob. xii, 13. Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. *Ipse vocabit nomen meum,* id est, plebs ista electa me devote invocabit, *et ego exaudiam eum. Et dicam : Populus meus es,* non solum per creationem ut ceteri, sed per devotionem et cultum, et per prædestinationem et gratiæ infusionem, per providentiam singularem, per mutuam caritatem. *Et ipse dicet : Dominus Deus meus* es tu, quem solum summe desidero, diligo, colo.

Postremo, frequenter contingit, quod sicut discipuli Christo capto et cæso dispersi sunt, ita dum pastores boni per mortem vel alias auferuntur, subditi per errores et vitia dispergantur. Ideo Deum semper invocare debemus, pro bono prælato et efficaci pastore : quod est præcipuum Dei donum, sicut insufficientem et negligentem habere periculosissimum est. — Convertit quoque Dominus manum suam ad parvulos, ad egenos, abjectos et humiles, sicut per Isaiam testatur : Ad quem respi- Is. lxvi, 2. ciam, nisi ad quietum et humilem ? Nempe, ut ait Apostolus, quæ infirma et stulta I Cor. i, 27, 28. sunt mundi, elegit Deus, et ignobilia et contemptibilia. Hos ergo adspicit Deus, quos despicit mundus.

ARTICULUS XIX

DECLARATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ECCE DIES DOMINI VENIUNT.

PRÆSENS capitulum maximis difficul- A
tatibus et obscurationibus plenum est:
propter quod a diversis variis modis ex-
ponitur. Intendo autem expositionem se-
qui, quæ textui amplius consonat.

Loquens ergo Propheta de persecutione
circa finem mundi per Antichristum ven-
1 tura, ait : *Ecce dies Domini veniunt,* id
est, tempus a Deo dispositum appropin-
quat, quo quæ subjuncta sunt fient ; *et
dividentur spolia tua,* o Jerusalem, id est
bona tibi per spoliationem ablata ab An-
tichristo et ejus ministris, *in medio tui,* ita B
quod juxta voluntatem suam sine timore
2 bona tua prædabitur. *Et congregabo omnes
gentes ad Jerusalem in prœlium* contra
eam : siquidem de omni natione quam-
plurimi adhærebunt Antichristo ; *et capie-
tur civitas et vastabuntur domus, et muli-
eres violabuntur* a satellitibus Antichristi,
quibus ipse, ut dicitur, concupiscentiarum
frena laxabit. Aliqui referunt hoc ad Je-
rusalem, a Romanis (eo quod Christum
occiderit) captam ; sed sequentia non con-
cordant. Judæi autem, ut refert Hierony- C
mus, sub Gog et Magog hæc dicunt im-
plenda. *Et egredietur media pars civitatis
in captivitatem,* ita quod multi de habi-
tatoribus ejus ab Antichristo captivi du-
centur, *et reliquum populi non auferetur
ex urbe,* illi videlicet qui Antichristo ad-
hærere voluerint.

3 *Et egredietur Dominus :* non locum
mutando, sed novum atque insolitum suæ
effectum potentiæ ostendendo ; vel de le-
nitate suæ clementiæ ad rigorem justitiæ,
Ps. VII, 7, 8. juxta illud in Psalmo, Exsurge, Domine, in D
ira tua ; et, Propter hanc in altum regre-
Habac. III, 13. dere ; et in Habacuc, Egressus es in sa-
lutem populi tui. Moyses quoque dixit ad

Dominum : Si non tu ipse præcedas nos, *Exod.* XXXIII, 15.
ne educas nos de loco isto. *Et prœliabitur
contra gentes illas,* id est, divina sua vir-
tute Antichristum cum reprobis sui ex-
ercitus opprimet et occidet, juxta illud
Danielis : Judicium sedebit, ut auferatur *Dan.* VII, 26.
potentia ejus et conteratur, et dispereat
usque in finem ; *sicut prœliatus est in
die certaminis,* id est die qua Pharaonem
cum suo exercitu submersit in mari Ru-
bro. *Et stabunt pedes ejus in die illa su-* 4
*per montem Olivarum, qui est contra Je-
rusalem ad orientem :* id est, in monte
illo divinæ potestatis efficacia apparebit,
eo quod ibi vel circa, occidendus sit Anti-
christus. Porro pedes incircumscriptibilis
ac simplicissimi Dei, non sunt materiali-
ter intelligendi ; sed virtutis ejus pia ac fi-
xa adsistentia, nomine pedum exprimitur.
Unde et per Isaiam fatetur : Cœlum mihi *Is.* LXVI, 1.
sedes est, terra autem scabellum pedum
meorum. Et tamen Salomon loquitur : Cœ- III *Reg.* VIII, 27.
lum et cœli cœlorum te capere non pos-
sunt. Nempe, ut canit Psalmista, Magnus *Ps.* XLVII, 2; CXLIV, 3.
Dominus et laudabilis nimis, et magnitu-
dinis ejus non est finis.

Et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem et ad occidentem prœrupto grandi valde. Et separabitur medium montis ejus ad aquilonem, et medium ejus ad meridiem. Secundum Hieronymum, sensus est, quod mons Oliveti grandi voragine dirumpetur, ita quod una pars ad orientem, altera ad occidentem respiciet : quo facto, repente in ipsa voragine alia scissio fiet, ita quod una pars scissi montis verget ad aquilonem, alia ad meridiem, sicut præruptum quadrangulum fiet. Alii asserunt quod scissio ista non erit nisi in duas partes, ita quod una

pars montis inclinabitur versus aquilo- A
nem, alia versus meridiem, et scissura in-
termedia erit, sic quod longitudo ejus erit
5 ab oriente ad occidentem. *Et fugietis,* qui
tunc ista videbitis, *ad vallem montium
eorum, quoniam conjungetur vallis mon-
tium,* id est, vallis Josaphat, sita inter
montem Sion et Oliveti, jungetur *usque ad
proximum,* scilicet locum scissuræ jam
dictæ. *Et fugietis,* istam voraginem hor-
rendam conspicientes, *sicut fugistis a fa-
cie terræ motus,* qui factus est *in diebus*
II *Par.* xxvi, 16, 19. *Oziæ regis Juda :* qui quum officium sa- B
cerdotale in thurificando usurpasset, per-
cussus est lepra, ut scribitur libro secundo
Paralipomenon ; et tunc ad divinæ indi-
gnationis indicium factus est terræ motus,
Amos I, 1. sicut et apud Amos habetur. Unde et de
præinducta scissione montis Olivarum ali-
qui arbitrantur, quod erit ex terræ motu
ingenti, quem dicunt futurum in Anti-
christi fulminatione seu simili percussio-
ne, ad demonstrationem potestatis divinæ
et iræ Dei contra superbissimum Antichri-
stum adorari se facientem. — Quidam San- C
ctorum per montem Olivarum intelligunt
Ps. CXXVII, 3. Ecclesiam, cujus filii sunt sicut novellæ
olivarum : cujus media pars scinditur ad
orientem, in qua sunt arbores fructuosæ
et bonæ, puta electi ; et alia ad occiden-
tem, in qua sunt arbores steriles.

*Et veniet Dominus Deus meus, omnes-
que Sancti ejus cum eo.* Istud, secundum
Hieronymum, manifeste dicitur de secun-
do Christi adventu, quando post mortem
Antichristi, aliquanto tempore interjecto,
veniet generale atque finale judicium ex- D
ercere, comitatus omnium agmine Beato-
rum : sicut et Christus in Evangelio de se
Luc. XXI, 27. ipso testatur, quod videbitur advenire cum
potestate magna et gloria. Judas quoque
Judæ 14, 15. apostolus inducit : Ecce venit Dominus in
sanctis millibus suis facere judicium. Isa-
Is. III, 14. ias quoque : Dominus ad judicium veniet
cum senibus populi sui et principibus
ejus. Ex his innotescit, quod hoc loco lo-
quatur Propheta de his quæ circa finem
mundi contingent.

Et erit in die illa : Non erit lux, sed 6
frigus et gelu : id est, tanta tunc erit im-
piorum pressura, carentia gratiæ, tribu-
latio et angustia, quod lux prosperitatis
non erit eis, sed frigus et gelu, quia præ
timore arescent, eruntque horrore ac ti- *Luc.* XXI, 26.
more repleti. Timor autem corporalis in-
frigidat, faciendo sanguinem ad cor ipsum
refugere : quo sic a membris recedente,
tremor causatur. Hinc ait Psalmista : Nubes *Ps.* XCVI, 2.
et caligo in circuitu ejus ; et, In circuitu *Ps.* XLIX, 3.
ejus tempestas valida. *Et erit dies una,* 7
quæ nota est Domino, id est dies æterni-
tatis, vel hora glorificationis electorum :
quæ dies æternaliter stabit, nec defluet. Vel
loquitur de die judicii, de qua ait Salva-
tor : De die illa et hora nemo scit, neque *Marc.* XIII, 32.
angeli in cœlo, sed solus Pater : cujus
quum sit cum Filio et Spiritu Sancto una
essentia, una est cum eis notitia. *Non dies
neque nox :* id est, dies illa æternitatis
seu retributionis atque judicii, non est
proprie atque univoce dies cum die natu-
rali qui noctem includit, vel artificiali qui
est latio solis supra nostrum horizontem :
siquidem dies illa non causabitur ex motu
solis, nec temporali extensione decurret,
nec terminabitur nocte. De qua die canta-
mus in Psalmo : Quia melior est dies una *Ps.* LXXXIII, 11.
in atriis tuis super millia. In generali vero
resurrectione motus cœli cessabit, ideo so-
litus diei fluxus non erit. Propter quod
in Apocalypsi prædictum est : Quia tem- *Apoc.* X, 6.
pus ultra non erit. *Et in tempore vesperi,*
id est in fine sæculi seu termino tempo-
ralis diei, *erit lux,* id est claritas beatificæ
visionis, et lumen gloriæ consummatum in
omnibus prædestinatis. De quo scriptum
est in Apocalypsi : Civitas non eget sole *Ibid.* XXI, 23.
neque luna, sed claritas Dei illuminabit
eam. Quod et in Isaia scribitur. Paulo ante *Is.* LX, 19.
dixit Propheta, quod in die illa non erit
lux ; nunc ait, quod in tempore vesperi erit
lux. Illud ergo ad reprobos, istud ad ele-
ctos refertur. Consonat quoque huic pro-
phetico verbo, quod Christus in Evangelio
loquitur : Quum sero factum esset, præce- *Matth.* XX, 8.
pit Dominus operariis reddi mercedem.

8 *Et erit in die illa* æternitatis sive judi- A
cii : *Exibunt aquæ vivæ*, id est plenissima
effusio et gloriosa communio beatificæ
agnitionis, felicitatis et gloriæ. De quibus
Ps. xxxv, 10, 9. habetur in Psalmo : Apud te est fons vitæ,
et torrente voluptatis tuæ potabis eos; et,
Ps. xlv, 5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.
Is. xlix, 10. Isaias quoque ait : Ad fontes aquarum po-
tabit eos. *De Jerusalem* illa cœlesti, de
Hebr. xii, 22. qua dicit Apostolus ad Hebræos : Acces-
sistis ad Jerusalem civitatem et multorum
millium angelorum frequentiam. Itemque
Ps. lxxxvi, 7. Psalmista : Sicut lætantium omnium habi- B
Ps. cxlvii, 12. tatio in te ; et, Lauda, Jerusalem, Domi-
num. De qua Isaias multa dicit, quæ de
terrena Jerusalem nequaquam verifican-
Is. lx, 19. tur, quum inter cetera ibi dicatur : Non
erit tibi sol amplius ad lucendum per
diem, nec splendor lunæ illuminabit te.
Itaque aquæ istæ egredientur de Jerusa-
lem, quia a Deo sublimi et benedicto in
superna Jerusalem præsidenti, descendunt
Apoc. vii, 17. in Sanctos, juxta illud Apocalypsis : Agnus
ducet eos ad vitæ fontes aquarum. *Me-*
dium earum ad mare orientale, et me- C
dium earum ad mare novissimum : id est,
una pars beatitudinis sempiternæ deriva-
tur a Deo in eos qui prioribus fuerunt
temporibus ; alia, ad eos electos qui tem-
pore posteriori fuerunt : non quod aliquo-
rum beatitudo sit imperfecta atque divisa ;
sed his verbis insinuatur, quod beatitudo
descendit ad omnes æqualiter ex parte
objecti et æquali exsistente merito. Unde
denarius, qui omnibus vineæ laboratori-
bus datur, unus et idem est. Ipse paterfa-
Matth. xx, 14. milias : Volo, inquit, huic novissimo dare D
sicut et tibi priori. Nomine autem maris
et aquæ, populi designantur, secundum
Apoc. xvii, 1, 15. quod in Apocalypsi legitur : Aquæ multæ,
Eccle. xi, 1. populi multi ; et in Ecclesiaste, Mitte pa-
nem tuum super transeuntes aquas. *In*
æstate et in hieme erunt : id est, aquæ is-
tæ seu præmia Beatorum jugiter permane-
bunt, quum perpetuitas atque securitas
sint de ratione perfectæ ac veræ felicita-
tis. Quamvis autem tunc æstas et hiems
non erunt, tamen per has temporis diffe-
rentias æternitas denotatur, quam per par-
tes temporis significare solemus. Sic enim
in Isaia legitur, Erit mensis ex mense, et *Is.* lxvi, 23.
sabbatum ex sabbato : per quod perpetua
Sanctorum in gloria mansio explicatur.

Et erit Dominus rex super omnem ter- 9
ram : quia tunc Christo perfectissime erit
subjecta non solum Ecclesia, sed omnis
insuper creatura. Tunc quoque in homi-
nibus et angelis cessabit prælatio, quan-
tum ad officium administrationis sæculi
pertinet. Propter quod ad Corinthios scri-
ptum est : Quum tradiderit Christus regnum *I Cor.* xv, 24, 28.
Deo et Patri, quum evacuaverit omnem
principatum et potestatem et virtutem, ut
sit Deus omnia in omnibus. *In die illa*
æternitatis, *erit Dominus unus* omnium
Beatorum : qui sicut est trinus in Perso-
nis, ita est unus in natura ; *et erit nomen*
ejus unum, id est, una appellatione desi-
gnabitur, sicut et una cognitione, et una
quasi intelligibili specie cognoscetur. Sic-
ut enim rem cognoscimus, sic eam signi-
ficamus atque exprimimus. Et quoniam in
hac vita Deum in suis effectibus specula-
mur, in quibus tota ejus perfectio non
relucet ; ideo nunc eum obscure et imper-
fecte cognoscimus, pluribusque nomini-
bus explicamus, sic quod ejus perfectio in
diversis diversimode repræsentatur. Porro,
in patria videbimus eum sicuti est, facie *I Joann.* iii, 2; *I Cor.* xiii, 12.
ad faciem, per ejus essentiam, quasi per
intelligibilem formam. Idcirco tunc uno
nomine exprimetur, sicut et uno intuitu
conspicietur.

Deinceps redit Propheta, et loquitur de
statu Ecclesiæ post Antichristi interitum
supra descriptum. Jam enim non ait, In
illa die, vel aliquid tale, ut cogamur ista
præcedentibus continuare. *Et revertetur* 10
omnis terra ad fidem atque obsequium
Christi, Antichristo deleto, id est multi de
omni natione ac populo, *usque ad deser-*
tum inclusive, id est etiam a locis deser-
tis, et habitantibus juxta ea, sive in eis,
de colle Remmon ad austrum Jerusalem.
Et exaltabitur Ecclesia Christi, vel civitas
Jerusalem, *et habitabitur* a Christianis, *in*

loco suo, a porta Benjamin usque ad lo- A
cum portæ prioris, et usque ad portam
angulorum; et a turre Hananeel usque ad
11 *torcularia regis. Et habitabunt in ea.* An-
tichristus quippe civitatem Jerusalem au-
feret Christianis : quo occiso, reddetur
eisdem, et plene incolent eam. *Et anathe-*
ma, id est maledictio, *non erit amplius*
populo christiano, et urbi Jerusalem, quum
persecutio Antichristi futura sit ultima,
sed sedebit Jerusalem secura.
12 *Et hæc,* quæ subditur, *erit plaga qua*
percutiet Dominus omnes gentes quæ pu- B
gnaverunt adversus Jerusalem, id est An-
tichristum et ejus fautores : in cujus ex-
ercitu plurimi erunt de omni hominum
genere, qui et Ecclesiam et urbem Jeru-
salem impugnabunt, et prævalebunt. Jam
plaga exprimitur : *Tabescet caro uniuscu-*
jusque eorum *stantis super pedes suos,* id
est, præ dolore deficiet, *et oculi ejus con-*
tabescent in foraminibus suis, id est, vim
visivam in organis suis amittent, *et lingua*
eorum contabescet in ore suo. Hoc totum
et spiritualiter et corporaliter tyranni et C
persecutores Ecclesiæ frequenter perpessi
sunt : qui et dire plagati subito obierunt,
et interiores eorum oculi excæcabantur ;
corpora quoque vitiis servierunt, dæmo-
13 numque obsequio contabuerunt. *In illa*
die erit tumultus Domini magnus in eis,
id est, magnam, Deo agente aut permit-
tente, turbationem inquietudinemque ha-
bebunt ex abundantia malorum culpæ ac
pœnæ. *Et apprehendet vir manum pro-*
ximi sui, et conseretur manus ejus super
manum proximi sui, id est, præ timore D
atque angustia capiet unus manum alte-
rius causa auxilii. Quidam exponunt hoc,
quod quidam eorum se invicem interfi-
cient ; sed hoc littera ista non videtur
prætendere.
14 *Sed et Judas pugnabit adversus Jeru-*
Zach. xii, 2. *salem.* Hoc supra diligenter expositum
est. *Et congregabuntur divitiæ omnium*
gentium in circuitu, id est, ad Jerusa-
lem apportabuntur ab Antichristo ejus-
que populo, utpote *aurum et argentum,*
et vestes multæ satis. Potest autem et
spiritualiter exponi in bono, ita ut quid-
quid naturalis perfectionis in gentibus
fuerit, scilicet ingenii, virtuositatis, scien-
tiæ, eloquentiæ, ad ipsam Ecclesiam col-
ligatur, dum gentes talibus donis ornatæ
convertuntur ad fidem : quia tunc dona
naturæ perficiuntur muneribus gratiæ, et
defendunt Ecclesiam qui eam aliquando
impugnabant.
Et sic erit ruina equi, et muli, et ca- 15
meli, et asini, et omnium jumentorum
quæ fuerint in castris Antichristi, id est,
ita Deo plagante, peribunt universa ani-
malia irrationabilia Antichristi atque sa-
tellitum ejus, *sicut ruina hæc,* id est, quem-
admodum homines præinducti eis utentes
peribunt. Deus enim propter hominum
peccata, ad majorem eorum confusionem,
interdum bruta eorum occidit, imo quan-
doque hoc fit ad eorum piam correctio-
nem. Præterea, homines qui propter pas-
siones certas et vitia quædam præfatis
jumentis comparantur, atque eorum no-
minibus exprimuntur, spiritualiter salu-
briterque labuntur, dum ad virtutes contra-
rias, Deo clementer suffragante, pertingunt.
Per equos enim designantur lascivi ; per
mulos, infructuosi (muli enim non gene-
rant); per camelum, qui delictorum onere
aggravantur ; per asinos, male simplices
et indocti. Dum itaque lascivi fiunt casti ;
infructuosi, bonis operibus abundantes ;
peccatis gravati, virtutibus pleni, ut ubi
abundavit peccatum, abundet et gratia ; *Rom.* v, 20.
maleque simplices et indocti, efficiuntur
a Spiritu Sancto uncti et illustrati : tunc
præfata jumenta salubriter ruunt.
Et omnes qui reliqui fuerint de uni- 16
versis gentibus quæ venerint * *contra Je-* * *venerunt*
rusalem, id est, gentes illæ quæ cum
Antichristo non perierunt, eo quod timo-
re vel excusabili deceptione eum secutæ
sint contra Jerusalem atque Ecclesiam, *as-*
cendent ab anno in annum, id est singu-
lis annis diebus debitis, *ut adorent re-*
gem Dominum exercituum, id est Christum
principem universorum, in Jerusalem vel

Ecclesia. Ista expositio videtur supponere
quod post Antichristi interitum durabit
cursus novi Testamenti in sæculo isto per
annos. Quid autem de hoc sentiendum sit,
sapientioribus derelinquo. *Et celebrent festivitatem Tabernaculorum :* non eo modo quo fiebat in veteri Testamento, sed
quantum ad figuratum, videlicet quoad id
quod per festum illud significabatur. Fiebat quippe festivitas illa in lege, in memoriam quod filii Israel de Ægypti servitute liberati, in deserto in tabernaculis
morabantur, ut terram promissionis intrarent. Per quod figurabatur, quod in novo Testamento Christiani de peccati atque
diaboli servitute per Christum erepti, et
in hac valle miseriæ commorantes, ad patriam paradisi cœlestis in virtutibus proficiendo ascenderent, janua gloriæ merito
dominicæ passionis patefacta : sicque Christifideles festum tabernaculi celebrant ; et
tanto post Antichristi interitum devotius
celebrabunt, quanto tunc in eis amplior
fidei fervor consistet.

17 *Et erit : Qui non ascenderint de familiis terræ ad Jerusalem,* id est Christi Ecclesiam : in civitatem namque illam particularem omnes gentes annuatim venire
non possent, nec capi ibidem ; et nunc
satis ostensum est, in Prophetis per Jerusalem litteraliter exprimi Christi Ecclesiam ; *ut adorent regem Dominum exercituum ; non erit super eos imber,* id est
perfusio gratiæ Dei, sed in mortalibus vi-
18 tiis disperibunt. *Quod et si familia Ægypti,* id est populus regni illius antiqui
atque famosi, *non ascenderit, et non venerit,* ad adorandum modo jam dicto ; *nec
super eos erit* imber gratiæ et doctrinæ
divinæ ; *sed erit ruina,* id est, hujus imbris carentia erit pœna una, *qua percutiet
Dominus omnes gentes quæ non ascenderint* ab imo vitiorum ad arcem virtutum,
ad celebrandum festivitatem Tabernaculorum, spiritualiter, non litteraliter. Littera (II Cor. III, 6.)
nempe occidit, spiritus autem vivificat. Et
certum est, a publicatione evangelicæ legis, observantiam legalium, quantum ad

A cærimonialia, fuisse prohibitam et letalem, quoniam veritate revelata, cessare de-
bet figura. *Hoc erit peccatum,* id est trans- 19
gressio divini præcepti, *Ægypti, et hoc
peccatum omnium gentium quæ non ascenderint ad celebrandum festivitatem Tabernaculorum :* secundum sensum prætactum.

20 *In die illa erit, quod super frenum equi
est, sanctum Domino :* id est, ornamenta
aurea atque argentea, quæ in equorum
frenis poni solebant, Domino offerentur,
B quoniam usus equorum et armorum necessarius non exsistet, Antichristo occiso,
sed pax erit præcipua. Sic Glossa exponit.
Et erunt lebetes, id est vasa divini cultus,
in domo Domini, id est in Ecclesia, in qua
sunt calices, pyxides, aliaque divino cultui vasa aptata : quæ jam nomine lebetum
signantur, quoniam Propheta per metaphoram exprimit ea quæ ad evangelicæ
legis pertinent cultum, per ea quæ erant
in Synagoga et veteri Testamento, quum
fuerint figurativa horum quæ in nova sunt
C lege, et cultus Ecclesiæ ; *quasi phialæ coram altari :* nam coram altari feruntur
præcipue, sicut phialæ, quæ sunt vasa ad
vinum potandum formata, ad mensam portantur. Spiritualiter lebetes sunt homines
virtuosi, qui sciunt juxta apostolicum documentum vas suum seu corpus possidere (I Thess. IV, 4.)
in sanctificatione : qui quum sint bonus (II Cor. II, 15.)
odor Christi in omni loco, phialis comparantur.

21 *Et erit omnis lebes in Jerusalem, et in
Juda,* id est in Ecclesia et populo confi-
D tenti, vel etiam in civitate illa Judæ et
conversis Judæis, *sanctificatus Domino exercituum,* id est divino cultui mancipatus,
ut in aliis non liceat eis uti, quum sint
vasa sacrata. *Et venient omnes immolantes,* id est sacerdotes sacramentum Eucharistiæ offerentes, aliique fideles, alia
novæ legis sacrificia spiritualia seu corporalia in Ecclesia immolantes ; *et sument
ex eis,* id est ex vasis sanctis prædictis
sacramenta christianæ religionis, *et coquent in eis,* id est, Sacramentum altaris

in igne Sancti Spiritus, seu caritatis fervore, conficient, tractabunt, vel sument, ne crudas agni comedant carnes, nec sacramentaliter tantum communicent, sed in vasis congrua devotione animæ sibi præparent cibum salvificum. Loquitur autem Propheta metaphorice et obscure, sicut et supra frequenter, ut moris est in Prophetis. *Et non erit mercator ultra,* id est spiritualium venditor, vel simoniacus, aut generaliter emptor et venditor, *in domo* A *Domini exercituum,* scilicet in Ecclesia : hæc enim vitia prohibentur a Christo, qui ejecit de templo ementes atque venden- *Matth.* XXI, 12.
tes; *in die illa,* id est tempore illo post Antichristi dejectionem : quia ex tunc simonia inter fideles non erit, neque in Ecclesia negotiatio vitiosa, eo quod tunc imminente termino mundi, devotissime obsequentur Christiani Creatori et Salvatori suo, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

ENARRATIO

IN MALACHIAM PROPHETAM

ENARRATIO

IN MALACHIAM

PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : ONUS VERBI DOMINI AD ISRAEL.

Ut refert S. Hieronymus, Malachias propheta prophetavit ad populum Juda, hoc est ad tribum Juda ac Benjamin, atque ad sacerdotes, post reditum a Babylone, post Aggæum et Zachariam. Hebræi quoque affirmant hunc Malachiam fuisse Esdram scribam ac sacerdotem : quod et Hieronymus approbare videtur, quamvis certum non sit. Magister enim in historiis scribit, quod Malachias post regressum a Babylonica captivitate, natus sit in Judæa in Sophis : quem, quia optimæ vitæ fuit, et adspectu decorus, populus appellavit Malachiam, id est angelum. Mortuus est autem, dum adhuc juvenis erat, et in agro suo sepultus. Et quia huic Prophetæ non præmittitur titulus tempus sui vaticinii exprimens, tenendum est, secundum Hieronymum, eum eodem tempore prophetasse, quo illi qui hunc Prophetam immediate præcedunt et titulum tempus prophetiæ exprimentem habent, quamvis sua vaticinatio, illorum vaticinationem secuta dicatur.

1 Titulus autem hujus Prophetæ est : *Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ.* Itaque, Onus verbi Domini, id est pondus increpationis, verbo prophetico ac divino significatum. Vel, ut alii dicunt, Onus verbi Domini, id est officium annuntiandi divinitus revelata. Officium enim alicui injunctum, onus ejus vocatur. Unde Septuaginta transtulerunt : Assumptio verbi Domini. Verumtamen, secundum Hieronymum, quandocumque in exordio Prophetarum ponitur, Onus, insinuatur quod ea quæ subsequuntur, molestiis plena sint, ita quod onus, pondus malorum significat. Hoc igitur onus verbi Domini, sanctum, et dici jussum est ad Israel, id est ad Judæos a Babylone reductos. Hi namque Israel sibi nomen retinuerunt, aliis decem tribubus, quæ Israel appellari solebant, in captivitate manentibus. Et bene ait, Ad Israel, et non, Contra Israel, quia ad eorum emendationem onus hoc ordinabatur. In manu Malachiæ, id est per subministrationem Malachiæ, vel per ipsum Malachiam : per manum enim operatio designatur, et sæpe pars pro toto accipitur. Septuaginta transtulerunt : In manu angeli ejus. Malachias namque interpretatur angelus Domini. Propter quod nonnulli dixerunt, quod Propheta hic fuit angelus

in corpore humano : quod vanum, falsum, A
ac frivolum est. Non enim sequitur : no-
men hoc, angelus Domini interpretatur,
ergo vir ita vocatus, angelus fuit. Sicut non
sequitur, Osee prophetam fuisse salvato-
rem, quanquam nomen istud Osee, inter-
pretetur salvator; vel Joelem fuisse Deum,
eo quod Joel interpretetur Deus meus.

Denique Dominus ostendit onus præfa-
tum non injuste ad Israel fieri, quia divi-
2 næ dilectioni fuerunt ingrati. *Dilexi vos,*
dicit Dominus; et dixistis. Multa quippe
pietatis suæ dona Deus specialiter Judæo-
rum plebi exhibuit. Propter quod in Deu-
Deut. x, 15. teronomio Moyses dixit : Patribus tuis con-
glutinatus est Dominus, et amavit semen
eorum post eos. Sed quomodo ingratos et
reprobos fertur Deus amasse? Dicendum,
quod omnia diligit quoad bonam naturam,
quam habent a Creatore. Quosdam etiam
reprobos dilexisse interdum asseritur, pro-
pter specialia beneficia quæ eis in vita
præsenti impendit. Solos vero prædestina-
tos absolute et proprie diligit, etsi non
subinde secundum præsentem justitiam, C
dum impie vivunt, tamen secundum præ-
destinationem æternam, qua eis finaliter
misereri instituit. Ingratitudo insuper et
temeritas Judæorum ostenditur ex respon-
sione eorum ad Dominum. Quemadmodum
autem Deus per Prophetam loquitur eis,
sic et ipsi ad Prophetam loquendo, Deo
respondent, vel immediate ad Deum diri-
gunt verbum, ac dicunt : *In quo dilexisti*
nos? id est, per quid apparet specialis
dilectio tua ad nos, quos ita affligi permit-
tis? Non enim attenderunt quod Salomon D
Prov. III, 12. scribit : Quem diligit Dominus, corripit.
Quibus Dominus clementer respondit :

Nonne frater erat Esau Jacob? dicit
Gen. xxv, 25. *Dominus.* Quasi dicat, Utique : ut patet in
Genesi. *Et dilexi Jacob,* etiam antequam
eum creavi, quia non ex meritis suis ip-
sum elegi, sed ex mea bonitate ei benefa-
cere decrevi, et in amore eum præveni,
volens eum esse vas misericordiæ in sa-
3 lutem, ut in eo mea pietas reluceret. *Esau*
autem odio habui, id est, juste reliqui, et
propter ejus demerita, quæ præscivi, re-
probandum duxi. Dedit etiam Deus bene- *Gen.* XXVII.
dictionem paternam, et hereditatis promis-
sionem ipsi Jacob, non Esau, quum tamen
Esau primogenitus esset. Porro peccata
Esau in Genesi describuntur : qualiter vo- *Ibid.* 41;
luit fratrem suum Jacob occidere, et pro xxv, 29-34.
lenticula primogenita vendidit. Unde de
ipso dicit ad Hebræos Apostolus, quod non *Hebr.* XII,
invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum 17.
lacrimis inquisisset eam. Etenim illa ejus
pœnitentia ex qua flevit, non fuit pœni-
B tentia vera et virtuosa, ex divino amore
et zelo justitiæ odioque peccati procedens,
sed ex dolore amissionis rei terrenæ, vel
ex servili timore. Præterea locum istum,
Jacob dilexi, Esau autem odio habui, alle-
gat et tractat Apostolus ad Romanos, ad
ostendendum quod prædestinatio, electio,
et gratia Dei, non sunt ex operibus nostris
seu meritis. Ait namque : Quum nondum *Rom.* IX, 11-
nati fuissent, aut aliquid egissent boni 13.
aut mali (ut secundum electionem propo-
situm Dei maneret), non ex operibus, sed
ex vocante, dictum est : Quia major serviet
minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi,
Esau autem odio habui.

Insuper quod Deus Esau habuerit odio,
consequenter ostenditur per hoc, quod po-
steros quoque ejus reliquerit. *Et posui*
montes ejus in solitudinem, id est, habi-
tacula filiorum Esau in montibus sita, re-
degi per Nabuchodonosor regem Babylo-
nis in loca deserta habitatore carentia; *et*
hereditatem ejus, id est terras et urbes ac
villas eorum, quas hereditarie posside-
bant, *in dracones deserti,* id est, in tantum
vastavi et demolitus sum per regem præ-
fatum, ut dracones et cetera bruta quæ in
desertis solent morari, habitarent ibidem.
Quod si dixerit Idumæa, id est gens Idu- 4
mææ de semine Esau orta, *Destructi su-*
mus, id est, habitacula nostra destructa, et
multi de plebe nostra occisi sunt, *sed re-*
vertentes ad propriam terram, *ædificabi-*
mus quæ destructa sunt; hæc dicit Domi-
nus exercituum : Isti Idumæi *ædificabunt,*
et ego destruam, id est, opus eorum non

prosperabitur ; *et vocabuntur* hi Idumæi, A
termini impietatis, id est terra impieta-
tibus plena. Terra enim pro populo eam
inhabitante, et populus pro terra habita-
tionis suæ accipi solet, et unum per aliud
designari. *Et populus cui iratus est Do-*
minus usque in æternum, id est, Idumæi
isti dicentur populus a Deo perpetue de-
relictus. De hac autem Idumææ pressura,
dictum est supra in visione Abdiæ pro-
Is. XXXIV; phetæ : de qua etiam vastitate in Isaia et
Jer. XLIX, 7-22. Jeremia plura leguntur. *Et oculi vestri*
5 *videbunt,* id est, dejectionem istam Idu- B
mææ, o Judæi, agnoscetis, vel corporaliter
adspicietis ; *et vos dicetis : Magnificetur*
* alias *terminum* *Dominus super terram* Israel,* id est, ter-
ram nostram Judææ dignetur Deus magni-
fice reparare atque protegere, ne nobis
contingat ut Idumæis.

Consequenter Dominus arguit populum
Judæorum, quod eum nec honorabant ut
patrem, nec metuebant ut Dominum. Et
aliqui dicunt, quod sermo sequens speci-
aliter dirigatur ad sacerdotes ; sed Hiero-
nymus asserit, quod loquitur eis qui sub C
Zorobabel et Jesu filio Josedec et Esdra ac
I *Esdr.* III, IX; II *Esdr.* XIII. Nehemia de Babylonia sunt reversi, con-
structoque altari, nondum ædificaverunt
templum, nec muros Jerusalem, et nihilo
minus in peccatis pristinis permanebant,
Deum nec amore, nec timore venerantes.
6 Itaque ait : *Filius honorat patrem.* Hoc
enim est primum præceptum secundæ ta-
bulæ, in qua erant septem præcepta ad
proximum pertinentia. Et filii boni hoc
faciunt patribus tam carnalibus quam spi-
ritualibus, sicut Apostolus docet et jubet D
Ephes. VI, 1. ad Ephesios : Filii, obedite patribus vestris
in Domino. *Et servus dominum suum,*
supplendum est, timet. Est autem duplex
timor, puta servilis, quo pœna, non culpa,
timetur; et filialis, quo culpa metuitur. Si-
mili modo duplex est servitus. Servus ergo
servitute timoris pure servilis, non mere-
tur dici filius Dei, nec est in statu salutis,
quia caritatem non habet. Unde hujusmodi
servum Christus distinguens a filio Dei
Joann. VIII, 35. adoptivo, ait : Servus non manet in domo
in æternum, filius autem manet in æter-
num; et alibi, Servus nescit quid faciat *Joann.* XV, 15.
Dominus ejus. Porro servus servitute ti-
moris casti ac filialis, etiam filius est : de
quo dicit Salvator, Euge, serve bone et *Matth.* XXV, 21, 23.
fidelis, intra in gaudium Domini tui. Quum
autem jam inter filium et servum fiat di-
stinctio, videtur nunc sermo fieri de ti-
more servili, qui licet non faciat bonum
bene et meritorie, scilicet recta intentione
et caritative, retrahit tamen a peccato, est-
que initium sapientiæ, quia disponit ad *Eccli.* I, 16.
gratiam. Unde scriptum est : Timor Domi- *Ibid.* 27.
ni expellit peccatum. Et iterum ait Scri-
ptura : Per timorem Domini declinat unus- *Prov.* XV, 27.
quisque a malo.

Si ergo pater ego sum, id est, quum sim
pater vester per creationem, legislationem,
atque multiplicis beneficii collationem, et
si digne vereque me patrem vocatis (juxta
illud Isaiæ : Tu, Domine, pater noster, *Is.* LXIII, 16.
redemptor noster), *ubi est honor meus?* id
est, cur præceptis meis non obeditis, nec
actibus latriæ me honoratis, orando, lau-
dando, gratias referendo, sacrificando, et
omne opus Dei reverenter implendo? Ma- *Jer.* XLVIII, 10.
ledictus enim qui facit opus Dei negligen-
ter. *Et si Dominus ego sum,* sicut utique
sum, et specialiter Dominus vester per
providentiam singularem. Denique solus
Deus est Dominus per universalem præ-
sidentiam, propriam auctoritatem, atque
fontalem legum, præceptorum ac jurium
lationem ; omnesque alii dominatores com-
parantur ad ipsum sicut ministri et in-
strumenta ad dominum ac principalem
agentem. Hinc ait per Isaiam : Ego Do- *Is.* XLII, 8.
minus, hoc est nomen meum, et gloriam
meam alteri non dabo. *Ubi est timor meus,*
id est mihi impendendus? Qualiter autem
isti Judæi multum negligentes fuerunt in
opere Dei, patet ex præinductis super Ag-
gæum et Zachariam.

Deinde sacerdotes specialiter arguuntur.
Ad vos, o sacerdotes, loquor, *qui despicitis*
nomen meum, id est, majestatem meam in
sacrificando et immolando non honoratis,
nec mihi paretis; *et dixistis,* impudenter

respondendo ac sciscitando (sicut et Cain, A
Gen. IV, 9. qui dixit : Numquid custos fratris mei sum
ego ?) : *In quo despeximus nomen tuum ?*
7 Quibus Deus respondet : *Offertis super altare meum pollutum panem,* id est panes propositionis non tales quales offerre tenemini. Sacerdotes quippe, secundum Hebraicam traditionem, panes propositionis propriis manibus pistare, formare, et coquere debuerunt, ut dicit Hieronymus : quod isti neglexerunt, sumentes quoscumque de medio. *Et dicitis,* negligentiam vestram dissimulando : *In quo polluimus te,* B id est, te et sacramenta tua violavimus, seu irreverenter tractavimus ? Quemadmodum autem dicimur Deum sanctificare, dum ei in sanctitate atque justitia ministramus, sicque quantum in nobis est, eum esse sanctum monstramus ; sic dicimur eum polluere, dum irreverentialiter et vitiose nos coram ipso, præsertim in suo cultu, habemus, atque per hoc, quantum in nobis est, eum quasi non sanctum ac inhonorandum esse ostendimus. *In eo quod dicitis, Mensa Domini despecta est,* id est C per hoc quod affirmatis altare templi non oportere honorari in sacrificiis legis et panibus propositionis ut olim, quia nondum honorifice reparatum est vel ornatum, sed quasi vile et indecorum. Putabant enim sic posse subtrahi altari de sanctimonia religionis, sicut defuit ei de gloria ædificii primi altaris a Salomone constructi.

8 *Si offeratis cæcum ad immolandum,* id est, si animal cæcum adducatis, ut Domino
immoletur, *nonne malum est?* id est, imo D
Deut. XV, 21. hoc illicitum est, et lege prohibitum. *Et si offeratis* Domino *claudum vel languidum*
Ibidem. animal, *nonne malum est?* Hoc enim per Moysen Deus prohibuit. Quod autem hoc malum sit, Dominus probat per locum a minori. *Offer illud duci tuo,* id est, si domino tuo mortali terreno, qui est vermis et pulvis, tale animal offerres, *si placuerit ei,* id est, non placebit, *aut si susceperit faciem tuam,* id est, præsentiam tuam non habebit gratam, *dicit Dominus exercituum.* Multo minus Deo omnipotenti talis placebit oblatio.

Deinceps post increpationem ad pœnitentiam eos invitat. *Et nunc deprecamini* 9
vultum Dei, id est divinæ pietatis respectum, *ut misereatur vestri* (*de manu enim vestra factum est hoc,* id est, præscriptum peccatum vos commisistis, offerentes Deo animalia lege prohibita), *si quo modo suscipiat facies vestras,* id est, si forte aliquo modo vobis indulgere dignetur. Loquitur autem conditionaliter, non quod dubitet Deum vere pœnitentibus paratum ignoscere, sed quia certum non est an pœnitentia nostra sit vera et Deo accepta, quippe
quum nec nos esse in caritate noscamus. Eccle. IX, 1.
Vel ideo ait, Si, ut pensemus peccata enormia non qualemcumque, sed dignam ac proportionatam exigere contritionem ut deleantur. Siquidem magnitudini culpæ æquari debet pœnitentiæ magnitudo, secundum Hieronymum.

Quis est in vobis, qui claudat ostia et 10
incendat altare meum gratuito? id est, nullus ministrorum templi deservit mihi in templo sine mercede, quum nec janitores claudant januas templi, nec alii supponant ignem altari ad holocausta cremanda sine emolumento, seu vitæ stipendio : habebant enim decimas omnium frugum quæ offerebantur a populo : idcirco peccata vestra graviora sunt, pœnitentiamque majorem requirunt. Ex quo, secundum Hieronymum, ostenditur acceptiorem Deo esse servitutem quæ in præsenti mercedem
non postulat. Propter quod Apostolus gra- II Cor. XI,
tis Evangelium prædicavit, et manuum la- 7, 9; I Thess. II, 9 ; II
bore victum accepit, ne quemquam gra- Thess. III, 8.
varet.

Vituperata Judæorum oblatione, ostenditur sacrificium Deo gratissimum. *Non est mihi voluntas in vobis,* id est, mihi vita vestra non placet, nec vos, *dicit Dominus exercituum ; et munus non suscipiam de manu vestra,* id est, sacrificia vestra jam dicta, et eis similia, non acceptabo propter vestra facinora. Sacrificia nempe veteris Testamenti non habuerunt virtutem

et acceptabilitatem ex parte operis opera-
ti, videlicet rei oblatæ, sed operis operan-
tis, puta ex devotione et gratia offerentis.
Verumtamen istud referendum est maxime
ad tempus novi Testamenti, in quo veteris
legis sacrificia cessaverunt, et carnalibus
victimis spirituales hostiæ successerunt.
11 Ideo subditur : *Ab ortu enim solis usque
ad occasum,* id est ubique terrarum, *ma-
gnum est nomen meum in gentibus,* id
est, excellentia majestatis meæ cunctis po-
Is. xi, 9. pulis innotescit : sicut Isaias prædixit, Re-
pleta est terra scientia Domini. Istud enim
factum est per Apostolorum prædicatio-
Marc. xvi, 15. nem, quibus jussit Salvator : Euntes in
mundum universum, prædicate Evange-
lium omni creaturæ. *Et in omni loco sa-
crificatur et offertur nomini meo oblatio
munda,* id est Eucharistiæ sacramentum,
omnium legalium sacrificiorum finis et
veritas. Propterea, ejus oblatione publi-
cata, cessaverunt mortifera, quæ fuerunt
sacrificia illa legalia. *Quia magnum est
nomen meum in gentibus,* scilicet tempore
Ps. viii, 2. evangelicæ legis : juxta illud : Domine,
Dominus noster, quam admirabile est no-
men tuum in universa terra !
12 *Et vos,* o Judæi, *polluistis illud,* id est,
inhonorastis me, *in eo quod dicitis : Mensa
Domini contaminata est.* Hoc jam paulo
vers. 7. ante dictum est atque expositum. Hic enim
accipitur mensa pro altari, quia subjungi-
tur : *et quod superponitur, contemptibile
est cum igne qui illud devorat.* Ignis enim
non devoravit panes propositionis, sed car-
nes in altari oblatas. Eadem enim ratione
nunc dicunt mensam Domini contamina-
tam, qua supra dixerunt eam despectam,
quia videlicet altare nondum ornatum aut
pretiose constructum fuit. Ideo putabant
ipsum non oportere ut olim honorari, nec
sacrificia de perfectis, sanis, et integris
animalibus fieri. Simili ratione ignem qui
in altari nutriebatur ad holocausta creman-
13 da, contemptibilem reputabant. *Et dixi-*
A *stis,* vos excusando : *Ecce de labore,* id
est, hoc ipsum quod offerimus, de labore
nostro est, vel cum difficultate obtulimus,
eo quod nuper de Babylone reversi, pau-
peres simus, *et exsufflastis illud, dicit Do-
minus exercituum,* id est, oblationem ve-
stram exsufflatione mea dignam fecistis, et
virtutem ac meritum ejus vestra inobe-
dientia exstinxistis; *et intulistis* in tem-
plum, *de rapinis claudum et languidum,*
id est animalia claudicantia, et infirma per
rapinam adepta, *et intulistis munus,* id
B est, talia immolastis. *Numquid suscipiam
illud de manu vestra? dicit Dominus ex-
ercituum.* Non utique, quum ibi sit duplex
transgressio, puta rapina, quæ est contra
proximum, et prævaricatio legis divinæ
talia offerri vetantis, quæ est iniquitas
contra Deum.

Maledictus dolosus, qui habet in grege 14
suo masculum, id est animal bonum et
aptum ad offerendum, *et votum faciens* de
sacrificio offerendo, *immolat debile Do-
mino,* id est animal vile, claudum, cæcum,
C ac languidum; *quia rex magnus ego, di-
cit Dominus exercituum.* Quemadmodum
enim solus Deus est Dominus per univer-
salem providentiam et propriam auctori-
tatem, sic et ipse solus est rex, et rex adeo *Ps.* xciv, 3;
magnus, ut magnitudinis seu dignitatis et cxliv, 3.
perfectionis ejus nullus sit finis. *Et nomen
meum horribile,* id est metuendum, *in
gentibus* quæ me vere cognoscunt : illæ
enim me formidandum agnoscunt atque
formidant. In ceteris quoque Deus horri-
bilis est, per districtam et æquissimam
D ultionem. Quum ergo tantæ sublimitatis sit
Deus, non est ei de vilioribus, sed melio-
ribus, secundum quod ipse jussit, facienda
oblatio. Hinc ad Abel et ad munera ejus *Gen.* iv, 4,
respexit Deus, quia de melioribus (scilicet 5.
primogenitis) gregis sui adipibusque eo-
rum obtulit Domino. Ad Cain vero et mu-
nera ejus non respexit, quia de fructibus
terræ obtulit viliora, ut legitur in Genesi.

ARTICULUS II

DE SPIRITUALI INTELLECTU EJUSDEM PRIMI CAPITULI.

1 O*NUS verbi Domini ad Israel in manu* A
Malachiæ. Per Malachiam, qui angelus
Domini interpretatur, spiritualiter intelli-
Is. IX, 6, juxta LXX. gitur Christus magni consilii Angelus, vel
quilibet ejus sacerdos, prædicator, vel do-
ctor, qui angelus, id est nuntius Dei est.
Per hos factum est et fit verbum Dei Patris
atque totius superbenedictæ Trinitatis, ad
Israel, id est Ecclesiam Christi.
2 *Dilexi vos,* o Christiani, o Judæi ad Chri-
stum conversi, et omnes per Christum
salvati, *dicit Dominus.* Hoc enim ait Chri-
Joann. XVI, 27. stus Apostolis : Ipse Pater amat vos. Et B
Ibid. III, 16. rursus in Evangelio legitur Joannis : Sic
Deus dilexit mundum, ut Filium suum uni-
genitum daret. Et Paulus ad Ephesios :
Ephes. II, 4. Propter nimiam, inquit, caritatem qua di-
lexit nos Pater, Filium suum misit in
mundum. *Et dixistis : In quo dilexisti
nos* præ ceteris gentibus? Hoc interdum
fideles quasi admirando inquirunt, dum
gravissimis adversitatibus atteruntur. Boni
quoque inquirunt hoc, non ex ingratitudi-
ne, sed ut de ratione et modo divinæ ad
eos dilectionis plenius instruantur. Mali C
vero ea temeritate id quærunt, qua cete-
ra Christi beneficia aspernantur. Dominus
autem respondit :
Nonne frater erat Esau Jacob? Per Ja-
Gen. XXV, 25, 27. cob, qui interpretatur luctator vel supplan-
tator, eratque vir quietus et simplex, in
tabernaculis habitans, intelliguntur Chri-
stifideles, qui contra mundum, carnem,
diabolum victoriose luctantur, et vitia vin-
Ibid. 27. cunt. Per Esau autem, qui erat venator, et
interpretatur quercus, quod est nomen ar-
boris cibum porcorum portantis, intelligun- D
tur carnales, concupiscentiarum sectatores,
sæculares et vani. Et isti sunt fratres, quo-
niam boni ac mali ex eisdem protoplastis
progeniti sunt. Verumtamen illos diligit,
hos odit Deus; nec illi istis meliores es-
sent, nisi a Deo præ istis æternaliter dilecti
atque electi sine omni merito suo fuis-
sent. Siquidem Deus omnipotens, justus,
pius, ac sapiens, cujus vult miseretur, et *Rom.* IX, 18.
quem vult indurat; et ejus prædestinatio,
totius virtutis et gratiæ in nobis est causa.
Et posui montes ejus, scilicet Esau, *in* 3
solitudinem. Montes Esau, sunt potentes
et magni in sæculo isto, qui ad dignitates
et dominationes adspirant : qui in solitu-
dinem rediguntur, quia ut scriptum est :
Omnis potentatus brevis est vita; sic et *Eccli.* X, 11, 12.
rex hodie est, et cras morietur. In primo
quoque libro Machabæorum dicitur : A *I Mach.* II, 62, 63.
verbis peccatoris ne timueritis, quia gloria
ejus, stercus et vermis; hodie extollitur, et
cras non invenietur. *Et hereditatem ejus,*
id est corpora eorum quæ diligenter co-
lunt et nutriunt, posui *in dracones deserti,*
id est, in putredinem pulveremque redegi:
juxta illud Ecclesiastici, Quum morietur *Eccli.* X, 13.
homo, hereditabit serpentes et bestias et
vermes. Vel in dracones deserti ponentur,
quando in inferno dæmonibus in tormen-
tis sociabuntur, juxta illud Judith : Deus *Judith.* XVI, 20, 21.
omnipotens dabit ignem et vermes in car-
nem ipsorum, ut urantur et sentiant usque
in sempiternum. *Quod si dixerit Idumæa,* 4
id est plebs ista terrena per Esau designa-
ta, *Destructi sumus,* id est humiliati, et
plagati a Deo, qui cornua animositatum
nostrarum confregit, *sed revertentes* ad
pristina mala, *ædificabimus quæ destru-
cta sunt,* scilicet turrim superbiæ, vana
consilia, et pompositates mundanas; *hæc
dicit Dominus : Isti ædificabunt, et ego
destruam.* Deus enim superbis resistit; *I Petr.* V, 5.
et sedes ducum superborum destruxit. *Et* *Eccli.* X, 17.

vocabuntur homines isti Deo adversan- A
tes, *termini impietatis, et populus cui ira-*
tus est Dominus usque in æternum. Sunt
enim terreni impietatibus pleni, qui æter-
na oblivione relinquentur a Deo. Quibus
Jacob. v, 1, 3. dicit Jacobus : Agite nunc, divites, plorate
ululantes in miseriis vestris : thesauriza-
stis vobis iram in novissimis diebus. De
Jer. xvii, 13. quibus loquitur Jeremias : Domine, omnes
qui te derelinquunt, confundentur; rece-
dentes a te, in terra scribentur.

5 *Et oculi vestri,* id est mentes, o veri
Christiani, *videbunt* impiorum damnatio-
nem, *et dicetis : Magnificetur Dominus*
super terram Israel, id est, gratiose ac
clementissime faciat suæ Ecclesiæ, ipsum
fideliter intuenti. Impiorum enim punitio
bonos provocat ad meliora, juxta illud
Prov. xix, 25. Proverbiorum : Impio flagellato, sapiens
sapientior erit. Ideo, felix quem faciunt
aliena damna peritum.

6 *Filius honorat patrem,* etc. Quum Do-
minus noster Jesus Christus nos ita ora-
Matth. vi, 9. re docuerit, Pater noster qui es in cœlis,
sanctificetur nomen tuum : vigilantissime C
perpendendum est nobis, ne tam ineffabili
Dei omnipotentis dignationi inveniamur
ingrati; sed filiali amore Deum præ omni-
bus diligamus, et per sanctam caritatem
affectuosissime jugiter honoremus, præser-
tim quum per Christum simus præcipue
Joann. i, 12. ad Dei filiationem vocati. Quotquot enim
receperunt eum, dedit eis potestatem filios
Dei fieri. Nempe quum Filius Dei factus
est frater noster, nos quoque filii Dei facti
sumus. Non itaque indigne Deum patrem
vocemus, ne nobis objiciat : *Si pater ego* D
sum, ubi est honor meus? Præterea, væ
eis qui Deum nec venerantur ut patrem,
nec verentur ut Dominum.

Ad vos, o sacerdotes Ecclesiæ, *qui despi-*
citis nomen meum, corpus meum et san-
guinem irreverenter tractando, indevote
sumendo, qui carnaliter turpiterque vi-
vendo, maximam mihi irreverentiam faci-
tis, et alios graviter scandalizatis, dicit
Dominus Jesus Christus; *et dixistis : In*
quo despeximus nomen tuum? Quia vide-

licet *offertis super altare meum pollutum* 7
panem, id est, sacramentum Eucharistiæ,
quantum in vobis est, contaminatis, sicut
et nomen Christi polluistis. *Et dicitis : In*
quo polluimus te? id est, in quo te, o Chri-
ste, inhonoravimus? *In eo quod dicitis :*
Mensa Domini despecta est, id est per hoc
quod opere demonstratis altare esse despe-
ctum, atque a vobis esse dehonoratum,
dum ad id imparati acceditis, vitiosam
vitam non deserentes, neque fructuose
quotidie confitentes.

B *Si offeratis cæcum vel claudum, nonne* 8
malum est? Cæcum immolat, qui Deo ob-
sequium indiscretum impendit. Quocontra
dicit Apostolus : Rationabile obsequium Rom. xii, 1.
vestrum. Claudum offert, qui mente nu-
tante, et intentione non pura ac simplici,
Deo precem effundit. Propter quod Jacobus
apostolus ait : Vir duplex animo, inconstans Jacob. i, 8.
est in omnibus viis suis. Languidum im-
molat, cujus cor in gratia Dei stabilitum Hebr. xiii, 9.
non est, neque per ancoram spei firmatum
in Christo. Denique verbum istud contra
eos profertur, qui quum divites sint, ta-
men viliora et minima offerunt Creatori,
modicasque eleemosynas largiuntur. Con-
tra istos ignavos, ingratos et cupidos lo-
quitur Deus : *Offer illud duci tuo,* etc., id
est, si taliter homini mortali præsidenti
vobis serviretis, vel supplicaretis, aut im-
molaretis, non ei placeret : et tamen au-
detis coram me vos ita habere. Hoc verbo
redarguuntur negligentissimi, qui oratio-
nes, Horas et laudes Deo sine timore, at-
tentione, reverentia et affectu exsolvunt;
sed alicui magno viro, prælato aut principi
locuturi aut servituri, cum reverentia ma-
gna accedunt, prudenter et distincte lo-
quuntur, atque attoniti sunt. Nonne hi
præferunt creaturam Creatori, hominem
Deo, servumque Domino, et Domino tam
excelso prorsus immenso? Istis consulitur,
imo præcipitur : *Et nunc deprecamini vul-* 9
tum Dei, ut misereatur vestri, et emen-
detis vos integre.

Quis est in vobis, o ministri Ecclesiæ, 10
qui claudat ostia ecclesiæ, *et incendat*

altare meum gratuito luminaria accendendo? quasi dicat Salvator, Nullus. Omnes enim ecclesiastici de Christi patrimonio vivunt, ideo ei reverentialius servire tenentur. Quod quum ita sit, quid fiet de his qui multa beneficia habent, aut unum superabundans, et nihilo minus vitiis pleni sunt, mundani atque carnales? quorum damnatio gravissima erit.

11 *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Per oblationem istam intelligi potest devota oratio, juxta illud in Psalmo:
Ps. CXL, 2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Vel oblatio munda est, qua ipsi præcipue religiosi Deo se offerunt in holocaustum, ejus se cultui totaliter mancipantes.

Consequenter contra tenaces et irreve-
13 rentes oblatores Dominus ait : *Et dixistis, Ecce de labore* est quod obtulimus, id est de nostra exiguitate, et nostro acquisitum sudore : ideo fecistis id dignum abjectione. *Et intulistis de rapinis,* id est, de bonis injuste aut violenter adeptis atque receptis, oblationem mihi fecistis. *Numquid suscipiam illud de manu vestra? dicit Dominus.* Quasi dicat, Nequaquam. Unde in
Eccli. XXXIV, 21, 24. Ecclesiastico scriptum est : Immolantis ex iniquo, iniqua est oblatio; et qui offert substantiam pauperis, quasi qui immolet filium in conspectu patris.

Maledictus dolosus, qui habet in grege 14
suo masculum, et votum faciens, immolat debile. Hoc contra omnes intelligi potest qui quod Deo voverunt, integre non persolvunt. Quod si ita sit, quam maledicti sunt illi qui quod Deo voverunt, nec in toto, nec partim persolvunt? Et potissime hac maledictione cæduntur, qui ea voverunt quæ immediate Dei honorem et cultum concernunt, ut sunt actus virtutum. Ideo Moyses ait in Deuteronomio : Quod *Deut.* XXIII, 23. semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo. Imo nec differendum est, quum Salomon dicat in Ecclesiaste : Si quid vo- *Eccle.* V, 3. visti Deo, ne moreris reddere. Et qui ita non agit, Deo fidelitatem non servat, sed maximam ei irreverentiam exhibet. Postremo, quum quid Deo de rebus nostris, actibus, aut nos ipsos offerimus, cum omni promptitudine atque lætitia mentis id faciamus : attendentes quod primo libro Paralipomenon David fatetur : Tua, Do- I *Par.* XXIX, 14, 17. mine, sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi ; unde et ego in simplicitate cordis mei lætus omnia obtuli.

ARTICULUS III

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : ET NUNC AD VOS MANDATUM HOC, O SACERDOTES.

CONSEQUENTER Dominus hortatur sacerdotes ad pœnitentiam, adjiciendo minas, ut qui se amore boni et zelo æquitatis non corrigunt, timore supplicii corri-
1 gantur. *Et nunc ad vos mandatum hoc* de observatione cultus divini in cærimoniis templi, *o sacerdotes,* dirigitur. Sacerdotibus quippe correctis, ceteri facilius emendan-
2 tur. *Si nolueritis audire* auribus mentis et corporis, *et si nolueritis ponere super cor,* id est diligenter advertere, recolere et implere quod jubeo, *ut detis gloriam nomini meo,* id est, debitam mihi reverentiam impendatis, et coram aliis me clarificetis, gloriosum annuntietis, et omne mihi bonum adscribatis, *ait Dominus exercituum; mittam in vos egestatem,* id est terræ sterilitatem, victualiumque ino-

piam : quam carnales cupidique Judæi A
plurimum abhorrebant, præsertim quum
Deut. xv, 4. in Deuteronomio Moyses scripserit, Omni-
no indigens et mendicus non erit inter
vos; *et maledicam benedictionibus vestris,*
id est fructibus terræ et ceteris bonis
terrenis, quæ mea benedictione habetis,
quibus et vos benedicere consuevistis, *et
maledicam illis,* auferendo a vobis hæc
dona, et opposita mala super vos inducen-
do; *quoniam non posuistis super cor,* id
est, præcepta mea non impressistis me-
moriæ, nec debite custodistis. Quocontra B
Ps. cxviii, 11. dicit Psalmographus : In corde meo abs-
condi eloquia tua, ut non peccem tibi. Et
Prov. vii, 2, 3. Salomon ait : Serva mandata et legem qua-
si pupillam oculi tui. Liga eam in digitis
tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam.
3 *Ecce ego projiciam vobis brachium,* id est
armum animalis dextrum mihi oblatum,
quia propter vestra peccata munus ve-
strum non habeo gratum, *et dispergam
super vultum vestrum stercus solennita-
tum vestrarum,* id est, immunditiam vi-
tiorum quæ in festis vestris committitis, C
et irreverentiam quam mihi facitis, in vos
manifeste convertam, vos confundendo ac
puniendo. Vel per stercus istud, intelligi-
tur caro oblata continens stercora, quam
Deus ob eorum peccata non acceptavit, sed
eis rejecit. Unde Septuaginta transtule-
runt : Dispergam ventriculum, etc. *Et assu-
met vos secum,* id est, contemptibiles fœ-
dique vitiis eritis, sicut stercus : ut tales
4 sint offerentes, qualia ea quæ offerunt. *Et
scietis,* per justitiæ meæ effectum experi-
entiamque vindictæ, *quia misi ad vos man-* D
datum istud, jam dictum, *ut esset pactum
meum,* id est testamentum vel fœdus de
modo sacrificiorum, *cum Levi,* id est Levitis
ad cultum Dei specialiter dedicatis : quos
etiam Deus jussit præ aliis, maculis men-
tis corporisque carere, et virtutum ornatu
Exod. xix, 22. fulgere, juxta illud Exodi, Sacerdotes qui
accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne
percutiat eos; *dicit Dominus exercituum.*
5 *Pactum meum fuit cum eo vitæ et pa-
cis,* id est, pactum vitæ et pacis percussi
et inii cum tribu Levitica in deserto, eli- Exod. xxviii, 1; Num. iii, 6, 7.
gens illam ad sacerdotium, et promittens
eidem, quod si ipsa ac populus legem
meam servarent, in pace viverent super Lev. xxvi, 1-12; Num. xxv, 12, 13.
terram, imo pacem pectoris et vitam gra-
tiæ obtinerent. Porro, ut hic ait Hierony-
mus, quidquid nunc de Levi asseritur, ad
sacerdotes et potissime ad pontifices le-
gis Moysis pertinet. *Et dedi ei timorem*
meum, non servilem dumtaxat, sed filia-
lem et castum, *et timuit me, et a facie
nominis mei,* id est consideratione maje-
statis meæ, *pavebat.* Istud in Moyse, Aaron,
Eleazaro, Phinees, multisque aliis de tribu
Levi exortis fuit impletum, imo et in pa-
triarcha Levi, qui etsi interdum peccavit,
postea tamen virtuosæ fuisse creditur vi-
tæ. *Lex veritatis,* scilicet lex divinitus data 6
per Moysen, *fuit in ore ejus,* id est filio-
rum Levi, de quibus nunc dictum est, qui
populum instruxerunt; *et iniquitas non
est inventa in labiis ejus :* non quod isti
ab omni iniquitate immunes exstiterint,
sed quia condigne pœnituerint, et gratiam
sanctitatis sortiti sint : sicut de se ipso
fatetur Apostolus, Nihil mihi conscius I Cor. iv, 4.
sum; qui tamen alias loquitur, Venit Jesus I Tim. i, 15.
peccatores salvos facere, quorum ego pri-
mus sum. *In pace,* id est mentis tranquil-
litate, *et in æquitate,* id est justa conver-
satione, *ambulavit mecum,* id est coram
me et secundum beneplacitum meum mihi
conjunctus per voluntatis conformitatem,
et multos avertit ab iniquitate. Moyses
enim et Aaron ac reliqui quidam posteri
Aaron, plures de genere Israel ad pœni-
tentiam induxerunt, atque a vitiis variis
retraxerunt.

Labia enim sacerdotis custodiunt sci- 7
entiam : id est, ad sacerdotum officium
pertinet congruo tempore doctrinam legis
divinæ plebi proponere, et scientiam salu-
tarem in aliis conservare. Ideo in pectore Exod. xxviii, 29, 30.
summi sacerdotis fuerat rationale, in quo
Doctrina et Veritas ponebatur, quia sacer-
dos doctus esse debet, et præco veritatis
divinæ. *Et legem requirent* subditi et vul-
gares, *ex ore ejus.* Unde dicit Apostolus ad

Tit. I, 7, 9. Titum : Oportet episcopum sine crimine
esse, amplectentem eum qui secundum
doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos
qui contradicunt, arguere; *quia angelus,*
id est nuntius, *Domini exercituum est.*
Quemadmodum enim divinus Dionysius
docet, infimum ordinis superioris, et supremum ordinis inferioris, magnam habent mutuo convenientiam, et nomen unius
transfertur ad aliud. Quum ergo in cœlesti
hierarchia ordo angelorum sit infimus, et
in ecclesiastica hierarchia ordo sacerdotum
sit summus, angeli et sacerdotes in multis
communicant : ita ut sacerdotes angeli
nuncupentur, quoniam inter Deum et populum mediando, et ea quæ Dei sunt, hominibus nuntiando, atque spiritualem et
angelicam vitam in carne ducendo, angelicum exercent officium. Ideo in Apocalypsi
Apoc. I, 20; II, 1, 8, etc. episcopi septem Ecclesiarum in Asia, angeli appellantur.

8 *Vos autem recessistis de via,* id est, legem Dei qua itur ad vitam beatam, non
custodistis, *et scandalizastis,* id est, dicto
vel facto vestro inordinato *plurimos* ad
ruinam peccati traxistis, *in lege* scripta,
quam non servastis. *Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum,* id
est, pactum cum Levi seu tribu sacerdotali
initum de sacrificiis templi, sprevistis.
9 *Propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles,* id est abjectos, *omnibus
populis,* inter quos captivi fuistis, vel qui
vestram calamitatem noverunt. Unde in
II *Esdr.* IV, 4. libro Esdræ scriptum est : Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui. *Sicut non
servastis vias meas,* id est divina præcepta. Hinc primo Regum Dominus protesta-
I *Reg.* II, 30. tur : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me,
erunt ignobiles. *Et accepistis faciem in
lege,* id est, personas, non causas, adspexistis, judicando injuste propter munera,
vel timore aut favore, potentes, divites et
nobiles inferioribus præponendo. Quo con-
Ps. LXXXI, 2. tra in Psalmo habetur : Usquequo judicatis iniquitatem (id est, judicando approbatis peccatores), et facies peccatorum
sumitis?

Consequenter increpat Judæorum superbiam. *Numquid non pater unus omnium* 10
nostrum est? scilicet Adam, vel etiam
Abraham. *Numquid non Deus unus creavit
nos?* qui ait in Deuteronomio : Videte quod *Deut.* XXXII, 39.
ego sim solus, et non sit alius Deus præter
me. Animas nempe singulorum condidit
Deus sigillatim et per se ipsum immediate; corpora quoque nostra ab ipso origina- *Ps.* XXXII, 15.
liter sunt creata. *Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem,* id est proximum
suum, violans pactum patrum nostrorum,
id est in hoc ipso transgrediens præceptum
patribus datum de proximo diligendo ac *Exod.* XX, 13-17.
sustentando? Hinc Isaias minatur : Væ qui *Is.* XXXIII, 1.
spernis, nonne et ipse sperneris? *Trans-* 11
gressus est Juda, id est, populus Juda de
Babylone reversus, legem Dei non custodivit; *et abominatio,* id est irrationabilis
prorsus transgressio, *facta est in Israel et
in Jerusalem,* id est a filiis Israel incolisque Jerusalem post reditum de Chaldæa :
quia in templi ædificatione, sacrificiorum
oblatione, sabbati observatione, et alienigenarum uxorum acceptione, negligentes
fuerunt, ut patet in libro Esdræ, et alibi. I *Esdr.* IX;
Quia contaminavit Judas sanctificationem II *Esdr.* XIII.
Domini, quam dilexit, id est, templum
Dei inhonoravit : de quo dicitur primo
libro Machabæorum, quod Antiochus in- I *Mach.* I, 23.
travit sanctificationem cum superbia. Vel
sanctificatio ista, est cultus Dei in sacrificiis et ceteris latriæ actibus Deo placentibus; *et habuit filiam dei alieni.* Judæi
enim uxores gentiles idolorum servitrices
acceperunt, ut dictum est sæpe.

Disperdat Dominus virum qui fecerit 12
hoc amplius in futuro. Quasi dicat : Quod
factum est, Deus indulgeat. Vel dicitur hoc
zelo justitiæ, nisi pœniteant; vel modo
propheticæ prænuntiationis, quod utique
dispergentur, nisi se inde correxerint. *Magistrum et discipulum,* id est doctum et
simplicem instructorem peccati, et qui ei
consentit, magnum et parvum, qui est *de
tabernaculo Jacob,* id est de ejus familia.

Vel sensus est, quod tales transgressores A
ab aliis bonis Judæis disperderentur modo
jam tacto. *Et offerentem munus Domino*
exercituum, id est, etiam sacerdotem Deo
sacrificantem ita peccantem, Deus disper-
dat, si in peccato permanserit.
13 *Et hoc* malum quod subditur *rursum*
fecistis, adjiciendo peccata peccatis. *Ope-*
riebatis lacrimis altare Domini, fletu et
gemitu : id est, uxores vestras priores Ju-
dæas vobiscum de Babylone redeuntes, per
hoc quod eas propter earum deformitatem
vel senectutem abjecistis et alienigenas ac- B
cepistis, induxistis et compulistis ad hoc,
quod coram altari quotidie flebant cum
gemitu coram me, contra vos conqueren-
tes quod taliter abjicerentur. Ita exponit
Hieronymus. Alii autem exponunt, quod
ipsi viri sic lacrimabantur, putantes pec-
catum hoc expiare absque rejectione uxo-
rum gentilium : quod fuit erroneum. *Ita*
ut ultra non respiciam ad sacrificium mi-
hi a vobis oblatum, *nec accipiam placa-*
bile quid, id est aliquam hostiam expia-
tionis, *de manu vestra,* donec a præfatis C
vitiis vos emendetis.
14 *Et dixistis : Quam ob causam?* Videli-
cet, *Quia Dominus testificatus est inter te*
et uxorem pubertatis tuæ : id est, Deus in
Genesi dixit, quod tu et uxor tua legitima
simul maneretis, ac mutuo diligeretis :
Gen. II, 24. Relinquet, inquiens, homo patrem suum
et matrem suam, et adhærebit uxori suæ,
et erunt duo in carne una; *quam tu de-*
spexisti, aliam superinducendo, et ipsam
quasi ancillam tenendo. *Et hæc particeps*
tua, id est, uxor ista esse debet consors ac D
socia tua, non famula : ideo enim mulier
de latere viri plasmata est. Adam quoque
Ibid. III, 12. dixit ad Dominum : Mulier quam dedisti
mihi sociam, dedit mihi de ligno, et co-
medi. *Et uxor fœderis tui,* id est, cum
qua fœdus amicitiæ animæque consensum
15 tenere debes. *Nonne unus fecit,* id est, idem
Creator unusque Deus plasmavit Adam et
Evam, seu virum et feminam, *et residuum*
spiritus ejus est, id est hoc quod sibi co-
hærent per amorem et cohabitationem,
præter id quod ab uno Deo creati sunt?
Hoc est spiritus Dei, id est, voluntatis divi-
næ. *Et quid unus quærit?* id est, quid Deus
intendit per hoc, quod vult a filiis Israel
Judæas uxores teneri, vel primam conju-
gem non relinqui, nec alienigenas duci?
nisi semen Dei, id est filios qui divino
cultui educentur. Ideo mulier si deformis
est vel egena, sperni non debet nec abjici.
Custodite ergo spiritum vestrum, id est
animam a ruina peccati, *et uxorem adole-*
scentiæ tuæ noli despicere, quam in ado-
lescentia accepisti : ut quæ tibi virginali
primum juncta est matrimonio, perseveret
usque ad vitæ finem. *Quum odio habueris* 16
eam, dimitte, dicit Dominus Deus Israel,
dando ipsi libellum repudii. Quod autem
Dominus dicat hoc permissive ad vitan-
dum deterius, scilicet uxoricidium, sicut
permisit Judæis usuram ad alienos, non
absolute vel imperative, innotescit ex eo
quod subditur : *Operiet autem iniquitas* vi-
ri conjugem repudiantis ex odio, vel causa
non justa, *vestimentum ejus, dicit Domi-*
nus exercituum, id est, in corpore suo
debitam luet pœnam in igne inferni, nisi
vere pœniteat, quatenus in quo peccavit,
in illo et puniatur. Vel, Operiet iniquitas
vestimentum ejus, id est, peccatum ejus
ducetur in lucem, et omnibus in judicio
ostendetur, sicut apparet quod in vesti-
menti superficie situatur. *Custodite spiri-*
tum vestrum, et nolite despicere conjugem
primam atque legitimam. Hinc Christus in
Evangelio docet, uxorem non esse abji- Matth. V,
ciendam, nisi ob fornicationem : nec tunc 32; XIX, 9.
relinquitur quantum ad vinculum matri-
moniale, quum sit insolubile post copulam
carnalem, sed quoad cohabitationem ac
torum.

Insuper redarguuntur Judæi de alio gran-
di peccato in Deum. *Laborare fecistis Do-* 17
minum in sermonibus vestris, id est, per
verba vestra blasphema, incredulitatis ac
diffidentiæ plena, Deum quodammodo mo-
lestastis. Loquitur autem de Deo modo
humano, quasi de homine ex aliorum ma-
lis afflicto. Unde et Dominus ait in Isaia :

Is. I, 14. Laboravi sustinens. Alibi quoque ait Do-
Ibid. XLIII, 24. minus populo Judæorum : Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Similiter ait
Ephes. IV, 30. Apostolus : Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei. *Et dixistis : In quo eum fecimus laborare?* Videlicet, *In eo quod dicitis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent.* Infirmi enim Judæi futurum Dei judicium non pensantes, sed præsentis vitæ prosperitatem ac remunerationem imprudenter considerantes, negabant quodammodo providentiam Dei, vel Deum esse peccatorum B fautorem censebant : eo quod viderant gentiles in gyro eorum morantes, Persas A quoque et Medos, in hoc sæculo prosperari, ditari, regnare, qui tamen Deum Israel non colebant; se vero Deum colentes, in hac vita conculcari, depauperari, atque diversis miseriis affici. Unde in eorum persona fertur in Psalmo : Et dixerunt : Ps. LXXII, 11.
Quomodo scit Deus? et, Si est scientia in Excelso? *Aut certe ubi est Deus judicii?* id est, si aliter est, et si mali Deo displicent, bonique placent, ubi est tunc justum ejus judicium, quod exigit malos puniri ac dejici, bonos autem exaltari et glorificari? De isto jam celeriter curro, quoniam in sequenti capitulo plenius inde, Deo agente, dicetur.

ARTICULUS IV

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI SECUNDI SENSU.

FACILE prorsus est ad sacerdotes novi C Testamenti applicari, quod in præsentis capituli capite de veteris Testamenti
1 sacerdotibus dictum est. *Et nunc ad vos mandatum hoc* vivendi sacerdotaliter, sobrie, caste, exemplariter ac devote, *o sacerdotes* evangelicæ legis : qui tanto amplius ad spiritualem virtuosamque obligamini vitam, quam sacerdotes Mosaicæ legis, quanto sacerdotium Christi spiritualius, divinius, atque sublimius est sacerdotio illo
2 legali. *Si nolueritis audire,* id est præcepta vivendi sacerdotibus Christi specialiter D tradita adimplere, *mittam in vos egestatem,* id est donorum gratiæ gratum facientis carentiam, ut singulis vobis conve-
Apoc. III, 17. niat illud Apocalypsis : Tu es miser et miserabilis, pauper, cæcus et nudus; *et maledicam benedictionibus vestris :* id est, bona naturæ, bona fortunæ, et bona Ecclesiæ vobis concessa, convertam vobis in majorem damnationem, et permittam vos illis abuti in superbiam; eritque damnatio vestra tanto pœnalior, quanto plura a me bona fuistis sortiti. Unde et Christus in Evangelio profitetur : Cui plus dona- Luc. XII, 48.
tum est, plus repetetur ab eo. *Quoniam non posuistis super cor,* id est, ineffabilem magnitudinem beneficiorum meorum non ponderastis, videlicet quanta sit dignitas sacerdotii vestri, quanta liberalitas atque dignatio Christi in Sacramento se ipsum vobis donantis, et cum quanta reverentia puritateque mentis Sacramentum hoc conficere, sumere et tractare oportet.

Ecce ego projiciam vobis brachium, id 3
est, opera vestra tanquam indigna repellam, et gratiæ vigorem suspendam; *et dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum,* id est, vitia vestra carnalia, et vitam vestram fœdam ac turpem, vobis cum grandi confusione vestra objiciam et cunctis ostendam; *et assumet vos secum :* opera enim vestra sequentur Apoc. XIV, 13.
vos. *Et scietis* per experientiam confusio- 4
nis damnationisque vestræ, *quia misi ad vos mandatum istud* novæ legis.

5 *Pactum meum,* id est novi Testamenti A fœdus, *fuit cum eo,* præsertim cum Apostolis eorumque successoribus sanctis : quod est pactum *vitæ* gratiæ in præsenti, et vitæ gloriæ in futuro, *et* pactum *pacis* internæ. Siquidem coram illis in Cœna
Matth. Christus novi Testamenti Sacramentum in-
xxvi, 26-28. stituit, et novum Testamentum firmavit.

Denique de quolibet Apostolorum et sacerdotum atque pontificum, sancte viventium, dici potest secundum præcedenti articulo positum, quod Dominus ait :
6 *Dedi ei timorem, et timuit me,* etc. *Lex* B *veritatis,* id est doctrina et jussio Christi, *fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus; in pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate.* Secundum Hieronymum, his verbis describit Deus, qualis esse debeat sacerdos, scilicet ut fideliter timeat Deum, et legem divinam semper habens in corde et ore, nullo maculetur mendacio, nec impietate turpetur aut dolo, sed cum pace et justitia coram Altissimo vivens, ceteros præsertim sibi commissos, semper C totis viribus ab impietate avertere satagat : quia ut ait Hieronymus, qui sacerdos est, et non corripit delinquentes, sacerdotis officium præterit.

7 *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam.* Sacerdotum est habere discretionem præcipuam inter virtutes ac vitia, inter pretiosum et vile, inter bonum et malum, inter verum et falsum, inter lepram et non lepram, et ut in tantum eruditi sint, quod onus sui officii fructuose queant implere, aliosque docere. Nam *legem,* id D est Christi præcepta et documenta, *requirent* laici *ex ore ejus :* præsertim quum in Levitico Dominus dicat sacerdotibus ve-
Lev. x, 9-11. teris Testamenti : Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea. Quam vehementer ergo damnabiles sunt sacerdotes novi Testamenti, qui potibus vacant, et sanctæ Scripturæ studium non frequentant! —
Vos autem recessistis de via, et scandali- 8
zastis plurimos in lege. Hoc, proh dolor! non expositione, sed luctu et gemitu indiget, quum sacerdotes Christi de via justitiæ impudenter ac publice nimis recedant, suaque perditissima conversatione innumerabiles graviter scandalizent. Ideo Dominus dat eos contemptibiles vulgo et omnibus, ita ut laici sacerdotibus vix assurgant, vel reverentiæ exiguum signum demonstrent, quin potius eos irrident.

Porro quod subditur, *Numquid non pa-* 10
ter unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum? contra omnes superbos, indignabundos, passionatosque dicitur, qui communem originem atque naturæ parilitatem non attendentes, facili occasione despiciunt alios : in quo tam sæculares, nobiles, potentes, ac divites, quam alii quidam in propriis oculis sapientes aut virtuosi, multum culpabiles sunt, non intendentes quod nihil boni habeant, nisi a Deo, et quod vitiis pleni sunt, Deo odibiles, quum hi quos spernunt, multis forte donis gratiæ decorentur, vel decorabuntur. Ideo ad Roma-
nos dicit Apostolus : Tu quid judicas fra- *Rom.* xiv,
trem tuum? aut tu quare spernis fratrem 10.
tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Attendat igitur omnis Christianus,
quod loquitur Christus : Qui major est ve- *Matth.* xx,
strum, sit vester minister. 26; xxiii, 11.

Transgressus est Juda, id est plebs chri- 11
stiana confitens Deo, quando secundum fidem suam condigne non vivit; *et abominatio facta est in Israel,* id est in contem-
plativis, dum hi qui spiritu incipiunt, car- *Galat.* iii, 3.
ne consummantur, *et in Jerusalem,* id est in ministris Ecclesiæ, quando sacerdos vivit ut populus; *quia contaminavit Judas sanctificationem Domini,* id est, post opera pœnitentiæ Deo placita recidivavit, et in ecclesia loquaciter, vage et irreligiose se habuit, sicut (heu!) quotidie cernimus, *et habuit filiam dei alieni,* id est, iniquitatem sibi quasi in conjugem sumpsit, actus

immundos jugiter amando et amplectendo. A
Hoc faciunt carnales et lubrici quorum
Philipp. III, 19. deus venter est, et cupidi qui aurum Deo
12 præponunt. *Disperdat Dominus virum qui fecerit hoc,* nisi desistat.

13 *Operiebatis lacrimis altare Domini, fletu et gemitu.* Hoc faciunt, qui alios opprimunt et contristant, ita ut illi ita afflicti, coram Domino ingemiscant et plorent. Rursus id faciunt, qui pro temporalium amissione ac damno terreno superflue lugent ac dolent. Horum opera et oblata Deo non complacent.

14-16 Denique, quod hic dicitur contra odientes conjuges suas, intelligi potest contra Christianos qui uxores suas despiciunt, et velut famulas tractant, præsertim contra adulteros omni damnatione dignissimos. Hi igitur sunt docendi, ut pensent se et conjuges suas ab uno Deo esse creatos, et ideo copulatos ut socialiter amicabiliterque simul viventes, procreent filios, in quibus cultus Dei amplificetur.

Custodite spiritum vestrum in timore et humilitate, propria ærumnas efficaciter C intuendo, omneque bonum Deo adscribendo, *et nolite despicere* quemquam, præsertim propter paupertatem, vel naturalem defectum. Nihilo minus impii et mundani, secundum quod tales, in communi spernendi sunt, sicut de viro justo cantamus
in Psalmo : Ad nihilum deductus est in Ps. XIV, 4.
conspectu ejus malignus, timentes autem
Dominum glorificat. Hinc sanctus Job : Si Job XXXI, 13, 15.
contempsi, inquit, judicium subire cum servo meo. Numquid non in utero fecit me, qui et illum?

B *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris; et dixistis : In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent. Aut certe ubi est Deus judicii?* Hoc juxta intellectum præhabitum intelligi potest de imperfectis et rudibus Christianis, qui visa impiorum prosperitate, justorumque tribulatione, contra Deum murmurant, atque ipsius providentiæ detrahunt, quemadmodum sequenti capitulo clarius innotescet. Cetera ex præinductis facillime intelliguntur. 17

ARTICULUS V

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : ECCE EGO MITTAM ANGELUM MEUM.

Rom. x, 4. SICUT Apostolus docet, Finis legis est Christus : ideo de Christi mysteriis vaticinari, præcipua est Prophetarum intentio. D Unde et sanctus Malachias postquam præcedentibus duobus capitulis ad sui temporis Judæos præfatus est, jam de Christi adventu loqui orditur, imo Deus per ip-
1 sum. *Ecce ego mittam angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.* Hanc scripturam de Joanne Baptista esse prædi-
Matth. XI, 10. ctam Christus testatur : Hic est, inquiens, de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Marcus quoque
Evangelium suum ita exorsus est : Initium Marc. I, 1-3.
Evangelii Jesu Christi Filii Dei. Sicut scriptum est in Isaia propheta : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto. Quod autem ista de Joanne in-
telligat, pandit subdendo : Fuit Joannes Ibid. 4.
in deserto baptizans. Cur autem Marcus verba ista alleget, quasi in Isaia scripta sint, quum hoc loco a Malachia dicantur, super Marcum exposui. Sciendum præterea, quod Dominus noster Jesus Christus, ejusque evangelista Marcus, sensum potius quam formam verborum istorum allegant.

Etenim secundum quod ipsi allegant, ver-
ba ista dicuntur in persona Patris; sed
prout hic introducuntur, in persona Chri-
sti dicuntur.

Itaque Christus ait : *Ecce ego mittam
angelum meum.* In fine equidem præce-
Malach. II, 17. dentis capituli imperfecti dixerunt: Omnis
qui facit malum, bonus est in conspectu
Domini, et tales ei placent; aut certe ubi
est Deus judicii? Ad quod Christus quasi
respondens, subjungit : Ecce ego mittam
angelum meum, id est Joannem Baptistam,
ex cujus prædicatione error illorum cœpit
redargui, et per Christum plenissime re-
probatur. Dicitur autem Joannes angelus
ratione officii, non naturæ superioris, quo-
niam nuntius Dei, et quia angelicæ vitæ,
et quoniam sacerdotis filius, ita quod sa-
cerdotem esse sibi competebat. Et jam di-
ctum est, quod sacerdos Dei sit angelus. De
hoc Christi prænuntio fertur in Joanne :
Joann. I, 6. Fuit homo missus a Deo. *Et præparabit
viam ante faciem meam,* id est, corda Ju-
dæorum sua prædicatione atque baptismo
disponet ad meum adventum meamque
susceptionem, ut per eum credant in me.
Ibid. 7. Unde Joannes habet : Hic venit in testimo-
nium, ut testimonium perhiberet de lumi-
ne, ut omnes crederent per illum.

Deinde Christus de se ipso quasi de alio
loquens, sicut frequenter fit in Scripturis,
adjecit : *Et statim* post Joannis nativita-
tem, *veniet ad templum suum Dominator,
quem vos quæritis,* id est Christus Rex
regum et Dominus universorum : cujus
adventum omnes devoti et boni illuminati,
a principio mundi desideraverunt, secun-
dum quod Christus in Evangelio ait disci-
Luc. X, 23, 24. pulis : Beati oculi qui vident quæ vos vi-
detis : dico enim vobis, quoniam multi
reges et Prophetæ voluerunt videre quæ
vos videtis, et non viderunt. *Et Angelus
testamenti, quem vos vultis,* id est Christus
Is. IX, 6, juxta LXX. magni consilii Angelus, per quem, secun-
dum quod mediator est Dei et hominum,
Deus Pater seu Trinitas superbenedicta
novum dedit et condidit Testamentum,
Jer. XXXI, 31. juxta illud Jeremiæ : Ecce dies veniunt,

A dicit Dominus, et feriam domui Israel et
domui Juda pactum novum. Porro per
templum, intelligi potest templum illud
materiale civitatis Jerusalem, in quo Chri- Luc. II, 22, 27.
stus a Matre fuit oblatus, in quo et ipse
duodecim factus annorum inter doctores Ibid. 46.
consedit, in quo post annum suum tri-
cesimum sæpius prædicavit, atque mi- Matth. XXVI, 55; XXI, 14.
racula fecit, tuncque impletum est quod
Psalmista prædixit : Suscepimus, Deus, Ps. XLVII, 10.
misericordiam tuam in medio templi tui.
Propter quod dictum est in Aggæo prophe-
B ta : Magna erit gloria domus hujus novis- Agg. II, 10.
simæ magis quam primæ. Vel templum
intelligendum est congregatio eorum qui
crediderunt in Christum, et adhæserunt
eidem : de quibus Joannes ait, Verbum Joann. I, 14.
caro factum est, et habitavit in nobis; et
Baruch, Post hæc in terris visus est, et Baruch III, 38.
cum hominibus conversatus est.

Præterea, sicut refert Hieronymus, quod
jam de Joanne Baptista expositum est et
de Christo Jesu, Judæi exponunt de Elia et
suo quem præstolantur, rege Messia. Hinc
C perpendo, non irrationabiliter dici a Chri-
stianis, quod Judæi per Eliam convertentur
ad Dominum Jesum Christum. Quum enim
audierint eum prædicare quod Jesus sit
Christus, quem putabant prædicaturum
oppositum, celeriter convertentur. — Quæ
autem sequuntur, quidam exponunt de se-
cundo Christi adventu. Quod licet dici va-
leat, convenientius tamen videntur referri
ad primum adventum, sicut ex ipso litteræ
hujus contextu clarebit.

Ecce venit per incarnationis mysterium
D atque visibilem formam, *dicit Dominus
exercituum.* Repetitio, confirmationis indi-
cium est et attentionis provocatio. *Et quis* 2
poterit cogitare diem adventus ejus? id
est, quis capere sufficit qualiter veniet,
quam magnifice, mirabiliter atque humili-
ter, qualis quoque et quantus sit ipse qui
veniet. Incarnatio nempe Salvatoris, ejus-
que majestas, a nobis comprehendi ne-
queunt. Modus quoque adventus Christi
nec ipsis Prophetis tam distincte innotuit,
sicut Apostolis Spiritu Sancto recepto, vi-

delicet, quod mox in ipsa hora nativitatis
Luc. II, 9-14. angelus loqueretur pastoribus, et repente
multitudo cœlestis militiæ Deum laudarent, multaque alia quæ in Evangelio describuntur. *Et quis stabit ad videndum eum?* id est, excellentiam ejus nemo intueri et comprehendere poterit : secundum
Joann. VIII, 19. quod Christus dixit Judæis, Neque me scitis, neque Patrem meum. Vel hoc dicitur, quoniam pauci ex Judæis crediderunt in eum, nec poterant eum patienter inspice-
Sap. II, 15. re : quibus etiam gravis exstitit ad videndum. Hinc subditur :

Ipse enim quasi ignis conflans, id est, acute rigoroseque alloquens, docens et increpans peccatores, præsertim sacerdotes, Pharisæos et Scribas, imo et suos præelectos discipulos pro causa et tempore, quorum et vitia quasi ignis consumpsit. Propter quod dicit Apostolus ad Hebræos :
Hebr. XII, 29. Deus noster ignis consumens est. Simili modo in Ecclesiastico scribitur de Elia :
Eccli. XLVIII, 1. Et surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat. *Et quasi herba fullonum :* nam sicut per herbam hujusmodi fullones mundant splendidasque efficiunt vestes, sic Christus sua prædicatione, vita et gratia, multorum corda purgavit.

3 *Et sedebit conflans,* id est, peccata consumens, et audientium corda inflammans,
Luc. XII, 49. secundum quod ait in Evangelio : Ignem veni mittere in terram ; *et emundans* animas discipulorum suorum, quasi *argentum* quod igne purgatur ; *et purgabit filios Levi,* id est sacerdotes et templi ministros : quorum aliqui quamvis pauci, ante passionem per Christum correcti fuerunt, quamvis tempore passionis rursum pene omnes seducti fuerint per principes sacerdotum et Scribas ac Pharisæos incredulos ;
Act. VI, 7. post passionem vero multa etiam turba sacerdotum credidit in eum, secundum Lucam in Actibus. Aliqui quoque discipulorum Christi et Apostolorum, ex tribu Levi fuisse leguntur. *Et colabit eos quasi aurum et quasi argentum :* id est, quemadmodum argentum et aurum in fornace a

A commixtione immundi purgantur; sic Christus per tribulationes diversas et graves, suos ab immunditia culpæ mundabit : quibus et dixit, Eritis odio omnibus hominibus propter me. *Et erunt Domino offerentes* Matth. XXIV, 9.
sacrificia in justitia. Sacrificia ista intelligi possunt, orationes devotæ, observantia præceptorum, et cetera quæ offerunt conversi ad Christum, præsertim Sacramentum altaris, quod propter pluralitatem sacramentalium specierum, pluraliter Sacramenta vocatur, quum dicimus : Purifi-
B cent nos, quæsumus, Domine, sacramenta quæ sumpsimus. Ista offeruntur in justitia, id est in conversatione virtuosa, in caritate et gratia.

Et placebit Domino sacrificium Juda et 4
Jerusalem, id est oblatio sacramenti Eucharistiæ, a Judæis in Christum credentibus facta : quæ primo in civitate Jerusalem a Christo noscitur instituta, et ab ejus discipulis continuata, ut patet in Matthæo Ibid. XXVI, 26-28; Act. II, 42.
et in Actibus Apostolorum; *sicut dies sæculi et sicut dies* antiqui,* id est, sicut * anni
C Deo placuerunt olim sacrificia patriarcharum, Melchisedech, Abrahæ, et sanctorum sacerdotum in lege, videlicet Moysis et Aaron : imo veritas præcedit figuram et umbram. Tamen sacrificium novæ legis omnibus sacrificiis legis, et his quæ ante legem fiebant, præstantius, acceptabiliusque Deo consistit. Denique nunc inductis consonat, quod in Isaia Dominus ait ad Synagogam : Convertam manum meam Is. I, 25, 26, 28.
ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum, et
D restituam judices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus; et conteret scelestos et peccatores. Unde nunc in persona Christi subjungitur :

Et accedam ad vos in judicio, in ad- 5
ventu secundo, qui erit in majestate et gloria cum rigore justitiæ, *et ero testis velox,* id est, judicando testabor, et testando idem ipse judicium proferam (unde in Jeremia habetur, Ego sum judex et testis, ait Jer. XXIX, 23.
Dominus : ideo judicium istud erit terribile, quum judex sit infallibilis testis, cui

nullius conscientia contradicere poterit), *maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii,* subtrahendo laborantibus justam mercedem, *et humiliant viduas et pupillos,* quorum injuriatio tanto criminosior est, quanto tales personæ magis destitutæ sunt humano solatio, *et opprimunt peregrinum,* qui quum sit in alieno solo, pie tractandus est, *nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Contra hæc mala loquitur Moyses in
Lev. xix, 13. Levitico : Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum; non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Denique nil prohibet, istud ad primum Christi adventum referri. Christus enim prædicando Judæis, exercuit judicium justæ correptionis in eos, strenuissime in-
Matth. xxiii. crepando eorum facinora, præsertim sacerdotum, Scribarum et Pharisæorum, quemadmodum ex Evangelii decursu evidenter probatur.

6 *Ego enim Dominus :* ideo universis præsideo, curamque gero, et verum judicium facio; *et non mutor :* idcirco quod me facturum dixi, sciatis implendum, et formidate. Quod autem Deus sublimis et benedictus sit prorsus incommutabilis, philosophi quoque subtiliter probaverunt, et sacra Scriptura copiose testatur. Ipse enim est actus purus et ens absolute perfectum, ideo est æternaliter in una ac optima sua dispositione consistens. De quo fertur in
Ps. ci, 28. Psalmo : Tu autem idem ipse es; et, In
Ps. iv, 9. pace in id ipsum dormiam et requiescam.
Num. xxiii, 19. In libro Numerorum quoque : Non est Deus ut homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. *Et vos, filii Jacob, non estis consumpti :* id est, quamvis sim justus judex, non tamen per judicium ultionis deleti estis de terra, ut meruistis.

7 *A diebus enim patrum vestrorum,* scilicet Abraham, Isaac et Jacob, vel eorum qui de Ægypto egressi sunt, *recessistis,* non locali abscessu, sed mentis aversione, *a legitimis meis,* id est divinis præceptis, *et non custodistis* ea. Unde in Osee jam di-
Osee iv, 10. ctum est : Reliquerunt Dominum in non custodiendo. Loquitur autem sub nomine horum etiam de his qui eos præcesserunt, impieque vixerunt. Hinc Stephanus dixit Judæis : Dura cervice et incircumcisi corde Act. vii, 51. et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, sicut et patres vestri. De prædicta autem Dei misericordia super Judæos, loquitur Jeremias in Threnis : Misericordiæ Thren. iii, 22. Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. *Revertimini ad me* per pœnitentiam et præceptorum custodiam, vel disponendo vos ad gratiam, *et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum,* per beneficiorum collationem. Verbum istud super Zachariam plenius Zach. i, 3. tractatum est atque expositum : idcirco pertranseo. *Et dixistis,* vestram negligentiam excusando, vel non rite pensando : *In quo revertemur?* id est, quid omisimus faciendum, vel commisimus non agendum, et in quo nos emendare debemus? Quibus continuo respondetur :

Si affliget homo Deum,* id est, gravem ei injuriam irrogabit : ita ut Deus humano modo loquens, se dicat affligi*. Quemadmodum enim de nostro profectu atque salute gaudere se dicit, sic de nostra perversitate affligi, configi, molestari se perhibet, juxta illud Isaiæ : Numquid parum vobis est Is. vii, 13. molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? *Et dixistis : In quo configimus te?* id est, quo vitio ita offendimus te, ut quasi confixum te asseras? Juxta quem modum dicitur Deus tactus dolore cordis Gen. vi, 6. intrinsecus. Quibus mox respondetur : *In decimis et primitiis,* id est, non solvendo decimas et primitiva, Levitis ac sacerdotibus pro eorum sustentatione deputatas secundum legem. Quod autem Judæi in hoc graviter peccaverunt, in libro Esdræ diffu- II Esdr. xiii, 10. se describitur. Unde et Salomon : Honora, Prov. iii, 9. inquit, Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum. 8

*alias *affiget*

* [*Quia vos configitis me.*]

9 *Et in penuria vos maledicti estis,* id est, ista de causa misi in vos sterilitatem terræ, caristiam, egestatemque magnam : de qua in Esdra II Esdr. v, 1-5. scriptum est, eratque tanta quod quidam filios et filias suas, omnemque possessio-

nem vendere cogebantur. *Et me configitis*
vos gens tota. Multi enim et pene omnes
in isto fuerunt culpabiles.

Deinde Deus dat eis pium consilium
10 promptumque remedium. *Inferte omnem*
decimam in horreum meum, id est, quæ
Levitis et sacerdotibus tenemini de fructi-
bus terræ, in eorum horrea comportate, *ut*
sit cibus in domo mea, id est, necessaria
victui habeant ministri templi in sua fa-
milia, vel in templo : non enim aliam
partem habuerunt; *et probate me super*
hoc, dicit Dominus, id est, bonitatis meæ
beneficia et veritatis meæ effectum expe-
rimentaliter noscite, decimas persolvendo.
Si non aperuero vobis cataractas cœli, id
est, tam copiosam pluviam dedero pro ter-
ræ fecundatione, ut cataractæ seu fenestræ
cœli, quæ in cœlo metaphorice esse dicun-
tur, videantur apertæ. Porro cataractæ pro-
prie appellantur aquæductus rivorum, vel
ostia fluviorum, seu meatus per quos ex
nubibus cœli aerii defluit pluvia. Unde in
Gen. VII, 11. Genesi dicuntur inundante diluvio catara-
ctæ cœli apertæ. *Et effudero vobis benedi-*
ctionem, id est victualium et necessariorum
multiplicationem, imo et gratiæ dona, quum
actuum virtuosorum sufficiens præmium
non sit res terrena temporaleque bonum,
usque ad abundantiam, quemadmodum
munificentiam decet divinam, quæ plus
dat quam promisit. At vero verbis præin-
ductis non dabatur Judæis licentia tentan-
di Deum ex prava radice, sed ex divina
sponsione, experiendi liberalitatem ipsius.
11 *Et increpabo pro vobis devorantem, et*
non corrumpet fructum terræ vestræ, id
est, ea quæ solent fructus terræ corrum-
pere, prohibebo a terræ nascentium vestro-
rum devoratione, videlicet ventum uren-
tem, bruchum, locustam et hostes, *nec erit*
sterilis vinea in agro, dicit Dominus ex-
12 *ercituum. Et beatos vos dicent omnes gen-*
tes, propter omnium bonorum quæ vobis
præstabo abundantiam, dummodo præce-
pta mea servetis. *Eritis enim vos terra*
desiderabilis, id est similes decoræ ac fer-
tilissimæ terræ, et nomine terræ talis desi-
A gnabimini, eo modo quo terra pro populo
eam habitante accipitur.

Consequenter Dominus reprobat erro-
rem imperfectorum de quo in fine præce- *Malach.* II, 17.
dentis capituli tactum fuit. *Invaluerunt* 13
super me, id est, impudenter et improbe
contra me prolata sunt, *verba vestra,* o in-
firmi et carnales Judæi, *dicit Dominus. Et* 14
dixistis : Quid locuti sumus contra te?
Quibus Deus respondit : *Dixistis : Vanus*
est, id est, ad finem felicem non pertingit,
qui servit Deo; et quod emolumentum, id
B est, quid boni consecuti sumus, *quia cu-*
stodivimus præcepta ejus, et quia ambula-
vimus tristes, id est corde compuncti et
pœnitentes, *coram Domino exercituum?*
Cur autem hæc dixerint, in fine articuli
tertii tactum est. *Ergo,* id est, quia non 15
prodest Deo servire, nec ipse vindicat ma-
la, neque remunerat bona, *nunc* ex ista
consideratione, *beatos dicimus arrogantes :*
siquidem ædificati sunt, id est in omnibus
mundi divitiis stabiliti, *facientes impieta-*
tem, idola adorando : quæ est iniquitas *Job* XXXI, 28.
C maxima et negatio contra Deum omnipo-
tentem, ut sanctus Job profitetur; *et ten-*
taverunt Deum, sine ullo timore peccan-
do, *et salvi facti sunt,* id est, impuniti
manserunt, et quod cupiebant, sortiti sunt.
Præterea sancti Prophetæ frequenter in
persona infirmorum verba istis similia in-
veniuntur dixisse, ut est illud Jeremiæ :
Justus quidem tu es, Domine, si disputem *Jer.* XII, 1, 2.
tecum; verumtamen justa loquar ad te :
Quare via impiorum prosperatur, et bene
est omnibus qui prævaricantur? Plantasti
D eos, et proficiunt. De quibus et in Psalmo
cantatur : Quorum filii sicut novellæ plan- *Ps.* CXLIII, 12, 13.
tationes; filiæ eorum compositæ, prom-
ptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in
illud. De hoc dictum est super Habacuc. Cf. in *Habac.* I, 3.

Tunc locuti sunt timentes Deum, unus-
16 *quisque cum proximo suo.* Timorati et il-
luminati a Deo Judæi, auditis tam impiis
verbis malorum contra providentiam at-
que justitiam Dei, mutuo sunt locuti :
quod videlicet Deus omnia juste disponit,
nec aliquid inordinatum relinquit, et quos

nunc paterne castigat, in futuro felicitat; A
quos autem nunc prosperari et quasi im-
pune peccare permittit, in alia vita terri-
bilius punit. *Et attendit Dominus, et audi-
vit* justorum et impiorum universa verba,
et facta consideravit. *Et scriptus est liber
monumenti coram eo,* id est, ista a Deo
jussa sunt ad perpetuam memoriam anno-
tari et scribi, et in ejus scientia indelebili-
ter continentur, atque in libro conscientiæ
scripta habentur, *timentibus Deum et co-
gitantibus nomen ejus,* id est ad consola-
tionem et salutem eorum qui Deum ve- B
rentur ac contemplantur.
17 *Et erunt mihi* isti electi, *ait Dominus
exercituum, in die qua ego facio,* id est,
qua inter electos reprobosque discernam,
in peculium, id est populum familiarem et
carum ; *et parcam eis* tunc *sicut mater
parcit filio suo servienti sibi,* id est obe-
dienti. Tunc enim ab omni eruentur sup-
plicio. *Et convertemini,* id est, tunc vos, 18
prædicti erroris assertores, ad consideran-
dum vos et perversitatem calamitatemque
vestram oculos vestros vertetis, *et videbitis*
per effectum et exsecutionem justi judicii
Dei, *quid sit inter justum et impium, et
inter servientem Deo et non servientem,* id
est, quantum Deus inter istos distinguat,
quam diversa utrisque præmia reddat,
euntibus impiis in ignem æternum, justis
autem in felicitatem æternam.

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : ECCE ENIM DIES VENIET SUCCENSA QUASI CAMINUS.

CONSEQUENTER Dominus de futuro C
generali judicio apertissime loquitur.
1 *Ecce enim dies veniet succensa quasi ca-
minus,* id est dies judicii in quo mundus
stabit in igne conflagrationis, qui et fa-
ciem Judicis præcedens, durabit quousque
sententia contra injustos prolata eos invol-
vat, simulque cum eis in infernum de-
Ps. xcvi, 3. scendet. Ideo scriptum est in Psalmo : Ignis
ante ipsum præcedet, et inflammabit in
circuitu inimicos ejus. De quibus jam sub-
ditur : *et erunt omnes superbi et omnes
facientes impietatem, stipula,* id est simi- D
les stipulæ, ignis ardorem ferendo : non
tamen corrumpentur ab igne, ut stipula;
quanquam hi quos ignis ille invenerit hic
vivos, sint occidendi ab ipso, etiam boni;
sed jam de malis est sermo. *Et inflamma-
bit eos dies veniens, dicit Dominus exerci-
tuum,* id est, ignis diei illius corpora re-
proborum incendet, etiam durante ipso
judicio, *quæ non relinquet eis radicem,* id
est fructificandi virtutem, *et germen,* id
est perpetrationem vitiorum præteritorum,
in quibus delectati fuerunt. Juxta quod
scriptum est in Psalmo : Iter impiorum Ps. I, 6.
peribit. Et rursus de impio cantamus in
Psalmo : Deus destruet te in finem, evellet Ps. LI, 7.
te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et
radicem tuam de terra viventium. Hinc in
Isaia legitur : Ecce Dominus in igne veniet Is. LXVI, 15.
reddere in indignatione furorem suum, et
increpationem suam in flamma ignis. De
hoc quoque Apostolus loquitur ad Thessa-
lonicenses : Justum, inquiens, est apud II Thess. I, 6-9.
Deum retribuere tribulationem his qui
tribulant vos, in revelatione Domini nostri
Jesu Christi de cœlo cum angelis virtutis
ejus in flamma ignis, dantis vindictam his
qui non obediunt Evangelio, qui pœnas
dabunt in interitu æternas.
Et orietur vobis timentibus nomen meum 2
filiali et casto timore, quem caritas gene-
rat, non expellit, *Sol justitiæ,* id est Chri-
stus totius æquitatis et sanctitatis origo :
qui tunc apparebit electis placido ac se-

renissimo vultu, æquissimus omnium re- A
munerator, de quo in libro Sapientiæ impii
Sap. v, 6. dicunt : Sol intelligentiæ non est ortus
nobis. Quemadmodum enim sol iste vi-
sibilis cunctis suæ lucis capacibus radios
influit, quantum in se est, ita et Christus
omni menti creatæ dispositæ, radios sa-
pientiæ, æquitatis et gratiæ copiose im-
Joann. VIII, 12. mittit. Propter quod ait : Ego sum lux
mundi. *Et sanitas,* id est plena mentis cor-
porisque felicitas, *in pennis vestris,* id est
virtute et contemplatione vestra : quia et
beatitudo animæ redundat in corpus. Vel B
pennæ istæ sunt ascensio et volatus electo-
rum cum Christo ad cœlum, agilitasque
Sap. III, 7. ipsorum, qua tanquam scintillæ in arun-
dineto discurrent.

Egrediemini de carcere sæculi hujus
ad patriam; vel, Egrediemini, consideran-
do impiorum damnationem ad majorem
vestram exhilarationem ; *et salietis sic-
ut vituli de armento,* id est, inæstimabili
replebimini gaudio, quod redundabit ex-
uberanter in corpore. Unde Septuaginta
transtulerunt : Sicut vituli de vinculis re- C
3 laxati. *Et calcabitis impios, quum fuerint
cinis sub planta pedum vestrorum,* id est,
quum fuerint vobis tanquam pulvis plene
subjecti : quod erit in die judicii, quando
electi gaudebunt quod tantam infelicita-
tem misericorditer evaserunt. Idcirco divi-
no amore incogitabiliter succendentur, et
Ps. LVII, 11. Deo præcordialissime regratiabuntur. Læ-
tabitur nempe justus, quum viderit vin-
Job XXII, 19. dictam. Unde in Job habetur : Videbunt
justi, et lætabuntur, et innocens subsanna-
bit eos. *In die qua ego facio,* id est, ista D
complebo, hoc est in die judicii, *dicit
Dominus exercituum.* Unde in Isaia Domi-
Is. LXVI, 24. nus contestatur : Egredientur, et videbunt
cadavera virorum qui prævaricati sunt in
me; et erunt usque ad satietatem visionis
omni carni.

4 *Mementote legis Moysis servi mei :* id
est, quum tam metuendum Dei judicium
sit futurum, jam incessanter reminiscami-
ni et servate legem Dei per Moysen da-
tam; *quam mandavi ei in* monte *Horeb,* id
est Sinai, ubi data est Moysi lex scripta, et
duæ tabulæ testamenti scriptæ digito Dei,
ad omnem Israel, id est, ut eam omnibus
filiis Israel observandam proponeret; *præ-
cepta,* id est præcepta illa decem moralia,
puta Decalogum legis : quæ etiam in novo
Testamento jubentur servari, Christo di-
cente, Si vis ad vitam intrare, serva man- *Matth.* XIX, 17.
data; *et judicia,* id est præcepta judicialia,
quæ determinabant modum juste viven-
di ad proximum, sicut cærimonialia legis
præcepta determinabant modum se haben-
di in cultu divino ad Creatorem. Judicialia
autem legis præcepta possunt servari in
novo Testamento, si ab aliquo præsidente
christiano ad hoc idoneo, de novo insti-
tuantur : non enim fuerunt figurativa
dumtaxat. De triplicibus autem præceptis
legis, videlicet moralibus, judicialibus et
cærimonialibus, tractat S. Thomas peropti-
me in prima secundæ.

Ecce ego mittam vobis Eliam prophe- 5
tam : qui simul cum Enoch vivit in para-
diso terrestri, venietque cum eo instante
Antichristi prædicatione. Hinc et Christus
in Evangelio asserit : Elias quidem ven- *Ibid.* XVII, 11.
turus est. *Antequam veniat dies Domini
magnus et horribilis,* id est dies judicii :
qui magnus terribilisque vocatur propter
magna et terribilia opera Dei quæ fient
in eo.

Et convertet cor patrum ad filios, id 6
est cor Abraham, Isaac, Jacob, aliorumque
patrum antiquorum, ad Judæos, qui tunc
credent in Christum, *et cor filiorum ad pa-
tres eorum.* Per hoc enim, quod Judæos
tunc exsistentes convertet ad verum Chri-
stum, faciet inter eos et patres eorum ple-
nam caritatis concordiam. Hoc idem an-
gelus dixit de Joanne Baptista, ut scribit *Luc.* I, 17.
Lucas. Sicut enim Joannes prævenit pri-
mum Christi adventum, ita Elias secun-
dum. Hinc in Ecclesiastico dicitur ad
Eliam : Inscriptus es in judiciis temporum, *Eccli.* XLVIII, 10.
lenire iracundiam Domini, conciliare cor
patris ad filium, et restituere domus Ja-
cob. Cui consonat quod in Evangelio ait *Matth.* XVII, 11; *Marc.* IX, 11.
Salvator : Elias quum venerit, restituet

omnia. De Eliæ autem et Enoch prædica- A
tione contra Antichristum, et occisione
Apoc. XI, 3 et seq. eorum ab ipso, multa in Apocalypsi le-
guntur. *Ne forte veniam, et percutiam*
terram, id est terrenos atque incredulos,
anathemate, id est omnimoda reprobatione
ac separatione. Unde pro anathemate Sep-
tuaginta transtulerunt, Penitus. Quidam
quoque affirmat, quod in Hebræo non ha-
betur, Forte : de quo judicare non valeo;
et tamen in translatione Septuaginta inter-
pretum ponitur, Forte. Porro, sive sit in
Hebræo, sive non, certum omnino est quod
non ponitur tanquam dubitationis vel in-
certitudinis signum, sed ad insinuandum
libertatem Judicis venientis.

ARTICULUS VII

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA CAPITULORUM TERTII ET QUARTI.

TRIPLEX ponitur Christi adventus : B
primus, per incarnationem; secundus,
per spiritualem visitationem seu per gratiæ
infusionem; tertius, ad finale judicium.
Quemadmodum autem Baptista fuit præco
primi, et sicut Elias præcursor est tertii,
sic quicumque electus a Deo prædicator,
prælatus vel doctor, præcursor est adven-
tus secundi. Hujusmodi enim frequenter
misit Christus ante faciem suam, et mittit
quotidie ad eos quorum corda per gra-
tiam visitare disponit. Idcirco de quolibet
1 tali dicere potest : *Ecce mittam angelum* C
(cap. III.) *meum, et præparabit viam ante faciem*
meam. Tales fuerunt omnes Apostoli et
apostolici viri, qui hominum corda ad Chri-
sti inhabitationem præparaverunt ipsam-
que Ecclesiam reformaverunt. Et tunc
statim venit Christus ad templum suum,
id est ad conscientiæ domum, sive ad ani-
Sap. VII, 27. mam quæ sedes est sapientiæ. *Et quis po-*
2 *terit cogitare diem adventus ejus?* Non
enim certo scire valemus, quando Christus
per caritatem et gratiam gratum facientem
nos visitet, sine revelatione speciali. Pro- D
Job IX, 11. pter quod scriptum est in Job : Si venerit
ad me, non videbo eum; et si recesserit a
me, non intelligam. Idcirco subjungitur :
Et quis stabit ad videndum eum? Denique
Matth. XI, 27; Joann. I, 18. nemo novit Filium nisi Pater, visione com-
prehensiva, quoniam Deum nemo vidit
unquam. *Et purgabit filios Levi.* Hoc facit 3
Christus, dando sacerdotibus et religiosis
gratiam emendationis, et per vicarios suos
corrigendo perficiendoque clericos : quo
facto, offerunt Deo sacrificia in justitia,
sicut expositum est.

Porro, quod subditur, *Accedam ad vos* 5
in judicio, loquitur Christus contra omnes
iniquos, quibus interim comminatur ut
corrigantur. — *Et vos, filii Jacob, non es-* 6
tis consumpti. Filii Jacob sunt Christiani,
qui vitia supplantare tenentur, sicut et
patres nostri in primitiva Ecclesia fecisse
noscuntur. Sed, heu! multi nimis a diebus
patrum nostrorum, recesserunt a legitimis 7
Christi per hæreses, schismata, errores,
ambitiones, et cetera spiritualia atque car-
nalia vitia. Verumtamen Christus non se-
cundum peccata eorum reddidit eis, sed Ps. CII, 10.
usque in præsens multis longanimiter par-
cit : qui utinam misericordiam et patien-
tiam Dei super se intuerentur, et totis
ad Creatorem suum præcordiis converte-
rentur!

Vos configitis me in decimis et primi- 8
tiis. Hoc juxta sensum in præcedenti arti-
culo positum Christus dicit contra eos qui
debitas Ecclesiæ oblationes decimasque
persolvere renuunt, nec curant illis tem-
poralia sua communicare a quibus ipsi
spiritualia bona suscipiunt. Ideo isti *in* 9

penuria maledicti sunt : quoniam tam A
mortaliter in Deum peccando, omnium do-
norum gratiæ subtractionem merentur, nec
habent spirituales divitias, sed vere nudi
mente ac pauperes sunt coram Deo, defor-
mes ac squalidi, tantoque miserabiliores,
quanto interiorem suam penuriam minus
10 attendunt et reputant. Porro, si isti debitas
oblationes devote persolverint, aperiet eis
Christus cataractas cœli, aquam sapientiæ
salutaris eis influendo, effundetque eis
benedictionem suam in abundantia, donis
atque virtutibus corda eorum implendo. B
11 Insuper dicit eisdem : *Increpabo pro vobis
devorantem,* id est diabolum tentatorem,
I *Petr.* v, 8. qui tanquam leo rugiens circuit, quærens
Rom. xvi, 20. quem devoret. Istum conterit Christus sub
pedibus devotorum velociter, sicut Apo-
stolus loquitur ad Romanos. *Et non cor-
rumpet fructum terræ vestræ,* id est, cordis
Luc. viii, 11. vestri profectum; nec semen, quod est ver-
bum Dei, tollet a mente. *Nec erit sterilis
vinea in agro,* id est, anima in corpore,
vel Ecclesia in sæculo, imo fructum ope-
rum virtuosorum producet. C
13-15 Præterea, quod Dominus ait : *Invalue-
runt super me verba vestra, et dixistis :
Vanus est qui servit Deo; et quod emo-
lumentum, quia custodivimus præcepta
ejus?* etc., contra omnes pusillos, carnales
rudesque dicitur, qui intuitu temporalium
potius quam amore æternorum Deo utcum-
que deserviunt, et qui visis spiritualium
hominum adversitatibus sæculariumque
prosperitatibus, faciliter scandalizantur, et
in fide providentiæ Dei nutare incipiunt,
eosque beatificare quos temporaliter flore- D
re ac prosperari conspiciunt. Isti non no-
runt quam utile ac salubre sit in vita
præsenti multipliciter tribulari, quam item
periculosum in ea in corporalibus prospe-
Ps. lxv, 5. rari; nec pensant quam terribilis sit Deus
in consiliis suis super filios hominum, et
Ps. lxxx, 13. quod reprobos dimittit secundum desideria
cordis eorum, ut eant in adinventionibus
suis, eos autem quos singulariter amat,
Eccli. xxx, 1. instanter exercet, et flagella eis assiduat.
Verumtamen in horum imperfectorum per-
sona dicit Job : Numquid contra hominem *Job* xxi, 4, 7-9.
disputatio mea est, ut merito non debeam
contristari? Quare ergo impii vivunt, sub-
levati sunt, confortatique divitiis? Semen
eorum permanet coram eis, et non est
virga Dei super eos. Hinc igitur in adversis
lætemur, in prosperis formidemus. Nam
quamvis mirabile sit judicium Dei, dum
boni adversa et mali prospera in præsenti
sæculo sortiuntur, mirabilius tamen Dei
judicium est, dum electi et boni hic pro-
sperantur, sicut Gregorius Boetiusque te-
stantur.

Tunc locuti sunt timentes Deum, unus- 16
quisque cum proximo suo. Hi dum infir-
morum ac impiorum præinducta audiunt
verba, dolent, et inter se conferunt, atque
se invicem consolantes, dicunt quæ com-
memorata jam sunt contra illorum insa-
niam. Ideo erunt in die judicii quasi pe-
culium Christi.

Orietur vobis timentibus nomen meum 2
Sol justitiæ. Hoc quotidie adimpletur. Dum (cap. iv.)
enim peccator divinum attendens judi-
cium, pœnitet, statim Christus eum illu-
minat, sicut Apostolus exhortatur : Sur- *Ephes.* v, 14.
ge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et
illuminabit te Christus. Sed et proficienti-
bus in caritate et gratia, Sol iste justitiæ
omni hora splendidius micat, et clarius
jubar infundit. Contemplativis vero et ex-
cellentius oritur, et radios theoriæ super-
næ copiosius impertitur. *Et sanitas,* id est
a peccati læsione immunitas, erit *in pen-
nis vestris :* id est, pennæ hæ electorum
in sæculo isto, quibus quotidie volant ad
Deum, sunt oratio pura, meditatio sancta,
contemplatio stabilita, et ceteri actus do-
norum atque virtutum : in quibus tunc
sanitas oritur, dum vitiis non miscentur;
imo si quid evagationis, venialisque culpæ
se ingerat, caritatis fervore repente con-
sumitur.

Mementote legis Moysis servi mei. Multo 4
amplius mente, ore, et facto memores esse
debemus legis Christi unigeniti Filii Dei.
Propter quod ad Hebræos scribit Aposto-
lus : Irritam quis faciens legem Moysis, *Hebr.* x, 28, 29.

sine ulla miseratione duobus vel tribus A testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

6 Postremo, sicut Elias convertet sua prædicatione cor patrum ad filios, et econverso; sic omnis bonus prælatus, prædicator, pastor, seu doctor, qui alios ad viam æquitatis convertit, et corda eorum ad Deum reducit, convertit cor patrum, videlicet Apostolorum et aliorum Sanctorum, B ad istos, et cor istorum ad illos, ut Deo simul cohæreant, atque in vinculo caritatis connexi permaneant. Similitudo quippe est causa amoris, et unit discordes, quemadmodum dissimilitudo separat copulatos. Hæc autem Christus per suos vicarios efficit, ne veniens imparatos condemnet. Multis etenim modis nos ad se revocare non cessat, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad veritatis pervenire notitiam, qui est cum Patre et Spiritu Sancto super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. I *Tim.* II, 4.

FINIS COMMENTARIORUM IN DUODECIM PROPHETAS MINORES

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

I, 14. Dixit... Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, 22 A'.

XIX, 24. Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulfur et ignem a Domino, 207 C, 390 C'.

XXVII, 37. Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi, 423 B'.

XXVIII, 21. Erit mihi Dominus in Deum, 39 A'.

XXIX, 35. Quarto concepit (Lia), et peperit filium, et ait : Modo confitebor Domino; et ob hoc vocavit eum Judam, 442 B'.

XLI, 40. Ad tui oris imperium cunctus populus obediet; uno tantum regni solio te præcedam, 94 B'.

EXODI.

XXII, 8. Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, 46 C'.

XXIX, 6. Pones tiaram in capite ejus (Aaron), 34 A'.

XXXII, 10. Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, 302 A'.

LEVITICI.

XIX, 13. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum, 304 A'.

NUMERORUM.

XXIII, 19. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit? 358 A'

DEUTERONOMII.

I, 31. Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, 475 B.

V, 29. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea..., ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum? 37 B.

X, 15. Patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit... semen eorum post eos, 294 D'.

— 16. Circumcidite... præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius, 341 A'.

XII, 13, 14. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris; sed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum, 232 C.

XVIII, 15. Prophetam... suscitabit tibi Dominus, 308 D'.

XIX, 19. Reddent ei (falso testi) sicut fratri suo facere cogitavit, 177 C.

XXVIII, 58, 59. Nisi... timueris nomen ejus gloriosum et terribile,... augebit Dominus plagas tuas, 46 C.

XXXII, 8. Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel, 101 C'.

— 18. Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui, 269 C'.

— 33. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile, 380 D.

XXXIII, 26, 27. Ascensor cœli auxiliator tuus; magnificentia ejus discurrunt nubes; habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna, 421 A.

JOSUE.

XXIV, 19. Deus... sanctus et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris, 106 D'.

JUDICUM.

XIII, 6. Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis, 65 D, 120 C'.
XVI, 9. Rupit (Samson) vincula, quomodo si rumpat quis filum..., quum odorem ignis acceperit, 66 C.
XVII, 5. Fecit (Michas) ephod et theraphim, 232 B'.

I REGUM.

II, 8. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat, 76 A'.
XV, 35. Usque ad diem mortis suæ... lugebat Samuel Saulem, 137 D'.

II REGUM.

I, 20. Nolite annuntiare in Geth,... ne exsultent filiæ incircumcisorum, 472 C.
XII, 25. Amabilis (Salomon) Domino, eo quod diligeret eum Dominus, 206 C.
XX, 19. Tu quæris subvertere... matrem (civitatum) in Israel ? 236 B.

III REGUM.

XVII, 24. Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est, 449 B.
XVIII, 3, 4. Vocavit... Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum valde ; nam quum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos, 429.

IV REGUM.

XIX, 37. Quum... adoraret (Sennacherib)... Nesroch deum suum, etc., 525 C'.

I ESDRÆ.

I, 2. Omnia regna terræ dedit mihi... Deus cœli, 26 C, 115 D'.
IX, 6. Deus meus, confundor... levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum, 37 C.

II ESDRÆ.

I, 8, 9. Memento verbi quod mandasti Moysi servo tuo, dicens : Quum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos; et si revertamini ad me, ut custodiatis præcepta mea,... etiam si abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, 38 D'.

TOBIÆ.

XIII, 3, 4. Confitemini Domino, filii Israel, et in conspectu gentium laudate eum : quoniam ideo dispersit vos inter gentes quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, et faciatis scire eos quia non est alius Deus omnipotens præter eum, 67 D.
XIV, 13. Video... quia iniquitas ejus finem dabit ei (Ninive), 462 A'.

JOB.

IV, 7-9. Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit... Quin potius vidi eos (impios)... flante Deo periisse, 249 A.
IX, 13. Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem, 519 C.
XIV, 12. Homo quum dormierit, non resurget; donec atteratur cœlum, non evigilabit, 160 A.
XXIV, 13. Ipsi (impii) fuerunt rebelles lumini, 79 B'.
XXV, 3. Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non surget lumen illius? 108 B.
XXXI, 12. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina, 168 D.
XXXVIII, 4-6. Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ ? Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus, si nosti ? Vel quis tetendit super eam lineam ? Super quo bases illius solidatæ sunt ? Aut quis demisit lapidem angularem ejus ? 56 A.

PSALMORUM.

VI, 5. Convertere, Domine, et eripe animam meam, 296 A.
VII, 16. Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit, 100 A.
XVIII, 10. Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, 35 D'.
XXI, 7. Ego autem sum vermis et non homo, 415 C, 465 B'.

XXIV, 10. Universæ viæ Domini misericordia et veritas, 206B'.
XXV, 2. Proba me, Domine, et tenta me, 163A'.
XXVIII, 7. Vox Domini intercidentis flammam ignis, 66A.
XXXII, 15. Qui finxit sigillatim corda eorum, 673D'.
XLIV, 3. Speciosus forma præ filiis hominum, 9B'.
— 17. Constitues eos principes super omnem terram, 28D.
L, 6. Tibi soli peccavi,... ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris, 233D'.
LVII, 11. Justus... manus suas lavabit in sanguine peccatoris, 291B'.
LXXI, 6. Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram, 321A.
— 18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus, 67B.
LXXIII, 9. Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta, 214C.
LXXIV, 9. Calix in manu Domini..., bibent omnes peccatores terræ, 435C.
LXXX, 13. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, 382C'.
XCIII, 12. Beatus homo quem tu erudieris, Domine, 14C.
XCV, 5. Omnes dii gentium dæmonia, 209A'.
XCVI, 3. Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus, 348A.
CV, 28. Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum, 276C.
CX, 1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione, 243B.
CXIII, 8, sec. Hebr. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis, 388A.
CXVIII, 66. Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, 223C.
— 116. Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea, 42A.
CXL, 5. Oleum... peccatoris non impinguet caput meum, 307C.

PROVERBIORUM.

I, 8, 9. Audi, fili mi, disciplinam patris tui,... ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo, 86D'.
— 26. Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, quum vobis id quod timebatis, advenerit, 286A.
III, 17. Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ, 35B'.
— 18. Lignum vitæ est (sapientia) his qui apprehenderint eam, 351A.
IV, 17. Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt, 11D'.
V, 22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur, 258B'.
IX, 8. Noli arguere derisorem, ne oderit te, 414A.
XI, 5. In impietate sua corruet impius, 577D'.
— 26. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, 417B.
— 27. Qui... investigator malorum est, opprimetur ab eis, 588B'.
XVI, 33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur, 452B.
XVII, 22. Animus gaudens ætatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa, 13A'.
XIX, 12. Sicut fremitus leonis, ita et regis ira; et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus, 89A.

ECCLESIASTÆ.

I, 7. Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant, 554D.
III, 14. Omnia... fecit Deus ut timeatur, 167C.
VII, 19. Qui timet Deum, nihil negligit, 166C'.
XI, 3. Lignum... in quocumque loco ceciderit, ibi erit, 369B'.
— 7. Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem, 54C'.

CANTICI CANTICORUM.

I, 3. Trahe me post te, 299A'.
— 4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, 204D.
II, 1. Ego flos campi et lilium convallium, 318A'.
— 4, 5. Ordinavit in me caritatem,... amore langueo, 169C.
— 14. Columba mea in foraminibus petræ, 440C.
IV, 7. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te, 455B.

SAPIENTIÆ.

I, 10 Auris zeli audit omnia, 584C.
— 11. Os... quod mentitur, occidit animam, 506A.

VI, 6, 7. Judicium durissimum his qui præsunt fiet; exiguo enim conceditur misericordia, 410 C', 550 B'.
VII, 22. Est enim in illa (sapientia) spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, 161 C'.
— 27. (Sapientia) in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit, 3.
IX, 10. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, 432 A.
XIV, 9. Odio sunt Deo impius et impietas ejus, 510 A'.
— 27. Infandorum... idolorum cultura, omnis mali causa est et initium et finis, 180 A.
XVI, 23. Hic (ignis)... suæ virtutis oblitus est, 61 D'.
XVII, 10. Semper... præsumit sæva perturbata conscientia, 140 B'.
XVIII, 14, 15. Quum... quietum silentium contineret omnia,... omnipotens sermo tuus (Domine), de cœlo, a regalibus sedibus... prosilivit, 627 C'.

ECCLESIASTICI.

II, 12. Quis invocavit eum (Deum), et despexit illum ? 355 C'.
III, 22. Altiora te ne quæsieris ;... sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, 578 B'.
IV, 24, 25, 31. Pro anima tua ne confundaris dicere verum : est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. Non confundaris confiteri peccata tua, 41 A', 215 A.
X, 2. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea, 15 A.
— 14, 15. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo ; quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus, 90 D.
XVI, 18-20. Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur ; montes simul et colles, et... quum conspexerit illa Deus, tremore concutientur ; et in omnibus his insensatum est cor (hominis), 420 C'.
XX, 4. Quam bonum est, correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugies... peccatum, 241 B.
XXIII, 29. Domino... Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita, 173 C'.
XXIV, 44. Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum, 4.
XXX, 24. Miserere animæ tuæ, placens Deo, 512 A'.
XXXIV, 2, 3. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum,... secundum hoc visio somniorum, 16 B'.
— 31. Homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se ? 656 A.
XXXV, 2. Sacrificium salutare est, attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate, 336 C.
— 21. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, 124 B'.
XXXVIII, 23. Memor esto judicii mei, sic enim erit et tuum ; mihi heri, et tibi hodie, 89 C'.
XXXIX, 1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit, 197.
XLI, 17. Sapientia... abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque ? 160 B'.
XLIII, 1-9. Species cœli in visione gloriæ, sol in adspectu,... vas admirabile, opus Excelsi,... radios igneos exsufflans... Magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter. Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis et signum ævi;... mensis secundum nomen ejus est, crescens mirabiliter in consummatione, vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose, 52 A', 131 D.
— 32. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit... adhuc, etc., 45 D'.
XLVIII, 27. Spiritu magno vidit (Isaias) ultima et consolatus est lugentes in Sion, 4.

ISAIÆ.

I, 3. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, 565 A'.
VII, 20. In die illa radet Dominus in novacula conducta... in rege Assyriorum caput et pilos pedum et barbam universam, 520 C.
X, 5. Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, 23 A.
XI, 6, 7. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit ; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum ; et leo quasi bos comedet paleas, 329 A'.

XI, 9. Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes, 234 A'.

XIV, 13. In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, 73 A'.

XIX, 19. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus, 150 A.

XXIV, 1. Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, et affliget faciem ejus, et disperget habitatores ejus, 577 B'.

XXV, 7. Præcipitabit (Dominus) in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes, 158 B.

XXVI, 16. Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis, 43 A.

XXVIII, 15. Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum, 307 B.

XXX, 24. Pulli asinorum... commixtum migma comedent sicut in area ventilatum est, 170 C.

XXXIX, 7. De filiis tuis... tollent (Babylonii), et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis, 11 B.

XLII, 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo, 397 C.

XLV, 1. Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, 137 B.

— 13. Ipse (Cyrus) ædificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet, non in pretio neque in muneribus, 132 C.

XLVII, 13. Stent, et salvent te (Babylon) augures cœli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi, 17 C'.

XLIX, 4. Ego dixi : In vacuum laboravi, sine causa... fortitudinem meam consumpsi, 513 A.

LIII, 11. In scientia sua justificabit ipse... servus meus multos, 10 A.

LVII, 20. Impii... quasi mare fervens, quod quiescere non potest, 567 D'.

LIX, 12. Peccata nostra responderunt nobis, 344 B.

LX, 22. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam, 490 B'.

LXII, 6. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes ; tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt, 74 A.

LXIII, 3. Torcular calcavi solus, 279 B.

JEREMIÆ.

II, 13. Duo... mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas... dissipatas, 286 C.

— 20. A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea ; et dixisti : Non serviam, 376 A.

III, 1. Tu... fornicata es cum amatoribus multis ; tamen revertere ad me, dicit Dominus, 204 C.

IV, 7. Ascendit leo de cubili suo, 526 D.

— 22. Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt, 384 D'.

IX, 4. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, 258 C.

— 21. Ascendit mors per fenestras nostras, 348 A'.

X, 21. Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quæsierunt, propterea... omnis grex eorum dispersus est, 264 B.

— 24. Corripe me, Domine, verumtamen... non in furore tuo, 570 A.

XI, 15. Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas ? 245 B.

XIII, 23. Si mutare potest... pardus varietates suas..., 539 D'.

XIV, 6. Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, 268 C'.

— 17. Deducant oculi mei lacrimam per noctem et diem, et non taceant, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, 347 C.

XVIII, 7, 8. Repente loquar adversum gentem et... regnum, ut eradicem et destruam... illud ; si pœnitentiam egerit gens illa..., agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei, 77 A', 461 D'.

— 21. Da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii, 73 A.

XXII, 19. Sepultura asini sepelietur (Joakim), 532 A.

XXVI, 18, 19. Michæas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Juda, et ait ad omnem populum... : Hæc dicit Dominus... : Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem in acervum lapidum erit, et mons domus in excelsa silvarum, etc., 486 D'.

XXVIII, 9. Propheta qui vaticinatus est pacem, quum venerit verbum ejus, scietur Propheta quem misit Dominus in veritate, 636 A.

XXIX, 10. Quum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni,... suscitabo super vos ver-

bum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum, 124 C, 132 B.
XXIX, 23. Ego sum judex et testis, dicit Dominus, 706 D'.
L, 17. Primus comedit eum rex Assur; iste novissimus exossavit eum (populum Judæorum) Nabuchodonosor, 219 C.

THRENORUM.

IV, 8. Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis, 339 A'.

BARUCH.

II, 5. Facti sumus subtus et non supra, quia peccavimus Domino Deo nostro, 39 D'.
IV, 7. Exacerbastis... eum qui fecit vos, Deum æternum, 408 B.
VI, 3. Videbitis in Babylonia deos aureos et argenteos,... lapideos et ligneos in humeris portari, 85 C.
— 42. Mulieres... circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum, 43 D.

EZECHIELIS.

II, 1, 2. Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, et statuit me supra pedes meos, 121 B'.
III, 17. Speculatorem dedi te domui Israel, 274 D'.
XVII, 3. Aquila grandis magnarum alarum,... plena plumis et varietate, venit ad Libanum, 78 A', 266 D.
XVIII, 21, 22. Si... impius egerit pœnitentiam..., omnium iniquitatum ejus... non recordabor, 144 D'.
XX, 15. Ego... levavi manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in terram... fluentem lacte et melle, præcipuam terrarum omnium, 150 A'.
— 35. Judicabor vobiscum ibi facie ad faciem, 234 A.
XXI, 3. Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium, 37 C'.
XXVIII, 2, 3. Elevatum est cor tuum,... et dedisti cor tuum quasi cor Dei : ecce sapientior es tu Daniele; omne secretum non est absconditum a te, 5.
XXXIV, 3, 4. Lac comedebatis, et lanis operiebamini;... gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, 15 C'.

AMOS.

III, 7. Non facit Dominus... verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas, 3.

I MACHABÆORUM.

I, 57. Ædificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare, 118 D, 153 D'.
III, 59. Melius est nos mori... quam videre mala gentis nostræ, 542 C.

II MACHABÆORUM.

V, 14. Erant... toto triduo (in Jerusalem) octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus... venundati, 154 C.
VI, 13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium, 227 A.

MATTHÆI.

I, 12. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel, 601 C.
II, 6. Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, 495 C.
— 15. Ex Ægypto vocavi filium meum, 293 D.
III, 17. Hic est Filius meus dilectus, 298 C.
V, 4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, 229 D.
— 6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, 418 B.
— 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, 549 C'.
— 16. Luceat lux vestra coram hominibus, 318 D'.
— 22. Qui... dixerit fratri suo :... Fatue, reus erit gehennæ ignis, 174 B'.
— 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, 21 A'.
VI, 28, 29. Considerate lilia agri quomodo crescunt... Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis, 56 C'.
VII, 1. Nolite judicare, ut non judicemini, 647 A'.

VII, 5. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui, 477 A'.
— 14. Quam... arcta via est quæ ducit ad vitam ! 654 C.
VIII, 12. Filii... regni ejicientur in tenebras exteriores, 330 D, 500 B'.
IX, 13. Euntes .. discite quid est, Misericordiam volo et non sacrificium, 257 A.
X, 19. Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, 20 D'.
XI, 10. Hic est... de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te, 704 D.
XIII, 28. Inimicus homo hoc fecit, 335 C'.
— 33. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum, 259 A'.
— 39. Messis... consummatio sæculi est, messores autem angeli sunt, 359 C.
XVI, 4. Faciem... cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire ? 136 B'.
XX, 1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, 422 D'.
XXI, 13. Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum, 494 C.
XXII, 2. Simile... est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, 229 C'.
— 9. Ite... ad exitus viarum, 442 C'.
XXIII, 27. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi..., quia similes estis sepulcris dealbatis, 253 D'.
XXVI, 14, 15. Abiit... Judas... ad principes sacerdotum, et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ? At illi constituerunt ei triginta argenteos, 671 D.
— 31. Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis, 680 B'.
XXVII, 52, 53. Multa corpora sanctorum... surrexerunt, et... venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis, 36 C.
XXVIII, 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, 28 B.

MARCI.

III, 11, 12. Spiritus immundi quum illum videbant, procidebant ei,... dicentes : Tu es Filius Dei, 49 C.
III, 17. Imposuit eis (Jacobo et Joanni) nomina Boanerges, quod est Filii tonitrui, 270 C.
— 29. Qui... blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, 369 C'.
IV, 39. Exsurgens comminatus est vento, et dixit mari : Tace, obmutesce, 518 A'.
VI, 31. Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum, 228 D', 272 A'.
IX, 22. Omnia possibilia sunt credenti, 66 B'.
XVI, 16. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur, 386 C.
— 20. Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis, 645 B.

LUCÆ.

I, 17. Et ipse (Joannes Baptista) præcedet ante illum..., ut convertat corda patrum in filios et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam, 710 D'.
— 32, 33. Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis, 27 D', 111 B.
II, 19. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, 114 B'.
VI, 37. Nolite judicare, et non judicabimini, 502 C.
X, 18. Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, 528 A.
XII, 32. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum, 421 C.
— 37. Beati servi illi, quos, quum venerit dominus, invenerit vigilantes, 76 B.
XIII, 5. Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis, 226 C.
XVI, 15. Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum, 439 C'.
XIX, 43, 44. Circumdabunt te inimici tui... undique, et ad terram prosternent te,... eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ, 262 D'.
XXI, 28. His... fieri incipientibus,... levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, 349 A, 521 C.
XXIII, 30. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos, 285 D.

JOANNIS.

III, 20. Omnis... qui male agit, odit lucem, 484 A.

IV, 13, 14. Qui... biberit ex aqua quam ego dabo ei,... fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, 393 A'.
V, 19. Quæcumque... ille fecerit, hæc et Filius similiter facit, 562 A'.
— 27. Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est, 105 D'.
— 28. Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, 379 A'.
VI, 45. Erunt omnes docibiles Dei; omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me, 160 D'.
— 56. Caro... mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus, 299 A.
VII, 39. Nondum... erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus, 354 A.
XII, 31. Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, 35 D', 545 C.
XIV, 12. Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, 511 A.
XV, 1. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est, 289 B.
— 5. Sine me nihil potestis facere, 594 C.
XIX, 36, 37. Facta sunt... hæc, ut scriptura impleretur :... Videbunt in quem transfixerunt, 675 D.

ACTUUM.

I, 7. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, 163 C.
III, 13, 14. Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati,... et petistis virum homicidam donari vobis, 213 A.
VI, 7. Multa... turba sacerdotum obediebat fidei, 134 A.
IX, 15. Vas electionis est mihi iste (Paulus), 313 C'.
X, 15. Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris, 222 C.
— 45. In nationes gratia Spiritus Sancti effusa est, 353 A.
XVI, 9. Transiens in Macedoniam, adjuva nos, 353 A'.

AD ROMANOS.

I, 17. Justus... ex fide vivit, 551 C'.
— 19. Deus... illis (philosophis) manifestavit, 23 C.
— 23. Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium, 182 D.
VII, 15. Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio, 37 D.
VIII, 6. Prudentia carnis, mors est, 280 C.
— 23. Nos ipsi primitias Spiritus habentes, 488 B'.
IX, 22-26. Deus... sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Quos et vocavit..., non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam ;... et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam ; et erit in loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi, 209 B.
X, 4. Finis... legis Christus, 199 C.
XI, 22. Vide... bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem ; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, 480 B.
— 33. Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus ! 35 C'.
XIII, 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit, 54 C'.

I AD CORINTHIOS.

I, 4, 5, 7. Gratias ago Deo..., quod in omnibus divites facti estis in illo,... ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, 210 A'.
— 20. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, 373 B'.
III, 9. Dei agricultura estis, 56 C.
— 17. Si quis... templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, 85 C'.
V, 7. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, 392 B'.
IX, 9. Non alligabis os bovi trituranti, 286 B'.
X, 11. Hæc... scripta sunt... ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt, 25 A.
— 12. Qui se existimat stare, videat ne cadat, 404 A.
— 20. Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo, 178 D'.
XI, 27, 29. Quicumque... biberit calicem Domini indigne, reus erit... sanguinis Domini ;... judicium sibi... bibit, 279 C.
XV, 9. Ego... sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, 415 C.

XV, 41, 42. Stella... a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum, 161B.
— 54, 55. Quum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est :... Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? 312C'.

II AD CORINTHIOS.

I, 5. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra, 523C'.
II, 14-16. In omni loco... Christi bonus odor sumus... : aliis quidem odor mortis in mortem, aliis... odor vitæ in vitam, 275A'.
— 17. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, 265A.

AD GALATAS.

V, 19-21. Manifesta sunt... opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, etc., 271C'.
VI, 16. Pax... super Israel Dei, 60C.

AD EPHESIOS.

II, 14. Ipse... est pax nostra, qui fecit utraque unum, 497A.
V, 32. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia, 229D'.
VI, 11. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, 569B.
— 17. Assumite... gladium spiritus (quod est verbum Dei), 394C.

AD PHILIPPENSES.

III, 8. Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, 241C'.
IV, 13. Omnia possum in eo qui me confortat, 71C.

II AD THESSALONICENSES.

II, 4. Extollitur (Antichristus) supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur,... ostendens se tanquam sit Deus, 105D, 155D.
— 8. Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui, 109A.
— 10. Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, 358C'.

I AD TIMOTHEUM.

IV, 7, 8. Exerce... te ipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, 332C, 605D.
— 12. Exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, 247D.
V, 21. Sine præjudicio nihil faciens, 604C'.
VI, 16. Qui... lucem inhabitat inaccessibilem, 470D.

II AD TIMOTHEUM.

I, 18. Det illi (Onesiphoro) Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die, 207D.

AD PHILEMONEM.

20. Refice viscera mea in Domino, 506D'.

AD HEBRÆOS.

I, 5. Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium, 293D'.
— 14. Nonne omnes sunt administratorii spiritus? 50A', 107D.
II, 10. Qui (Christus) multos filios in gloriam adduxerat, 604A.
IV, 13. Omnia... nuda et aperta sunt oculis ejus, 398B.
X, 4. Impossibile... est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata, 254C'.
— 34. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, 479A.
XI, 33. Qui (Sancti) per fidem vicerunt regna,... obturaverunt ora leonum, 99B'.
— 35. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem, 34A.
XII, 6. Quem... diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit, 382B'.
XIII, 8. Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula, 558A.
— 15. Per ipsum (Christum)... offeramus hostiam laudis semper Deo, 164A.
— 17. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis, 290D'.

JACOBI.

I, 5. Si quis... vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter,... et dabitur ei, 257B.

IV, 17. Scienti... bonum facere, et non facienti, peccatum est illi, 163 C'.

I PETRI.

I, 14. Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, 80 D.
II, 9. Vos... genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 225 B.
— 24. Peccata nostra... pertulit in corpore suo super lignum, 132 C'.
IV, 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, 623 C'.
— 18. Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? 587 A.
V, 8. Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, 335 D'.
— 13. Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta, 361 B.

II PETRI.

I, 14. Certus quod velox est depositio tabernaculi mei, 379 D.
— 21. Non... voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines, 197.
II, 19. A quo enim quis superatus est, hujus et servus est, 441 D.

I JOANNIS.

I, 5. Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, 23 B'.
II, 18. Novissima hora est, 25 B.
— 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, 211 C.
III, 16. Nos debemus pro fratribus animas ponere, 483 B'.
IV, 19. Nos... diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos, 318 C.
V, 21. Custodite vos a simulacris, 555 A'.

APOCALYPSIS.

I, 5. Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, 132 C'.
III, 18. Suadeo tibi emere... aurum ignitum probatum, 139 B.
— 21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus, 47 D.
VI, 15, 16. Reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes,... absconderunt se in speluncis et... petris montium, et dicunt montibus et petris : Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, 291 B.
XII, 1. Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, 52 C'.
XVIII, 20. Exsulta... cœlum, et sancti Apostoli et Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum, 561 B'.
XXI, 3. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis, erit eorum Deus, 596 B.
— 22. Templum non vidi in ea, 457 C'.

INDEX ANALYTICUS

A

ABDENAGO. Quare sic vocatus sit Azarias, 11 C'.

ABDIAS propheta, « quo brevior eo profundior », quis fuerit, 202 D', 429; quando prophetaverit, 203 A, et ubi sepultus sit, 429. — Interpretatus « servus Domini », quem designet, 438 D.

ABIES principes Judæorum denotat, 668 D'.

ABOMINATIO desolationis quid sit, 134 D', 153 D', 164 A.

ABRAHAM quare dicatur dilectus Dei, 39 B. — Utrum Chaldaicam linguam cognoverit, 10 B'.

ABYSSUS. Quasnam abyssos Deus intueatur, 47 D'.

ACCARON, una de quinque principalibus civitatibus Philistinorum, 371 D, interpretatur sterilitas vel eradicatio, 587 C. — Ejus destructio prænuntiatur, 583 B'.

ACHAB, rex Israel pessimus, 503 C, 504 A, dispensatorem habuit Abdiam prophetam, 202 D'.

ACHAZ, filius Joathan, rex Juda, iniquus fuit, 201 D, idolaque coluit, 507 C', consentientibus Judæis, 510 D, qui ejus tempore maximas miserias passi sunt, 207 B. — Ad ejus instantiam rex Assyriorum Damascum vastavit, 370 D'.

ACHOR turbationem significat, 220 D. — Mystice, vallis Achor est caro nostra, 229 C. — Quo sensu vallis Achor Apostolis data sit ad aperiendam spem, 220 A'.

ACTUS. Utrum in actibus humanis non sit indifferens, 604 D'. — In patria, omnis potentialitas in actum redigetur, 613 A. — Activi designantur per Jacob, 527 D, et per terram, 567 A.

ADADREMMON, civitas sita in campo Mageddo, 675 C'.

ADAM similitudinem Dei inordinate appetiit, 456 A, et in ipso omnes cecidimus, 254 D'. — Ejus nomen in Hebræo est commune vel proprium, 294 B'. — Per funiculos Adam quid intelligatur, 294 A'.

ADAMA, urbs Pentapolis, igne et sulfure subversa est, 295 D'.

ADAMAS omnia metalla confringit, et a nullo confringitur, 648 D.

ADDO, avus Zachariæ, utrum fuerit ille Propheta quem Deus ad Jeroboam misit, 617 B. — Interpretatus « testimonium ejus », quem significet, 623 C.

ADOLESCENTES. Per illos designantur doctores Synagogæ, 418 B'.

ADORATIO duliæ quibusnam exhibita sit, 29 C'.

ADRACH quid designet, 656 D, 658 A.

ADRIANUS imperator Judæis crudelis fuit, 642 A, illosque de terra promissionis penitus expulit, 135 D'. — Jussit statuam suam poni in loco templi Jerusalem, 135 A.

ADULATOR qualiter peccet, 554 A'.

ADVERSA bonos in hoc sæculo purgant, 542 C, et cum gaudio ab ipsis feruntur, 38 C. — In illis potissimum virtus probatur, 681 D. — *Cf.* Tribulatio.

ÆGIDIUS de Roma (Ægid. Colonna), Ord. S. Augustini, Bituricensis episcopus, in libro de Sacramento altaris quid doceat de qualitatibus, 44 C'. — Laudatur ejus liber de Regimine principum, 67 D'.

ÆGYPTUS, quæ interpretatur tenebræ, præsens sæculum significat, 229 A', 280 C, 298 C, etc. — Quo sensu ibi quasi puer fuerit populus Hebræorum, 292 D'. — Reditus Christi ex Ægypto, quomodo in Osee prænuntietur, 293 D. — In Ægypto prædicaverunt Simon et Judas, 297 C. — *Cf.* Ptolemæus.

ÆQUITAS simulata non est æquitas, sed duplex iniquitas, 474 A'.

ÆS carmina poetarum signat, 85 D. — Quid denotet in angelo species æris candentis, 139 C'.

ÆSTAS mystice quid sit, 54 C.

ÆSTUS quid sit, 53 B', et quid significet, 53 C', 307 A.

ÆTAS quo sensu accipiatur, 84 A'. — Ætas mundi ultima qualis sit, 356 A'.

ÆTERNITAS creata ac participata, 160 D', quomodo differat ab æternitate increata ac divina, 161 A. — Dies æternitatis qualis futura sit, 683 B' et seq. — Aliquando æternitas per partes temporis designatur, 684 A'. — Quid sibi velit illud : « in æternum et ultra », 490 A. — *Cf.* Deus.

ÆTHIOPES filiis Israel interdum molestias intulerunt, 585 D. — Illorum punitio prænuntiatur, 585 D. — Mystice quinam sint, 588 A'.

AFRICANUS (Sextus Julius), auctor Chronographiæ, citatur, 131 A, 146 C'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 10.)

AGER quid signet, 663 A. — Ager Dei vocatur populus fidelis, 336 B'.

AGGÆUS quando prophetaverit, 601 A; quo sensu nuntius Domini de nuntiis Domini dicatur, 603 A, et in manu ejus factum sit verbum Domini, 601 B. — Quare tam sæpe Deum nominet Dominum exercituum, 618 A'. — Interpretatus « solennitas », 603 C, quem significet, 603 D, 612 A.

AGNUS mane et vespere in templo immolabatur, quare, 218 D'.

ALBERTUS Magnus (B.), Ord. Præd., Ratisbonensis episcopus, cujus eruditio laudatur, 131 C, sæpissime citatur, 9 A, 10 A', 11 C, etc.— Quomodo librum Danielis diviserit ejusque doctrinam celebraverit, 4. — Allegatur ejus opus de Animalibus, 58 D.

ALCIMUS quomodo Judæos deceperit, 154 A.

ALEXANDER Magnus, « rex Græciæ maximus », 117 A', 146 A', imo « regum potentissimus », 147 D, qui triumphis videbatur volare potius quam incedere, 116 D', ex quo adulterio natus dicatur, 658 B'. — Quibus dotibus excelluerit, 104 C, philosophorum, præsertim Aristotelis, utens consiliis, 117 B. — Quare designetur per pardum, 104 B, et per hircum, 116 C', ejusque regnum figuratum sit per statuam cujus venter et femora ærea, 26 D', 27 A. — Darium cur impugnaverit, 117 A, et qualiter devicerit, 116 C, 117 B. — Quas regiones subjugaverit, 146 D', 658 D, et quomodo per illum Deus orientales castigaverit, 104 D. — Quo sensu universæ terræ imperaverit, 26 D'. — Judæis valde favens, 641 C', quare, 658 C', in eorum pontifice Deum adoravit, 29 C', 641 D', cui in templo sacrificavit, 658 C'. — Alexandriam qualiter ædificaverit, 530 A'. — Quare et quibus ducibus regnum suum diviserit, 104 D, 117 B', 147 A. — Quomodo mortuus sit, 117 A', 147 A, et quænam provinciæ deinde a Macedonum imperio recesserint, 147 A'. — Diversa vaticinia de illo eduntur, 104 D, 117 B, 146 D', etc. — Allegatur ejus Vita seu legenda (anonyma Historia Alexandri Magni, regis Macedoniæ, de præliis, 116 B', 117 A, 147 C.

ALEXANDRIA, quæ olim vocabatur No, 530 A', ubi sita sit, 530 B', et quanta ejus fortitudo ac opulentia, 530 C'. — Qualiter illam Alexander ædificaverit, 530 A'. — A Chaldæis capienda prædicitur, 530 D'.

ALIMENTA frigida voluptatem non concitant, 13 C.

ALLUSIO verborum quandoque in Scriptura invenitur, 165 B'.

ALTARE duplex in templo Jerusalem fuit, 343 A'. — Sacramentum altaris. *Vide* Eucharistia.

ALTITUDO mystice est in contemplatione, 629 D'. — « Altitudo manus suas levavit », quo sensu, 561 A', 568 B'.

AMASIAS, sacerdos vitulorum aureorum, prophetam Amos plagis affecit, 365, illumque regi Jeroboam denuntiavit, 413 D', quare, 414 B.

AMATHI interpretatur veritas, 454 C'. — Quo sensu Jonas dicatur filius Amathi, 449 B.

AMBROSIUS (S.), episcopus Mediolanensis, citatur, 171 C', 280 B', 477 A'. — Allegantur ejus hymni, 54 A. (Migne *Patrol. lat.* tom. 14-17.)

AMICITIA vera qualis sit, 508 B', et quam rara, 508 C. — Quanta fiducia in amico fideli ponenda, 513 C.

AMMON, cujus nomen interpretatur filius patris mei, quosnam significet, 588 B. — Ammonitæ, de semine Lot orti, 372 D, et filiis Israel crudeliter infensi, 372 A', quas pœnas sustinuerint, 372 B'. — Qualiter blasphemaverint, 584 C, et prænuntiata sit illorum punitio, 584 A' et seq.

AMOR. Similitudo est ejus causa, 277 A', 713 A'. — Non tam clamor oris quam amor cordis sonat in auribus Dei, 541 D'. — Divini amoris quales sint effectus, 169 C. — Quid contingat illis qui privatum amorem non exstirpant, 605 C, 655 C. — *Cf.* Caritas.

AMORRHÆUS qualiter interpretetur et diabolum designet, 380 B'. — Quanta Amorrhæorum altitudo, 377 A', et dejectio, 377 B'.

AMOS, pastor et propheta, unde fuerit, quibus et quando vaticinatus sit, quomodo vulnera-

tus occubuerit, 365, 367 A, 390 D'. — Quanta ejus humilitas, obedientia, 415 B', et constantia, 416 A. — Quo sensu dixerit se prophetam non esse, 414 C'. — Ex rebus quas expertus est comparationes sumit, 368 B'. — Interpretatus « onustus, sive avulsus », quem denotet, 373 A.

AMOS, pater Isaiæ, propheta fuit, et ex prosapia regali, 365.

AMPHORA Zachariæ ostensa, quid figuraverit, 639 D', 640 C'. Mulier in medio ejus sedens, idololatriam significabat, 640 A, vel impœnitentiam, 640 D'. — Quid intelligatur per duas mulieres amphoram illam portantes, 640 C, 641 A.

AMRI, rex Israel pessimus, pater Achab, 503 C.

ANANIAS, quare vocatus Sidrach, 11 C', et quo sensu eunuchus, 11 C. — Quanta ejus sapientia, 13 B', 14 C, et qua mente doctrinam Chaldaicam didicerit, 12 C. — *Cf.* Pueri.

ANGELUS quis vocetur, 50 D. — In loco est definitive, 44 A, 626 B'. — Quodnam dominium super materiam inferiorem habeat, 44 B, 184 D. — Quantus sit angelorum numerus, 107 C, 108 B. — Qualiter Deo obediant angeli, 114 A, 144 B', 348 D, et quam perfecte illum laudent, 50 A', a conspectu ejus nunquam recedentes, 143 B', etsi a facie ipsius egredi dicantur, quo sensu, 129 A'. Quo pacto alii Deo adsistere, alii ministrare perhibeantur, 107 D, 111 A'. Quomodo Deus resideat in angelis qui Throni vocantur, 47 B', et super Cherubim sedeat, 48 A. — Qualiter angeli loquantur ad se invicem et ad homines, 119 B, 626 B'. Etsi impassibiles, per modum compatientis se habent erga afflictos, 340 B. Qualiter peccata auferant, 631 A'. — Angeli inferiores a superioribus illustrantur, 118 D', et mittuntur, 626 D'. Quo sensu mittantur angeli superiorum ordinum, 107 A'. — Angelorum qui Virtutes vocantur, quodnam sit officium, 51 B'. — Cuilibet homini præest angelus bonus, 107 D', quomodo audiendus, 348 C, et deprecandus, 307 C'; regnis autem præficiuntur angeli de ordine Principatuum, 142 A'. — An inter angelos sit pugna ratione custodiæ, 141 C', 142 C, et circa punitionem hominum, 340 B. — Qualiter angeli terram perambulent, 620 D'. Illorum ministerio multi gentilium ad Deum reducti sunt, 382 B, et quidam Sancti de loco ad locum translati fuerunt, 179 B. Plura alia prodigia per illos patrata referuntur, 74 C, 78 B, 85 A', 90 D, 99 D, etc. Per ipsos etiam factæ sunt propheticæ revelationes, 21 B', 201 B, 431 B, 619 C'. Qualiter hominibus appareant angeli, 140 A, per corpora assumpta, 140 B, 619 D', in quibus verba sensibiliter proferunt, 49 C; nec semper ab omnibus præsentibus tunc videantur, 86 A, 140 A'. — Per angelicam hierarchiam Deus voluit ecclesiasticam docere, 129 C'. Cum sacerdotibus in multis communicant angeli, 700 B, qui officio Missæ personaliter adsunt, 307 D', et quorum præsidio circumdatur Ecclesia, 657 C'. — Cum Christo judice venient, 359 C. Corpora resuscitata, saltem non glorificata, deferent ad locum judicii ultimi, 179 A, quod per eosdem ministros consummabitur, quo sensu, 347 B' et seq., 523 D'. — Signati per cœlos, 605 D', per ventum, 102 A', per montes, 394 A', quare vocentur castra Dei, 348 C', virtutes, 348 D', vigiles, 73 D', et quinam illos imitentur, 76 A. Quo sensu membra dicantur habere humana, 162 A', et quid per illorum volatum exprimatur, 129 B.

Quomodo angelus in fornacem Babylonis descenderit, 44 A, et quid ibi egerit, 44 B. — Angelus qui Danieli juxta fluvium Tigrim apparuit, quomodo vestitus fuerit, 139 A; quid significent ejus corpus, 139 D, facies, 139 A', oculi, 139 B', brachia et pedes, 139 C', vox ut vox multitudinis, 139 D'. — Quis angelus princeps Persarum vocetur, 102 C, 141 D', 142 B', 162 A, et contra eum qualiter pugnaverit angelus princeps Græcorum, 143 D'. — Angelus quomodo prophetam Habacuc capillo portaverit, 184 D.

ANGULUS mystice est regia dignitas, 663 C', 665 D'. — Per angulos excelsos designantur superiores, 581 B'; per angulos gentium, urbes præcipuæ vel principes, 590 C'.

ANIMA rationalis, dum infunditur corpori suo, creatur, 673 D', 700 A'. Quare flatus vocetur, 90 B, et quam pulchre ornetur, 59 D'. — Anima quomodo a spiritu secernatur, 40 B', 60 D'. — Non minus est ubi amat quam ubi animat, 568 D'. Intenta ad unum, debilitatur ad alterum, 120 D', et in divinis absorpta corpus debilitat, 114 A', 121 A', 122 D', etc. — Quanto præstantior est corpore, tanto gravior ejus ruina, 532 D'. — *Cf.* Homo.

Anima fidelis, quæ spiritualiter dicitur Sion, Israel et Jerusalem, 595 C, civitas Christi censetur et mons sanctificatus, quo sen-

su, 653 C', estque domus, templum ac thalamus Sponsi cœlestis, 655 A. — Quomodo eam Deus hortetur ut ad ipsum convertatur, 623 C'; ad cor ejus qualiter loquatur, 229 B, et eam pœnitentem consoletur, 228 C', modo renuat illa in rebus mundanis delectari. 228 D'. — Verbum Dei in ea fructificat, 253 C, cum timore et reverentia auditum, 566 C, et assidue recogitatum, 36 D'. — Quomodo ad Dominum convertatur, 317 C, in jejunio, 349 D, et in fletu, 349 A', ita ut tota ejus affectio in illo figatur, 349 C, 624 A, quem primo et summe debet desiderare, honorare ac formidare, 623 D', toto corde quærere, 79 D, sequi, 41 C', et filiali amore diligere, 697 C. Tantum diligit Deum quantum ejus jussionibus obedit, 125 C; et quo in divino amore plus ardet, eo intentius ipsum ab universis laudari exoptat, 48 C', atque benedici, 22 B. — Ex notitia creaturarum ad Dei contemplationem conscendat, 55 B', 58 C', 167 B, ampliorem pacem consecutura quam mundi amatores, 227 C. — Semper Deum humiliter deprecetur, 317 A', ut secum manere dignetur, 566 D'. Satagat ejus præsentiam recolere, 264 C', 549 D', in ipso sperare, 42 A', 128 D, 303 D', confidere, 596 A, delectari, 665 A, ad ipsum omnia ordinare, 317 A, cum lætitia illi servire, 698 B', atque placere, 41 B. — Beneficia Dei commemoret, 225 C, merita sua fateatur ejus esse dona, 128 D, humillimas ipsi grates referens, 53 D', 630 B'; nec inaniter glorietur, etsi semper Dei laudibus intenta fuerit, 46 A. — Qualiter ad Dominum paveat, 233 A, et appropinquet, 589 D', cum illo ambulet, 502 B', atque ab illo illuminetur, 513 D, ita ut in ipso solo jaceant ejus amor, fortitudo, spes et gaudium, 570 D', et Deus sit illi causa et ratio amandi quidquid præter ipsum amatur, 578 C'. — Omnibus terrenis præponat dona Spiritus Sancti, 15 C', ex quo est ejus salus, 637 C', et qui in illa diem spiritualem facit, quo sensu, 251 B. — Christi vestigia sequatur, 527 A. Quo sensu claudicans, 493 A, a Christo erigatur, 493 B, qui, illam zelatus zelo magno, 653 B, recreat, 272 B, portat, 299 C, et sabbato mentis lætificat, 272 A'. — Ut fiat ejus sponsa, 222 D', et sedes, 223 B, simul habeat justitiam, judicium et misericordiam, 223 C, et sola quærat cœlestia, 230 A. Sponsi præsentiam quum amittit, 299 C', ad ejus reditum suspiret, 299 D'.

Fidei catholicæ immobiliter adhærens, 545 B', invigilet cordis custodiæ, 292 A', 549 C, et stabilitati, 477 B, fœdus feriat cum veritate, quo sensu, 290 D, Scripturæ libris studeat, 124 D, 197, et seminet opera virtuosa de quibus pacem metet æternam, 271 D'. — Discat peccata sua deflere, 213 D, in spiritu humilitatis, 40 A'; vitia sua non excusare sed fateri, 125 C', ut Dei veniam mereatur, 175 B; se ipsam non justificare sed fortiter arguere, 647 C'; de imperfectionibus suis frequenter gemere, 337 D; increpationes æquanimiter, 241 A, et cum gratiarum actione perferre, 241 C, etiam si injustæ sint, 241 B; oculos refrenare, 168 D', 170 B, et risum moderari, 181 B'; quotidie proficere in timore, 292 A', 704 C, absque ulla præsumptione, 316 C; habitus bonos per frequentes actiones confirmare, 527 C; nil inordinate amare, nec imaginari, 555 A'; et ad judicium Dei se præparare, 550 D. — Bonum viriliter incipiens, 334 A, non sit pusillanimis, 334 C, sed semper sollicita ne ab hostibus suæ salutis vincatur, 550 A, quorum insidiæ perpendendæ sunt, 505 D, 527 B. Qualiter pugnare debeat, 439 B, contra mundum, 439 D, diabolum, 380 D', et carnem, 618 D', propriis viribus non innixa, 380 C', nec timore inordinato perculsa, 595 C', sed in omni angustia Deum salvatorem exspectans, 509 B. — Quomodo oret, 127 B', 128 C, 241 D', quænam contempletur, 289 B', et quibus de causis fleat, 580 C. — Qualiter sibi misereatur, 512 A', et, sentiens se pristina devotione privatam, ad Deum recurrat, 393 D. — Angelum custodem quomodo deprecari debeat, 307 C', cujus præsentiam cogitans, 307 D', frequentem illuminationem quo pacto obtineat, 637 A. — Qualiter castitatem suam valeat defendere, 242 D'. Multipliciter corpus suum castiget, 505 A'. Jejunet, 656 A, et tempore jejunii a cibis delicatis abstineat, 138 D. Pœnitens, ad omne flagellum sit parata, 72 C', ita ut etiam oret pro peccatis suis castigari, 570 A. Omnem adversitatem hilariter toleret, 513 A', 681 A', propter Deum, 513 C', et propter suam emendationem, 513 B', privatum amorem prorsus ejiciens, 513 D'; in prosperis vero formidet, quare, 712 A'. — Invicta sit ejus patientia, 527 C, 534 B', 551 B', atque fiducia, 542 A. Quid agat in tribulationibus, 54 D, 126 D', 255 D, etc., quas suscipit quasi medi-

cinas, 595 C'. Qualiter eam reficiat Deus, 351 A', 523 C', qui non permittit ipsam super vires affligi, 625 B'. — Ut clementiam divinam provocet, piam interdum querelam agere potest anima, 541 D : quæ monetur etiam Ecclesiæ mala deflere, 542 B, ejusque reformationem impetrare, 654 C'; talem se proximo exhibere qualem cupit Deum esse sibi, 256 D', 309 B; in alios esse clementem, 505 A', neminem aspernari, 299 C, vel aversari, 624 B, sed pauperes et simplices cordialiter venerari, 380 C; bona exempla sequi, 656 A'; impœnitentium pericula deplorare, 402 C, 476 C, pro illis preces effundere, 476 D, et animarum saluti omne bonum temporale postponere, 483 B'. — Cunctam levitatem vitet, 505 B', non suspiciosa sed cauta, 508 A'. Quiescendo fit prudens, 143 A'. Quomodo adæquet fructum gratiæ sibi exhibitæ, 289 C, vitæ præsentis vanitatem spernens, 624 C, et omnia infima vilipendens ut spiritualibus donis ditetur, 552 B'.

ANIMALIA diversa quomodo Creatorem glorificent, 58 D, et quosnam designent, 73 B'. — Qualiter interpretandum illud : « In medio duorum animalium cognosceris », 565 C.

ANIMUS inordinatus sibi ipsi est pœna, 228 C.

ANNUS alius est solaris, alius lunaris, 130 D'. — Per medium annorum quid intelligatur, 566 A'. — Septuaginta annorum hebdomadæ a quo tempore computandæ sint, 133 C.

ANSELMUS (S.), Cantuariensis episcopus, citatur, 101 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 158, col. 389.)

ANTICHRISTUS, qui rex aquilonis dicitur, 156 D', estque pseudopropheta et bestia de quibus in Apocalypsi, 672 D', cujus etiam corpus sunt reprobi, 109 A, quomodo nasciturus sit, 105 C, de plebe Judæorum, 154 D', 156 B', sub imperio Romano ante regnum ejus dispergendo, 108 D'. — Quid acturus sit, 105 B, paulatim et cito in potestate crescens, 112 D, diabolo adventum ejus præparante, 529 A. — Quanta ejus superbia et præsumptio, 113 B, 155 D, 157 A, 672 C', astutia, 105 D, potentia, 105 A', 155 A, 156 C', crudelitas, 672 A'. Utrum in concupiscentiis feminarum futurus sit, 155 D'. — Deum inhonorabit et Christum contemnet, 155 C', Messiam se esse dicens, 155 A', et se ipsum pro Deo ab omnibus coli jubens, 156 C, 164 A. Deum Maozim in loco suo venerabitur, quo sensu, 156 D. — Ejus satellites qualiter pugnaturi sint contra Christi famulos, 358 B' et seq., quos gravissime persequetur, 28 B, 112 D, 155 C, 159 B, 682 A, tribus annis et dimidio, 113 D, 162 B', a quonam tempore computandis, 164 B. Illi adhærebunt quamplurimi de omni natione, 682 B, et per eum multi electi decipientur, qui postea convertentur, 112 A', 677 B. Tempore ejus maxima fiet hominum turbatio, 612 A', et maximi meriti erunt qui constantes in fide permanebunt, 612 C'. Tunc cessabit cultus Dei et Christi publicus, 164 A, et Ecclesia quasi in solitudinem redigetur, 588 C', sed finaliter prævalebit, 677 C. — Reges Ægypti, Africæ et Æthiopiæ primo devincet, 105 B, 113 B, 156 C', 157 A'. Solium suum figet in Jerusalem, 157 C', quam Christianis auferet, 685 A. Quasdam intactas relinquet terras, quare, 157 B. — Qualiter vincendus sit, 682 A', qui a Christo creditur occidendus, 109 A, 359 A, 672 B', in monte Oliveti, 158 A, 682 B'. — Post ejus occisionem dies quadraginta quinque lapsis dabuntur ad pœnitendum, 164 C, et omnes pene ad Christum convertentur, quo sensu, 28 C, 164 D, 679 A', 681 B, 684 D', magnaque erit Christianorum devotio, 625 C'.

ANTIGONUS, e ducibus Alexandri Magni, post eum in Asia regnavit, 104 D, 147 B.

ANTIOCHIA olim Emath magna vocabatur, 406 A, 656 C'.

ANTIOCHUS II (Theos), rex Syriæ. Prænuntiatur ejus matrimonium cum filia Ptolemæi Philadelphi, 148 C, quæ occisa est cum viro et filio, quomodo et quare, 148 A'.

ANTIOCHUS III (Magnus), cujusnam filius fuerit, 149 B. — Quid de illo prædictum sit, 149 C, 150 B', 151 B, etc. — Quomodo regnum Syriæ sumpserit, 149 C, prævalens contra duces Ptolemæi Philopatoris, 149 D, a quo postea devictus est, 149 A'. — Qualiter, auxiliante Philippo, rege Macedonum, 149 C', Ptolemæum Epiphanem impugnaverit, 149 D', 150 C', cui deinde filiam suam Cleopatram uxorem dedit, 150 D', ad illum decipiendum, 151 A. — Qualiter Judæam occupaverit, 150 D, et recuperaverit, 150 B'. — Quomodo insulas Asiæ expugnando, 151 B, Romanos sibi infestos habuerit, a quibus superatus est, 151 C. — Contra Elimæos pugnans, cum omni suo exercitu deletus est, 151 D.

ANTIOCHUS IV (Epiphanes), filius præcedentis, 151 B', regnum Syriæ quomodo occupaverit, 117 D', injuste, 152 B, postquam Romæ obses

fuisset, 151B'. — Quam perversus fuerit, 122A, et astutus, 151C', 152B. Quare illum prævalere Deus permiserit, 122B. — Quid egerit contra Judæos, 118A, 122C, 153B', 330C, quot annis, 119B', et qualiter templum Jerusalem violaverit, 118D, 119D', 153C'. Quam fortiter illi restiterint Judas Machabæus et fratres ejus, 159A. — Ptolemæum Philometorem regno Ægypti privavit, 152A, magis fraudibus quam viribus illum opprimens, 152B'. Quomodo a legato Romanorum increpatus, 153D, Alexandriam dimiserit, 153A'. — Figura Antichristi fuit, 154C'. — A Deo plagatus obiit, 122A'. — Varia de illo vaticinia proferuntur, 118A, 122C, 152A, etc.

ANTONIUS (S.) abbas, quid de bonis angelis dixerit, 143D.

APADNO quid significet, 157C'.

APOLLINARIS, Laodicensis episcopus, Porphyrium confutavit, 3, 165A', et commentarios scripsit super duodecim Prophetas, 200C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 33.)

APOSTOLI, qui per montes designantur, 394A', qualiter vineam Domini coluerint, 220C, Ecclesiamque adornantes, sicut vitem frondes, quo sensu botri vocentur, 289A. — Patriarchis et Prophetis præferuntur, 638B, et ubique credentibus in summo honore habiti sunt, 597B. Spiritu Sancto recepto, nunquam mortaliter peccaverunt, 594D. Quanta fuerit eorum fortitudo, 490B'. — Legi evangelicæ quare superaddita sit apostolica doctrina, 199A. Mundum semine verbi cœlestis fecundarunt Apostoli, 224B', 423A', 645C, et ad fidem converterunt, 594C. Eorum prædicatio qualiter prænuntiata sit, 498C, 593B, 594B, etc. — Illorum tempore quam perfecta fuerit Ecclesia, 612B.

AQUÆ mystice sunt reges, 561A, vel gratiæ Spiritus Sancti, 361D'. — Quid intelligatur per aquas quæ super cœlos sunt, 50D', 51A', per inundantiam aquæ, 138D', et per aquas vivas, 684A.

AQUILA rex avium dicitur, 102D'. Quam acutus ejus visus, 432C'. — Designat viros contemplativos, 440C', vel diabolum, 270C, aut regem Nabuchodonosor, quare, 266C. — Per alas ejus quomodo exprimatur regnum Chaldæorum, 102D', 103A.

AQUILA, Judæus, Scripturæ « diligens et curiosus interpres », 221D', frequenter citatur, 34D, 155D', 221D', etc.

AQUILO quosnam designet, 156D', 350A', 588A', 629D', 645B.

ARBOR infructuosa impœnitentem exprimit, 228D. — Explanatur somnium quod de arbore habuit Nabuchodonosor, 73A et seq.

ARCA Noe typus Ecclesiæ fuit, 305D.

ARCTURUS, alio nomine Ursa major, qualis sit constellatio, 396C', et quomodo Ecclesiam designet, 403C'.

ARCUS dolosus quid sit et quid denotet, 262D, 263B'. — Arcus prælii significat arma spiritualis militiæ, 667B'.

AREA mystice est Ecclesia, 279A.

ARGENTUM varia signat : eloquentiam, 85D, 227B', 528D, 657A, rerum creatarum scientiam, 216C', 315A, philosophiam, 581D', sæcularem prudentiam, 280C. — Mystice, quinam conflatile sibi faciant de argento suo, 315A.

ARIES quomodo et quare significet regem Medorum, 115B'.

ARIOCH, princeps militiæ Nabuchodonosor, 20B', sapientibus Babylonis parcere præoptavit, 24C.

ARIOLI quinam dicantur, 14A', 17C.

ARISTOTELES, vocatus antonomastice « Philosophus », 48A', frequenter citatur, 9D, 11A', 20C', etc. — Allegantur ejus libri Ethicorum, 167B, 170A', 439D', Meteororum, 54C, de Memoria et reminiscentia, 17B, de Somno et vigilia, 18D', de Animalibus, 58D. — Ejus præsertim consiliis utebatur Alexander Magnus, 117B.

ARMON, qualis sit regio, 389A, et quid exprimat, 392C.

ARTABA quid sit, 179C.

ARTAXERXES (Arttakhsabra), nomen commune regum Persarum. Sic duo præcipue in Scriptura vocantur : alter (Smerdes magus) qui templum ædificari prohibuit, 601B', 607A ; alter (Artaxerxes I, Longimanus) qui Nehemiæ dedit licentiam instaurandi Jerusalem, 133C. A vicesimo regni hujus anno computantur septuaginta annorum hebdomadæ, 133C. — *Cf.* Persarum reges.

ARUSPICES quinam dicantur, 24C'.

ASCALON, una de quinque principalibus civitatibus Philistinorum, 371C, antiquitus vocabatur Philistiim, 371D. — Qualiter interpretetur et quosnam designet, 587B.

ASINI quosnam significent, 685C'. — Per asinam super quam sedit Christus, figurabatur populus Judæorum, 660A.

ASPHANEZ, præpositus eunuchorum, 8 B', quomodo et quare Danielem dilexerit, 12 A'.
ASSUERUS (Khsyarsa), nomen commune regum Medorum. Sic in Scriptura vocati sunt præcipue Astyages Medus, Cyri avus, 92 C', 177 C', et Xerxes I, vir Esther, 93 A. — Utrum hic filium habuerit Darium de quo in principio Aggæi et Zachariæ, 93 C. — Quare per ursum designetur, 400 B. — Qualiter de ipso agatur in somnio Danielis, 103 D'. — *Cf.* Persarum reges : Astyages, Cambyses, Xerxes I.
ASSUR (id est Assyria) interpretatur « dirigens », et diabolum designat, 290 B', 299 B'; vel « coarguens », et accusatores fratrum denotat, 588 B'. — Assyrii, Deo ordinante Judæos populaverunt, sed pessimo fine, 621 C', et magna crudelitate, 314 A'. Propriis viribus victorias suas adscribentes, 491 D', a Deo percussi sunt, 492 C. — Chaldæis subjiciebantur quum Cyrus illos invasit, 498 A. — Illorum interitus prænuntiatur, 519 B', 520 C.
Assyriorum regnum quam antiquum, 103 B. — Reges Assyriæ qui in hoc volumine citantur : Nemrod, fundator urbis Ninive ; Ninus, filius Beli ; Theglathphalasar IV (745-727) ; Phul (Vulnirari), pater Salmanasar ; Salmanasar V (726-722) ; Sennacherib, filius Sargon (702-680) ; Assurbanipal VI, dictus Nabuchodonosor in libro Judith (660-647). *Vide* unumquodque verbum.
ASTRONOMIA qualiter in Chaldæa viguerit, 17 A'. — *Cf.* Chaldæi.
ASTYAGES, rex Medorum, alias Assuerus, 92 C', 124 A, filium habuit Darium Medum, 92 C', 177 C', nepotem ac successorem Cyrum, 177 D'. Alius est ac Assuerus vir Esther, 93 B, 177 C'. — *Cf.* Persarum reges.
ATTILA, rex Hunnorum, dixit se esse flagellum Dei, 23 A.
AUCEPS mystice quisnam sit, 383 A'.
AUGUSTINUS (S.), Hipponensis episcopus, translationem Septuaginta interpretum valde commendat, 565 B. In regula sua balneum quandonam permittat, 169 D'. — Allegantur ejus libri de Civitate Dei, 3, 9 A', 27 C, etc., super Genesim, 51 A, de Trinitate, 47 B', 56 B', de Doctrina christiana, 48 C'.
AUGUSTUS Cæsar (Octavianus) imperator, sub quo natus est Christus, 675 C, Judæis clemens fuit, 642 A, 674 C'. — Ægyptum sibi subjecit, 665 B'. — Ejus tempore quanta fuerit Romanorum potestas, 112 D'.
AUREOLA. Sic nuncupatur Beatorum præmium accidentale, 160 D.
AURIGO quid sit, 390 C.
AURUGO adversitates designat, 613 C.
AURUM diversa significat : sensuum calliditatem, 657 A, sapientiam, 85 D, 86 D', divinorum notitiam, 227 B', 581 D', Dei amorem, 216 C'. — Aurum obryzum quid sit, 139 A, et quid exprimat, 139 B.
AVARUS qualiter peccet, 553 D, et puniatur, 553 A'. — Avari, per pisces maris designati, 235 D, magis in hominibus quam in Deo confidunt, 226 A'. Quomodo mystice statuam erigant, 32 B, et quo sensu fornicentur, 248 B. — Illos solet concomitari elatio, 440 A, ita ut multi avaritiam ad excellentiam ordinent, 553 A'. — Quænam sit bona avaritia, 553 B'.
AVICENNA (Ibn-Sina), Arabus philosophus, allegatur, 522 A'.
AZARIAS, quo sensu eunuchus fuerit, 11 A, et quare vocatus Abdenago, 11 C'. — Quanta ejus sapientia, 13 B', 14 C. — Quomodo in medio ignis Deum laudaverit, 35 B et seq. — *Cf.* Pueri.
AZOTUS, una de quinque principalibus civitatibus Philistinorum, 371 C, interpretatur ignis generationis, 587 C. — Ejus destructio prænuntiatur, 583 B'.

B

BAAL, deus Sidoniorum, 216 B', alias in plurali Baalim, 219 D, a Bel denominatur, 178 B', et interpretatur habens, 221 C, vel superior, 578 D. — Quid contra illud idolum egerit Gedeon, 288 D. — Per reliquias Baal quinam designentur, 578 D. — Quare « Baali » non velit vocari Deus, 221 D.
BABEL turris, ubinam sita, 8 B, 92 B.
BABYLON, quæ interpretatur confusio, 361 B, 493 C', ubi constructa sit, 8 B, quando, 77 D', et quo sensu in sanguinibus ædificata, 547 D. — Quanta ejus magnitudo, 460 A, et magnificentia, 91 D', 167 B. Ejus hortus suspensilis a quo et quare dicatur formatus, 83 B'. — Quomodo capta sit, 91 B', et quanta ejus ruina, 92 B, quam prædixerant Isaias, 92 C, Jeremias, 92 B', et Michæas, 509 C'. — Per Babylonem aliquando intelligitur Roma, 361 B, vel mundus, 603 C'. — Babylonia est Chaldæa vel terra Sennaar, 8 B. — Babylonicæ captivitatis finis prænuntiatur, 560 B'. —

Babylonicum regnum figurabatur per caput aureum statuæ quam vidit Nabuchodonosor, quare, 26 A'.

Reges Babylonis in præsenti volumine recensiti : Nabuchodonosor, Babylonis instaurator (606-562) ; Evilmerodach, filius ejus (562-560) ; Neglisar (Nirgal-sar-usur), gener Nabuchodonosor (560-555); Labosardach (Labosarracus), filius præcedentis (555-554); Balthasar (Bel-sar-usur), filius Nabonidis (541-538), ultimus rex Chaldæorum. *Vide* unumquodque verbum.

BALAAM, etsi perversus, verus fuit propheta, 449 C'. — Quasi invitus Judæis benedixit, 501 B. — Quosnam designet, 505 C.

BALAC, rex Moab, interpretatus lingens, diabolum significat, 505 B.

BALNEUM, juxta regulam S. Augustini, in casu necessitatis permittitur, 169 D'.

BALTHASAR, regis Nabuchodonosor nepos, 84 D', 545 D', 556 C', cujus filius fuerit, 83 C. — Quare, Babylone obsessa, grande convivium fecerit, 84 A, in quo unusquisque secundum suam bibebat ætatem, quo sensu, 84 A'. — De illo quid prædictum sit, 545 D'. — Ebrietas ejus quantum deordinata, 84 B', et quanto sacrilegio in vasis templi biberit, 84 D'. — Scriptura quam vidit, quali lingua edita fuerit, 87 B, 90 A'. Regina quænam illum allocuta sit, 87 D, et Danielem indicaverit, 87 B', regi incognitum, quare, 88 D. — De nece Balthasar variæ referuntur narrationes, 91 C et seq., 556 D'.

BAPTISMUS Christi per mare Rubrum significatur, 221 A, et per fontem patentem, 678 D'.

BARACHIAS, pater Zachariæ prophetæ, fuit et ipse propheta, 617 B. — Interpretatus « benedictio Domini », quem designet, 623 C.

BARTHOLOMÆUS (S.) apostolus in Armenia prædicavit, 498 C.

BASAN, cujus nomen interpretatur confusio, quid designet, 510 D', 522 A. — Fuit uberrima regio, 518 C'.

BEATI in ultimo die quantum gaudium consecuturi sint, 710 B et seq. — Quanta illorum felicitas in patria, 613 A, 684 A. Præmia eorum jugiter permanebunt, quare, 684 D. — Illorum pennæ, quid, 710 A. — *Cf.* Comprehensores, Electi.

BEDA (S.) Venerabilis, Ord. S. Benedicti, citatur, 51 C, 108 D, 131 A, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 90-95.)

BEELPHEGOR, deus Moabitarum, quando a Judæis adoratus sit, 276 B. — Inter Christianos, quosnam habeat cultores, 281 A.

BEELZEBUB, idolum a Bel denominatum, 178 B', 221 A'.

BEERI, pater Osee prophetæ, interpretatus putei mei, 202 A', quare credatur fuisse propheta, 202 B'.

BEL, deus Babyloniorum, 216 B', interpretatur vetustus, 178 B'. — Quando et quomodo coli cœperit, 178 C. Quare ab ipso cetera idola nominentur, 178 B'. — Ejus statuam ut vivam adoravit rex Babylonis, 179 C'. — Historia ejus apud Danielem narrata, quæ ab Ecclesia loco Epistolæ legitur, 179 C, tanquam vera vindicatur, 179 A.

BELIAL, cujus nomen interpretatur prævaricator, quem significet, 521 A'.

BENADAD, filius Hazaelis, rex Syriæ, 370 A'. — Ab illo reges Syriæ Benadad appellati sunt, 370 B'.

BENEDICTIO duplex est, 49 C', 176 D'. — Qualiter a laude distinguatur, 50 A. — Deum benedicere quantum sit opus, 61 D. Quomodo prælati subditis suis benedicant, 49 C'. — Quo sensu benedictio fieri possint qui erant maledictio, 651 C, 655 B'.

BENEDICTUS (S.) abbas. Illi cibum afferre a Christo jussus est devotus presbyter, 184 C'.

BENEFICIA, quare vincula et funiculi caritatis vocentur, 294 A'. — Qui de acceptis beneficiis gratias refert, ad majora sortienda se aptat, 22 A. — Qui beneficiis Dei abutuntur, quomodo puniantur, 277 B', 315 D'.

BERENGAUDUS, Ord. S. Benedicti, citatur, 156 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 17, col. 883.)

BERNARDUS (S.), abbas Claræ Vallis, creditur nunquam mortaliter peccasse, 381 B.

BEROSUS, qui Chaldæam scripsit historiam, quid de successoribus Nabuchodonosor narret, 83 A'.

BERSABEE urbs, ubi sita, 396 B.

BESTIÆ quomodo Deum glorificent, 58 D, et ad illum clament, 333 B'. — Quosnam designent, 59 A, 73 B', 75 D', 222 D, etc. — Quasnam bestias coluerint gentiles, 182 D. — Bestiæ quatuor grandes quænam regna figurent, 102 C' et seq., 111 C'.

BETHAVEN. Cur sic vocatus sit locus antea Bethel dictus, 239 A', 248 D'. — Ibi finiebatur sors Benjamin, 245 B'.

BETHEL, prius Luza vocabatur, 303 A. — Interpretatur domus Dei, 275 B, 292 B', 303 A, et malos præsidentes designat, 292 B'. —

Quid ibi viderit Jacob, 302D'. — Altaria Bethel sacrilega, quæ destruxerunt Assyrii, ut prædictum fuerat, 385B', significant altaria schismaticorum et hæreticorum, 387A'.

BETHLEHEM Ephrata. Qualiter ibi nasciturus Christus prænuntietur, 495D, 557D'. — Quo pacto de hac civitate concordent Michæas et Matthæus, 495C.

BOETIUS (B.), philosophus, citatur, 9C, B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 63, col. 744; tom. 64, col. 714.)

BONAVENTURA (S.), episcopus Albanensis, O. M., allegatur, 160C.

BONUM est objectum appetitus, 484A. — Quo sensu odio habeatur, 483D'.

BOSRA quid significet, 372C.

BOTRUS. Quo sensu « botri » vocentur Apostoli, 289A. Botros Ecclesiæ spiritualiter protulit Christus, 289B.

BRACHIA. Per illa intelligi possunt potentiæ operativæ, 262B.

BRUCHUS quid sit, 328C, 531B', et quid designet, 412B.

BRUTA nonnunquam propter hominum peccata cæduntur, 573B', 685B'.

BUBALI moraliter sunt crudeles homines, 410D'.

C

CADAVERA dicuntur corpora vitiosorum, quare, 532D'.

CADUCA bona appetitum rationalis creaturæ satiare nequeunt, 552B.

CÆSAR (Julius) imperium usurpavit, 675C.

CAIPHAS, etsi de Christo vaticinatus, non fuit propheta, quare, 137A'.

CALCATOR uvæ, mystice quisnam sit, 424D.

CAMBYSES filius Cyri (Assuerus libri Esdræ), templum reædificari prohibuit, 641C'. Putatur a quibusdam fuisse Nabuchodonosor de quo in Judith, 116B. — *Cf.* Persarum reges.

CAMELUS designat delictis gravatos, 685C'.

CANDELABRUM aureum allegorice est Ecclesia, 637B. — Tria Ecclesiæ candelabra quænam sint, 200A.

CANTICUM trium puerorum in fornace, quomodo interpretandum, 45B et seq., et qua mente pronuntiandum, 61B. — Canticum Habacuc, quod de Christo ejusque mysteriis tractat, 566B, explanatur, 556A' et seq., 564D et seq.

CAPTIVITAS Judæorum in Babylone prænuntiatur, 491B'. — Illam aliqui justi evaserunt, 583D. — Finis ejusdem qualiter prædictus sit, 509D, 584A, et quid figuraverit, 585C.

CAPUT. Per illud ratio designatur, 419A. — Mystice, quomodo illi inferatur calvitium, 419A. — Solebant veteres in luctu capita radere, 418A.

CARCER. Frequenter e carceribus miraculose fideles erepti sunt, 597D.

CARIOTH, urbs pertinens ad provinciam Moab, 375A', interpretatur civitas, 379C.

CARITAS, per ignem designata, 53B', est animæ vita, 655B; timorem filialem generat, non expellit, 709D'; omnia ambit, atque ad hostes extenditur, 334A. Illius fervor, cui præmium essentiale correspondet, 160A', veniales culpas consumit, 712D'. — Qui non est in caritate, non est particeps meritorum Ecclesiæ, 279B, nihilque facit Deo acceptum, 279D', 484B'. Qui contra illam agit, qualiter habitus virtuosos amittat, 441A. — Ordo illius qualis sit, 570A', 647C'. Homo non debet adeo aliis compati ut caritate velit privari, 480D'. — Quo sensu aliquis in caritate se esse noverit, 352A, 711D. — *Cf.* Amor.

CARMELUS. Sic duo montes dicuntur, 368D', 420C. — Fecundus et pulcherrimus, 518C', interpretatur scientia circumcisionis, 522B. — Vertex Carmeli mystice quid sit, 373B'.

CARO quid significet, 353A, 484D. — Sileat omnis caro a facie Domini, quo sensu, 628D. — Carnales qualiter a Deo arguantur, 604D.

CASSANDER, e ducibus Alexandri Magni, neci ejus cooperatus est, 147C.

CASSIODORUS (Aurelius), Vivariensis abbas, citatur, 51C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 70, col. 1043.)

CATARACTÆ quid sint, 708B.

CATHARINA (S.), virgo et martyr, magistros convertit, de quibus miraculum narratur, 66C.

CAUSA. Allegatur liber de Causis (David Judæi, sæc. XI), 79D', 119A. — *Cf.* tom. IV, 684A.

CAUTIO in quo sistat, 9D'.

CEDRUS signat Judæorum sacerdotes, 668D'.

CERETHI dicuntur duces exercitus, quare, 31C'.

CETUS qui Jonam deglutivit, 456C, qualiter a Domino præparatus sit, 456D, et prophetam in aridam evomuerit, 458B. Ejus venter Christi sepulcrum figuravit, 456C. — Cete

quomodo Deum glorificent, 57 C', et quosnam exprimant, 58 A.

CHALANNE civitas, ubi sita, 406 A.

CHALDÆI erant feroces, 539 B', 641 B', et pessimi, 37 D, ita ut per illos diaboli figurentur, 542 D'. — Illorum regnum quam antiquum, 103 B; quare per leænam designetur, 102 D'. — Qualiter contra gentes suscitandi prænuntientur, 539 A'. — Chaldæis subjiciebantur Assyrii, quum Cyrus Babylonem invasit, 498 A. — Impia voluntate Judæos afflixerunt, 509 A', 538 A, 621 C', quorum urbes combusserunt, 339 A. — Lingua Chaldaica utrum eadem sit ac Syra vel Hebræa, 10 B'. Chaldæorum quales fuerint litteræ, 10 A', aut doctrinæ, 12 D. — « Chaldæi » specialiter vocabantur astronomi, seu mathematici, 17 D, ex quibus tres nativitatem Christi intellexerunt, 17 B'. — Allegatur Scripturæ translatio Chaldaica, 232 D', 320 A', 632 B', etc. — *Cf.* Babylon.

CHANAAN interpretatur quasi moventes, 308 A, aut commotio, 580 D, 587 B'. — Quare sic appelletur plebs decem tribuum, 304 B. — Quosnam designet, 308 A, 580 C, 587 B'. — Aliquando mercatorem significat, 304 D.

CHERUBIM, super quos sedet Deus, 48 A, illum non audent adspicere, 48 C. — Tanquam duo Cherubim vetus ac novum Testamentum in Christum respiciunt, 624 A'.

CHORUS. In illo quam concorditer psallendum, 45 B.

CHRISTIANUS. Quomodo stultus sit qui fide, non caritate et opere, christianus est, 280 D. Quisnam Christianus flere debeat, 336 B. — Christi vestigia sequuntur veraciter christiani, 300 B. — Quo sensu omnes Christiani ungantur, 227 A'. — Quam gravia illorum peccata, 226 A, propter quæ hostibus data est Terra sancta, 270 D', cum multis ipsorum possessionibus, 597 D'. — Quorumnam Christianorum solennitates despiciat Deus, 405 B'. Quinam in populo christiano fornicari dicantur, 210 C, vel filii fornicationum vocentur, 226 C; quinam verbum Dei audire non mereantur, 419 A'. Mali Christiani, quorum reprobantur opera, 240 C', 270 B', 278 C, quænam habeant idola, 379 B', et qualiter puniantur, 281 B', 299 C', 386 C'. Illis melius esset viam justitiæ ignorasse, quam agnitam abjecisse, 299 D', 379 B'; sed multi Christiani vix credunt vera esse quæ de judicio Dei prænuntiantur, 425 B'. — Impii Christiani quomodo bonos persequantur, 442 A. Increpantur impœnitentes Christiani, 597 A', et ad conversionem invitantur, 711 C'. — Reprehenduntur Christiani qui ecclesias reparare vel ædificare non enituntur, 604 B', vel qui interna negligentes, exteriora nimis æstimant, 648 D'. — Religio christiana in omnem terram exivit, 409 D, et vix est Christianus adeo pravus quin in aliquo sequatur ritum Ecclesiæ, 506 A. — *Cf.* Ecclesia.

CHRISTUS, verus Deus et homo, 649 B', 652 B', est Sanctus Sanctorum, 133 A, Rex regum et Dominus dominantium, 29 A, Dominus universæ creaturæ, 659 C', 705 C, splendor Patris, 558 A', Oriens, 632 B, Sol sapientiæ atque justitiæ, 418 D', 568 C', 709 D', 712 C', Salvator, 659 A', pax, 497 A, Angelus magni consilii, 624 D', 696 A, et testamenti, 705 D; rex Israel, 298 A, 559 A, vel Judæorum, 232 D', et verissimus Israelita, 289 B, 496 B, Dominus Prophetarum, 308 D'. — Quo sensu dicatur servus Dei, 611 C, consiliarius, 493 D, nutricius noster, 299 B, leo rugiens, 296 D', 300 C, 360 A, 368 B, lignum vitæ, 351 A, vitis vera, 655 D, ventus urens, 313 A', lapis angularis, 554 A, 632 C, seu primarius, 635 B', 638 A. — Designatur per montem, 29 A, 488 D, 605 A, per lampadem super caput candelabri aurei, 637 C, per virum ascendentem super equum rufum, 624 D, per illum qui habebat in manu funiculum mensorum, 629 C', per lapidem de monte abscissum sine manibus, 28 A'. — Præfiguratus est per Isaac, 305 D, Jacob, 308 B', Joseph, 659 B', David, 305 D, Salomonem, 293 D', Jeremiam, 305 D, Jonam, 454 C et seq., 462 A, Zorobabel, Jesum filium Josedec, 603 D', 637 C', et per ipsum populum V. T., 293 D'. Ad litteram appellatur David, 232 C', 422 D', 610 B', et Zorobabel, 610 A', 611 A, filius Salathiel, quo sensu, 611 B.

Qualis sit ejus generatio divina, 495 A'. Illum Pater quantum diligat, 298 B, et quomodo ipse Patri adhæreat, 680 A'. — Humanitas ejus assumpta a Verbo in unitate personæ, 611 A, quam perfecta, 611 D, 659 D, in omni virtute, 496 D, et in donis Spiritus Sancti, 632 A'. — Incarnatio ejus est opus Dei præcipuum, 556 D', et a nobis comprehendi nequit, 705 D'. — Corpus ejus, in utero Virginis supernaturaliter formatum, 632 C', qualiter vehiculum deitatis, 455 D, seu Verbi instrumentum fuerit, 455 C. — Quanta ejus

potestas, 110B', 111A, 180B, 491C, et scientia, 248C. — Quotuplex ejus adventus, 711B, et egressus, 252B', 256C. — Ejus mysteria ex prophetiis probantur, 101C, nam de illis principaliter locuti sunt omnes Prophetæ, 305B, quorum varia vaticinia referuntur, 9B', 10A, 287B', 357D, etc. — Qualiter prænuntietur primus ejus adventus, 545A, 562D, 595D, 622C, etc., et quo sensu Desideratus cunctis gentibus, 607B', 608A, a principio mundi exspectatus, 705D, Sanctus de monte Pharan, 557B', quasi ros in Virginem venerit, 321A, quasi diluculum apparuerit, 252C', 256C, quasi imber nobis temporaneus, 252D', 256D, et serotinus terræ, 253A, 256D. — Illo adveniente, ut prædictum fuerat, in toto mundo pax fuit, 222B', 489C, 660C, et tempus ejus est per antonomasiam tempus gratiæ, 675C. — Qua ratione ductus, in terram descendere voluerit, 456A, ad Judæos specialiter missus, 510B', ad gentes tamen etiam legatus, quo sensu, 431B', 438D', utriusque populi pastor, 496B', 510B'. — Quomodo illum respiciant vetus ac novum Testamentum, 624A'.

Sub Augusto natus, 675C, in Bethlehem, ut prædictum fuerat, 495D, inter bovem et asinum positus est in præsepio, 565D, et per stellam Magis innotuit, 17B'. — Quo sensu in templum venerit, 491C, 705A'. — Reditus ejus ex Ægypto qualiter in Osee prænuntietur, 293D, 294A. — In baptismo suo dux populi ostensus est, quo sensu, 133D. — Doctor justitiæ, 351C, in omnibus paupertatem et humilitatem commendavit, 135D', 263B', 659C'. Ejus doctrina quam perfecta, 199B. Prædicans, quo sensu fuerit quasi ignis conflans, 706B, et quasi herba fullonum, 706C. Qualiter Judæos corripuerit, 707B, in primo suo adventu judicium exercens non remunerationis aut damnationis sed discretionis, 489B, et increpationis, 489C. Ad illum multi Judæi per Joannis Baptistæ prædicationem conversi sunt, 251C. — Quænam prodigia in cœlo et in terra illum illustraverint, 354B. Quot et quanta fecerit miracula, 209A, 251B', 354B', 488A, 511A, per se et per discipulos suos, 134D. — Quid designent tres mortui ab illo suscitati, 373C'. — Jacobum et Joannem quare filios tonitrui nominaverit, 270C. — Tota ejus conversatio quasi in abundantia tribulationum fuit, 458B'. Illum Judæi persecutores quanto odio habuerint, 404C. — Prænuntiatur ejus triumphus in die Palmarum, 659D', in quo successive super asinam et super ejus pullum sedit, 660A, quare, 660B. — In Cœna novissima finem imposuit hostiis legis, 134A'. — Prædictum est qualiter pateretur, 680C, et quo tempore, 132A', 133C', 134B'; quomodo pro triginta argenteis venderetur, 671C, a discipulis relinqueretur, 680B'. — Instante passione, pro corporis sui glorificatione rogavit, 125A. In passione ipsa, in qua nunquam a laude divina cessavit, quo sensu, 459B', qualis fuerit ejus oratio et qualiter prænuntiata, 458D et seq. — Quomodo percussus in nocte, 495A, et quo sensu in cruce a Deo derelictus fuerit, 458D'. Qua ratione tunc sol obscuratus sit, 354C. De latere Christi jam mortui supernaturaliter sanguis cum aqua emanavit, 354B'. — Sepultura ejus qualiter præfigurata fuerit, 456C, 458C. — Sanguinem suum pro mundo fundens, 354B', quomodo peccatum consumpserit, 132A', sive originale, sive actuale, 320C', 595A', pro hominibus satisfecerit, 659D, illosque omnes redemerit, 263A, 312A', 659B', 665A. Quid sibi passione sua promeruerit, 211A. — Mors mortis, 312D, et morsus inferni, 312B', infernum spoliavit, 205B, diabolum vicit, 524B', 559D, 567A', cujus machinationes aperuit, 562B'.

Resurrectio ejus qualiter prænuntiata, 591D', est causa exemplaris resurrectionis nostræ, 252A. Ut Deus se ipsum suscitavit, 633C'. Qualiter sanctos patres de limbo eduxerit, 660B'. In monte Thabor, in quo transfiguratus fuerat, post resurrectionem apparuit, 244A. — In ascensione quomodo ad dexteram Patris venerit, 109D'. — Loca in quibus conversatus est invisere consueverunt Christiani, 488C. — Quo sensu qui illum occiderant, ad ipsum adspexerint, 675D, illumque planxerint, 675A', 676B', 678B'. Quadraginta circiter annis post ejus passionem, dispersi sunt Judæi, 210D', et in ultionem ejus sanguinis Jerusalem a Romanis eversa est, 134A, 262C'. — Quomodo in illum crediderint gentiles, 462B. — Quale sit ejus regnum, 28A, cujus non erit finis, 111B, et qualiter præfiguratum, 27D'. Solium ejus, quid, 643B, et gloria ejus quomodo prædicta sit, 496C'. Stetit et mensus est terram, quo sensu, 567A'. — Triplex est

ejus sponsa, 222 D'. — Ecclesiam, cujus ipse est radix, 321 C, quomodo sibi copulaverit, 204 D, 210 A, per unionem antea figuratam, 305 C. Eam quo sensu ædificet et perficiat, 638 C, 643 D'. In illa quo pacto Judæos cum gentilibus conjunxerit, 222 A. In ipsa per præsentiam sacramentalem manet, 630 A'. — Per sacramenta suum meritum nobis applicat, 655 D, qui sine ejus sanguinis effusione, Deo placere nequimus, 505 D. In Baptismo et Pœnitentia quanta beneficia largiatur, 504 C'. — Qualiter suos amet, protegat, 630 B', visitet, 256 C, et inhabitet, 596 B, illos in vinculis caritatis trahens, 299 D, et in brachiis suis portans, 299 B. Cornua in manibus ejus, quo sensu, 558 C'. — Nos ad se revocare non cessat, 713 A', quotidie docens, 247 D', 272 B', 488 B'. Est fortissima nostra munitio, 550 B. In schola ejus qualiter conversandum, 386 D. In ejus vulneribus habitare est saluberrimum, 440 C. — Corpus ejus quinam accipiant et non spiritualiter manducent, 393 C. — Qui ejus mandata transgreditur, a dæmone inhabitari meretur, 270 D, in æternum periturus, 28 C'. — Secundus ejus adventus, in quo omnia ei plenissime subdentur, 28 D, 110 C, quomodo prædictus sit, 105 B' et seq. Qualiter judex futurus sit secundum naturam assumptam, 105 D', 240 C, et in forma humana, 109 B'. Quomodo tunc venturus sit, 110 A, apparens in aere supra montem Oliveti, 356 D', 368 B, comitante omnium Beatorum agmine, 683 D. Testis velox, quo sensu, 706 D', scrutabitur Jerusalem in lucernis, 580 B'.

CHRONICA Martini Poloni, Ord. Præd. (de VII ætatibus mundi) quid narret de Babylone a Cyro capta, 91 B'.

CHRYSOLITHUS quid sit, 139 C, et quid designet, 139 D, A'.

CHRYSOSTOMUS (S.), Constantinopolitanus episcopus, citatur, 66 A, 414 B.

CIBUS quomodo proficiat, 10 C', vel noceat, 10 D'.

CIDARIS dignitatem Ordinis sacerdotalis significat, 634 A'.

CIRCUMCISIO spiritualis quid sit, 341 D.

CIVITAS sanguinum vocatur Ninive, quare, 529 C, et congregatio reproborum, 532 A'. — Civitatem in sanguinibus quinam ædificent, 554 A.

CLAUSTRALES qualiter a diabolo impugnentur, 543 B'. — Quisnam in claustro degens pejor fiat sæcularibus, 307 A', 336 B. — *Cf.* Religiosi.

CLEOPATRA, filia Antiochi Magni, 150 D', cur in uxorem Ptolemæo Epiphani data sit, 151 A.

CLYPEUS fortium ignitus, mystice quid sit, 527 A'.

COELUM quid sit, 21 D'. — Quo sensu Deus, qui cœlum extendit, 673 C, sit in firmamento cœli, 48 B', et in cœlo empyreo resideat, 47 C. — Cœlestia corpora qualiter in inferiora agant, 51 D', 223 D'. In generali resurrectione cessabit motus cœli, 683 C'. — Qua ratione cœli Domino benedicant, 50 B', et quosnam designent, 224 B, 558 C, 567 A, 605 D', etc. Quo sensu cœli moti sint, 340 A, et luminaria cœli immutata, quum Judæi tribularentur, 340 C, 348 A'. — Omnes cœlestis curiæ cives sunt vere reges, 114 A. — Reprobatur hæresis ponentium ruinam esse in cœlo, 112 A, 161 A.

COENACULUM, in quo facta est novissima Cœna, 353 C, situm erat in monte Sion, 355 D'.

COETUS. Festum sic dictum quando celebratum sit, 218 B', et quid significaverit, 218 C'.

COGITATIO, antequam in opus procedat, potest esse peccatum, 648 A, et a Deo puniri, 237 C. — Væ qui cogitatis inutile, quo sensu, 478 A, 482 A'.

COLLES mystice sunt minores in Ecclesia, 56 C. — Colles fluent lacte, quo sensu, 360 B', 361 C'.

COLLUM. In ejus erectione solet cordis superbia demonstrari, 291 A'.

COLUBER designat Antiochum Judæorum persecutorem, 400 C.

COLUMBA. In illa notantur simplicitas et stoliditas, 261 B, unde mystice in bono vel in malo sensu accipitur, 261 C.

COMMENTATOR Aristotelis (id est Averroes) super Ethicam citatur, 9 A'.

COMMINATIONES in Scriptura frequenter sub conditione intelligendæ sunt, 643 A'.

COMPREHENSORES viatoribus succurrunt ac lucent, 319 A. — *Cf.* Beati.

CONCUPISCENTIA conjuncta terrenis, animæ lutum facit, 552 B'. — Quosnam suo calore lædat, 43 D', quosnam vero illæsos relinquat, 43 A'. — Qualis ignis sit concupiscentia fornicationis, 168 D, et quomodo insaniam pariat, 176 A.

CONFESSIO alia est laudis divinæ, alia propriæ culpæ, 62 C, 125 A. — Qui peccata sua

humiliter confitetur, veniam orando mereatur, 127 A. — In confessione quomodo spiritualiter suscitemur, 256 B. — Utrum communione dignus sit contritus et non confessus, 145 A.

CONFESSORES per equos varios designantur, 624 B'.

CONFLAGRATIO ultima. *Vide* Ignis.

CONFLATILE, an et quomodo a sculptili differat, 548 C'. — Quid designet, 315 A.

CONFUSIO quotuplex sit, 41 C, 125 B', 215 B, 664 D. — Qualiter sancti a malis confundantur, 41 A'.

CONSCIENTIA bona parit securitatem, 172 D, et fiduciam, 173 A. — Libri conscientiarum in judicio finali aperientur, quare, 108 D, 639 D.

CONSILIARIUS quisnam vocetur, 491 A', 493 D.

CONSILIUM sapientium, præsertim in arduis, quærendum est, 76 B'. — Consilium mulieris prudentis non est parvi pendendum, 88 C.

CONSOLATIO divina quomodo afflictos reficiat, 351 A', et quid agendum quando subtrahitur, 54 A'.

CONSTANTINUS Magnus. Usque ad ejus tempus Roma coluit idola, 490 A. — Ab ejus conversione qualis pax Ecclesiæ facta sit, 222 A'. — Constantinopolitanum imperium quomodo figuratum in somnio Nabuchodonosor, 27 B.

CONSUMMATIO alia erit perfectiva, alia consumptiva, 522 B'.

CONTEMPLATIO. Illi favet solitudo, 228 D'. — Quænam sint contemplanda, 289 B'. — Contemplativi, designati per Israel, 527 D, 625 D', per cœlos, 567 A, 655 A', et per volucres, 58 C, quomodo a Christo illuminentur, 712 C', et quando angelorum visitatione indigeant, 637 B. — In mentibus eorum ambulat Deus, quo sensu, 394 C'.

CONTEMPTORES quinam dicantur, et quo sensu a Deo respiciantur, 542 D.

CONTRITIO in quo sistat, 40 D, et qualiter per illam iniquitas auferatur, 511 D'. — Contritionem præcedit attritio, 256 B. — Contritio qualis, etiam quoad pœnam, peccati remissionem obtineat, 77 A. — Contritus et non confessus, an sit communione dignus, 145 A.

CONTURBATIO quænam sit bona, 347 C.

CONVERSIO ad Deum quomodo fiat, 316 D et seq., 341 B, 351 C', etc. — Qualiter nos hortetur Deus ut ad ipsum convertamur, 623 C'. — In principio conversionis solet esse specialis fervor devotionis, 229 A'. — Quo sensu convertantur qui jam in gratia Dei sunt, 618 C'.

COR aliquando pro anima vel pro superiori animæ parte sumitur, 341 B. — Qualiter Deus ex toto corde sequendus sit, 41 C'. — Commendatur cordis custodia, 549 C, et puritas, 549 C'. — Scindenda corda, non vestimenta, quo sensu, 341 D, 349 A'.

CORNUA mystice sunt reges, quare, 105 A, 408 A'. — Quo sensu sint cornua in manibus Christi, 558 C', vel Dei, 567 C. — Per quatuor cornua quænam regna, 622 D, vel quinam nostræ salutis hostes designentur, 625 D'. — In V. L. cornua altaris sacrificiorum sanguine replebantur, 661 D'.

CORONÆ quæ ponuntur in capite Jesu, quid significent, 645 D.

CORRECTIO fraterna quando non sit obligatoria, 235 B'.

CORUS continet triginta modios, 231 B'.

CREATURA omnis ex se nihil est, 79 A, et Creatori ad nutum obedit, 100 B'. Quid sit ejus potentia obedientialis, 44 C', 420 A'. — Absolute loquendo, non est in creaturis aliquid actualiter infinitum, 208 C. — In creaturarum venustate Creatoris excellentia conspicitur, 167 B. Quomodo omnis creatura laudet Dominum, 49 B. Quo sensu creaturæ servituti indebitæ subdantur, 217 A. — Creatura rationalis delectari debet in solo Deo, 665 A, qui habet de ea specialem curam, 538 D'. Quanta calamitas ejus quæ Creatorem relinquit, 90 D. Creaturæ rationales dupliciter Dominum benedicunt, quo sensu, 59 C, et invitare possunt ad Dei præconia creaturas inanimatas, 55 B, quæ Deum et ipsæ laudant, quo sensu, 561 D.

CULMUS quid sit, 268 D, et quid significet, 268 A'.

CULPA. Pœna non est quid simpliciter malum, sed culpa, 171 B. — Non res ipsa, sed affectus in culpa est, 587 B'. — Qui in gravioribus culpis sunt, utrum valeant judicare minus culpabiles, 477 D. — *Cf.* Peccatum, Pœna.

CURIALES quomodo cauti esse debeant, 10 A.

CURIOSITAS quid sit, 97 A'.

CUTIS quas virtutes designet, 484 C.

CYPRIANUS (S.), Carthaginiensis episcopus et martyr, idola coluerat et rhetoricam legerat, 462 C.

CYRENEN civitas, ubi sita, 370 C', 421 C'. — Huc a rege Assyriorum translatus est popu-

lus Syriæ, 370 D', prout prædictum fuerat, 370 C'.

CYRUS, rex Persarum, de semine Astyagis, 177 D', nepos Darii, 137 A, quando Medis imperaverit, 115 D', 137 A. — Christus Dei dicitur, quo sensu, 562 D, 564 B. A Deo regnum accepit, quare, 23 A, et qualiter præfiguratum, 26 B'. — Quomodo Babylonem ceperit, 91 B'. — Judæis, quibus pius fuit, 115 D', dedit licentiam redeundi ad propria, 138 B, 481 A', et reparandi templum, 601 B'. — Per equos albos signatur, quare, 103 C'. — Quid de illo prædixerit Isaias, 132 C, 137 B.

D

DÆMON vel diabolus, dicitur spiritus fornicationis, 238 B, 244 B', solium iniquitatis, 409 B', fons peccati, 313 B', devorans, 712 B. Designatur per Assur, 299 B', 514 B, 668 A', et regem ultorem, 290 B', per furem, 264 C, per aquilam, 270 C, et volucres, 58 C, per montem magnum, 635 B', 637 D'. — In naturalibus quam excellens, 380 B'. — Dæmones qualiter a Platonicis descripti, 19 C'. Utrum fuerint in gratia gratum faciente creati, 230 C', et quare damnati, 456 A. Salutem nostram impedire conantes, 79 B', 265 D', de animarum ruina maxime gaudent, 569 B'. Dominum quandoque, quamvis invite, verbis laudant, 49 C. Utrum per quatuor ventos cœli denotentur, 102 A. Per illorum equos intelliguntur perversi, 677 D. Tabernacula ipsorum quinam efficiantur, 543 B, 560 C. Per statuas idolorum loquebantur, 663 A. — Dæmon qualiter homines impugnet, 497 B, 514 B, et ab omni bono avertere satagat, 441 C, aliquando mala sub specie boni proponens, 527 B, non tamen nocens quantum cupit, 441 B, nec animam ipsam intrare valens, 497 B', sed perversos sibi alligans, quo sensu, 240 B. Quomodo vastet congregationes Christianorum rebellium, 299 C'. Quo sensu sagenam suam expandat, 544 A'. Quid sit ejus fœtor vel putredo, 350 C'. Quid sit cibus ejus electus, 544 A, et qualiter claustrales persequatur, 543 B'; qui innumerabiles animas suo subdit dominio, 543 A', sed sub pedibus devotorum conteritur, 712 B. Quo sensu expellatur in terram inviam et desertam, 350 B'. Utrum semel ab aliquo victus, eumdem amplius non tentet, 524 C'. Quomodo a Christo prostratus sit, 380 D', 524 B'. — Antichristo viam præparabit, discissionem in Ecclesia procurando, 529 A.

DAMASCENUS (S.) citatur, 52 B, 62 A'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 94-96.)

DAMASCUS, metropolis Syriæ, 369 A, 402 A, 658 A, cujus nomen interpretatur bibens sanguinem, quosnam designet, 374 A. — Ejus devastatio prædicitur, 370 C'.

DAMNATI citra condignum puniuntur, 62 D, sed illorum supplicia nunquam cessabunt, 557 D. — Unusquisque damnatur quum mensuram suæ pravitatis impleverit, 359 B'. *Cf.* Reprobi.

DAN civitas, ubi sita, 473 A. — Ibi fuit unus vitulorum aureorum, 473 C.

DANIEL, « vates præinclytus », 3, de quo semine natus, 5, 174 D, quare vocatus Balthasar, 11 B', 70 D, filius hominis, 120 D', et vir desideriorum, 129 C', 141 D; quo sensu fuerit eunuchus, 11 A. — Quanta ejus fides, 13 C, 99 B', humilitas, prudentia, 25 C', castitas, 5, 174 D, sapientia, 14 C, constantia, 96 C', caritas, 21 A', 24 B, perfectio, 94 D, 95 A. — Quare de virtutibus suis scripserit, 95 B. — Quo sensu Deus specialiter Deus Danielis dicatur, 179 D', 185 B. Spiritu Sancto in ipso loquente, 24 B', de Christo ceteris apertius prophetavit, 5, ita ut non tam propheta quam historiographus fuerit, 120 A. Qualis illi data sit intelligentia visionum et somniorum, 13 D'. Diversarum ejus revelationum modus expenditur, 21 B'. — Tempore ejus quo sensu non fuerit Propheta, 40 A. — Inter eos qui Hagiographa conscripserunt computatur, 3. Ejus liber, qui decem visiones continet, 15 D, qua lingua scriptus sit, 18 A, et quomodo dividendus, 4. Qualiter in illo mutetur historiæ ordo, 83 A, 94 B, 101 A. Quartum ejus capitulum utrum sit regis epistola, 69 A. Duo ultima hujus capitula de Theodotionis translatione accepta sunt, 165 B. — Quid contra Danielem scripserit Porphyrius, a quibus confutatus, 3.

Quanta fiducia regem Nabuchodonosor iratum accesserit, 20 C', et qualiter, post somnii interpretationem, Deo gratias egerit, 22 A et seq. Quanta dignitate postea fuerit insignitus, 30 C, 70 C, 71 B, et cur tres socios potestatis suæ participes esse voluerit, 30 A'. — Quid egerit quum Nabuchodonosor præcepit statuam suam adorari, 68 A'. — Antequam interpretaretur somnium de arbore,

quare quasi una hora cogitaverit, 72B, et turbatus sit, 72A'. Cur pœnam regi infligendam optaverit ad ejus hostes transferri, 72D'. Nabuchodonosor ab illo ad pœnitentiam provocatus est, 369B'. — Qualiter commentatus sit scripturam quam vidit Balthasar, 90A'.

Qualiter illum honoraverit Darius rex, 93D, 94B', et quare, 93D'. Quanta invidia et calliditate contra ipsum egerint satrapæ, 95D, 96A. Ab ore leonum liberatus, Christum de morte surgentem figurat, 94D. — Cur ægrotaverit, 122D'. Qualiter oraverit, 21B, 124A', 125A, 128C', quam excellenter, 124A', 126A, 127D', 128A', quibus temporibus, 96C', et quare pro liberatione jam a Deo promissa, 124C'. — Trium hebdomadarum diebus luxit, quando, quo sensu, 137C', et qua de causa, 137D'. — Qualem visionem juxta fluvium Tigrim habuerit, 138D', solus tunc angelum videns, 140C. — Quomodo Dominus suscitaverit ejus spiritum, 174A, ad liberandam Susannam, 174C. Quo zelo Judæos tunc increpaverit, 174A', et qualiter duos senes impudicos judicaverit, 175B et seq. — Sub quo rege Beli sacerdotes confuderit, 178A, illorum mendacium patefaciens, 181A. — Draconem qualem, 182B, et qualiter interfecerit, 182C'. Deinde in lacu leonum sex diebus inclusus, 183C', quo miraculo a propheta Habacuc prandium acceperit, 184B'. Quomodo, illum reperiens intactum, rex Deum laudaverit, 185B, et inimicos ejus peremerit, 185C. — Utrum Daniel de Babylone venerit in Jerusalem, 643A'.

DARIUS Medus (Ugbaru vel Cyaxarus II), filius Astyagis, 92C', 93B, 115C', 124A, et Cyri avunculus, quo sensu in regnum Balthasar successerit, 92B'. Quibusnam imperaverit, 115C', 124A. — Judæis non molestus sed potius pius, 115D', qualiter Danielem honoraverit, 93D, 94B', et quare, 93D'. Illum in Mediam duxit, 93C', 100C'. Quam invitus eumdem in lacum leonum mitti jusserit, 98C, quomodo de liberatione ejus confidens, 98D, 99A. Quali epistola Deum Danielis glorificaverit, 100B.

DARIUS I, filius Hystaspis, rex Persarum, fuit pater Xerxis, 146C. — Illo regnante prophetaverunt Aggæus, 601A, ac Zacharias, 617A, et Zorobabel licentiam perficiendi templum obtinuit, 601B'.

DARIUS III (Codomanus), ultimus Persarum rex, potentissimus fuit, 116C. Illi solvit tributum Philippus, rex Macedoniæ, 116B'. — Quare ab Alexandro Magno impugnatus, 117A, quomodo devictus, 117B, et interfectus, 117C.

DAVID, de quo scripserunt etiam gentiles historiographi, 9A, quomodo figuraverit Christum, 305D, qui verus David dicitur, quo sensu, 232C', et frequenter ad litteram « David » appellatur, 422D', 610B'. — Ejus tempore magna fuit in Synagoga devotio, 664B'. — Illi sub tributo servivit Idumæa, 302B', et cum illo pactum fraternitatis fecit Hiram, rex Tyri, 371B'. De persecutione quam ab Absalone passus est tractat Ps. III, 377C'. — Quid intelligatur per familiam ejus, 676A, et quo sensu suscitatum sit tabernaculum ipsius quod cecidit, 422D et seq.

DEAMBULATIO ad quid utilis, 168B.

DECALOGUS in novo Testamento servandus est, 710A'.

DECEM est numerorum terminus, numerusque perfectus, 653A.

DECRETUM (Gratiani) Nabuchodonosor vere pœnituisse asserit (Causa XXIII, quæst. 4, c. 22), 82A'.

DEFUNCTI, quando apparent, frequenter non a cunctis præsentibus conspiciuntur, 86A.

DELECTATIO bona omni actui virtutis dicitur annexa, 625B'. — Delectatio cordis in corpus redundat, 652B.

DESERTUM. Quid designetur per desertum, 315A', 337A', et per speciosa deserti, 350D'. — Torrens deserti, qui significat aquas tribulationis inferni, 411B', quid sit ad litteram, 408C'.

DEUS, trinus in personis, unus in natura, 684B', per ignem designatus, 53B', dicitur Deus vivens, 208B', Vivens in æternum, 162A', fons vitæ, 584A', et omnis benedictionis, 35D, 45A', Deus cœli, 21D', motor primus, 48B', Excelsus, 75D, Antiquus dierum, 106A, solus Dominus, 43A, 397C, 693C', et solus rex, 695C', Dominus Deus exercituum, 303C, 348D', 391C', 618D. — Est essentialiter amor seu caritas, 277B', actus purus, 180B, 707C, ens simpliciter primum, independens et incommutabile, 100C, summum et perfectum bonum, 623D', cujus natura est bonitas, 470A'. — Qualis sit ejus vita, 78D', 100C, 208B'. — Solus absolute æternus, 78D', 162A', est in omni-

bus per essentiam, præsentiam atque potentiam, 237B', omnia ambiens, implens, penetrans, 237A', et infinite excedens, 511C', ita ut comparatione illius, universa creata nullius sint momenti, 79A. — Lux, pulchritudo, claritas immensa, 23B', summus finis noster, 317A, est omnium prima regula, 79D', cuncta sapienter et juste agens, 81A, tanquam increata justitia, 396B', nec scientia ejus dependet ex rebus, sed potius est earum causa, 173C'. — Universorum creator, quomodo mutet tempora et ætates, 22A', regna transferat, 22C', omnia finaliter ad suam gloriam referens, 37A. Quo sensu cœlum extendat et terram fundet, 673D, 676D, et vera sint universa ejus opera, 35B', quæ etiam ipsum laudant, 49B. Ejus essentiam significat nomen tetragrammaton, 46B'; alia vero nomina illi imponuntur a divinis operibus, 46C'.

Regnum ejus quomodo sempiternum sit, 68C, 100D. — Quotuplex sit ejus desponsatio cum creaturis, 229C', et quo sensu diligat omne creatum, 231A, 582C, speciali modo curam habens rationalium creaturarum, 538D'. Quosnam singulari providentia dirigat, 45C', et quænam sint quotidiana ejus mirabilia, 351C'. — Illius est præscientia futurorum, 19D', qui omnia in se conspicit, 173C', qui revelat mysteria, 24D', et cujus providentia ex prophetiis innotescit, 101C. — Cum tranquillitate omnia agens, 296A', voluntate beneplaciti rebelles voluntates qualiter inclinet, 79B', superbos humilians, 81A, cujus voluntas consequens semper impletur, 257D, ita ut nullus illi valeat resistere, 217C. — Ipsi soli competit agere miracula proprie dicta, 67B. — Quanta ejus magnitudo, 29D, gloria, 46B, 558B, sapientia, fortitudo, 22B, 518A, sanctitas, 61B. — Ubi et quo sensu habitare dicatur, 24D', 110B, 421B, etc., etsi nusquam sit per inclusionem vel circumscriptionem, 555C'. Quomodo super Cherubim sedeat, 48A, et quasnam abyssos intueatur, 47D'. — Interdum loquitur more humano, 286B, 296B, 407C, etc., et passiones virtutesque morales illi tribuuntur, qua ratione, 42B, 517B'. Quo sensu per modum pœnitentis se habeat, 296B, et dicatur oblivisci vel recordari, 206C', irasci, 557D, 582D', 618B, audire, 584C, converti, 295D', 343B, circumdari, 297A', ambulare, 391B', egredi, 470C, 682C. Qualiter juret, 584D, et quare, 388B'. Cur animam et corporis membra habere perhibeatur, 407C. Quid sint ejus facies, 41D', aures et oculi, 127D', capilli, 106D, brachia, 294C, pedes, 518D, 682B', vestimentum, 106B, viæ, 35B', 518B, equi, 567D', quadrigæ, 568A, rotæ, 106D', hasta, 569B, arcus, 568B, sagittæ, 569A, templum, 47A, 470B, 549A', 555B', thronus, 47C, 106B'. — Stetit et mensus est terram, quo sensu, 559A'. Itinera æternitatis ejus, quid, 559D'.

In omni opere ejus misericordia et justitia commiscentur, 206D. — Quanta ejus misericordia, 62D, 341D', 342B, 470A', 624A, quæ in se una, multiplex est in effectu, 42C, 128B. Quanta ejus bonitas, 519D, 627D, et benignitas, 296C, 304C', 318A, 596A', quæ, nomine roris et nubis significata, 253B', erga amatores ipsius specialiter manifestatur, 125C. Quam patiens, 342A, 517C', et clemens, 25A', 463B', 465B, ita ut omni veraciter pœnitenti ignoscat, 126A, ac etiam in inferno citra condignum puniat, 206B', 512D. Mansuetudo quo sensu illi conveniat, 583C. Spontanee nos diligens, 318C, 321A, quantum animarum salutem cupiat, 256B'. Qua ratione amet prædestinatos, 692C, et reprobos, 231B, 692B, quos non scientia approbationis, sed intelligentia visionis novit, 244D. — Quanta ejus justitia, 518B, 552D', 586D', 590D. Aliquid justum est eo quod a Deo præcipitur, 204B'. Quare peccatum permittat, 493B', et malum pœnæ inducat, 383D'. Ejus judicia quid sint, 35C', et quam investigabilia, 538B. Quoniam omnia regit, ejus est mala punire et bona remunerare, 658B. Quo sensu, non cognoscens malos et mala, 398A, 540D', impios et impietatem odio habeat, 277A', 582C, æmulator, 517B, et ulciscens, 517C. — Interdum ad emendationem punit, 296D. In præsenti vita quare pœnas infligat, 277D', 623B', 709A, 712D, qualiter electos purget, 15B, et fideles etiam impiis tradat, 8A, 37D'. An propter peccatum unius alium castiget, 238A'. — Qualiter iniquitatem auferat, 511D', 631A'. — Quomodo ab illo homines judicentur, 639D, et quo sensu ipse cum hominibus et ab hominibus dicatur judicari, 233D'. Nullum bonum irremuneratum deserens, 613C, lætatur in punitione pravorum, 285D', et terribilis est in peccatores ingratos, 125B. Qualiter in finali ju-

dicio futurus sit judex principalis, 105 D', 108 C.

Qua ratione illi debeatur laus, glorificatio, benedictio, 45 C. Eum laudare quantum sit opus, 61 D, ipsique servire cur summa sit libertas, 60 C'. — Illum sanctificare vel polluere, quid sit, 694 B. Redarguuntur qui illum quasi condigne honorare putant, 392 B'. — Quo sensu sit specialiter Deus uniuscujusque illum colentis, 179 D', 208 A, 331 D', præsertim electi, 540 A', vel, econtra, non sit Deus impiorum, 211 C'. — Qualiter quærendus sit, 403 D, et ad eum appropinquemus, 589 D', qui nos hortatur ut ad ipsum convertamur, 623 C'. Quo sensu ad nos convertatur, 624 A, aut revertatur ad eos qui ad ipsum revertuntur, 707 B'. Non corporali sed spirituali relinquitur elongatione, 237 A', et qui ab illo discedunt, nihil nisi miseriam illabuntur, 261 B'. — Semper in illo sperare debemus, 42 A', quia præter illum non est salvator, 310 B'. Quomodo salvos faciat sperantes in se, 177 A, magis affectum pensans quam opus, 290 D'. In auribus ejus sonat non tam clamor oris, quam amor cordis, 541 D'. — In cordibus bonorum per gratiam habitat, 296 B'. Intra humiles sed supra superbos calcat, quo sensu, 475 A, hoc reputans sibi factum quod fit suis fidelibus, 357 B', illosque adspiciens quos mundus despicit, 681 D'. Quos autem amat, zelo paterno arguit, 625 B. Illi ingratum est quidquid obtuleris, neglecto eo ad quod teneris, 609 C'. Ejus præsentia quantum culpæ fugam suadeat, 264 B', et cordis custodiam, 549 D'. — In omnibus illi obediamus, 204 C', et ipse sit nobis causa amandi quidquid præter eum amamus, 578 C', nam qui eum plus diligit, major est in gratia, et major erit in gloria, quo sensu, 160 A'. — Res illi consecratas quam temerarium sit usibus applicare humanis, 85 B'. — Sileat a facie ejus omnis terra, quo sensu, 549 B'. — *Cf.* Christus, Elohim, Infinitum, Trinitas.

Dii quinam a gentilibus ficti sint, 19 B', 29 B', 63 A, etc. — Dii vocantur judices, 46 C', sancti et contemplativi, 62 D'.

DEXTERA Domini sæpe in bono, interdum vero in malo sensu accipitur, 554 D'.

DIABOLUS. *Vide* Dæmon.

DIACONI Levitis succedunt, 60 C'.

DIDYMUS, « vir sui temporis eruditissimus », 200 C, rogante S. Hieronymo, super Osee tres libros dictavit, 200 D. (Migne *Patrol. gr.* tom. 39.)

DIES naturalis ab artificiali distinguitur, 683 C'. Per diem, communiter tempus intelligunt Prophetæ, 235 D', 510 A. Quid signet dies, 54 B', et quomodo in anima fiat dies spiritualis, 251 B. Quid sibi velit illud : « A, a, a, diei », 332 A'. — In die solenni quid agendum, 280 B. — Quid sit dies Domini, 332 B', 337 B, 338 C, etc., et quare dicatur væ illum desiderantibus, 399 C', 405 C. Quomodo diem in noctem mutet Deus, 404 A. — Qualis futurus sit dies æternitatis, 683 B' et seq., in quo nomen Dei unum erit, quo sensu, 684 B'.

DILUVIUM, in quo totus orbis commotus est, seu multipliciter immutatus, 519 A, quid designet, 522 B'.

DIONYSIUS (S.) Areopagita, « princeps theologorum », 348 C', « divinissimus », 354 C, « a Paulo eruditus », 424 A', citatur, 21 B', 51 C', 107 A', etc. — Allegantur ejus libri de Divinis nominibus, 50 B, 52 D, Angelicæ hierarchiæ, 47 B', et Epistola ad S. Polycarpum, 354 C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 3 et 4.)

DIONYSIUS Cartusianus mala Ecclesiæ lamentatur, 347 B, 405 B, 425 C', etc., pravorum sacerdotum vitia deflet, 242 A', 257 B', 265 A, et increpat vanitatem « fractilantium » indumenta, 349 A'. — Quanta ejus humilitas, 123 C', 144 B', et prudentia in scribendo, 155 A, 462 C'. — Quæ in explanandis minoribus Prophetis habuerit auxilia, 200 D.

DISCIPLINA quotuplici sensu accipiatur, 10 B.

DISCIPULI Christi. Prænuntiatur illorum dispersio tempore Passionis, 680 B', et subsequens conversio, 680 D'. — *Cf.* Apostoli.

DISCORDES tanquam filii dæmonis reputabuntur, 645 D'.

DISSIMILITUDO copulatos separat, 713 A'.

DIVINI quinam sint, quare sic vocentur, 485 D, et quosnam significent, 667 A.

DIVITES redarguuntur qui minima Creatori offerunt, 697 C'. — Quinam illorum sint damnandi, 408 D. — Divitiæ terrenæ quare per lutum densum figurentur, 546 D, 552 A'.

DOCTORES pestiferi quantum noceant, 281 C. *Cf.* Prædicatores.

DOCTRINA quid sit, 4.

DOMINUS. Quo sensu hoc nomen soli Deo competat, 397 C. *Vide* Deus.

DOMUS hiemalis et domus æstiva divitum Israel, quales fuerint, 385 C', et quid designent, 387 B'. — Domus eburneæ, quare sic

dictæ, 385D', et quosnam sæculariter adornatos denotent, 387B'. — Domus Dei est congregatio fidelium, vel anima justi, 604B.
DONA spiritualia interdum imperceptibiliter amittuntur, 266A. — Dona Spiritus Sancti, quæ per septem oculos, 632D, per septem lucernas, 637C, et per ligna designantur, 605A, omnibus electis insunt, 160C, et perfectissime fuerunt in anima Christi, 632A'.
DRACO in Babylone servatus, qualis fuerit, 182B, quare adoratus, 182A'; quid referatur de ejus sacerdotibus, 183C, et quali massa a Daniele præparata, 182C', interfectus sit, 183A. — Dracones quum ab elephantis vincuntur, terribili perstrepunt sibilo, 471C'.
DURAN idem est ac Sennaar et Babylon, 8C, 31A'.

E

EBRIETAS, quæ maxime regem dedecet, 84B', aufert cor, quo sensu, 237C'.
ECBATANIS civitas, de qua in Judith, eadem est ac Susis, 115B.
ECCLESIA vocatur Christi terra, 350B, ac vinea, 321B', regnum Dei, 47D, civitas Dei, 553D, civitas veritatis, 653B', mons Dei sanctus, 347A, mons domus Domini, 488A', Israel, 240C, 289A, 595A, Jerusalem, 373A', 625D', 686C, Sion, 347A, 373A', 443C. Per arcam Noe figurata, 305D, designatur per Arcturum, 403C', lunam, 568C', columbam, 261C, ficum, 570B, ovile, 570B', aream, 279A, candelabrum aureum, 637B. — Qualiter Christus, qui est ejus radix, 321C, illam zelatus zelo magno, 653B, ædificet et perficiat, 638C, 643D', per sacramentalem præsentiam in ipsa manens, 630A'. Quinam sint ejus muri, 423B, et lapides vivi, 553D'. Quomodo ejus structura lege, prophetia et Evangelio consummetur, 199A'. De illa sunt moraliter interpretanda quæ de populo V. T. litteraliter dicta sunt, 225B. — Qualiter præfigurata sit unio ejus cum Christo, 305C, cujus uxor facta, 204D, 210A', 222C', et ab ipso fecundata, 210C', 289D, filios gratiæ generat, 210B'. Membris suis profert triticum, 224C, vinum ac oleum, 224D, in nomine Christi mirabilia operans, 209A. Ejus meritorum non sunt participes qui sine caritate vivunt, 279B, et extra illam nullus potest salvari, 386B, 443C, 488B'. — Regnum ejus, quod usque in finem durabit, 28A, 597D', quomodo præfiguratum, 27D'; qualiter illi omnia regna subdita sint, 28C. Aliquando per illam intelligitur universitas fidelium a principio mundi, 422C'. Quo sensu Ecclesia sit lapis oneris cunctis populis, 677C. — Triplex Ecclesiæ militantis status indicatur in aliqua visione S. Francisci, 30C'. Ecclesiæ primitivæ virtutes prænuntiantur, 593D'; in illa multi Judæi fuerunt occulte christiani, 677B'; in ipsa qualiter sancti pugnaverint, 664B, gratia Christi confortati, 664C, contra persecutores, 320D', inter quos Romani atrocissime sævierunt, 104B'; quanta ejusdem fortitudo, 490C', et perfectio, 612B. Ecclesia triplicem persecutionem perpessa, 159B, inde non deficit, sed augetur, 677C. Quomodo perierint ejus inimici, 498C', 677A, et qualem pacem habuerit a tempore Constantini, 222A'. Propter filiorum suorum excessus tribulatur, 514B', sed eam angelorum præsidio circumdat Deus, 657C', qui etiam ecclesiasticam hierarchiam per angelicam voluit edoceri, 129C'. Frequenter ejus status per quosdam sanctissimos patres reformatus est, 625D; quomodo ad reformationem provocanda, 225B', et oratione adjuvanda, 654C', ne ponatur quasi solitudo, quo sensu, 226B. — Per discissionem ejus via præparabitur Antichristo, 529A, quo regnante, quasi in solitudinem Ecclesia redigetur, 588C', sed finaliter et cito prævalebit, 677C. — In die æternitatis perfectissime Christo subjicietur, 684A'. Ecclesia triumphans, per Jerusalem designata, describitur, 360C. — *Cf.* Christus.
Increpantur qui ecclesias reparare vel ædificare non enituntur, 604B', et qui eas non ex devotione visitant, 392D, 578C, vel ibi se irreligiose habent, 703D'.
ECCLESIASTICI, de Christi patrimonio viventes, ad quid teneantur, 15B', 698A. — *Cf.* Sacerdos.
EDOM interpretatur rubens vel sanguineus, 374A', 431C, 438D'; quid significet, juxta Judæorum doctores, 437D'. — Sic vocatur Esau, 371D'. — Per punitionem Edom quid figuretur, 374A'.
ELAM quandoque regionis, quandoque civitatis nomen est, 115A. — Elamitarum metropolis fuit Susis, 115B.
ELECTI, Ecclesiæ lapides vivi, 553D', quo sensu dicantur populus Dei, 681B', equi Dei, 569C', et vasa desiderabilia, 313C'. Per la-

pillum designantur, 425 A'. — Qualiter illos Deus protegat, 678 A, ornet, 613 C', probet, 163 A', 425 C, 538 C, etc., per pœnas visitet, 239 B, 499 D, 512 B, vel per consolationes, 566 B', 588 A, 625 C; per reprobos, sicut per virgam corrigat, 492 A, 534 A', et per persecutores purget, 625 B. — Quo sensu omnes docti sint, 160 B. A mundo et dæmone indesinenter tentati, 335 C', ex consideratione punitionis pravorum meliores fiunt, 563 D'. Quomodo tribulationes eis prosint, 15 B, 33 D', 154 A', 163 D, etc. Ipsis dona naturæ sunt instrumenta virtutum, 166 B'. Quo sensu illorum corda Christus inhabitet, 596 B, et Deus ipsorum vitam scrutetur in lucernis, 580 C'. Inter illos multi fuerunt opulenti, 408 D'. — Qui ab Antichristo decipientur, per Eliæ et Enoch prædicationem convertentur, 112 A'. In die judicii vindicabuntur, 356 D' et seq., impios calcabunt, 710 C, cum Christo judicantes, 534 A'. Quales tunc pennas habituri sint, 710 B; quid peracto judicio cantaturi, 312 C'. Beatifica visione in bono confirmantur, 160 D'. — *Cf.* Beati, Comprehensores.

ELEEMOSYNA. Quinam sint ejus effectus, 76 C'.

ELIAS. Per tres panes illi appositos quid significetur, 200 A. — Simul cum Enoch in paradiso terrestri vivit, 710 B'. — Per ejus prædicationem convertentur Judæi, 135 C, 207 A, 625 C', 705 C', et electi ab Antichristo decepti, 112 A'. Convertet corda patrum ad filios, et corda filiorum ad patres, quo sensu, 496 C, 710 C'.

ELIMÆI. Ab illis Antiochus Magnus cum exercitu suo deletus est, 151 D.

ELOHIM. Illud nomen Dei unde veniat, et quomodo aliis communicetur, 46 C'. — *Cf.* Deus.

EMATH interpretatur murus seu murata, 411 B', quid designet, 411 B'. — Emath magna nunc Antiochia vocatur, 406 A, 408 C', 656 C'. — Emath minor ubi sita, 406 A, et quid ibi egerit Nabuchodonosor, 406 B.

ENOCH simul cum Elia in paradiso terrestri vivit, 710 B'. — Per ejus prædicationem convertentur electi ab Antichristo decepti, 112 A'.

EPHI quid sit, 179 C.

EPHOD, qualis fuerit vestis, 232 D. Significat vestes sacerdotales seu vestem innocentiæ, 233 B'.

EPHRAIM interpretatur augmentum, 248 B, 290 C', 306 D, aut ubertas, 668 A. — Cur hoc nomine vocetur populus decem tribuum, 239 D', 661 C, cum ejusdem regibus, 244 C. — Quo sensu calumniam passus sit, 246 A, et factus subcinericius panis, 260 D, 265 C', vel instar columbæ seductæ, cor non habentis, 261 A, 266 A'. — Qualiter Deus, qui ejus quasi nutricius fuerat, 294 B, ipsi quasi tinea, 246 C, 249 A', leæna aut panther effectus sit, 246 D'. — Quosnam exprimat, 290 C', 306 D, 443 B', 661 C.

EPIPHANIUS (S.), Salaminius episcopus, citatur, 5, 80 C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 41-43.)

EQUI Dei sunt animæ sanctæ vel prædicatores, 567 D', 569 C', equi dæmonum, perversi, 677 D, equi hæreticorum, qui illis consentiunt, 677 A'. Per equos quinam adhuc denotentur, 410 D', 411 A, 499 C, 685 C', etc. Equus rufus ultionem Dei signat, 619 D', vel humanitatem Christi, 624 A'. — Per ascensores equorum quinam intelligantur, 664 C, 666 A, 667 D', et quosnam figurent quadrigarum equi rufi, 641 D, nigri, 641 B', albi, 641 C', varii et fortes, 641 D'.

EREMITA quidam a risu abhorrens allegatur, 505 B'. (In Vitis Patrum, Migne *Patrol. lat.* tom. 73, col. 864.)

ERICIUS, animal spinosum ac pungitivum, impatientiam significat, 588 D'.

ERUCA quid sit, 328 C, 390 D, et cur invidiam designet, 394 C.

ERUDITUS quisnam dicatur, 9 B'.

ESAU, aliter dictus Edom, 371 D', 431 C, et Seir, 372 A, 431 A', quem Dei virtute supplantavit Jacob in utero Rebeccæ, 302 B, non vere pœnitens fuit, 692 B'. Quo sensu illum Deus odio habuerit, 692 D. — Ex illo orti sunt Idumæi, 371 D', 692 D'. — Interpretatur quercus, et per eum intelliguntur carnales, 696 D. Quid significet ejus domus, 443 A', et mons, 443 A', 696 A'.

ESDRAS reparavit bibliothecam Judæorum a Chaldæis combustam, 539 A.

EUCHARISTIA, a Christo instituta, 706 B', prænuntiata est, 227 D, 233 B', 695 B. Consecratur in pane triticeo, 321 B', et pluraliter sacramenta vocatur, quare, 706 A'. Per illam Christus in Ecclesia manet, 630 A', ita ut ejus corpus et sanguis sub speciebus panis et vini conficiantur, 350 C. — Sacrificium eucharisticum, omnium legalium sacrificiorum finis et veritas, 134 A', 695 B, ex parte indigne offerentium dicitur Deo non placere, 279 D'; in persecutione Antichristi cessa-

bit publice celebrari, 164 A. — Quomodo in Eucharistia sit Christus, 45 A; qualiter ipsa colenda sit, 579 C, 686 D', et a sacerdotibus tractanda, 702 C'; efficaciam ejus quinam non sortiantur, 605 A'; utrum illam dignus sit recipere contritus et non confessus, 144 D', 145 A. Redarguuntur qui post ejus sumptionem crapulose vivunt, 266 B'.

EUNUCHUS quis dicatur, 8 C', 11 C.

EUPHRATES fluvius quomodo a Cyro divisus sit ut Babylon caperetur, 91 B', 561 B, 563 A.

EUSEBIUS, Cæsariensis episcopus, Porphyrium confutavit, 3, 165 A'. Super Osee aliqua scripsit, 200 C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 19-24.)

EUTRAPELIA. Ad illam pertinens ludus innocentibus competit, 654 B'.

EVA similitudinem Dei inordinate appetiit, 456 A. — Qualiter Ecclesiam præfiguret, 305 C.

EVANGELIUM eloquia legis veteris et Prophetarum consummat, 199 A', 200 A'; ejus doctrina quantæ sit efficaciæ, 626 A'; ejus tempus dicitur tempus gratiæ, 423 D, 488 B'. — Evangelica lex, quæ est lex amoris, 221 B', perfecta est, quo sensu, 199 B, et quare illi addita sit apostolica doctrina, 199 A, 200 B. — Evangelium qua ratione assimiletur tertio cœlo, 199 C', et tecto, 199 A'. Quatuor Evangelia quomodo per quatuor quadrigas designentur, 644 B' et seq., et per quatuor ventos cœli, 645 A. — « Ecce super montes pedes evangelizantis pacem », quo sensu, 520 D', 524 B.

EVILMERODACH, filius Nabuchodonosor, quando regnaverit, 80 B', 82 A', 83 D.

EXCOMMUNICATIO. Qualis sit ejus virtus, 437 B'.

EXPIATIO. Festum sic dictum quando et quare celebratum sit, 218 B'. — Emundationem Christianorum figurabat, 218 C'.

EZECHIAS, rex Juda, justus fuit, 507 C', et tempore ejus regnum Juda Deo servivit, 472 B', qui Judæos consolatus est, 346 B. — Qualiter Ezechias subditos hortatus sit ad pœnitentiam, 286 D', et quot annis regnaverit, 201 A'.

EZECHIEL loquitur de Luciferi casu sub persona regis Tyri, 154 D'; rebus et factis aliqua futura ostendit, 672 C.

F

FABER. Per quatuor fabros quos vidit Zacharias, quinam designentur, 622 B', 626 A.

FAMILIA. Quid intelligatur per familiam David, Nathan, Levi et Semei, 676 A.

FASCICULUS Dei est parvulus grex electorum, 421 C.

FENESTRÆ, mystice sunt hominis sensus, 348 D.

FERMENTUM quid figuret, 259 D.

FERRUM signat ligamenta syllogismorum, 85 D.

FICUS quid significet, 228 B, 330 C, 336 A, 351 B, etc. — Per ficum cui maledixit Christus, figurabatur Synagoga infertilis, 570 B'.

FIDES, fundamentum virtutum, 545 D, quatenus Deum et hominem conjungat, 223 D; quanta sit ejus efficacia, 545 B'; qualiter ad illam mundus conversus sit, 594 C. Usque ad finem mundi durabit fides catholica, 424 D'. — Justus in fide sua vivet, quo sensu, 545 D, 551 C'. Quid sit fides quæ inter fructus Spiritus Sancti numeratur, 66 B'. Per clypeum fortium ignitum designatur fides caritate succensa, 527 A'.

FILIUS. Patres tam carnales quam spirituales honorant boni filii, 693 C. — Filius Dei quomodo a Patre missus sit, 627 A'. *Cf.* Christus.

FINIS alius est perficiens, alius consumens, 522 C'. — In Scripturis quo sensu accipiatur, 121 B.

FIRMAMENTUM cœli quid sit, 48 A', et qualiter in illo resideat Deus, 48 B'. — Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, qua ratione, 160 C.

FISTULA quid sit, 32 C.

FLATUS. Quare sic vocetur anima, 90 B.

FLUMINA signant gratiarum vel tribulationum abundantiam, 57 B', reges eorumque exercitus, 561 A, perversos ipsorumque vitia, 567 B'.

FONS qualiter bonitatem divinam repræsentet, 56 D'. — Prædicatores significat, 57 B, 337 D', et Baptismum, 362 A, 678 D'.

FORNICATIO aufert cor, quo sensu, 237 C'. — Fornicatio spiritualis est omne peccatum mortale, 213 B', maxime idololatria, 213 A'.

FORTITUDO est virtus et efficacia exsequendi disposita, 22 D.

FRAMEA quid designet, 680 C.

FRANCISCUS (S.) solem fratrem intuens, in Creatore delectabatur, 52 A'. — In visione qualem adspexerit statuam, 30 C'.

FRIGUS mystice est exstinctio flammæ concupiscentiarum, 54 C.

FRUMENTUM denotat legem, 216 B', vel operationem virtuosam, 350 C. — Frumentum

electorum est corpus Christi, 662 A', vel lex divina, 662 B'.

FULGURA quid sint et quid significent, 55 C.

FUNICULUS mensorum, mystice est judicandi auctoritas, 629 C'.

FUR diabolum exprimit, 264 C, vel seductorem occultum, 264 D.

FUROR modum nescit tenere, 34 C. — Furiosis quædam possibilia sunt, quæ sanis essent impossibilia, 82 C.

FURTUM, quod est ex genere mortale, quando sit veniale, 234 C'. — Quanta ejus gravitas, 639 B'.

G

GABAA civitas erat in tribu Benjamin, 245 A'. Scelus ibi commissum juste ulti sunt Judæi, 285 D. — Interpretatur collis, 248 D', et elationem significat, 291 B.

GABRIEL (S.) archangelus, qui interpretatur fortitudo Dei, præliis erat præpositus, 120 A'. — Quomodo Danieli apparuerit, 120 D', 129 A, et quid illi annuntiaverit de septuaginta hebdomadis, 130 B. — Juxta angelum principem Persarum remansit, quo sensu, 142 A', et quare, 142 B'.

GALAAD urbs, ubi sita, 255 A. Qualiter ejus habitatores peccaverint, 255 B, et a Syris mactati sint, 370 A. — Interdum est nomen montis, 255 A', aut regionis, 370 A. Interpretatur transmigratio testimonii, 257 B, vel acervus testimonii, 443 C'; quosnam designet, 257 B, 374 B, 443 C', 510 D'. — Jabes Galaad quomodo impugnaverit rex Ammonitarum, 372 A'.

GALGALA quare locus honorabilis fuerit, 239 A', 277 D, et ubi situs, 396 B. Ibi filii Israel idola coluerunt, 277 A'. — Qualiter interpretetur et quid exprimat, 243 B, 281 D, 403 B'.

GAMALIEL « magnus » ad tempus occulte christianus fuit, 677 B'.

GAZA fuit una de quinque regalibus civitatibus Philistinorum, 371 A. Prænuntiatur destruenda, 583 A'. A Chaldæis combusta est, 371 C. — Interpretatur fortitudo ejus, et per eam intelliguntur inaniter gloriantes, 587 A.

GEDEON quid egerit contra Baal, 288 D, et contra Madianitas, 288 A'. — Zelo indiscreto ephod sacerdotale sibi fecit, 368 A.

GEHENNA. Punitio gehennæ ex furore Dei infligitur, quo sensu, 499 A'.

GELU quid figuret, 54 D.

GENTILES nominibus bestiarum cur designentur, 222 C. — Multi eorum ministerio angelorum ad Deum reducti sunt, 382 B. — Gentiles electi quatenus sint fratres Judæorum conversorum, 212 B.

GENUFLEXIO, per se non idonea Deum placare, 501 B', ex vera devotione ad hoc valet, 501 C'.

GETH, quæ fuit una de principalibus civitatibus Philistinorum, 371 A', 472 B, interpretatur torcular, quo significantur justorum oppressores, 476 B', 477 D.

GLACIES mystice quid sit, 54 B'.

GLADIUS sententiam Christi judicis figurat, 425 A', 529 A'. — Mystice, quomodo gladii in vomeres vertantur, 493 A.

GLORIA dicitur clara cum laude notitia, 35 A', 42 A'.

GLOSSA ordinaria (Walafridi Strabi) quare sic vocata, 200 A'. — Sæpe citatur, 10 B, 11 C, 15 B, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113 et 114.)

GODOLIAS. Propter ejus occisionem quale fuerit institutum jejunium, 646 C', 652 A.

GOMER, filia Debelaim, 204 D', quo sensu fornicaria, 203 A', interpretatur consummata sive perfecta, 210 D. Utrum aliquid occultæ virtutis habuerit, 205 A. — Quare illam acceperit uxorem Osee propheta, 203 D et seq.; quid designent infantes ex ea nati, 204 D, 205 B, 206 B, 207 D', 210 B' et seq.

GRÆCI qualiter ab Aristotele laudati, 27 A; alii amici, alii persecutores Judæis fuerunt, 620 C. — Illorum regnum quibus figuris præsignetur, 26 D', 116 C'. — Angelus princeps Græcorum quo sensu contra angelum principem Persarum pugnaverit, 143 D'.

GRANA quomodo in Palæstina excutiantur, 286 A'.

GRANDO persecutiones exprimit, 613 C.

GRATIA, per quam Deus in bonorum cordibus habitat, 296 B', et sine qua nemo potest fructus spirituales producere, 281 C', seu meritorie agere, 606 B, 655 B, quosnam habeat effectus, 318 A', et quantum splendorem, 567 B. — Ejus prima causa est bonitas Dei, non meritum nostrum, 664 A'. — Non aufertur peccatum nisi per gratiæ infusionem, 317 D. Sine gratia quantum dejiciatur homo, 270 C', 271 D'. Cur « tempus gratiæ » vocetur tempus N. L., 289 C, 300 A. — Alia est gratia præveniens, alia subsequens, 351 D. — Muneribus gratiæ perficiuntur dona naturæ, 685 A'. — Gratiæ gratis datæ ad aliorum utilitatem ordinantur, 101 C.

GREGORIUS (S.) Papa I, allegatur, 56 C, 62 D, 76 D, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 75-79.)

GULOSI, per pisces maris designati, 235 D, magis in hominibus quam in Deo confidunt, 226 A'.

H

HABACUC propheta, de tribu Simeon, 184 A, quando et quid vaticinatus, 537 A, quomodo officium suum describat, 544 B. — Qua ratione in Judæa remanserit post captam Jerusalem, 184 C. Illum quomodo angelus capillo portaverit, 184 D, 556 A', et posuerit in Babylone super lacum leonum, 184 A', ubi Daniel ab illo prandium accepit, 184 B', 537 A. Utrum ipsum in aere volantem aliquis viderit, 185 A. — Quo sensu pro ignorantiis oraverit, 555 D, et persecutionem populi sui conquestus, 537 C, de Chaldæorum dejectione gavisus sit et doluerit, 586 C. In persona Judæorum quando loquatur, 563 A'. — Explanatur ejus canticum, 556 A' et seq., 564 D et seq. — Qualiter interpretetur, et quem designet, 541 C.

HÆRETICI, donis Dei abutentes, 227 B', et contra illum malitiam cogitantes, 523 A', Scripturam pervertunt, 266 A', et Ecclesiam opprimunt, 588 C. Auream statuam quo sensu erigant, 32 B. — Quomodo designentur, 211 B, 315 A, et illorum equi quinam dicantur, 677 D.

HAGIOGRAPHA quid sint, 3. — Inter illos qui ea conscripserunt Daniel computatur, 3.

HAYMO Halberstatensis episcopus citatur, 156 C, 205 D, 208 A, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 117.)

HAZAEL, rex Syriæ, Israelem contrivit, 395 B. — Quam crudeliter Galaaditas trucidaverit, 370 B.

HEBDOMADA alia est dierum, 130 A', alia annorum, 130 B'. — Septuaginta hebdomadarum prophetia elucidatur, 130 B et seq.

HEBRÆI, ab Heber vocati, 453 C, quam famosi, 8 B'. — Qua ratione Scripturas V. T. dividant, 4. — Solent ab aliqua proprietate nomen rebus imponere, 205 B.

HEDERA qualis Jonæ miraculose præparata sit, 464 C, et qualiter deinde ablata, 464 A'. — Synagogam figurat, 465 B'.

HELCIAS, pater Susannæ, captivus translatus est a Judæa in Babylonem, 166 D.

HERBA signat incrementum spirituale, 663 A, vel bonæ famæ odorem, 666 D'. — In sua prædicatione Christus fuit quasi herba fullonum, quo sensu, 706 C.

HERMES Trismegistus quid de idolis senserit, 181 A'.

HIERONYMUS (S.), « expertissimus in Scripturis », 185 C', ab Hebræis non modico tempore eruditus, 524 D, sæpissime cum illis contulit, 284 C', 396 D'. — S. Matthæum contra Julianum apostatam vindicat, 293 B'. — Quando Abdiam interpretatus sit, 436 C'. — Frequenter allegatur, 3, 4, 9 A, etc., ejusque sententiæ quædam specialiter approbantur, 284 A', 325. (Migne *Patrol. lat.* tom. 22-30.)

HIRAM, rex Tyri, pactum amicitiæ cum David ac Salomone fecit, 371 B'.

HIRCI quosnam significent, 663 A', 667 D.

HISTORIA scholastica (Petri Comestoris) sæpe citatur, 5, 10 B', 11 B, etc. — Quid narret de amentia Nabuchodonosor, 81 C, et de ejusdem regis filio, 83 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198.)

HOLDA prophetissa, sub Josia rege vaticinata, 573 A', in porta Secunda habitavit, 575 C'.

HOLOCAUSTUM quid sit et quid figuret, 40 A, 254 B', 501 C'. — Scientia Dei melior est quam holocausta, quo sensu, 254 B'.

HOMERUS allegatur, 170 A'.

HOMO ratione secernitur a brutis, 75 D', quæ propter illum facta sunt, 573 B'. Quam pulchre ejus disponatur corpus, 59 A', et ornetur anima, 59 D. In illo qualiter spiritus et anima distinguantur, 40 B', 60 D'. Actualiter homo non intelligit nisi unum, 415 C, et quanto plus discit, tanto plus discere cupit, 163 A. Non est facultatis humanæ, cordium secreta cognoscere, 19 D. Utrum in actibus humanis non sit indifferens, 604 D'. — Quo respectu homo honoretur a Deo, 79 C, qui humanam naturam amat, 627 D. Quatenus homo ad Dei præconia creaturas inanimatas invitare possit, 55 B'. Appetitum ejus satiare nequeunt caduca bona, 552 B, in quibus ipsius beatitudo non consistit, 361 D. Naturæ humanæ innata videtur quædam simplicitas, 589 C'. — Homines quatuor modis fratres dicuntur, 371 C'. Quinam ex hominibus dæmonum tabernacula efficiantur, 543 B, 560 C. — *Cf.* Anima.

HORA. Quare hora tertia, sexta et nona fiat Ecclesiæ oratio, 97 A, sicut olim Synagogæ, 97 B.

HORTI mystice sunt claustrales, 424 C'.
HUGO (de S. Victore) « magister », 144 D', citatur, 53 B', 56 C', 58 A', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 175-177.)
HUMILITAS non in falsitate sed in veritate fundatur, 414 C'. Quinam sint ejus effectus, 474 A, 475 A. Quid spiritus humilitatis, 40 A'. — Qualiter interpretanda verba quibus Sancti se humiliant, 415 B. Qui se ipsum humiliter accusat, Dei veniam meretur, 175 B. — Humiles corde quatenus Domino benedicant, 61 A.
HYMNI liturgici citantur, 397 A.

I

IDOLOLATRIA, quæ spiritualis fornicatio appellatur, 213 A', et impietas, 640 A, 708 B', quando et quomodo ortum habuerit, 178 C. Ejus destructio prænuntiatur, 679 B et seq., et idololatræ vehementer increpantur, 549 B, 555 C.— Idolum unde nomen accipiat, 178 C'; cur vocetur mendacium, nihil, 258 B, 408 A', 548 C', et insania, 275 B. — Idola quo sensu a gentilibus honorata, 85 B, 178 A', 179 C', 181 D, etc., et quare de diversis metallis facta, 90 A. Per illa dæmones loquebantur, 663 A. — Idolum Jovis ab Antiocho Epiphane in templo Jerusalem positum est, 118 D. — Idola vanitatis ac falsitatis qualiter colantur, 374 C, 499 B.
IDUMÆA, quæ interpretatur terrena, 378 D', vel sanguinea, 423 A', sub tributo regi David servivit, 302 B'. — Ejus habitatores Hebræis frequenter molesti, 371 B, 372 A, 434 A, quomodo puniti sint, 372 C, 432 D et seq., etiam a confœderatis decepti, 433 B. Qualiter a rege Nabuchodonosor trucidati, 692 C', 693 A. — Idumæis Judæos vendiderunt Philistæi, 371 C, et Tyrii, 371 B'. — Mystice, quisnam sit rex Idumæorum, 378 D'. — Idumææ nomine designatur gentilitas, 423 A'.
IGNATIUS (S.), Antiochenus episcopus et martyr, a S. Joanne apostolo edoctus fuit, 424 A'.
IGNIS est maxime activus et afflictivus, 44 B'; cetera tria ambit et continet elementa, 53 A'. Quid sit ejus odor, 66 C. — Ignis conflagrationis ultimæ quid operaturus sit, 313 D', 347 C', 361 B', etc. Occidet quos vivos inveniet, 709 D, et reprobos deinde involvet, quo sensu, 347 D', 709 C. — Ignis concupiscentiæ quosnam illæsos relinquat, 43 A', et quosnam lædat, 43 D'. — Per ignem designantur Deus, caritas, proprietates Seraphim, 53 B', Spiritus Sancti fervor, 354 C', gravis pœna aut tribulatio, 269 D', 333 A', 354 D', 531 A'. — Quasi ignis conflans fuit Christus, quo sensu, 706 B.
ILEX qualis sit arbor, 176 B'.
IMAGINES Crucifixi et Sanctorum sunt quasi scripturæ simplicium, 289 A'.
IMBER quam utilis, 53 A. Prædicationem designat, 53 C. — Imber serotinus vel temporaneus quid sit, 411 C'. — *Cf.* Pluvia.
IMPERATOR quatenus per angulum intelligi possit, 663 C'.
IMPII, qui ubique sicut et boni inveniuntur, 630 A, voluptate non ratione feruntur, 248 A, Deum inhonorant, 376 D', Christum quotidie crucifigunt, 678 B', et quo amplius multiplicantur, eo peccata eorum magis invalescunt, 242 B. Secundum quod tales, in communi spernendi, 704 A', et mente saltem fugiendi, 630 A, gens non amabilis dicuntur, 586 D. — Quare aliquando illis regnum concedatur, 23 A, et quo sensu de illorum prosperitate querelam agant imperfecti, 538 B, et perfecti, 538 D. Eis interdum conceduntur gratiæ gratis datæ, 65 A. — Quomodo cesset gaudium illorum, 227 D', qui dum intra se redeunt, conscientiæ remorsum inveniunt, 280 D. Viæ illorum quo sensu sint tenebrosæ, 237 D. In eorum castigatione qualiter fidem ostendat Deus, 249 A, qui proprie ipsorum Deus non est, 308 C, sed fit, dum convertuntur, quo sensu, 308 D. Quomodo annihilentur, 315 C. — Illorum punitio bonos ad meliora provocat, 291 B', 697 B. Quare justi se cum illis connumerent, 290 A, et cum ipsis frequenter flagellentur, 583 D. Illos electi calcabunt in die judicii, 710 C, in quo sunt confundendi, 443 A. — Impietatem quis aret, 291 D', et quinam sint impii ebrii, 335 C. — *Cf.* Iniqui.
IMPOSTURA fit dum unus proprium crimen in alium refert, 173 D.
INAURIS spiritualiter est doctrina, 228 B'.
INCANTATORES quinam dicantur, 87 D'.
INCENSUM quid sit, 40 B.
INGREPATIO quam utilis, 241 A.
INDISCRETIO. Per illam quinam labantur, 335 A.
INEBRIATIO quo sensu accipiatur, 602 B.
INFANTES quare cum parentibus ad implorandam Dei misericordiam adducantur, 343 D.
INFERNUS. In illo Deus citra condignum pu-

nit, 206 B', 512 D. — Infernus quandoque accipitur pro receptaculo animarum, 313 B, seu pro limbo, 61 B'. — Dupliciter aliquis ab inferno eruitur, 61 B'. — Morsus inferni qualiter fuerit Christus, 312 B'. — *Cf.* Damnati, Limbus.

INFINITUM fulcit se ipsum, 470 D. — Absolute loquendo, non est in creaturis aliquid actualiter infinitum, 208 D. — *Cf.* Deus.

INFUSORIA septem, mystice sunt Ecclesiæ sacramenta, 637 D, 638 C'.

INGENIOSI quomodo contaminentur, 248 B.

INGRATI Christum quotidie crucifigunt, 678 B', sed nonnunquam convertuntur, 678 C'.

INIQUI non penitus a divina laude cohibendi sunt, 401 A, sed optare licet ut flagellentur in hoc sæculo, 543 D'. — Quales præsidentes habere mereantur, 533 C', et quanta futura sit illorum tribulatio in die judicii, 579 D', 581 B'. Eos Deus disperdet de terra, quo sensu, 578 A. — Iniquitatem quisnam metat, 291 D', vel thesaurizet, 387 A. — Solium iniquitatis est diabolus, 409 B'. — *Cf.* Impii.

INJUSTITIA quosnam superet, 335 A.

INNOCENTIA majus est bonum quam corporalis vita, 177 B'.

INSPIRATIO sancta est interna quædam Dei locutio, 373 A.

INTELLECTUS est sensus interior, 168 A', et dici potest rex noster, quo sensu, 298 A'. — Qualiter evertatur, 168 B'. Illum excæcat inordinata affectio, 168 C'.

INTEMPERANTIA quam funesta, 334 D.

INVIDIA per erucam designatur, 394 C. — Invidi sunt ambitiosi, 95 D; quam callide loquantur, 414 B.

IRA modum nescit tenere, 34 C, ita ut ex illa mors accidere queat, 464 D'.

ISAAC patriarcha, cur servus Dei specialiter vocetur, 39 C, et quomodo Christum figuraverit, 305 D.

ISAAC (Rabbi), Israelita philosophus. Allegatur ejus liber Definitionum, 42 B'. — Ad illum scribens Rabbi Samuel demonstrat Christum venisse, 136 A.

ISAIAS quando prophetaverit, 345 C'. — Quid vaticinatus sit de Sennacherib, 23 A, et de Cyro, 132 C, 137 B. Babylonis destructionem prædixit, 92 C, et de casu Luciferi sub persona regis ejusdem civitatis, locutus est, 154 D'. — Nudus eundo, populi captivitatem præmonstravit, 672 B. — Qualiter personas repente introducat seu mutet, 145 C'.

ISRAEL quotuplici sensu accipiatur, 207 B, 209 C, 263 D. — Populus Israel, per vineam designatus, 282 A', quantis beneficiis a Deo donatus, 213 C', 275 C', 282 A, etc., et quam ingratus, 282 B' et seq., 376 D. Quomodo idololatriam dilexerit, 283 C', 286 B', et qualis fuerit ejus pœna, 286 C', 378 B. Per quatuor ejus peccata quid intelligatur, 377 C. — In populum Dei peculiarem electus, 381 D', 421 D', quo sensu moneatur ut præparetur in occursum Dei sui, 391 B. Israel cur virgo vocetur, 395 C, et quid sic dictus significet, 403 A. Quando numerus filiorum Israel quasi arena fuerit aut futurus sit, 208 D, 209 A'. — Regnum Israel, seu decem tribuum, quanto tempore duraverit, 201 B'. Multi ex decem tribubus in terra Israel remanserunt post Assyriorum invasionem, 412 C'. — « Israel » dicitur populus christianus, 60 C, seu Ecclesia militans, 240 C, 289 A. — Israel interpretatur vir videns Deum, 263 D, 303 D, 386 A, et figurat contemplativos, 527 D, 625 D'.

J

JABES Galaad. Ejus habitatores qualiter impugnaverit rex Ammonitarum, 372 A'.

JACOB « beatissimus patriarcha », 638 A', a Deo dilectus, 692 D, et dictus sanctus Dei, 39 D, cujus virtute supplantavit Esau in utero Rebeccæ, 302 B. — Quid in Bethel viderit, 302 D', et quali visione, 368 D. Quomodo pro Rachele servierit, 305 C', et quando illam acceperit uxorem, 305 D'. Quo sensu angelo prævaluerit, 302 D. — Quænam de illo fabulentur Judæi, 303 A. — Interpretatur supplantans, 443 D, vel luctator, 696 C, et diversos designat, 307 D, 410 C, 442 A, etc. — Mystice, quid domus Jacob, 443 C, et quinam ejus filii, 711 B'.

JACOBUS (S.) Major, quare sic vocetur in Actis, 84 B'.

JACOBUS (S.) Minor, primus Jerosolymorum episcopus. Allegatur quædam ejus interpretatio, 422 D, 423 C'.

JEHU utrum ex Dei voluntate rex Israel factus sit, 267 B'. — De semine ejus fuerunt Joachaz, Joas, Jeroboam et Zacharias, 205 D'. — Quo sensu Deus visitaverit sanguinem Jezrael super domum Jehu, 205 D, 210 C'.

JEJUNIUM quomodo sanctificandum, 332 C, et quantum valeat, 124 B'. Quale jejunium Deo placeat vel non, 647 C, 656 A. Jejunii tempo-

re a cibis delicatis abstinere debemus, 138 D. — Quænam fuerint Judæorum jejunia, et quare instituta, 646 C', 651 D' et seq. — Jejunia ecclesiastica sub gravi præcipiuntur, 656 A.

JEPHTHE inter electos numeratur, 369 A'.

JEREMIAS propheta cum Johanan Ægyptum ingressus est, 574 A. — De falsis prophetis multa loquitur, 619 C. Babylonis destructionem prædixit, 92 B', et tempus quo Jerusalem templo privata remansit, 124 B. — Quomodo Christum figuraverit, 305 D. — Per libros ejus quid intelligendum, 124 C.

JEROBOAM Ephratæus, et ideo sub nomine Ephraim designatus, 255 B', 257 D', primus fuit rex Israel, 201 A', utrum ex Dei voluntate, 267 C. — Qualiter subditos suos in idololatriam induxerit, 255 B', 258 D, 259 B, et quare, 260 A. Vitulis aureis factis, quid dixerit, 297 A', 309 D. Quo sensu laqueus ruinæ vocetur, 275 A. — Ab illo usque ad Osee, ultimum regem Israel, quantum tempus sit elapsum, 201 B'.

JEROBOAM, filius Joas, rex Israel, sub quo prophetaverunt Osee, 201 A', et Amos, 367 B, coram Domino malum fecit, 201 A'. Quando regnaverit, 201 B'. — Ejus filium Zachariam interfecit Sellum, 413 C'.

JERUSALEM, alio nomine Jebus dicta, 657 C', interpretatur visio pacis, 373 A'. Quare vocetur sancta civitas, 36 B, vel civitas veritatis, 649 C', provocatrix et redempta civitas, 589 D. — Illam triplici clausura circumdedit Salomon, 575 C'. — Ejus prævaricationes referuntur, 589 D, et conversio prænuntiatur, 590 D'. — Quomodo prædicta sit ejus destructio, 236 B, 269 D', 376 C, 486 B', et reædificatio, 626 C et seq., ac prosperitas, 649 D'. Propter ejus eversionem quale fuerit institutum jejunium, 646 C', 651 D'. — Illam Christianis auferet Antichristus, 685 A. Ejus captivitas qualiter in fine mundi convertenda sit, 356 B'. — Mystice, Jerusalem est Ecclesia, 624 D', 625 D', 676 D', militans, 442 D, vel triumphans, 360 C, et anima fidelis, 442 D. Quandoque litteraliter in Prophetis Ecclesiam Dei exprimit, 686 C. — Quo sensu illam Deus scrutatus sit in lucernis, 576 B, et super ejus habitatores effundendus sit spiritus gratiæ et precum, 675 B, 678 C. Quid per plateas ejus intelligatur, 654 B; et quænam aquæ vivæ de Jerusalem cœlesti sint exituræ, 684 A.

JESUS, cujus nomen per oleum significatur, 227 B', interpretatur salus vel salutaris, 603 D'. *Vide* Christus.

JESUS, filius Josedec, sacerdos magnus, 601 C, cur filius olei dicatur, 636 C'. In quo peccaverit, 630 D'. — Coronæ quæ in ejus capite ponuntur, 642 D', quid exprimant, 645 D. — Christi figura fuit, 603 D', et per illum designantur prælati Ecclesiæ, 603 D'. — De ipso visio prophetica refertur, 630 C et seq. Ejus tempore vaticinati sunt Aggæus, Zacharias et Malachias, 632 A.

JEZABEL a Jehu occisa est in ultionem sanguinis Naboth, 205 A'.

JEZRAEL interpretatur semen Dei, 208 D', 210 B', estque nomen regiæ civitatis in regno decem tribuum, 205 C. — Cur ita vocatus sit infans natus ex Osee et Gomer, 205 B. — Quomodo Deus visitaverit sanguinem Jezrael super domum Jehu, 205 D, 210 C'. — In valle Jezrael cæsæ sunt tribus Israel, 206 A', quo mystico sensu, 211 A. — Per diem Jezrael intelligitur dies Christi, 208 D', vel Ecclesiæ, 209 A.

JOACHIN, seu Joakin, rex Juda, filius Joakim, tribus mensibus tantum regnavit, 7 B', et a Nabuchodonosor captus est, 479 A'.

JOAKIM, rex Juda, quomodo et quando rebellaverit contra Nabuchodonosor, 7 B, et in Babylonem ductus sit, 7 A'. — De sepultura ejus quid fuerit prædictum, 532 A, 576 D'. — Mystice, quisnam sit, 14 D'.

JOAKIM, Susannæ vir, bono utili, delectabili et honesto abundavit, 167 D. — Interpretatur præparatus Domino, 166 A.

JOANNES (S.) Baptista quare angelus dicatur, 705 B. — Prænuntiatur ejus missio, 704 D. — Per illum multi Judæi ad Christum conversi sunt, 251 C.

JOANNES (S.) apostolus in Asia prædicavit, 498 C, et Ecclesiæ militantis processum in Apocalypsi prænuntiavit, 384 C.

JOATHAN, filius Oziæ, rex Juda, justissimus dicitur, 201 C, 507 C'.

JOB vir sanctus et verus propheta fuit, 449 B'.

JOEL propheta, qui interpretatur aperiens, 334 A, ubi natus et mortuus, quando et ad quos vaticinatus sit, 325. — Quatuor plagæ de quibus scribit, utrum litteraliter acciderint, 328 D, et per illas quænam regna, 328 D' et seq., aut quænam vitia designentur, 334 D. — Quo sensu animalia irrationabilia alloquatur, 345 D.

JOHANAN, filius Caree, manus Chaldæorum evasit, 339 C, et Ægyptum ingressus est, 574 A, etsi Jeremias illud dissuaderet, 574 B.

JOLUS (Iolas), Alexandri Magni pincerna, illum quomodo occiderit, 147 A, cum conjuge et prole, 147 C.

JONAS propheta, qui interpretatur columba seu dolens, 454 C, erat filius viduæ Sarepta ab Elia suscitatus, 447. Quo sensu dicatur filius Amathi, 449 B; quando prophetaverit, 447, et quomodo Christum figuraverit, 305 D, 454 C et seq. — Primo Israelitis prædicavit, 462 C', 465 A'. — A facie Domini fugit, 450 C, quare, 450 C', in quem locum, 450 B, et utrum aliqua ratione excusabilis, 450 D. — Tempestate supernaturaliter exorta, 451 B, qualiter dormierit, 451 A', et quid significet ejus somnus, 455 B'. Illum quam reverenter habuerint nautæ, 453 B', qui jussu ipsius et invite, 453 D', eum in mare miserunt, 454 B. — Cetus qui illum deglutivit, 456 C, quatenus a Domino præparatus sit, 456 D. Oratio Jonæ in ventre piscis, 456 C' et seq., orationem Christi præfigurat, 458 D et seq., et triduana ipsius in eodem habitatio fuit sepulturæ dominicæ typus, 456 D, 458 C. — Prophetiam comminationis clamavit contra Niniven, 460 A', cujus habitatores in Domino crediderunt, 460 B', et pœnitentiam egerunt, 460 C' et seq., Jonam in magna reverentia habentes, 464 B. — Quare deinde afflictus sit, 463 A, quo sensu mortem petierit, 463 B', 464 B', et quomodo illum Dominus corripuerit verbis, 463 D', 464 D', ac factis, 464 A', qualem hederam illi miraculose præparans, 464 C, et mox auferens, 464 A'. — Laudantur ejus virtutes, 453 C', 457 D', 465 A'.

JOPPE, portus Judææ, 451 A, interpretatur decora et Mariam figurat, 455 B.

JOSAPHAT, vallis sita inter montes Sion et Oliveti, 683 A. Huc congregabuntur omnes gentes, quo sensu, 356 C', 359 A.

JOSEPH, filius Jacob, interpretatur opprobrium aut absque opprobrio, 403 B', vel additamentum, 443 D, et Salvator mundi vocatur, tanquam Christi typus, 659 B'. — Propheta fuit quum Pharaonis somnium elucidavit, 137 A'. — Cur per illum significetur plebs decem tribuum, 396 D, 664 D, inter quas eminebat tribus Joseph, 435 C'. — Domus Joseph quid designet, 403 B', 410 B, 435 C', etc.

JOSEPH (S.), sponsus Mariæ, bovem et asinum in Bethlehem duxit, 565 D.

JOSEPHUS (Flavius) historiographus passim citatur, 5, 11 B, 16 C, etc. — Quomodo erraverit de statu Adam in paradiso, 80 C.

JOSIAS, rex Juda « sanctus et religiosissimus », 573 B, sub quo vaticinati sunt Sophonias, 573 B, Jeremias, 573 C, ac Holda prophetissa, 573 A', et Judæi ab idolorum cultura cessaverunt, 574 A', in campo Mageddo occisus est, 675 C'. Ejus filii capti vel trucidati sunt, 575 D.

JOSUE quam justus fuerit, 664 C'.

JUDA. Regnum ita dictum tres tribus complectebatur, 207 A, 208 C'. — Ejus habitatores qualiter peccaverint, 375 C', sub quibus regibus idola coluerint, 376 A, et quales pœnas incurrerint, 376 B. Multi ex illis Chaldæos evaserunt, 413 B. — Quid prænuntietur de regno Juda invadendo aut liberando, 519 B', 521 A. — Quo sensu domui Juda quasi putredo fuerit Deus, 246 C, 249 A', et Juda sit in obsidione contra Jerusalem, 677 B. — De tribu Juda mare Rubrum transeunte quid referatur, 297 D'. Ejusdem captivitas quomodo in fine mundi convertenda sit, 356 B'.

JUDÆA interpretatur confessio, 361 A. Quo sensu ter a Deo desponsata, 223 B', dicatur terra Dei, 329 D', et cor maris, 458 A'. — In illa quinam vineas et arbores fructiferas destruxerint, 330 C, 333 A'. — Ejus quanta pax fuerit in Christi adventu, 489 C'. — Patriam cœlestem figurat, 361 A.

JUDÆI quo sensu fuerint populus Dei, 500 B', 511 D, pars Domini, 628 C, et specialiter dicantur filii hominum, 331 B'. — Quantum illos dilexerit Deus, 621 D, et contra illorum inimicos iratus sit, 621 A'. Quantis beneficiis a Deo sint donati, 213 C', 215 A', 216 D, etc., quam ingrati, 36 B', 500 B' et seq., 692 C, et qualibus pœnis afflicti, 214 B, 217 C, 218 D', etc. — In Ægypto Apim ceteraque Ægyptiorum portenta coluerunt, 262 B'. Deinde in locis sublimibus frequenter sacrificaverunt, 219 C', Moloch adoraverunt, 401 C et seq., ac super tecta militiam cœli, 574 C', per idololatriam quantum errantes, 219 A, et quam ignominiose prævaricantes, 217 A', 272 C'. Quidam ex illis filios suos per ignem diis alienis consecraverunt, 245 C. — Ipsorum captivitas sub jugo Chaldæorum a multis Prophetis prædicta est, 340 B'. Quibus peccatis onerati fuerint, 216 A', quum illos persecutus est Nabuchodonosor, 158 D'. Tunc

cum injustis captivi abducti sunt aliqui justi, 166B, quos frequenter in temporalibus ditavit Deus, 166C. — Quatenus usi sint libertate quam Cyrus illis concessit, 138B, 629C. A Babylone reversi idola non coluerunt, paucis exceptis, 640A', et multos gentilium fecerunt proselytos, 628B; sed reædificationem templi distulerunt, 601B', aliis etiam peccatis implexi, 695A', 700B', 701A, etc., et propter hoc puniti sunt, 609D', 650D', 707D'. — Quid contra illos egerit Antiochus, 118A, 122C, et quot annis, 119B'. — Quando tam in spiritualibus quam in temporalibus prosperitatem habuerint, 216B. — Judæi solebant in orationibus commemorare beneficia patribus suis præstita, 127A, sacrificium pro mortuo offerre, 280A, a luna tempora computare, 131D. Eorum judices in portis residebant, quare, 398D, 651C'. Ipsorum jejunia qualia fuerint, et cur instituta, 646C'. Diversa eorum festa recensentur, 217D', 218C. Apud illos septimus mensis quasi totus celebris fuit, quo sensu, 218A', et certis anni temporibus ad templum venire tenebantur, 652A'. Quando vestes laceraverint, 341A', et capitibus pulveres superjactaverint, 472C. Eorum sacrificia quare Deo non placuerint, 400D'. Ad deterius vitandum illis permissus est libellus repudii, 701B'. Dolo pleni, 258C, in exterioribus observantiis confidentes, 341C, et gloriantes de patre Abraham, 398D', 421A', pro maxima parte in Christum non crediderunt, 591C', 706A. — Illos frequenter tribulaverunt Herodes et Pilatus, 251B. Qualis fuerit pœna eorum qui Salvatorem occiderunt, 133D', 136A, 210D', 278A', 442C. Prænuntiatur ipsorum clades, 668D, quam præcessit maxima inter illos discordia, 669B'. Quo sensu ad Christum quem confixerant adspexerint, 675D, illumque planxerint, 675A', 676B', 678B'. — Qualiter Ecclesiam primitivam persecuti sint, 479A, 486C', et propter hoc puniti sint, 596D'. — Postquam Judæi a Romanis dispersi sunt, nullus Propheta ad eos missus est, 418A'. Tertium templum exspectare non possunt, quare, 609A. Quomodo errent de Christi regno temporali, 232B, 357C, 423D', etc., promissiones Prophetarum carnaliter intelligentes, 437A, et qualiter confundantur, 416D', 660C. De Messiæ etiam tempore Danielem perperam interpretati sunt, 164D'. — Judæos hodiernos quo sensu diligat Deus, 231D. Illorum qualis sit captivitas, 231D' et seq., cujus causam assignare nequeunt, 233C, et finem quotidie postulant, 250C. Bona illis ablata quomodo nobis sint collata, 233B'. — Justo Dei judicio ab Antichristo decipientur, 672D, sed tandem ad Christum convertentur per prædicationem Eliæ, 135C, 207A, et Enoch, 159D, 208C', 232B', etc. Tunc de qualibet eorum tribu quot futuri sint martyres, 678D'.

Judæi auctores : Aquila, Scripturæ interpres; Josephus, historicus; Philo; Rabbi Isaac (Benimiram); Rabbi Moyses (Maimonides); Rabbi Salomon (Jarchi); Rabbi Samuel (Marochianus), auctor libri de Messiæ adventu præterito (Migne *Patrol. lat.* tom. 149, col. 344). *Vide* unumquodque verbum.

JUDAS mystice est verus fidei confessor, 291B', 300C', 625D', etc.

JUDAS Machabæus quomodo pugnaverit, 665D', quas gentilium terras intraverit, 666B', quare et qualiter occisus sit, 154A', 433D'.

JUDICIUM quid sit, 223A. Aliud est ordinatum, aliud inordinatum, 502C; aliud discretionis, aliud remunerationis, 35D', 483D', 485B'. — In manifestis licitum est judicare cum debito moderamine, 225C'. — Finis judicii qualis sit, 539B; quid judicium verum, 647A', et perversum, 542C'. Judicium sine misericordia crudelitas dicitur, 303C'. — Per judicia Dei quid intelligatur, 35C'. Veteris legis judicialia præcepta quænam fuerint, 710A', et utrum servari possint in N. T., 710B'. — Apud Judæos, judices in portis residebant, quare, 398D, 651C'. — Reprobantur judices qui affectionem potius quam rationem sequuntur, 647B'. — Quomodo ad judicium Dei se præparet prælatus, 550B', aut fidelis, 550D. Judicium sive generale sive particulare quam horribile sit, 347A', 710C'. — *Cf.* Justitia.

Judicium ultimum qualiter peragendum, 105D', 108C, 709C et seq., in valle Josaphat, quo sensu, 356C', 359A, ministerio angelorum, 347B' et seq., qui ad locum judicii corpora resuscitata, saltem non glorificata, deferent, 179A. — Tunc non erit tempus compassionis et consolationis, 533D, sed justi omnino ab injustis separabuntur, 533C, et vindicabuntur, 356D' et seq. Dies illa electis jucunda, 581C', iniquis quam amara, 579D', 581B'. — Quinam libri tunc aperiendi sint, 108D. — In die judicii morientur universa

animantia, 577 B', et postea nullus remanebit in terra habitator, 348 A, sed universa plenissime Christo subjicientur, 28 D. — *Cf.* Liber.

JUDITH. Post ejus victoriam bonis abundaverunt Judæi, 622 B, 628 D'.

JULIANUS apostata. Contra illum S. Matthæus à S. Hieronymo vindicatur, 293 B'.

JUMENTA qualiter a pecoribus distinguantur, 461 B, et quo sensu ad Deum clamare dicantur, 461 D. — Jumenta computruerunt in stercore suo, quo sensu, 333 A, 337 C. — Per illa quinam designentur, 606 A'.

JURAMENTUM, si fiat debito modo, est actus latriæ, 239 B'. — Quare Deus frequenter juraverit, 388 B'.

JUSTIFICATIONES dicuntur observationes præceptorum, 128 A.

JUSTITIA per misericordiam temperetur, 287 B. Alia est commutativa, alia distributiva, 396 B'. — Quænam sint ejus quasi duæ partes integrales, 399 A. — Quis comedat frugem justitiæ, 292 A. — Justus in fide sua vivet, quo sensu, 545 D, 551 C'. — Cur sæpe cum impiis justi flagellentur, 583 D. — *Cf.* Judicium.

JUVENTUS et pulchritudo mutuo se ornant, 11 A'.

L

LABOSARDACH, rex Babylonis, cujus filius fuerit, et quando regnaverit, 83 B'.

LAC quid significet, 361 D'.

LACEDÆMONII quam parci in victu, 103 A'.

LACHIS, civitas quam vastavit Sennacherib, 473 A, interpretatur ambulatio, 477 B.

LAMPAS super caput candelabri aurei visa, Christum figurat, 637 C.

LAPILLUS mystice est pœnitens, 422 B.

LAPIS qualiter Christum designet, 632 D, 635 B'. Lapis de monte abscissus sine manibus, quo sensu Salvatorem exprimat, 28 A'. — Lapides sancti quinam vocentur, 662 A.

LAPPA moraliter est spina seu remorsus conscientiæ, 280 C.

LATITUDO spiritualiter est in caritate, 629 D'.

LAUS quomodo a benedictione secernatur, 50 A. — Laudare Deum quantum sit opus, 61 D. — Laudibus imperfecti seducuntur, 225 C, virtuosi autem humiliantur, 225 D.

LEÆNA quam ferox, 103 A. Quare regnum Chaldæorum figuret, 102 D'.

LEBETES quænam designent, 686 B'.

LEGENDÆ Sanctorum allegantur, 592 A', 664 C'.

LENTISCUS qualis sit arbor, 175 B'.

LEO. Mystice quid sit ejus catulus, 383 D, et rugitus, 383 C.

LEVI patriarcha, utrum virtuosus fuerit, 699 B'. Multos Judæos in Ægypto ab impietate avertit, 293 A. — Pactum Dei cum Levi quale fuerit, 699 D. Per familiam Levi quid intelligatur, 676 A. — Tribus Levi regibus Juda adhæsit, 202 D, 375 C'; sacerdotes ex ea orti quare sacerdotium perdere meruerint, 236 A'. Ex illa fuerunt aliqui Apostolorum et discipulorum Christi, 706 D, qui purgat filios Levi, quo sensu, 711 B'. — Levitis diaconi succedunt, 60 C'.

LEVIATHAN de quo in libro Job, an idem sit ac cetus, 57 C'.

LEX naturalis quid generatim præcipiat vel prohibeat, 37 A'. — Veteris legis moralia præcepta servari jubentur in N. T., 710 A'; cærimonialia ejus quando mortua facta sint, 134 A', et mortifera, 134 B', 254 A', 686 D, etc. Judicialia ejusdem præcepta utrum apud Christianos servari possint, 710 B'. — Lex evangelica, quæ est lex amoris, 221 B', quo sensu perfecta sit, 132 C', 199 B, et cur illi superaddita apostolica doctrina, 199 A et seq. — Quinam accipiant faciem in lege, 700 D.

LIBANUS pro monte et pro thure accipitur, 319 A. — Libanus mons fecundus et pulcherrimus, 518 C', 668 D, qualiter interpretetur et quid designet, 522 B, 555 B, 566 A, etc. — Vinum Libani, quid, 319 D. «Libanus» quare vocetur templum Jerusalem, 548 D, 668 D.

LIBATIO, id est immolatio de materia liquida, 330 C', lacrimosam compunctionem denotat, 336 C.

LIBELLUS repudii ad vitandum deterius Judæis permissus est, 701 B'.

LIBER vitæ quid sit, 144 A, et an præter illum sit liber mortis, 108 A'. — Libri quinam in judicio ultimo aperiendi sint, 108 D. — In Scripturis etiam epistolæ « libri » dicuntur, 124 C. — *Cf.* Judicium.

LIBERTAS. Quemlibet in libertate sui arbitrii relinquit Deus, 671 C, cui servire summa est libertas, quare, 60 C'.

LIBIDO. Ejus ardor ossa corporis vorat, 533 B'. *Cf.* Luxuriosi.

LIGNUM quid significet, 85 D, et quare mystice ligna sint dona Spiritus Sancti, 605 A. — Qualis divinatio in ligno facta sit, 238 A. —

Per lignum crucis salvatus est mundus, 351 B.
LIMBUS patrum quandoque infernus vocatur, 61 B'. Qualiter sanctos ibi detentos Christus eduxerit, 660 B'. — *Cf.* Infernus.
LINCOLNIENSIS episcopus (Robertus Capito seu Great Head) citatur, 53 B'.
LINUM est lucis æternæ imago, 139 A.
LOCUSTA quid sit, 328 C, et quid signet, 412 A, 533 C'. Locustæ in magna multitudine congregantur, 531 B'. — Locustæ locustarum qualiter in frigore torpeant et recepto solis calore avolent, 531 C'.
LONGITUDO spiritualiter est in perseverantia, 629 D'.
LUCAS (S.) evangelista, de B. Virgine et Christi pueritia plenius scripsit, 644 D'.
LUCERNÆ septem candelabri aurei, mystice sunt dona Spiritus Sancti, 637 C.
LUCIFER. De casu ejus loquuntur Isaias et Ezechiel, 154 D'. Moloch, id est Lucifer, fuit idolum Ammonitarum, 401 A'. *Cf.* Dæmon, Moloch. — Luciferum seu stellam matutinam colunt multi Sarraceni, 401 A'.
LUCRETIA, nobilissima Romana, non tam fortis quam Susanna probatur, 171 D.
LUNA quid exprimat, 52 B'. — Quomodo se soli supernaturaliter supposuerit, tempore Passionis, 354 C, et quo sensu tunc in sanguinem conversa sit, 355 C. — Obtenebrabitur etiam in die judicii, qua ratione, 359 C'. — Sol et luna qualiter steterint in habitaculo suo, 561 B', 568 C'.
LUPI vespertini quare sæviores sint, 539 D'.
LUTUM densum quid designet, 546 D, 552 A'.
LUX quomodo Dei majestatem manifestet, 54 C', et mystice quid sit, 54 D', 683 D'.
LUXURIOSI per pecora denotantur, 577 B'. *Cf.* Libido.
LYRA (Nicolaus de), Ord. Min., notissimus postillator, sæpe citatur, 8 C', 11 C, 21 C', etc. — Sub nomine « quidam » refellitur, 85 D', 131 A et seq., 140 D, 284 C.

M

MACEDONES. Illorum regnum quomodo præfiguratum sit, 26 D'.
MACERIÆ Ecclesiæ quales sint, 514 A.
MACHABÆI. Quid de illis prædictum sit, 492 A', 511 A'. — Qualiter pugnaverint, 154 D, 159 A, 665 D', post victorias gratias egerint, 666 A', et occisi sint, 154 A'. Illorum tempore plurimi Judæorum in terram Israel redierunt, 666 B'. — Septem fratres Machabæi eorumque mater quare morti traditi sint, 154 B'.
MADIAN. Pelles ejus spiritualiter quid sint, 560 C.
MAGEDDO, campus in quo Josias occisus est, 675 C'.
MAGI quinam dicantur, 14 A'. — Quomodo tres ex illis Christi nativitatem intellexerint, 17 B', 607 C'.
MAGISTER Sententiarum, id est Petrus Lombardus, allegatur, 627 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 191 et 192.) — Citantur etiam commentarii super ejus libros, 107 A', 134 B', 141 C'.
MAGISTRI perversi pro tot discipulis torquebuntur quot seduxerunt, 404 B'.
MALACHIAS propheta, ubi natus, 691 A, quando et ad quos vaticinatus, 691 A. — Interpretatur angelus Domini, 691 C', 696 A, sed non fuit angelus in corpore humano, 692 A. — Per illum mystice intelligitur Christus vel quilibet ejus sacerdos, 696 A.
MALASAR, procurator principis eunuchorum, 12 D', qualiter Danielis petitioni annuerit, 13 D.
MALEDICTIO quo sensu super Judæos stillaverit, 126 C. — Quinam maledictio dicantur et quatenus benedictio fieri possint, 651 C, 655 B'. — Maledictum quid sit, 234 B'.
MALEFICI quinam vocentur, 17 C.
MALLEOLI sunt sarmenta quibus ignis fovetur, 43 A'.
MALOGRANATUM quid sit, 331 B', et quid figuret, 336 C', 613 B'.
MALUM triplex est, 384 A. — Ratio mali multo plus competit culpæ quam pœnæ, 171 B; malum culpæ quantum fugiendum, 176 B; quare malum pœnæ a Deo inducatur, 383 D'. — Mala de malis oriuntur, 668 A, et in malo perseverare dæmoniacum rite censetur, 402 D'. — Quinam malum dicantur quærere, 398 C'. Malos et mala quo sensu Deus non cognoscat, 398 A. Mali periculosissime in hoc sæculo prosperantur, 542 C.
MANAHEM, rex Israel. Ejus tempore decem tribus cum Assyriis amicitiam habebant, 268 D', 284 B.
MANASSES, rex Juda. Sub illo duæ tribus idola coluerunt, 267 A, 472 B'. Attamen inter electos numeratur, 369 A'.
MANDATA judicialia et cærimonialia ad quid edita sint, 125 A'. *Cf.* Lex, Præcepta.
MANE auroram spiritualis diei designat, 251 B.

MANE, id est numerus, quid significaverit in scriptura quam vidit Balthasar, 90 A'.

MANSUETI qualiter Deum quærant, 586 C'. — Mansueti terræ quinam sint et quomodo a Domino exaudiantur, 583 A.

MANSUETUDO est virtus moralis passionem iræ refrenans, 583 C.

MANUS operationem denotat, 691 B'.

MAOZIM deum venerabitur Antichristus, quo sensu, 156 D.

MARCUS (S.) evangelista maximas perpessus est tribulationes, 644 D'.

MARE totale unum est, cujus particularia maria sunt velut brachia, 57 C. Distinguuntur diversa maria : Britannicum, Atlanticum, 418 A', Mediterraneum, quod dicitur etiam Tyrrhenum vel Magnum, 157 C', 510 D, mare Rubrum, 510 C, per quod significatur Christi Baptismus, 221 A, mare Mortuum, 344 C'. — Quid per mare spiritualiter exprimatur, 57 A', 102 B', 521 D', etc. Filii maris quinam sint, 297 B, 300 C, vel quinam habitent funiculum maris, 587 D. Mundus est mare magnum, quo sensu, 657 B. — Quamlibet magnam aquæ collectionem Judæi mare nominant, 235 C, 563 A.

MAREOTICUS lacus. Prope illum sita est Alexandria, 530 B'.

MARIA, advocata nostra ac mediatrix peroptima, 505 A, sponsa Christi singularis, 222 D', tota pulchra et penitus immaculata, 455 B, de utraque tribu, regia et sacerdotali, est orta, 5. — In illam quasi ros venit Christus, 321 A, cujus corpus supernaturaliter formatum est in utero Mariæ, 632 C', facto thalamo desponsationis Verbi cum humana natura, 229 C'. — Designatur per lunam, 568 C', per montem de quo sine manibus abscissus est lapis, 28 B', et per Joppen, 455 B.

MARIA, soror Moysis, prophetissa, 501 A, figura fuit B. V. Mariæ, 505 A.

MARTYRES per equos rufos figurantur, 624 B'. — Quot Judæi tempore Antichristi martyrio coronandi sint, 678 D'.

MASSA plumbea quid signet, 640 B.

MATHATHIAS, pater Machabæorum, pulcherrima documenta filiis suis tradidit, 154 B.

MATRIMONIUM. Ejus vinculum qualiter insolubile sit, 701 D'.

MATTHÆUS (S.) apostolus, primo scripsit Evangelium in Hebræo, 293 B'. — Quo pacto cum Michæa concordet de Bethlehem, 495 C. — Pro Christo sanguinem fudit, 644 C'. — Illum contra Julianum apostatam vindicat S. Hieronymus, 293 A'.

MEDI qualiter unguentis usi sint, 138 A'. Apud illos septem erant principales regis consiliarii, 497 D'. — Qualiter Chaldæos devicturi essent prænuntiatum est, 560 A'. — Medorum atque Persarum regnum quomodo præfiguratum, 26 C'. *Cf.* Persæ.

MEGASTHENES historiographus (apud Josephum) quid asserat de filio Nabuchodonosor, 83 C'.

MELCHOM, idolum Ammonitarum, per quod eorum rex designatur, 372 D', 574 C', 578 C'.

MEMPHIS olim erat Ægypti metropolis, 273 D'.

MENDACIUM quatenus prohibeatur, 651 B'. — Interdum materialiter sumitur, 481 B. — Quinam cum illo fœdus feriant, 290 C, et frugem ejus quis comedat, 291 D'.

MERCATOR quem significet, 687 A.

MERETRIX denotat Niniven, 471 D, 530 A, vel animam a cœlesti sponso aversam, 476 A.

MERITA de meritis oriuntur, atque ad majora merita pertrahunt, 668 A, nam opus meritorium est quasi semen, 268 D.

MESSIS quæ maturavit, quomodo genus humanum designet, 359 C.

METAPLASMUS quid sit, 146 A.

METEOROLOGICÆ impressiones a Deo sunt tanquam a causa prima, 391 B'.

METHODIUS (S.) martyr, Tyrius episcopus et « disertissimus vir », 165 A', Porphyrium confutavit, 3, 165 A'. — Quid de Judæis in fine mundi convertendis dixerit, 678 D'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 18.)

MICHÆAS, « sanctissimus », 481 A, sextus in ordine duodecim Prophetarum, de Morasthi oriundus, 469 A, quando vaticinatus sit, 469 B. — Interpretatur humilitas, 474 A. — Quantus in illo zelus pro salute fratrum, 480 C', 481 B, et qualiter justorum paucitatem deplangat, 506 D, hyperbolice loquens, 507 B. Ubertim modum locutionis variat, 511 A. — Ejus prophetia de destructione Jerusalem, 486 D', pro quo tempore dicta sit, 487 A. Pacem in Christi adventu factam prædixerat, 489 B'. De Bethlehem quo pacto cum S. Matthæo concordet, 495 C.

MICHÆAS alius, filius Jemla, sub rege Achab prophetavit, 469 C.

MICHAEL (S.) archangelus, qui interpretatur « Quis ut Deus », ad quid mittatur, 120 B'. — Per formam imaginariam apparuit Danieli, 120 C, quem Gabrieli instruendum commi-

sit, 120D, 162B. — Qualiter Zachariæ prophetæ visus sit, 620A et seq., 626B, orans pro Synagoga, 621A. — Quo sensu sit unus de principibus primis, 142D, et solus fuerit Gabrielis adjutor in Judæorum causa, 144D. — Olim Synagogæ princeps, 120D, 142D, 620A, nunc Ecclesiæ, 144D, 158D, quid in fine sæculi acturus sit, 158D.

MICHAS. Ejus idolum coluerunt filii Dan, 285A', quos pro scelere isto ceteri Israelitæ occidere debuissent, 285C'.

MIGMA quid sit, 170C.

MILLENARII hæretici confunduntur, 112B.

MINISTRI Ecclesiæ sacramenta conficiunt ac dispensant, 638C'.

MIRACULUM proprie dictum, quid, 67B. — Miraculum quo tres pueri ab igne præservati sunt, sæpe renovatum est in N. T., 62A.

MISAEL, quare vocatus Misach, 11C', quo sensu fuerit eunuchus, 11A, et qua mente didicerit doctrinam Chaldaicam, 12C. — Quanta ejus sapientia, 13B', 14C. — *Cf.* Pueri.

MISERICORDIA justitiam temperare debet, 287B, sed sine judicio pusillanimitas dicitur, 303C'. Ad illam pertinet culpam per medicinales pœnas corrigere, 512D. Qualiter a miserationibus distinguatur, 647C'. Misericordia erga pauperes, quam utilis, 76C'. — Misericordia Dei in se una quare multa perhibeatur, 342B; nemo est penitus absque illa, 224C'. Misericordiam voluit Deus et non sacrificium, quo sensu, 254A', 256C'. — *Cf.* Deus.

MISSA. In ea personaliter adsunt angeli sancti, 307D'. *Cf.* Eucharistia.

MISSIO Filii Dei alia est invisibilis, 431C', alia visibilis, 432A. *Cf.* Christus.

MOAB, cujus vastatio prænuntiatur, 584A' et seq., interpretatur « ex patre », et perversos designat, 378D, 505B. — Moabitæ de semine Lot orti sunt, 375D. — Qualiter Moab incenderit ossa regis Idumææ, 375B; quod puniendum prædicitur, 375A'.

MOLOCH, id est Lucifer, fuit idolum Ammonitarum, 401A'. *Cf.* Lucifer.

MONACHI quali officio fungantur, 160C'. *Cf.* Religiosi.

MONILE mystice est prædicatio, 228B'.

MONS significat Christum, 605A, vel diabolum, 635B'. — Mons de quo sine manibus lapis abscissus est, figurat B. V. Mariam aut Synagogam, 28B'. — Montes frequenter divina virtute moventur et dejiciuntur, 518D'. Quosnam signent, 56C, 394A', 561B, 606C, etc. — Stillabunt montes dulcedinem, 360A', 361C', 424A'; ecce super montes pedes evangelizantis pacem, quo sensu, 520D', 524B.

MONTANUS hæresiarcha, quomodo de Prophetis erraverit, 537B.

MORASTHI, viculus parvus, apud urbem Palæstinæ Eleutheropolim situs, 469A.

MORS quo sensu finis vocetur, 522C', ejusque potestas qualiter intelligenda sit, 61D'. Gravior est mors exspectata quam illata, 285C. — Mortui quare dormire dicantur, 159D. — Non licet sine causa se mortis periculo exponere, 96B', sed optandum est mori pro Deo, pro fide, pro justitia, 171B. — Vir fratrem suum venatur ad mortem, quo sensu litterali, 507B, et spirituali, 507D.

MOYSES, « excellens propheta », 305D', caritate et precibus Deum quasi ligavit, 302A', 519C, et populum Israel a morte præservavit, 306A.

MOYSES (Rabbi) citatur, 40D', 46B'. — In quo erraverit, 52C, 108A.

MULI infructuosos denotant, 685C'.

MULIERES instabiles sunt et loquaces, 508B. — Quid designetur in visione Zachariæ per mulierem in medio amphoræ sedentem, 640A, et per duas mulieres quæ eamdem amphoram levaverunt, 640C.

MUNDUS in Græco qualiter nominetur, 454D'. — Designatur per mare magnum, quare, 102B', 657B, et per Niniven, 454C'. — — Quanto tempore duraturus sit ignoratur, 163C. — Illos adspicit Deus quos despicit mundus, 681D'. — Mundani quomodo spernendi, 704A', et puniendi, 534B, 589A'.

MUNIFICENTIA divina plus dat quam promisit, 708C. *Cf.* Deus.

MUNITIO quid figuret, 657A, 660C'.

MURUS litus Judaicum populum signat, 413D. — Muri Ecclesiæ quinam sint, 423B.

MUSICA instrumenta. Illis quatenus multi abutantur, 409C'.

MYRTUS qualis sit arbor et quid significet, 620A. — Myrteta mystice sunt duo Testamenta vel viri perfecti, 624A'.

MYSTERIUM vocari potest omne quod homini occultum est, 24C'.

N

NAAS, rex Ammonitarum, quomodo Jabes Galaad impugnaverit, 372A'.

NABOTH qualiter jussu Jezabel in Jezrael occisus sit, 205 D. — Ejus sanguis a Jehu vindicatus est, 205 A'.

NABUCHODONOSOR magnus, rex Babylonis, per leonem designatus, 400 A, 526 D, et aquilæ comparatus, 78 A', 266 C, quo sensu rex regum fuerit, 26 B, et quibus gentibus imperaverit, 16 B, 26 D, 67 A', etc. Quid prædictum sit de ejus triumphis, 540 B et seq., ac potestate, 541 B, 546 C. Quare tantum imperium illi dederit Deus, 540 C', et servum suum eum nominaverit, 37 B'. Gladius ejus quare gladius Dei dicatur, 560 C'. — Quo sensu pessimus fuerit, 37 B', et in sanguinibus civitatem ædificaverit, 547 D; quanta ejus superbia, 73 A', 77 C', 78 A, etc., et qualiter superbos principes ac prælatos figuret, 82 C'. Utrum habuerit notitiam Dei, 8 A', 64 C', et angelorum, 70 B', necnon bonam synderesim, 67 A. — Quomodo Judæos persecutus sit, 158 D', 330 C. Quando Jerusalem obsederit, 7 B, et partem vasorum templi asportaverit, 8 A, non autem omnia vasa, quare, 8 D. Capto Sedecia, quid dixerit, 266 D', et egerit, 406 B. Niniven, juxta prophetias, impugnavit, 525 A et seq., et vastavit, 526 B et seq.; Tyrum destruxit, 371 C'; civitatem postea Alexandriam vocatam cepit, 530 D'. Nullus regum illi resistere potuit, 540 B. — Quandonam habuerit somnium de statua quam lapis comminuit, 16 A, quali visione, 16 C, et qua de causa, 16 D; tunc non fuit propheta, quare, 137 A'. Illud oblitus, 17 B, quo sensu, 17 D', cur a sapientibus indicari jusserit, 19 C, eosque deinde præceperit interfici, 20 A. Danielem quo sensu adoraverit, 29 A'. — Qualem statuam erexerit, 31 A, et quomodo ejus occasione tres pueros Hebræos decreverit in ignem mitti, 34 D. Quo sensu in fornace viderit aliquem similem filio Dei, 63 D'. Quatenus compunctus, 65 D', Deum laudaverit de iisdem pueris a flamma præservatis, 66 A' et seq. — Ejus somnium de arbore explanatur, 73 A. — Tempore amentiæ suæ, quæ prænuntiata erat, 540 C, in quo statu fuerit, 74 D, 78 D, 80 C, 81 C, 546 A', et quomodo regnum ejus fuerit administratum, 81 D', 82 D. Postea sanatus, profundissime se humilians, 76 A', Altissimo benedixit, 78 C', et thronum suum recuperavit, qua ratione, 80 B'. Tunc subditorum suorum venerationem consecutus est, quibus virtutibus, 80 C', 89 D. — Utrum salvatus sit, 82 A'. — Quinam fuerint ejus successores, 83 C.

NABUCHODONOSOR alius (Assurbanipal VI), de quo in Judith, pro Cambyse sumitur, 116 B. *Cf.* Cambyses.

NABUZARDAN, princeps militiæ Nabuchodonosor, 562 D', Jerusalem incendit, 376 C.

NAHUM propheta, ubi natus, 517 B, quando et quid vaticinatus, 517 A, qualiter consolatus sit filios Israel, 521 D.

NAPHTHA quid sit, 43 C.

NATHAN. Quid per ejus familiam intelligatur, 676 A.

NATURA. Ejus dona muneribus gratiæ perficiuntur, 685 A'. *Cf.* Gratia.

NAUTÆ Jonam ducentes, illum quanta reverentia habuerint, 453 B'. Ipsum in mare miserunt, 454 B, sed invite, 453 D'. Quo sensu deinde vota Deo voverint, 454 B'.

NAZARÆI quinam apud Judæos fuerint, 377 D', quinam sint apud Christianos, 381 B.

NEBULA matutina quid significet, 394 C'. — Nebulæ cur dicantur pulvis pedum Dei, 518 C, 521 C'.

NECHAO, rex Ægypti, Josiam occidit in campo Mageddo, 675 C'.

NEGLISAR, rex Babylonis, cujus filius fuerit et quando regnaverit, 83 B'.

NEMROD ubi regnaverit, 78 A, 498 A. Ut legitur, compulit homines adorare ignem, 178 C. — Interpretatur tentatio descendens, 497 B'.

NEOMENIA quid fuerit, 217 D', 218 C, et quid significaverit, 218 C'. — Quare in principio et non in plenitudine cujuslibet lunationis celebrata, 218 C.

NERO imperator, Judæis crudelis fuit, 642 A, et sub ejus regno Roma « Babylon » vocata est, quare, 361 B.

NESROCH, idolum quod rex Sennacherib coluit. Diruendum ejus fanum prænuntiatur, 525 C'.

NICOLAUS (S.), Myrensis episcopus, judicem urbis suæ durissime reprehendit, 176 A'.

NINIVE, metropolis Assyriorum, 524 D', quantæ fuerit magnitudinis, 449 C', 459 D'; quam multi ejus habitatores, 525 C', 526 A. Interpretatur speciosa, 454 C', 585 B', et mundum designat, 454 C', 521 B, 526 D', etc. — Habitaculum leonum vocatur, 526 D, et meretrix, 530 A. Omnium gentium a se victarum idolis ministravit, 529 D'. Qualiter prænuntietur evertenda, 517 A, 524 D', 526 B, 530 B, 585 B', et igni succendenda, 531 D. Ejus punitio re-

proborum supplicia figurat, 521 B et seq. — Ninivitæ, quorum scelera describuntur, 529 C et seq., 532 C, qualiter, Jona prædicante, in Domino crediderint, 460 B', 462 B', et pœnitentiam egerint, 460 C'. Etiam infantes ac jumenta jusserunt affligi, quare, 461 C. Cur illis quadraginta dies concessi sint ad conversionem, 462 D, qua figurata est conversio totius gentilitatis, 462 B'. Postmodum ad vomitum redierunt et Ninive destructa fuit, 462 A'.

NINUS, filius Beli, rex Assyriorum, utrum et quomodo idololatriæ originem dederit, 178 C.

NIX quid signet, 54 B', 662 D', 666 D.

NOBILES, quorum est nobile cor habere, 9 C, quomodo regibus necessarii sint, 9 B. — Nobilitas quid sit, 9 C.

NOE. Ejus arca typus fuit Ecclesiæ, 305 D.

NOMEN Domini quomodo invocandum, 355 B'. — Nomen tetragrammaton soli vero Deo convenit, 631 C. — *Cf.* Deus.

NOVALE quid sit et quid significet, 287 C.

NOVATIANI hæretici pœnitentiam lapsis negabant, 369 B'.

NOX mystice est tribulatio, 54 B'.

NUBES. Ex nubibus in aere motis humor ad terræ fecundationem descendit, 651 B. — Nubes designant gratiarum fluenta, prædicatores, angelos, 55 C, 393 D', et Sanctorum splendores, 109 C'.

NUMERUS determinatus pro indeterminato interdum ponitur, 14 D. — Decem est numerus perfectus, 653 A'.

NUPTIÆ sacramentales a Deo in paradiso institutæ sunt, 229 D'. *Cf.* Matrimonium.

O

OBEDIENTIA vera qualis sit, 36 D', 291 A.

OBLATIO quid sit, 40 B. Non de vilioribus, sed de melioribus, Deo facienda est, 695 D'. — Quædam oblationes in V. L. spontaneæ dictæ sunt, 389 A'. Oblatio cæci, claudi, vel languidi, mystice quid sit, 697 B'. — Oblatio munda omni loco offerenda, est ad litteram Eucharistia, 695 B, spiritualiter vero oratio vel professio religiosa, 698 B. — Qualiter peccent qui oblationes Ecclesiæ debitas non solvunt, 711 D'.

OBLIVIO ex magna humorum motione causatur, 17 B.

OBSECRATIO quid sit, 97 B'.

OCEANUS est mare totale, quo sensu, 57 B.

OCTAVIANUS. *Vide* Augustus.

OCULI quomodo refrenandi, 168 D', 170 B. Moraliter, quatenus leventur aut deprimantur, 644 B'. — Ubi affectus, ibi et oculus, 181 C. — Mystice, septem oculi sunt septem dona Spiritus Sancti, 632 D, vel septem gratiæ intellectuales, 636 D.

ODIUM dissimilitudine generatur, 277 A'.

ODOLLA, civitas ad terram promissionis pertinens, 473 B', interpretatur testimonium hauritionis eorum, 477 B'.

OFFICIUM alicui injunctum, onus ejus vocatur, 691 A'. — Increpantur qui divino Officio irreverenter adsistunt, 579 C'.

OLEUM designat unctionem ac illustrationem mentalem, 216 B', 350 C, consolationem, 224 D, memoriale nominis Jesu, 227 B', et gratiam sacramentalem, 637 A'. — Duo filii olei quinam sint, 636 C'.

OLIVA quid significet, 318 C', 613 B', 637 B'. Olivæ duæ quosnam exprimant, 637 A'. — Mentietur opus olivæ, quo sensu, 570 C.

OLIVETI mons quare inclytus et sanctus, 158 A, et qualiter in fine mundi dirumpendus, 682 C', 683 C. — Ibi vel circa occidendus est Antichristus, 682 B'.

ONAGER solitarius. Illi similatur transgressor legis divinæ, 272 A.

ONIAS, Judæorum sacerdos in Ægyptum fugiens, 150 A, ibi contra legem construxit templum et altare, 150 B.

ONOCROTALUS fœtorem impuritatis denotat, 588 D'.

ONUS quid significet in sermone prophetico, 537 B, 656 C, 673 C, 691 A', etc. — Onus Babylonis mystice quid sit, 541 C. — Officium alicui injunctum, onus ejus vocatur, 691 A'.

ORACULUM quid sit, 16 B'.

ORATIO quid sit, 125 A, et in quo differat ab obsecratione, 97 B'. Qualiter fieri debeat, 127 D', 128 C, speciatim quando perversi impugnant bonum commune aut fidem catholicam, 42 D'. — Eumdem sensum frequenter repetit, quare, 126 B, 128 A'; humilitate maxime adjuvatur, 124 B', et Dei laude, 126 A. Oratio sine bona conversatione non est condigna, 501 B'. In alto loco cur prosit orare, 96 C', et quantum valeat oratio multorum, 21 D, 332 D. — Quanta efficacia orationis justorum, 128 D'; quibus cogitationibus impediatur devota oratio, 248 B', et qua de causa aliquando non statim exaudiatur,

538 D, 542 B. — Unde mos orandi hora tertia, sexta et nona, olim apud Judæos, 97 B, et nunc in Ecclesia, 97 A. Tempore orationis decet viros ab uxoribus separari, 675 D'.

ORDO. In susceptione Ordinis sacerdotalis gratia sacramentalis confertur, 634 A'.

ORIENS. Sic appellatur Christus, 632 B, 643 C', Jesus filius Josedec, Zorobabel, 642 D', et bonus pastor, 645 B'.

ORIGENES, cujus allegantur Stromata, 166 D', et Commentarius super Osee, 200 C, cuinam errori de diabolo ortum dederit, 82 A. — Confunditur aliqua ejus hæresis, 161 A. — Citatur insuper, 87 D, 171 C, 383 B'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 11-17.)

ORION qualis sit constellatio, 396 C', et quomodo martyres figuret, 403 D'.

OROSIUS (Paulus), historicus, citatur, 91 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 31, col. 758.)

OSEE propheta, Isaiæ contemporaneus, 200 D', quibus sub regibus vaticinatus sit, 201 A et seq.; de quibus et quonam ordine locutus, 202 B. Commaticus est, quo sensu, 200 D'. Quinam super illum commentarios ediderint, 200 C. — Quomodo Christum figuret, 202 A'; quo sensu verbum Dei factum sit ad eum, 202 D, et in ipso fuerit Domino principium loquendi, 202 C', 203 B. — Illi fornicariam ducere jussit Deus, quare, 203 D, 204 A, et quo sensu, 203 A'; quid significent infantes ex hoc conjugio nati, 204 D, 205 B, 206 B, 207 D', 210 B' et seq. Postea qualiter adulteram jussu Domini dilexerit, 230 B, 231 B', ad quid significandum, 230 D.

OSEE, ultimus rex Israel, quid de vitulis aureis præceperit, 282 D'. Peccavit sed minus quam ejus prædecessores, 285 A, et subditos hortatus est ut sacrificia offerrent in templo Jerusalem, 286 D. — Munera misit regi Ægypti, quare, 301 C', et deinde, nono regni sui anno, 292 D, occisus est a rege Assyriorum, 246 B', qui et decem tribus transtulit, 202 A, 206 A, 479 A'.

OSSA quas virtutes exprimant, 484 D.

OVIDIUS. Allegatur ejus Metamorphoseon opus, 168 D'.

OVILE Ecclesiam figurat, 570 B'.

OZIAS, rex Juda, quanto tempore regnaverit, 367 B. Quare thurificare præsumpserit in templo, 367 B'; et quomodo, terræ motu ibidem facto, 367 A', 683 B, lepra percussus sit, 201 C, 367 A'. — Illo regnante prophetaverunt Osee, 201 C, et Amos, 367 B.

OZIAS, filius Amasiæ, qualiter prophetam Amos transfixerit, 365.

P

PALÆSTINI. Sic vocantur Philistini, 406 B, 421 B'.

PALIURUS, herba pungens, quosnam designet, 507 B'.

PALLOR timorem vel dolorem cordis demonstrat, 86 B.

PALMA. Per illam exprimuntur qui diu floruerunt in gratia, 336 D'.

PALUS in visione Danielis quid significaverit, 115 D'.

PAMPHILUS poeta (apud Athenæum) citatur, 169 B.

PANIS in Scriptura pro quolibet cibo sumitur, 138 C. — Quid sit panis animæ, 337 B, 393 B, panis lugentium, 273 A', 280 A, et quid designet panis subcinericius, 260 D, 265 C'. — Panes propositionis qualiter in V. T. offerendi, 694 A. — Quid exprimant tres panes Eliæ appositi, vel postulanti amico commodati, 200 A.

PAPA « summus Antistes » qualiter judicium facere debeat, 504 B. — In illo utriusque potestatis residet plenitudo, 663 C'. — Per paxillum designari potest, quo sensu, 663 D'.

PARASCEVE. Allegatur hujus diei Tractus missalis, 564 D.

PARDUS, qui est animal velocissimum, pulchra varietate distinctum, 539 D', quomodo Alexandrum Magnum figuret, 104 B.

PARENTES. Propter illorum peccata aliquando filii corporalibus pœnis afficiuntur, 547 B, quare, 127 B'. *Cf.* Pater.

PARVULUS tripliciter aliquis dicitur, 439 A'.

PASCHA commemorabat liberationem Judæorum de terra Ægypti, 217 C'.

PASSIO rationis judicium non exspectat, 32 C'. — Quatuor sunt principales animæ passiones, 532 C'. Cum corporali transmutatione fiunt passiones, 86 D, in oculis magis citiusque resultantes, 34 B. — Immoderatæ passiones loquelam impediunt, 18 D, et rationis usum, 143 A', 170 A', jura amicitiæ violant, 508 D, corpus debilitant, 169 B.

PASTOR bonus quid agat, 673 A, quo sensu Oriens dicatur, 645 A', et qualiter templum Domino ædificet, 645 B'. — Pastores quatenus debeant parvulos protegere, 349 C'. — Pastores indigni, qui se ipsos pascunt, non

gregem dominicum, 409D', qualiter iram Dei excitent, 663D, 667C, et ab illo increpentur, 672D'. — Quosnam designent septem pastores, 497D'. Quinam sint tres pastores in mense uno succisi, 670C, 673A'. — *Cf.* Prædicatores, Prælatus.

PATER ad quid erga filium teneatur, 328A. — Patres tam carnales quam spirituales honorant boni filii, 693C. — Patrum obitum considerantes, quomodo vitam præsentem spernamus, 624C. — *Cf.* Parentes.

PATER æternus, per montem Pharan designatus, 557C', est cum Filio et Spiritu Sancto una essentia, 683B'. Qualiter Filium miserit, 627A', et quo sensu cum illo venerit in salutem humani generis, 562A'. — *Cf.* Deus, Filius, Trinitas.

PATIENTIA est virtus moralis passionem tristitiæ ordinans, 517C', et ceterarum virtutum probatio nuncupatur, 681A'. — Invicta sit nostra patientia, 527C.

PATRIA. In illa quomodo Deum visuri simus, 684C'. *Cf.* Beati.

PATRIARCHÆ singulari Dei providentia directi sunt, 45B'.

PAULUS (S.) apostolus, de tribu Benjamin ortus, multos ex consanguineis convertit, 438B. — Varias in se hominum recipit personas, 556B.

PAX triplex est, 67B', qualiter diligenda, 652C. — Pacem subditorum prælati et principes quærere debent, 67C'. — Ecce super montes pedes evangelizantis pacem, quo sensu, 520D', 524B.

PAXILLUS quid denotet, 663C', 665D', 667B'.

PECCATOR, cujus cor per terram designatur, 424D', vana resolvitur securitate, 455B'; quam ingratus erga Creatorem, 578D'. Coram Deo quasi nihil efficitur, quo sensu, 578A. Qualem pœnam incurrat qui impudenter peccat, 238D', 243A'. — Non in se sed quantum ad vitium odiendus est, 399A. — Quomodo ad pœnitentiam indesinenter invitatus, 256A', ad Deum convertatur, 425A, et cum illo reconcilietur, 40C', 256B. Quacumque hora ex animo ingemuerit, Dominus gratiam mox infundit, 624A, et consolationem, 228C'. Christus peccatorem nondum pœnitentem prævenit, 653D, et pœnitentem illuminat, 712C'. — Nullus peccator desperet, 77C; sed quamdiu in voluntate peccati permanet, non meretur a Deo exaudiri, 245B. — Quinam peccatores habeant morbum vocatum : Noli me tangere, 241A. — Quam terribilis Deus in peccatores ingratos, 125B.

PECCATUM est animæ macula, 11D', vulnus, 318B, onus, 648B, lapsus, 317B, et ruina, 241A', 265B', 577D'; nihil etiam dicitur, quo sensu, 315C. — In originali peccato nascimur, 254D'. — Peccatum mortale est mors animæ, 170D', 309D', et fornicatio spiritualis, 213B', nam per illud a Deo receditur, 256A, et caritas amittitur, 506A; qualiter faciem mentis deformet, 528C'. Profunde peccare, quid sit, 275B', 280D'. Quænam peccata fortia dicantur, 398A. Quid peccatum in Deum et in proximum, 291C. — Peccata sunt amaritudines, quo sensu, 306B, 472C'; cor obtenebrant, 274C', et mentem indurant, 387B'; quomodo clament et ascendant coram Deo, 450A. Uniuscujusque peccatum in ipsum redundat, 309A'. Peccandi audaciam præbet facilitas veniæ, 77B, et facilius peccatis supplantantur divites ac potentes, quare, 32A. Non timorati innumerabilia peccata incurrunt, 604D'. Unum peccatum ad aliud trahit, 309D. Qualis sit status animæ quæ peccato succubuit, 337B'. — Quid sit in peccato materiale et formale, 523D; quare a Deo permittatur peccatum, 493B', et qua mensura, 175C; quantum sit beneficium a peccato præservari, 177B'. — Peccatum quomodo deflendum, 250D', et fugiendum, 171B, 481A, propter enormitatem suam, 513A'. — Peccatum veniale, per quod a Deo aliqualiter elongamur, 256A, non est committendum ut vita servetur, 176C, imo nec ut alius a mortali liberetur, 480D'. Quo homo perfectior, eo peccata sua venialia amplius accusat, 128C'. — Peccata quatenus dimittantur, 132B', 317D, principaliter a Deo, 631A'; quo sensu aliquod peccatum irremissibile dici possit, 369C', 373C'. Peccata interdum sine dilatione, alias post moram a Deo puniuntur, 369C'; qualiter etiam in pœnitentibus castigentur, 517A'; utrum pro illis duplex infligatur tribulatio, 522D'. Propter hominum peccata, nonnunquam cæduntur bruta, 573B'. Non aufertur peccatum nisi restituatur ablatum, 505D'.

PECORA quomodo Creatorem glorificent, 58D, et quosnam significent, 59A, 577B'. — Caulæ pecorum mystice quid sint, 587D'.

PENNÆ electorum quales sint, 710A, 712D'.

PENTAPOLIS. Ibi indignatio Dei qualiter effusa sit, 519 D.

PENTECOSTE in commemorationem beneficii legis datæ celebrabatur, 218 A'.

PERIPATETICI quatuor causas ponunt universales, 52 A.

PERJURIUM quam grave sit peccatum, 639 B'.

PERPENDICULUM quid sit, 622 A, et quid signet, 625 C.

PERSÆ, quorum allegantur chronicæ, 146 C', quam laboriosi et parci in victu, 103 B'. Qualiter unguentis usi sint, 138 A'. Apud eos septem fuerunt principales regis consiliarii, 497 D'. — Princeps Persarum Gabrieli resistens quisnam sit, 102 C, 141 D', 142 B'. — Prænuntiantur a Persis devincendi Chaldæi, 560 A'. Medorum atque Persarum regnum quomodo præfiguratum, 26 C'. Illorum reges quinam post Cyrum fuerint. 146 B.

Medorum Persarumque reges qui in hoc volumine memorantur : Astyages, Medus (594-560), alias Assuerus, Cyri avus. Cyaxarus II, Medus, filius præcedentis (560-536), alias Darius Medus, Cyri avunculus. Cyrus, Persa (561-530). Cambyses (530-523), alias Assuerus de quo in Esdra IV, 6. Smerdes Magus (523-521), alias Artaxerxes, qui templi instaurationi obstitit. Darius I, filius Hystaspis (521-485), de quo apud Aggæum et Zachariam. Xerxes I (485-472), qui in libro Esther vocatur Assuerus et Artaxerxes. Artaxerxes I Longimanus (471-424), qui Nehemiæ licentiam dedit reædificandi Jerusalem. Darius III Codomanus (336-330), ab Alexandro Magno devictus. — *Vide* unumquodque vocabulum.

PERSECUTORES fidelium multi in præsenti sæculo plagantur, 592 A', 677 A, 685 C. — Per illos purgantur electi, 625 B, sub quorum pedibus saltem in die judicii subjicientur, 630 A'.

PERTINACIA cum stabilitate cordis non confundatur, 477 C.

PETRÆ igne ultimæ conflagrationis dissolventur, 522 A'. — Quid designent, 519 C.

PETRUS (S.) apostolus, quid fuerit absente vel adjuvante gratia, 664 C.

PHACEE, rex Israel, in Rasin rege Syriæ confidebat, 385 C.

PHARAN, mons vicinus monti Sinai, 558 A, interpretatur os videntis, 557 B'. — Mystice, mons Pharan est Pater æternus, 557 C'.

PHARAO (Apapi II) non fuit propheta, quia visionem suam non intellexit, 137 A'.

PHARES, id est divisio, quid significaverit in scriptura quam vidit Balthasar, 90 D'.

PHATUEL, pater Joelis, an propheta fuerit, 327 A. — Interpretatur latitudo, 334 A.

PHELETHI dicuntur duces exercitus, quare, 31 C'.

PHIALÆ quid sint ad litteram et mystice, 686 C'.

PHILIPPUS II, rex Macedonum, Alexandri Magni pater putativus, Dario solvit tributum, 116 B'.

PHILIPPUS III (Arrhidæus), frater Alexandri Magni, post illum in Macedonia regnavit, 104 D, 147 B.

PHILIPPUS V, rex Macedonum, pactum iniit cum Antiocho Magno, 149 C'.

PHILIPPUS (S.) apostolus scribitur duas habuisse filias sanctissimas prophetissas, 353 C.

PHILIPPUS (S.) diaconus pater fuit quatuor virginum prophetissarum, 353 C.

PHILISTÆI seu Philistini, qui vocantur etiam Palæstini, 406 B, 421 B', a Deo de Cappadocia adducti sunt, 421 B'. — Idololatræ pessimi et filiis Israel vehementer molesti, 583 C', quorum hostibus auxilium impenderunt, 358 A, quomodo puniti sint, 358 C, 371 A. — Eorum quinque regales civitates recensentur, 371 A et seq., et cum ceteris ipsorum urbibus destruendæ prænuntiantur, 583 A'. Regnum Philistæorum totum dejecerunt Chaldæi, 371 D. — Philistiim interpretatur potione cadentes, 443 B'.

PHILO, « disertissimus Judæorum », allegatur, 10 B'.

PHILOSOPHIA, quæ dividitur in naturalem, rationalem et moralem, 10 C, non est in se vitanda, 441 D', nam ad contemplationem divinorum ducit, 58 D'. Quinam ad illam aptiores censeantur, 59 A, et quinam philosophos nimis colant, 226 B'. — Philosophi incommutabilem esse Deum probaverunt, 707 C.

PHOGOR, idolum de cujus sacrificiis aliquando Judæi comederunt, 276 C, 501 C.

PHUL, rex Assyriorum, quid egerit contra decem tribus, 206 A, 395 D', 479 D. — Ejus auxilium quomodo petierit Manahem, rex Israel, 284 B.

PIERIUS, Alexandrinus catechista, aliqua super Osee scripsit, 200 C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 10.)

PILA quid sit, 575 D', 580 A. — Per habitatores pilæ quinam intelligantur, 575 D', 580 B.

PILATUS imaginem Cæsaris in templo collocavit, 135B, et Judæos frequenter tribulavit, 251B.

PISCES quosnam designent, 58A, 235D, 577C'.

PLAGÆ quatuor de quibus Joel, an litteraliter acciderint, 328D; quænam designaverint regna, 328D', vel vitia, 334D.

PLATEÆ Jerusalem spiritualiter sunt divina præcepta et consilia, 654B.

PLATO agnovit mundi fabricatorem, 15C, sed erravit asserens totum mundum esse unum animal, 518A'. — Citatur, 50C. Allegatur ejus Timæus, 9B, 56A, et Phædon, 129A.

PLINIUS, Historiæ naturalis auctor, citatur, 43C.

PLOTINUS Platonicus quomodo Dei providentiam extollat, 56B'.

PLUVIA quam utilis, 53A. Signat doctrinam, 662C', vel Spiritus Sancti fecundationem, 666D. *Cf.* Imber.

POENA non est quid simpliciter malum, 171B. — Pœnæ præsentis vitæ medicinales sunt, quo sensu, 639B. — Pœna corporalis interdum sine propria patientis culpa a Deo infligitur, quare, 166B. — Cur pro peccato statuatur duplex pœna, videlicet damni et sensus, 523C. — Pœna quælibet gravis in Scriptura nomine ignis exprimitur, 165C.

POENITENTIA vera qualis sit, 77B, 336B, et de illa utrum certitudinem habere possimus, 694B'; quinam illa careant, 393D'. Magnitudini culpæ æquari debet pœnitentiæ magnitudo, 694B'. — Quæ sint tres pœnitentiæ partes, 393A'. — Saccus et jejunium sunt arma pœnitentium, 460C', quorum peccata qualiter puniat Deus, 517A'. — Pœnitenti dimittitur culpa, non protinus pœna, nisi magnus sit caritatis fervor, 77A.

POLYCARPUS (S.), episcopus et martyr, a S. Joanne apostolo edoctus est, 424A'.

POMPEIUS templum Jerusalem irreverenter ingressus, 674A, deficere et perire incepit, 674D.

POPILIUS (Marcus), Romanorum legatus, quomodo Antiochum Epiphanem increpaverit, 153D, et ab Alexandria recedere coegerit, 153A'.

PORPHYRIUS, « calumniator Ecclesiæ inimicusque Christi », 30C, quid senserit de Deo Judæorum, 30A, 63A, et contra Danielis librum scripserit, 29A', 30C, 120A, a quibus confutatus, 3, 165A'. — Quomodo imperitiam suam ostenderit, 7C'. — Reprobantur diversæ ejus sententiæ, 29C, 87D, 111B, etc.

PORTA vitæ vel mortis, quid, 404C. — Porta secunda Jerusalem quare sic dicta, 575C'; in illa habitavit Holda prophetissa, 575C'. — Apud Judæos in portis residebant judices, quare, 651C'. — Portæ quid signent, 442D, 482A, 533A'.

POSTICUM quid sit, 170D.

POTENTIA obedientialis in creatura quid sit, 44C'. *Cf.* Creatura.

PRÆBENDÆ. Qui eis gaudent, quid agere debeant, 15B'.

PRÆCEPTA veteris legis erant sive moralia sive judicialia, aut cærimonialia, 710A'. *Cf.* Lex, Mandata.

PRÆCURSORES triplicis Christi adventus quinam sint, 711B.

PRÆDESTINATI, per Israel designati, 360B, quomodo diligantur a Deo, 315B', 692C, cujus prædestinatio non est ex operibus nostris, 692B'; sed totius virtutis et gratiæ in nobis est causa, 696A'.

PRÆDICATORES qualiter corda convertant, 713A. — Prædicatores designati per Prophetas, 654D', vinitores, 336A', equos, 410D', cœlos, 655A', nubes, 393D', et fontes, 57B, quare specialiter deiformes dicantur, 160A'; qualiter loqui debeant, 270B, 485D', et judicium annuntiare, 347A et seq. — Quanta illorum merces, 160D. — Ipsos oportet esse sanctos, 485B'; sed ab eis sæpe subtrahitur efficacia exhortandi, propter negligentiam populi, 606A. In vanum foris prædicatur, nisi Spiritus Sanctus intus loquatur, 403B. — Prædicationis evangelicæ quinam sint effectus, 300C. — Utrum omnes docti ad prædicandum teneantur, 160B'. — Testimoniis Scripturarum abutuntur impii prædicatores, 257B. — *Cf.* Pastor, Prælatus.

PRÆLATUS bonus a Deo petendus est, 264C, 681C', tanquam magnum beneficium, 351C. — Prælatus Ecclesiæ quo sensu sit propheta, 280B', et laqueus ruinæ, 280C'. — Prælati notati per agricolas, 336A', montes, 56C, et portam populi, 476A', quomodo ad præsidentiam sint vocandi, 76D, et quibus virtutibus pollere debeant, 15A', 265A', 499D', quasi medii inter Deum et subditos, 49C'. Satagant justum judicium exercere, 303C', eruditos secum habere, 10D, gregem suum custodire, 335D', ejus pacem quærere, 67C', 645D', pro illo divinam clementiam invo-

care, 337 A; de profectu ejus gaudentes, 264 D', 477 D', et de subversione dolentes, 477 D'. Officialibus committant quæ per illos congrue facere queunt, 93 B', tanto sollicitiores quanto pro pluribus rationem sunt reddituri, 502 D', 550 B'. — Eorum vitia non sunt palpanda, sed discrete reprehendenda, 89 C'. Quantum noceat prælatus negligens et injustus, 15 A, 243 B', 247 C, 260 B, etc., qui dici potest fur et latro, 264 D, et quomodo puniatur, 241 B', 410 C. — Redarguuntur prælati simoniace promoti, 270 D', et indigni, qui per Ephraim, 264 A, et per vaccas pingues figurati, 392 A, subditorum salutem impediunt, 264 B, 265 B, potius peremptores quam pastores, 484 A'; item illi qui gregem sibi commissum verbo et opere ædificare non curant, 604 C, qui possessiones suas nimis dilatant, 249 B, per hoc damnationem incurrentes, 249 C; qui argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, 271 C, qui ecclesiam cum vitiis frequentant, 578 C, qui in sanguinibus ædificant Sion, 487 C, seu civitatem, quo sensu, 554 A. Superbi prælati quatenus inflentur, 409 B, et sortem Nabuchodonosor participent, 82 C'. — Indignis prælatis qualiter obediendum, 506 B'; qui per illos ad culpam inducuntur, non in toto excusantur, 314 C'. Quinam prælatum magis quam Deum honorent, 697 D'. Prælatum inutilem merentur sibi præfici subditi mali, 311 B', 316 A'. — Qua ratione ad Dei judicium se præparare debeant prælati, 550 B', qui, si boni sint, mallent subesse quam præesse, 336 B'. — In die æternitatis prælatio cessabit, quo sensu, 684 A'. — *Cf.* Pastor, Prædicatores, Principes.

PRÆMIUM accidentale, quod aureola nuncupatur, 160 D, ab essentiali distinguitur, 160 A'.

PRÆSUMPTUOSI, qui peccant in spe, 483 B, se ceteris justiores arbitrantur, 409 A, vel sapientiores, 411 B.

PRIMITIÆ cordis quænam sint, 40 D.

PRINCIPATUS. Ordo Principatus est summus chorus in infima hierarchia angelica, 142 D; ex illo sunt angeli qui regnis præsunt, 142 A'.

PRINCIPES pacem subditorum quærere debent, 67 C'. — Propter illorum peccata cives aliquando corporalibus pœnis afficiuntur, 547 B. — *Cf.* Prælatus.

PRINCIPIUM. Unumquodque perficitur quum suo principio copulatur, 317 C.

PRINUS qualis sit arbor, 176 B'.

PROCLUS Platonicus quid de Autotheo doceat, 68 A.

PROFUNDITAS mystice est in humilitate, 629 D'.

PROMISSIONES Dei factæ regibus et populo V. T. qualiter intelligantur, 344 D, 346 C', 424 C, etc.

PROPHETÆ, per montes æreos designati, 641 C, ad quid missi sint, 3, 274 D', 544 C, etc., et cur Videntes dicti, 367 A, 414 D. — Spiritu Dei loquebantur, 20 A, 197, ita ut per illos verba emitteret Deus, 305 A, cujus singulari providentia directi sunt, 45 B', secreta divina audientes, 384 B, futura tanquam præsentia certissime intuentes, 3, et multiplicibus visionibus gaudentes, 305 B. Per angelos animos illorum informat Dominus, 431 B. — Quo sensu per Prophetas data sit lex, 126 B, cui dicta ac scripta ipsorum superaddita sunt, quare, 199 A. — Quomodo persecutionem passi sint, 275 D, 395 B'. — Qualis sapientia in eorum codicibus inveniatur, 197. Primum Christi adventum qualiter prophetent, 357 D, et fidem catholicam suis documentis corroborent, 197, omnes de Salvatoris mysteriis principaliter tractantes, 305 B, 345 B', 704 D. Quomodo populum ad pœnitentiam provocaverint, 679 D', et ad conversionem, 619 A. — In multis quantum ad materiam coincidunt, quare, 478 B', et frequenter diversi Prophetæ eisdem nominibus vocantur, 617 B'. — Quanam præcipua ratione difficulter intelligantur, 591 B. Interdum verbis, interdum rebus vaticinati sunt, 203 D, 230 B, 672 C. Sæpe de tempore uno ad aliud transeunt, 111 A, 362 A, præteritum ponunt pro futuro, 432 A', 610 C', aut vice versa, 639 A', et mutant personas, 576 C', vel eas repente introducunt, 145 C'; metaphorice et obscure loquuntur, 661 C'. — Aliquando ignorant utrum sibi revelata ad prædestinationis vel comminationis prophetiam pertineant, 343 A. — In volumine duodecim Prophetarum quanta sit sapientiæ profunditas, 197. — Multi Prophetæ fuerunt quorum visiones non sunt conscriptæ, 305 B, sed propheta non est qui non intelligit quod videt vel audit, 137 D. Tempore Danielis quo sensu non fuerit Propheta, 40 A. Qui in titulis Prophetarum exhibentur ut eorum patres, utrum prophetæ fuerint, 415 D, 617 B. — Quinam in Ecclesia primitiva prophetave-

rint, 353D, et spiritualiter quinam prophetæ vocentur, 654D'. — Falsi prophetæ, quos occidi jusserat Moyses, 679C', qualiter peccaverint, 484D', et puniti sint, 485B; quosnam figurent, 485A'.

Chronologica series Prophetarum : Ante captivitatem : Abdias, circa annum 890 ante Christum. Joel, 850 Jonas, 825. Amos, 810. Osee, 790. Isaias, 760-690. Michæas, 758. Nahum, 680. Sophonias, 639. Jeremias et Baruch, 628-583. Habacuc, 608. — Post captivitatem : Daniel, 605-536. Ezechiel, 594-535. Aggæus, 520-515. Zacharias, 520-510. Malachias, 433-424.

PROPHETIA non dicit donum habituale sed actuale, 415B; quo sensu doctrina perhibeatur, 4, et qualis sit prophetica cognitio, 329D'. Quomodo factæ sint propheticæ illuminationes, 327B, per angelos, 21B', 201B, 619C', etc.; non semper per angelos Prophetarum custodes, 620A'. Hujusmodi revelationes, quæ dicuntur gratiæ gratis datæ, 25C', 101C, 449C', communiter exhibitæ sunt in locis solitariis, 229B. Intelligentia opus est in visione prophetica, quo sensu, 137D, 411C, 537B. — Quid probent prophetiæ, 101C, 197. Semper impletur prædestinationis, non vero comminationis prophetia, quare, 77D, 342C', 450B', etc. — In libris propheticis multa habentur pure historica, 179B.

PROVIDENTIA Dei specialis est circa rationales creaturas, 538D', præsertim circa magnos principes, 16A'; singularis quosnam dirigat, 45C'. — Quinam de illa diffidant, 226A'. Negatio providentiæ divinæ, quæ tribuit peccandi securitatem, 542C', qualiter facta sit, 576C, 580D'. — *Cf.* Deus.

PRUDENS. Anima quiescendo fit prudens, 143A'. — Prudens quando taceat, 404B'. — Vitiosis non inest prudentia, 441B'.

PRUINA quid signet, 54C.

PSALTERIUM quid sit, 32D.

PTOLEMÆUS I, Soter, Lagi filius, 147A, post Alexandrum Magnum in Ægypto regnavit, 104D; prudentissimus atque ditissimus, suum dilatavit dominium, 147C', et ab illo sequentes Ægypti reges dicti sunt Ptolemæi, 147D'.

PTOLEMÆUS II, Philadelphus, filius præcedentis, quantæ fuerit scientiæ ac potentiæ, 148A. — Libros legis Mosaicæ transferri fecit, 148B.

PTOLEMÆUS III, Evergetes, filius præcedentis, quomodo Seleucum Galericum vicerit, 148C', Syriam spoliaverit et imperium suum auxerit, 148D'.

PTOLEMÆUS IV, Philopator, filius præcedentis, a filiis Seleuci Galerici qualiter impugnatus, 149B.

PTOLEMÆUS V, Epiphanes, filius præcedentis, 149B', Antiochi Magni, qui contra ipsum certaverat, 149C', filiam Cleopatram in uxorem accepit, 150D'. — Oniam, Judæorum sacerdotem, fugientem cum honore suscepit, 150A, illique licentiam dedit templum et altare in Ægypto construendi, 150B.

PTOLEMÆUS VI, Philometor, filius præcedentis, 151D', et Cleopatræ, 152A. Illum quomodo impugnaverit Antiochus Epiphanes, 152A, et cum ipso pacem dolose inierit, 152C'.

PTOLEMÆUS (Claudius), astrologus et philosophus, allegatur, 89C'.

PUERI non baptizati resurgent, sed sensum pœnæ vel gloriæ non habebunt, 159B'. — Pueri tres Judæi, statuam Nabuchodonosor adorare renuentes, 34A, qualiter vincti et vestiti, 34D, in fornacem projecti sint, 34A', ubi illæsi Deum laudaverunt, 35A. Quanta illorum fides, 66A', et quo sensu eos non tetigerit ignis, 44A', 66A. Innocentes quum essent, in persona populi sui tanquam peccatores locuti sunt, 37C. Explanatur illorum canticum, 35C et seq., qua mente pronuntiandum, 61B.

PULCHRITUDO corporis in quibus sistat, 166A', ad quid utilis, 11D, et quomodo juventuti conveniens, 11A'.— Ex pulchritudine florum ac arborum quatenus mens elevetur, 167B.

PULLUS asinæ in quo sedit Christus, gentiles designabat, 660A.

PUNITIO Dei quantum ad electos est medicinalis, 499D. — Punitio gehennæ ex furore Dei infligitur, quo sensu, 499A'.

Q

QUADRIGA fervens, mystice quid sit, 532C'. — Quadrigæ Persarum ac Medorum, quare Dei quadrigæ dicantur, 560B'. Quadrigæ Dei sunt etiam Evangelistæ vel angeli sancti, 568A. — Per quatuor quadrigas quænam designentur regna, 641B et seq., 642C.

R

RABBA vel Rabbath, metropolis Ammonitarum a Chaldæis destructa, 372C'.

RABBI. *Vide* Judæi auctores.

RABSACES, nuntius Sennacherib, qualiter contra Dominum malitiam cogitaverit, 520 A.

RACHEL. Pro illa quomodo servierit Jacob, 305 C', et quando eam in uxorem receperit, 305 D'.

RAIMUNDUS (Martinus) frater, Ord. Præd., « in lingua Hebræa multum peritus », citatur, 276 C'.

RAMA interpretatur excelsum; quid significet, 248 D'. — Erat in tribu Benjamin, 245 A'.

RAPHAEL (S.) archangelus interpretatur medicina Dei; ad quid mittatur, 120 B'.

RASIN, rex Damasci, in quo confidebat Phacee, rex Israel, 385 C, a rege Assyriorum occisus est, 370 D'.

REBLATHA, regio ubi sita erat Emath minor, 406 A.

REGNUM Dei quid sit, 47 D, 111 D', et qualiter sempiternum, 68 C, 100 D. Quo sensu Deus regna transferat atque constituat, 22 C'. — Quænam regna figurata sint per statuam quam Nabuchodonosor in somno vidit, 26 A' et seq., per quatuor bestias de mari ascendentes, in somnio Danielis, 102 C' et seq., et per quatuor cornua in visione Zachariæ, 622 D.

RELIGIO quid sit, 62 B'. — Religio in qua regula non servatur, quomodo ad reformationem provocanda, 225 B' et seq.

RELIGIOSI quinam dicantur, 62 B'. — Redarguuntur religiosi qui regulam suam violant, 487 C', et qui se jactant de sua rebellione, 393 A. — Falsi religiosi qualiter peccent et pœnitentiam agere valeant, 278 C', 290 D'.

REMPHA idem est ac Lucifer, 402 B'.

RENES accincti auro obryso quosnam signent, 139 C.

REPROBI quo sensu a Deo cogniti, 244 D, et dilecti, 231 B, 692 B, a Christo dividantur, 409 A', et dæmonum prædæ fiant, 553 A. — Quonam indicio in hac vita distinguantur, 411 A'; quænam sint eorum altaria et simulacra, 289 C'. — A principio mundi electos afflixerunt, 534 A', quos Deus per illos, sicut per virgam corrigit, 492 A. — Quid in die judicii sint dicturi, 291 A, et quatenus in inferno torquendi, 392 B.

REPTILIA terræ. Per illa figurantur avari, gulosi et luxuriosi, 222 D.

REVELATIO est quædam impressio divinæ scientiæ, 144 A. — Quisnam capax sit revelationum divinarum, 603 D.

REX. Illum maxime dedecet ebrietas, 84 B'. — Reges crudeles quomodo fiant æquitatis divinæ instrumenta, 89 B. — Rex noster dici potest intellectus seu ratio, quo sensu, 298 A'. — Vere reges sunt omnes Beati, 114 A.

RICHARDUS de S. Victore, « Hugonis discipulus », citatur, 56 C', 108 C'.

RISUS etiam ordinatus moderandus est, 181 B'. — Qualiter risus a sancto quodam eremita damnatus sit, 505 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 73, col. 864.)

ROGOMELECH utrum fuerit Judæus an Persa, 646 D.

ROMA, quæ usque ad tempus Constantini Magni idola coluit, 490 A, sub Nerone Babylon vocata est, quare, 361 B.

ROMANI. Quanta eorum ambitio, 27 D, et potentia, 27 A', 104 A', præsertim tempore Augusti, 112 D'. — Ex illorum regibus alii clementes, alii crudeles Judæis fuerunt, 642 A. — Prænuntiatum erat qualiter per illos Deus Judæos punierit, 596 D', 669 C. — Quomodo præfiguratum sit ipsorum imperium, 27 B, 104 A', et quantum fuerit Christo adveniente, 489 D, 633 A. Deo volente cetera regna vicerunt, sed non recta intentione, 642 A'. — Ecclesiam persecuti sunt, 104 B', sed regnum eorum in Christo feliciter exaltatum est, 622 D'. — Imminente Antichristi tempore, illorum imperium in decem reges dividetur, 104 D', 108 D'.

ROS ad quid utilis, 53 A, et quid designet, 53 C, 54 C.

ROSTRA aurea mystice sunt manus ministrorum Ecclesiæ, 638 C'.

ROTA. Mystice, quid sit vox impetus rotæ, 532 B'; quid sint rotæ Dei, 106 D'.

RUBIGO vocatur corruptio seu vitium segetum, quo sensu, 328 C.

S

SABÆI ubi vixerint, 358 D.

SABAOTH quid significet, 391 C'.

SABBATUM celebrabatur in memoriam creationis mundi, 218 A, et figurabat requiem a Christo collatam, 218 C'.

SACCUS quid designet, 419 A. — Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum, quo sensu, 602 C, 605 C'.

SACERDOS re et nomine quisnam sit, 645 D'; labia ejus custodiunt scientiam, quo sensu, 699 D', 703 C. Angeli et sacerdotes in multis

communicant, 700B, et digno sacerdoti adest angelorum subsidium, 634B'. — Sacerdotum est subditos adunare et instruere, 332D, pro illis divinam clementiam exorare, 337A, flere pro suis populique delictis, 350A, et Dominum hominibus reconciliare, 331C'. Quinam sacerdotes peccata populi comedant, 242D. Erit sicut populus, sic sacerdos, quo sensu, 242A'; sacerdotibus autem correctis, ceteri facilius emendantur, 698D.

Sacerdotes V. T. cur ministri Dei specialiter dicantur, 330D', 343B'; qualiter panes propositionis offerre debuerint, 694A; quinam ex illis indigni fuerint, 693D' et seq. Sacerdotes de tribu Levi quare meruerint dignitatem suam perdere, 236A'. Sacerdotes decem tribuum non erant veri sacerdotes, 236D, 243C; qualiter increpentur, 243C'.

Sacerdotes N. L. quam perfecti esse debeant, 702C, quantæ sanctitatis, 60B', scientiæ atque sobrietatis, 236B'; et quatenus puniantur, si indigni sint, 702D. Redarguuntur sacerdotaliter non viventes, Horas cursorie persolventes, 579C', non fructuose confitentes, 697A', vacantes potibus, 703D, sacramenta irreverenter tractantes, 597C', 697D, Eucharistiam, quantum in se est, contaminantes, 697A', et alios ita scandalizantes ut contemptibiles fiant, 703A'. — Quinam in Ecclesia sacerdoti contradicant, 241D.

SACRAMENTA Ecclesiæ sunt vasa medicinalia, gratiæ contentiva, 637D; efficiunt quod repræsentant, 637A', et per illa Christus suum meritum nobis applicat, 655D. — A ministris Ecclesiæ conficiuntur ac dispensantur, 638C'. — Sacramentum altaris. *Vide* Eucharistia.

SACRIFICIUM quid sit, 40B; quo sensu misericordiam velit Deus et non sacrificium, 254A', 256C'. Sacrificia per vitulos figurantur, 317B'. — Sacrificia legalia ex fide offerentium, non ex propria virtute, Deo placuerunt, 41A, 401C, 501D', 502A, 694D'; quandonam illicita evaserint, 134A'. Quare Domino non grata fuerint Judæorum sacrificia, 400C'. Juge sacrificium quid fuerit et quid significaverit, 118D. — Sacrificium N. L., per se Deo gratissimum, 405C', quomodo prænuntiatum sit, 695B; omnibus sacrificiis V. L. præstat, 706C'; in persecutione Antichristi cessabit publice celebrari, 164A. — Sacrificia quænam offerant Christiani, 706A'.

SAGITTA spiritualis est sermo divinus, 661A'.

SALATHIEL, pater Zorobabel, in Babylone natus, 601B, interpretatur petitio Dei, 611C. — Quo sensu Christus dicatur filius Salathiel, 611B.

SALLUSTIUS. Allegantur ejus Historiæ, 43C. — Sub nomine ejus Sedulius citatur, 78B.

SALMANASAR, rex Assyriorum, decem tribus vastavit, 385A, 396A, 479D, et in Medos transtulit, 202A, 206A, juxta flumen Gozan, 283A.

SALOMON typus fuit Salvatoris, 293D'; cum illo pactum amicitiæ fecit Hiram, rex Tyri, 371B'. — Utrum damnatus sit, 267B'.

SALOMON (Rabbi), quem Hebræi moderni pro præcipuo habent doctore, 136C', allegatur, 221A', 284D. — Confutatur, 136C', 250B'.

SALTUS quid sit, 219A, et quo sensu illi assimiletur Synagoga, 219B.

SALUS. Ejus prima causa est bonitas Dei, non meritum nostrum, 664A'.

SALVATOR. *Vide* Christus. — Salvatores quinam vocentur, 438C, 443C'.

SAMARIA, metropolis in regno decem tribuum, 258A, super montem locata, 405D', interpretatur custodia, 474C. Hoc nomine significatur etiam regio, 268A, quæ oleo abundat, 301B', vel populus habitator urbis aut provinciæ, 314B. — Idololatriam regum suorum secuta est, 258A. Samaritani non poterant æquanimiter aliquid de prospero Judæorum successu audire, 511B'; qualiter templi reædificationem impediverint, 601B'. — Samariæ destructio qualiter prædicta sit, 471A. — Mystice, quosnam figuret Samaria, 474C, 475A', et quinam sint ejus habitatores, 290A', 443C'.

SAMBUCA quid sit, 32C.

SAMUEL (Rabbi), quomodo, scribens ad Rabbi Isaac, Christum venisse demonstret, 136A.

SANCTIFICATIO Domini quid sit, 700C'.

SANCTUS omnis, habens in se animæ pulchritudinem, a Domino amatur, 141D. — Vir sanctus quomodo paucitatem justorum defleat, 507D. — Sancti delectatione virtutis etiam corporaliter reficiuntur, 13A'; quo sensu a malis confundantur, 41A', et cur interdum ab infidelibus diligantur, 12B'. — Virtutes suas non jactanter produnt, 95B; qualiter interpretanda verba quibus se humiliant, 415B, vel alia eorum dicta et gesta, 450D'. Ea posse perhibentur quæ faciliter a Deo valent impetrare, 71C; ultionem expostulant contra malignos, 76C; quare

mortem desideraverint, 463 C', 464 C'. — Sæpissime ab igne præservati sunt, 62 A, et quidam ex illis de loco ad locum angelico obsequio translati sunt, 179 B. — Quo sensu in illis ascendat Deus, 421 A, eisque vox magna in Scriptura adscribatur, 185 C'. Illos magnifice Dominus in Ecclesia exaltat, 646 B'. — Sancti in primitiva Ecclesia quatenus pugnaverint, 664 B, gratia confortati, 664 C. — Ab Antichristo gravissime vexati, 112 D, finaliter prævalebunt, 112 C', 113 C', cum Christo judicabunt, 105 C', regnabunt in Deo et Deus in ipsis, 113 D'. — *Cf.* Beati, Electi.

SANGUIS, quomodo urgente timore ad cor decurrat, 86 B, 140 D', 143 C. — Sanguis sanguinem tetigit, quo sensu, 234 C'.

SAPIENTIA, per vinum designata, 279 C', quid sit, 9 C', et quibus mediis obtineatur, 15 C'. — Per illam intelligitur vel gratia gratis data, vel donum Spiritus Sancti, 163 C'. — Qualis sapientia in codicibus Prophetarum inveniatur, 197. — Sapientes hujus mundi frequenter, dum non suspicantur, de medio tolluntur, 581 B.

SARABALLA quid fuerint, 34 D.

SARASAR utrum fuerit Judæus an Persa, 646 D.

SAREPTA, urbs Sidoniorum, in qua Eliam pavit vidua, 436 D.

SARRACENI multi stellam colunt matutinam, 401 A'.

SARUG, proavus Abrahæ, sub quo dicitur Chaldæorum inchoatum fuisse regnum, 103 B.

SATAN propriæ adinventionis superbia damnatus, 543 C, quomodo homines impugnet, 526 D'. *Cf.* Dæmon.

SATISFACTIO. Per illam pœna aufertur, 511 D'.

SATRAPÆ quinam dicantur, 31 B'.

SATURNUS, per quem intelligitur planeta vel homo, 178 C', quare pater deorum vocetur, 178 B', et a Babyloniis adoratus sit, 179 B', sub nomine Belis, 178 B', 179 B'. — Quid de capite ejus fundendo dicatur, 178 C', 180 D.

SAUL an ex Dei voluntate rex factus sit, 267 B.

SAXA ex vehementi calore resolvi solent, 519 D.

SCENOPEGIA. *Vide* Tabernaculum.

SCHINUS qualis arbor sit, 175 B'.

SCHISMATICI qualiter auream statuam erigant, 32 B ; et quinam dicantur illorum equi, 677 D.

SCIENTIA quid sit, 4, 9 D', 10 A. — Per illam intelligitur vel gratia gratis data, vel donum Spiritus Sancti, 163 C', 234 C. — Qui caret scientia salutari, 241 C', tacet loquenda, loquiturque tacenda, 241 D'.

SCIPIO Africanus, qui Annibalem superavit, Antiochum Magnum etiam devicit, 151 C.

SCIPIO Nasica Antiochum Magnum debellavit, 151 C.

SCISSURÆ petræ. Mystice, quis in illis habitet, 440 B.

SCOTUS (Duns), Ord. Min., Doctor subtilis, allegatur, 44 C'.

SCRIPTURA sacra, quæ dicitur arcus Dei, 568 B, intelligi nequit nisi eodem spiritu quo est scripta, 87 C. Quanta ejus auctoritas, 51 A, et fecunditas, 161 C'. Scientia ejus qualiter inquirenda, 197, 257 A, et sacerdotibus quam opportuna, 236 A'; quare ejus mysteria involuta sint, 161 D, quando patefacta, 161 A', 319 D', et a quibus, 163 D'. — Ejus litteralis sensus pro fundamento ponendus est, 356 A'; an multiplex sit, 293 D', et ex illo tantum sumi debeat probatio, 293 D. — In illa multa parabolice dicuntur, 329 A'; frequenter attenditur significatio quoad nominis interpretationem, 361 B; non servatur ordo historiæ, 377 C', 520 A ; sub eodem contextu de figurato transitur ad figuram, 644 A', de parte ad totum, et econverso, 345 B; homines exprimuntur per bestias, 329 A', et per arbores, 336 C' ; de diversis quasi de eisdem, 562 C', 671 C', de populo quasi de una persona sermo habetur, 274 A', 312 A, et per multos totalitas designatur, 159 B'. In illa quinam dicantur patres, 84 D', et utrum vox magna solis justis tribuatur, 185 B'. — Figuratur per scripturam quæ Balthasar regem terruit, 87 A. Quid intelligatur per scripturam veritatis, 144 A. — Scripturæ V. T. quatenus apud Hebræos dividantur, 4, et a Christo Apostolisque allegentur, 402 B'. Quænam Scripturæ partes a Dionysio nostro veræ sed non canonicæ reputentur, 165 C'. Scripturam pervertunt hæretici, 266 A'. — Libri Scripturæ in judicio finali aperientur, quare, 108 D.

SCULPTILE an et quomodo differat a conflatili, 548 C'.

SEBOIM, urbs Pentapolis, igne et sulfure subversa est, 295 D'.

SECRETA divina non sunt omnibus revelanda, 161 C.

SECUNDUS philosophus (in Altercatione Adriani) citatur, 57 C.

SEDECIAS, rex Juda. Ejus tempore Jerusalem a Chaldæis combusta est, 269 D', et domus Juda in Babylonem translata, 207 B'. A Nabuchodonosor captus, 266 D', cujus ad tempus amicus fuerat, 547 D', quid ab illo audierit, 266 D'. — Quomodo ejus filiis interfectis, 575 D, ipse oculis privatus sit, 406 B, et quid de ejus morte narrent Hebræi, 547 C'. — Sub illo quinam fuerint justi in regno Juda, 419 C'.

SEIR, id est pilosus. Ita vocatus est Esau, 431 A'.

SELEUCUS I, Nicator, 147 B, post Alexandrum Magnum in Syria regnavit, 104 D, et ex ejus progenie ortus est Antiochus Epiphanes, 117 D'.

SELEUCUS II, Callinicus, filius Antiochi Theos, qualiter, matris suæ interventu, regnum Syriæ acceperit, 148 B'. — Illum devicit Ptolemæus Evergetes, 148 C'.

SELEUCUS IV, Philopator, rex Asiæ, primogenitus Antiochi Magni, 151 A', Judæis favens, 641 C', quibus muneribus templum secundum Jerusalem illustraverit, 608 A'. — Quare indignus regno dicatur, 151 B'.

SELLUM interfecit Zachariam filium Jeroboam, regem Israel, 413 C'.

SEMEI. Per ejus tribum quid intelligatur, 676 A.

SEMEN est potentia totum, 224 A. — Semen est verbum Dei seu gratia Spiritus Sancti, 613 A'. — Quinam seminaverint multum et intulerint parum, 605 D.

SEMIRION, Græcus philosophus (apud Albertum in Dan. xiv, 22, et de Animal. lib. xxv, n. 26), allegatur, 182 C.

SENECA (Annæus) philosophus citatur, 80 C', 88 B', 127 B.

SENES quinam digne vocentur, 353 D, 653 D', et honorandi sint, 327 B'. — Senes, Susannæ amatores, de tribu Juda orti, 172 C, quam pravi fuerint, 167 B', 169 A, 170 A'; de illis loquitur Jeremias, 165 D, 167 C', 176 C. Quomodo ex visu lapsi, 168 D, et specie decepti, 176 A, sensum suum everterint, 168 A', Susannam deinde inique accusaverint, 173 B, et condemnaverint, 173 A'. Qualiter a Daniele judicati sint, 175 B et seq., et quali supplicio perempti, 177 D. Quæ illis consenserunt quare filiæ Israel non Juda dicantur, 176 D.

SENIORES qui vere seniores exsistunt, non sunt increpandi, 225 C'.

SENNAAR interpretatur mendacium, 15 C. — Quid sit terra sic dicta, 8 B, 640 D.

SENNACHERIB, rex Assyriorum, per Belial designatus, 521 A', qualiter in Judæos sævierit, 269 D', 494 D', 508 A. — Quid de illo prædictum sit, 23 A, 508 A, 519 D'. — Per viam maris Rubri contra Judæos venit, 510 D. Convivium in Nobe fecit exercitui suo, 519 D', qui eadem nocte ab angelo cæsus est, 520 A. — Quomodo et quando ipse a propriis filiis occisus sit, 520 B'. — *Cf.* Assur.

SENSUS. Qualiter evertatur sensus exterior, 168 A', et sensus interior, 168 B', qui est ipsemet intellectus, 168 A'. — Sensus corporis quatenus mortem hauriant et dæmonibus aperiantur, 533 A'.

SENTENTIÆ. Liber Sententiarum (Petri Lombardi) allegatur, 627 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 192.)

SEPTEM est numerus perfectionis, per quem universitas designatur, 497 D, 632 B'.

SEPTUAGINTA interpretes, sub Ptolemæo Philadelpho dicuntur Scripturam in Græcum vertisse sermonem, 148 A. — Illorum translatio, a S. Augustino commendata, 565 B, non raro allegatur, 101 C', 139 D, 158 A', etc.; quandonam eadem in usu Ecclesiæ fuerit, 200 B', 422 B', et qualiter nunc in Officio Parasceves usurpetur, 564 D.

SERAPHIM. Eorum proprietates per ignem designantur, 53 B'.

SERPENTES. Aliquod eorum genus in aquis commoratur, 420 C.

SERVITUS duplex est, 693 D. — Servus servitute timoris filialis, etiam filius est, 693 A'.

SETIM, locus ubi peccaverunt filii Israel, 501 C.

SIBYLLA. Allegatur ejus vaticinium, 105 A. Quid de Christo prædixerit, 495 B.

SICHEM, alias Sichar, 268 A, quæ modo Neapolis dicitur, ubi sita, 255 A'.

SIDERA quosnam significent, 440 C'.

SIDONII, qui auxilium impenderunt Judæorum hostibus, 358 A, quomodo puniendi prænuntientur, 358 C.

SIDRACH. Quare sic vocatus sit Ananias, 11 C'.

SILOE vallis cur nomine pilæ signetur, 575 D'.

SIMILITUDO est causa amoris, et discordes unit, 713 A'.

SIMON Machabæus, Judæorum sacerdos ac princeps. Ejus tempore bonis abundaverunt habitatores Juda, 622 B, 628 C'.

SIMPLICITAS periculosa qualis sit, 513 C.

SIMULACRA quid exprimant, 667 A.

SION interpretatur speculatio, 347 A, 373 A', 408 D, 594 D'; quid significet, 338 B, 347 A, 355 C', etc. — Quo sensu sit mons inclytus et sanctus, 157 D', vel sanctificatus, 649 D', mons domus Domini, 487 D', præparatus in vertice montium, 488 A. Ex Sion qualiter lex egressa sit, 488 D'. — Ibi fuit templum et regis palatium, 405 D, necnon cœnaculum in quo Spiritus Sanctus effusus est, 355 D'. — Ejus devastatio quomodo prænuntiata sit, 486 B'.

SMERDES Magus, filiam Cambysis duxit uxorem, 146 C.

SMIGMA quid sit, 170 C.

SOCIETAS mala summe vitanda est, quia summe nociva, 630 B.

SOCRATES maluisset canem adorare quam idolum, 258 B. — Quid senserit de scientia divinationis somniorum, 70 C'. — Quid moriens de diis dixerit, 129 A.

SOL, qui non est in se formaliter calidus, sed causaliter tantum, 464 B', quomodo terram fecundet, 224 A, et divinam majestatem manifestet, 52 D. Illum intuens, in Creatore delectatus est S. Franciscus, 52 A'. — Supernaturaliter obscuratus est dum Christus in cruce penderet, 354 C, 355 B, et in die quoque judicii obtenebrabitur, 359 C'. — Spiritualiter, quid significet, 52 B'. — Sol et luna steterunt in habitaculo suo, quo sensu, 561 B', 568 C'.

SOLATIUM. Redarguuntur qui illud a filiis sæculi quærunt, 249 B'.

SOLITUDO favet contemplationi, 228 D', et cordis munditiæ, 229 A.

SOLLICITUDO laudabilis quænam sit, 502 C'. — Sollicitudo temporalium impedit studii integritatem, 10 C'.

SOMNIUM quid sit, 14 A, quotuplicis generis, 16 D', et qualiter differat a visione atque oraculo, 16 A'. Quando somnia sint revelationes, 16 B', 25 A'. — Quatenus in somniis fallamur, 71 D', 667 B, et contra illorum observatores quid legatur in Osee, 290 C; ipsorum significationibus plurimum intendebant gentiles, 70 A. — Explanatur somnium de statua, 25 A et seq., et somnium de arbore, 73 A et seq.

SOMNUS tristitiam alleviat, 98 C', 451 C', et in illo aptior est anima ad revelationem cœlestem, quare, 353 D. — Quibus causis impediatur, 98 D'.

SOPHONIAS, qui interpretatur specula vel arcanum, 577 B, quomodo de prophetali genere ortus sit, 573 A, et quando prophetaverit, 573 B. — Quem designet, 577 B.

SORS triplex est, 452 A'. — An sortibus uti liceat, 452 B.

SPES unde certitudinem habeat, 461 C'. — Qui bene sunt in divinis, melioris sunt spei, 20 C', 173 A. Semper in Deo sperare debemus, 42 A', 303 D', 316 C, etc., qui salvos facit sperantes in se, quo sensu, 177 A. — Datur aliquando spes infructuosa ac fallax, 528 A.

SPHÆRICA figura capacissima est, 673 D.

SPINÆ quid designent, 215 C', 226 C', 228 C, etc. Per torrentem spinarum quid intelligatur, 360 C', 362 B.

SPIRITUS in homine quomodo ab anima discernatur, 40 B', 60 D'. — Spiritus corporalis quid sit, 17 A. — In quo sistat spiritus humilitatis, 40 A'.

SPIRITUS Sanctus, Deus verus, 353 D', simplex in essentia, multiplex in efficacia, 161 C', cujus unum principium sunt Pater et Filius, 353 C', qualiter in anima diem spiritualem faciat, 251 B, 625 D. Ab illo clarius vel obscurius illustrabantur Prophetæ, 343 A, qui Spiritu Dei locuti, 20 A, 24 B', eodem Spiritu interpretandi sunt, 197. Ejus unctione docti sunt omnes electi, 160 B; ex illo est salus nostra, 637 C', nam sine ejus motione meritorie operari non valemus, 613 A', et nisi intus loquatur, in vanum foris prædicatur, 403 B. Est spiritus gratiæ et precum, 675 B. In illum peccat qui desperat, 342 D. Quo sensu dari et effundi dicatur, 353 D'; ejus dona quare per ligna designentur, 605 A. — Ipsius missio quatenus a Joele prænuntiata sit, 352 C' et seq. Illum sub specie ignis, 354 C', receperunt Apostoli in cœnaculo, 353 C, ab eodem transformati, 594 C', et in bono confirmati, 594 D. Quomodo datus sit in primitiva Ecclesia, 353 C', 354 A, quam delicatissime nutriit, 594 A'.

SPONSA Christi triplex est, 222 D'.

STABILITAS cordis servanda est, 477 B, quin pertinacia cum illa confundatur, 477 C.

STANNUM quid agat circa alia metalla, et quid signet, 638 B'.

STATUA quam per somnium vidit Nabuchodonosor, 25 D', quid significaverit, 26 A' et seq. Qualem statuam idem erexerit, 31 A; et mystice, qualiter illum imitentur avari ac hæretici, 32 B. — Statua quam in visione

adspexit S. Franciscus, triplicem Ecclesiæ statum figurat, 30 C'. — Per statuas idolorum dæmones loquebantur, 663 A. — *Cf.* Nabuchodonosor.

STATUARIUS significat Deum omnium fictorem, 671 D.

STELLÆ quosnam designent, 52 D', 118 C, et magnificentiam Creatoris sui quomodo ostendant, 52 C'. — In die judicii splendorem suum retrahent, quo sensu, 359 D'. — Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt, 160 D.

STERCUS solennitatum quid sit, 699 C, 702 D'.

STRUTHIONES. Quid sit luctus quasi struthionum, 471 C'.

STUPPA qualiter vitiosos figuret, 43 D.

SULCI animæ sunt inordinati motus, 291 C'.

SUPERBIA, coram Deo turpissima, 552 A, contemni abhorret, 34 B, et redargui, 241 C; quinam ejus effectus, 20 A, 440 A', præsertim in regibus, 19 C. In incessu solet lucere, 478 C'. — Quænam sit bona superbia, 553 C'. — Superbus gloriam et honorem quæ Deo debentur, usurpat, 89 D'. Superbi, per volucres denotati, 58 B, alios despiciunt, 703 B', inferioribus sociari dedignantur, 380 C, de Dei donis gloriantur quasi a se ipsis ea haberent, 78 A; quomodo excæcentur, 551 D', humilientur, 291 A', 439 C', 440 B', et puniantur, 315 D', 579 C, 605 C.

SUPERIORES dicuntur « anguli excelsi », quare, 581 B'. *Cf.* Prælatus.

SUSANNA, quæ interpretatur obtentus lilii sui, 166 C, corpore pulchra, pulchrior mente, 166 D, 172 A', Deum timebat, quo sensu, 166 B', eratque honesta conversatione ac fama, 172 B. — Cur meridie in pomario deambulaverit, 168 A; quale oleum sibi præceperit afferri, 170 B; quid senibus adulterium suadentibus responderit, 170 C', fortior quam Lucretia, 171 D, nec mortis nec opprobrii timore superata, 171 A'. Exclamans contra impudicos judices legem dupliciter implevit, 171 B'. — Quare flens suspexerit ad cœlum, 172 D', et Deum invocaverit, 173 B', tanquam innocentiæ suæ testem, 173 D'; quomodo exaudita sit, 174 C et seq., vere digna filia Israel, 174 C', necnon Juda, quo sensu, 176 D. — Ejus historia, quæ in officio Missæ solenniter legitur, 165 C, contra Hebræos tanquam vera vindicatur, 165 B; quisnam fuerit ejusdem auctor, 165 C'.

SUSIS fuit Elamitarum metropolis, in qua turrim a Daniele ædificatam esse narrat Josephus, 115 B.

SYCOMORUS qualis sit arbor, 415 A'.

SYMMACHUS, Samaritanus, Scripturæ translator, allegatur, 64 A, 115 C, 141 D, etc.

SYMPHONIA quid sit, 32 D.

SYNAGOGA, cujus princeps fuit S. Michael, 120 D, 142 D, quomodo Deo desponsata sit, 216 B, 330 A', 649 C, et quibus vestibus donata, 213 C', 215 A'. — Saltui assimilatur, 219 A, filia latronis dicitur, 494 C, et vinea, 220 B, 330 B, cujus vinitores quinam sint, 220 C. — Qualiter post fornicationem a Deo suscepta sit, 204 C. Qua ratione illam consolatus sit Dominus, 219 D', et quando, 220 A; ab ipso quatenus derelicta sit, 214 B, et quo sensu ejus filii sint filii fornicationum, 214 C'. Illam indignatione magna zelatus est Deus, 649 D. Quinam ejus amatores perhibeantur, 215 D. — Synagoga incredula, quæ non amplius uxor Dei est, 213 A, ad pœnitentiam excitatur, 213 C. In fine sæculi Christo desponsabitur, 308 C'. — Synagogæ per virgines significantur, 418 B'.

SYNDERESIS malo remurmurat, 280 D.

SYRI, de Cyrene a Deo adducti sunt, 421 C'. — Quam crudeliter Galaaditas trucidaverint, 370 B, et quomodo puniti sint, 369 B, 370 C'. — Syriæ metropolis fuit Damascus, 369 A.

Reges Syriæ qui in hoc volumine memorantur : Hazael, 876-833 ; Benadad, filius ejus, 833-? ; Rasin, 726-? ; Seleucus I, Nicator, 311-281 ; Antiochus II, Theos, 260-247 ; Seleucus II, Callinicus, 247-225 ; Antiochus III, Magnus, 222-186 ; Seleucus IV, Philopator, 186-174 ; Antiochus IV, Epiphanes, 174-164.

T

TABERNACULUM. Festum Tabernaculorum seu Scenopegiæ, quare celebratum sub lege, 218 B', 686 A; quid figuraverit, 218 C', et qualiter a Christianis celebrari queat, 686 B.

TABULA. In secunda legis tabula erant septem præcepta ad proximum pertinentia, 693 C.

TALIO. Danielis accusatoribus inflicta est talionis pœna, 99 D'.

TECTA. Mystice, quinam adorent super tecta militiam cœli, 578 A'.

TEMPLUM Jerusalem, quod fuit in monte Sion, 157 D', cur dicatur Libanus, 548 D, 668 D, et turris gregis nebulosa, 491 B. — Ejus reædificatio qualiter cœpta et impedita fuerit,

601 B'; illam tardantes Judæi increpati sunt, 601 C'. — Qualis fuerit secundi templi gloria, 608 A', 643 C, minor quam templi primi, quo sensu, 608 B', sed adveniente Christo prorsus præstantior, 608 C', 705 A'. In illo Antiochus Epiphanes idolum Jovis posuit, 118 D. Ad illud multi gentilium confluxerunt, 652 D'. Ejusdem destructio prænuntiata est, 668 D et seq., et a Romanis peracta, 668 D'. — Tertium templum Judæi non valent exspectare, quare, 609 A. — Templum ab Onia in Ægypto constructum quanto tempore duraverit, 150 B. — Quid sit templum sanctum gloriæ Dei, 47 A, 48 D', 49 A.

TEMPUS quo sensu malum dicatur, 398 B', vel bonum, 478 D'; quid significet tempus serotinum, 662 C'. In Scripturis per tempus intelligitur annus, 75 D. — In temporum distinctione quomodo declaretur Dei sapientia, 54 A.

TENEBRÆ diversis modis intelliguntur, 23 A'. Qualiter Domino benedicant, 55 A, et quid designent, 54 D'.

TERRA, quæ velut centrum universi dicitur, 55 D', tota est tanquam punctum comparatione cœlestium corporum, 184 A'. Quomodo glorificet Deum, 56 A, qui illam fundat, quo sensu, 673 D; universa in illa germinantia qualiter Creatorem manifestent, 56 D. Quid intelligatur per ejus latitudinem, 543 A, et vectes, 457 A'. — Quid signet, 56 B, 234 C, 404 B, 554 C, etc. Ejus habitatores vocantur peccatores, quo sensu, 79 B. — Terra promissionis cur sancta nominetur, 628 D, et Christianorum hostibus data sit, 270 D'.

TERROR grandem humorum commotionem efficit, 17 B.

TERTULLIANUS, presbyter Carthaginiensis, quomodo Danielis hebdomadas computaverit, 135 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 2, col. 612.)

TESTAMENTUM Dei quid sit, 38 C'. — Testamentum vetus ac novum quatenus in Christum respiciant, 624 A'. — Novi Testamenti fœdus quale sit, 703 A.

THABOR, mons Galilææ rotundus et altus, 244 A. — In illo capiebantur qui ex decem tribubus pergebant Jerusalem ad immolandum, 243 D'. — Ibi Christus transfiguratus est, atque post resurrectionem Apostolis apparuit, 244 A.

THARSIS. Hoc nomine quid intelligatur, 450 B.

THECEL, id est appensio, quid significaverit in scriptura quam vidit Balthasar, 90 C'.

THECUE civitas, ubi sita, 365, 414 A'. Interpretatur clangens tuba, 373 A. Mystice, quid sint ejus pastoralia, 373 B.

THEGLATHPHALASAR, rex Assyriorum, 395 D', quid egerit contra decem tribus, 206 A, 479 D. — Damascum vastavit ejusque regem occidit, 370 D'. — *Cf.* Assur.

THEMAN quid significet, 372 C, 565 D'.

THEODOTION, de cujus translatione accepta sunt duo ultima libri Danielis capitula, 165 B, citatur, 34 D, 63 C, 73 D, 148 C, etc.

THERAPHIM quid fuerint, 232 D, et quid figurent, 233 C'.

THOMAS (S.) apostolus in India prædicavit, 498 C.

THOMAS (S.) Aquinas creditur nunquam mortaliter peccasse, 381 B. — Allegatur, 53 A', 66 B', 102 D, 125 A', etc. — Quid doceat de aquis quæ super cœlos sunt, 51 A.

THRONUS regni Dei quid sit, 47 C, 49 A. — Quinam angeli Throni vocentur, 47 B'. — Per thronos designantur privilegia perfectorum qui cum Christo judicabunt, 105 C'.

TIARA quid sit, 34 D.

TIBERIUS imperator Judæis clemens fuit, 642 A.

TIBICINES quinam fuerint, 399 A'.

TIGRIS fluvius quare sic vocatus et ubi situs, 138 C'. — Cur super illum steterit Gabriel, et alii angeli super ejus ripas, 162 B.

TIMIDITAS quosnam vincat, 334 B'.

TIMOR alius est filialis, 41 D', 166 B', qui ex caritate emanat, 166 C', 709 D', estque fuga mali culpæ, ne Deus offendatur, 566 C; alius servilis, quo pœna non culpa timetur, 693 D. Timor initialis non differt realiter sed gradualiter a timore filiali, 503 A; timor servilis ad quid utilis, 693 A'. — Aliqui non agunt bonum nisi timore mali, 334 C'. Non timorati quatenus innumerabilia peccata incurrant, 604 D'. — In lege Moysis timor Dei præcipue edocetur, 166 D'. — Timor excessivus actum rationis impedit, 433 C'; qualiter a timore tremor oriatur, 683 A'.

TITUS qualiter designatus in prophetia septuaginta hebdomadarum, 134 A. — Judæam quomodo vastaverit, 330 C, 668 D'.

TORCULAR figurat passionem Christi, 279 B, vel fideles tribulationibus pressos, 351 A'. — Torcularia redundantia signant finem sæculi, 359 A'.

TORRENS spinarum quid significet, 360 C', 362 B.

TORRIS de igne erutus quem designet, 631 C, 633 D, 634 B.

TRANSMIGRATIO. Per illam intelliguntur qui de vitiis ad virtutes redeunt, 645 C.

TREMOR qua ratione a timore oriatur, 683 A'.

TRIBULATIO, per noctem figurata, 54 B', inducit ad Deum recognoscendum, 43 A, 255 D'. Quanta sit ejus utilitas, 712 D, et quid in illa agendum, 455 D', 456 D'. — Quare tribulentur electi, 154 A', 166 C. Tribulationes quasi animarum medicinam perfecti suscipiunt, 595 C'. Veraciter pœnitens tribulationem animæ habet, 250 D'. Qui in tribulationibus patiens est, consolationem meretur, 351 A'. — Non consurget duplex tribulatio, quo sensu, 522 D'. — Tempore tribulationis et orationis decet viros ab uxoribus separari, 675 D'. — *Cf.* Adversa, Anima.

TRIBUS Levi regibus Juda adhæsit, 202 D, et tribui Juda sæpe per matrimonia juncta est, 5. — Regnum decem tribuum quanto tempore duraverit, 201 B', et qualem finem acceperit, 202 A. Populus decem tribuum quare Ephraim vocetur, 239 D', et quænam numina coluerit, 268 B, 269 A ; in illo non erat verum sacerdotium, 236 D, 243 C, et alii verum Deum, alii falsos deos cum Deo vero, alii sola idola adoraverunt, 269 D. — Captivitas duarum tribuum distinguitur a captivitate decem tribuum, 166 B, 479 C', quæ quum translatæ fuissent, ad terram earum missi sunt gentiles, 415 D'. — Multi ex decem tribubus gratiose servati sunt, 212 C'.

TRIERES seu triremes quid fuerint, 153 C.

TRINITAS, cujus opera sunt indivisa, 562 A', et tres Personæ unus Creator, 353 D', quomodo innuatur in V. T., 207 C, 390 C', 631 B, 665 C'.

TRISMEGISTUS (Hermes) quid de idolis dixerit, 85 B, 181 A'.

TRISTITIA virtuosa annexam habet spiritualem delectationem, 625 B'.

TRITICUM quid signet, 224 C, 319 B.

TROGUS (Pompeius), historiographus, citatur, 103 B'.

TRULLA auxilium Dei figurat, 413 D.

TUBA significat vocem Scripturæ, 383 C', vel Apostolorum prædicationem, 661 A'. — Festum Tubarum celebrabatur in memoriam liberationis Isaac, 218 A'. — Tuba qualis in ultimo die audienda sit, 379 D.

TULLIUS (Cicero) quomodo definiat religionem, 62 B', et curiositatem, 97 A'.

TYRANNI quinam dicantur, 9 A, 31 C', et qualiter puniantur, 597 A', 685 C.

TYRUS, opulentissima civitas, 658 C, in pulchritudine fundata est, quo sensu, 277 B. Interpretatur angustia ; quid designet ejus punitio, 374 D. — Ejus incolæ hostibus Judæorum auxiliati, 358 A, 371 B', quas pœnas acceperint, 358 C, 371 A'. — Illam destruxit Nabuchodonosor, 371 C'. — Divina virtute ipsam devicit Alexander, 658 D.

U

ULAI, id est palus, est nomen portæ vel loci, 115 C.

UNCINUS pomorum quid sit, 416 C.

UNCTIO. Quinam in V. T. unctionem acceperint, 227 A', et quomodo omnes Christiani ungantur, 227 A'.

UNGUENTA. Qualiter illis usi sint Persæ et Medi, 138 A'.

URSUS, parvo cibo contentus, 103 B', cur regnum Medorum atque Persarum figuret, 103 A'. — Nihil sævius est ursa, dum esurit vel catulos suos amisit, 311 B. — Ursa major. *Vide* Arcturus.

URTICA quid exprimat, 280 C.

USURA. Qualiter de illa loquantur lex, prophetia et Evangelium, 199 A'.

UXOR debet esse viri consors ac socia, non famula, 701 D, 704 B. — Quo sensu relinqui potuerit apud Judæos, 701 B'. — Tempore tribulationis et orationis decet viros ab uxoribus separari, 675 D'.

V

VACCÆ pingues quosnam figurent, 388 A, 392 A.

VALERIUS (Maximus), historicus, citatur, 85 C, 181 D.

VALLIS concisionis, locum judicii significat, 359 B'.

VANITATES a quibus custodiantur, 457 D'.

VAPOR fumi, tenebras infidelitatis designat, 354 D'.

VAS juxta Hebræos quid sit, 8 C, 406 D', 672 C. — Vasa a templo asportata quid figurent, 14 D', 15 C. — Vasa desiderabilia dicuntur electi, 313 C'.

VELUM templi, tempore Passionis scissum, quid designet, 161 B', 320 A.

VENTER mystice quid sit, 563 B.

VENTUS ad quid utilis et quid designet, 53 D,

306 D'. — Quid intelligatur per ventum urentem, 313 D, 394 A, 613 C, et per quatuor ventos cœli, 101 B', 102 A, 642 A, 645 A. — Ventum seminabunt et turbinem metent, quo sensu, 271 C'.

VERBUM quotuplici sensu accipiatur, 384 A. — Ex affectione mentis judicandum est de verborum bonitate et malitia, 174 B'. Affectio verba abrumpit, 119 C. — Verba Dei qualiter audienda, 381 D, 566 C, et quisnam illa accipere mereatur, 623 B. — Unio hypostatica Verbi cum natura humana, qualis sit desponsatio, 229 C'.

VERITAS quotuplex sit, 35 B', 234 A, quomodo diligenda, 652 C, et proferenda, 651 B'.

VERMIS corrodens hederam Jonæ præparatam, 464 A', quid significet, 465 B'.

VESPASIANUS qualiter præsignatus sit, 134 A. Judæis crudelis fuit, 642 A, et Judæam vastavit, 330 C, 668 D'. — Destruxit templum ab Onia in Ægypto erectum, 150 B.

VESTES et Vestimenta. Vestes animæ splendidæ sunt virtutes, sordidæ vero sunt vitia, 631 D, quæ etiam diaboli vestimenta dicuntur, 579 B'. — Non vestimenta, sed corda sunt scindenda, quo sensu, 341 D, 349 A'.

VESTIGIA mulierum quomodo in templo Bel distincta sint, 181 D'.

VIA quæ ad vitam ducit, quatenus arcta simul et lata dicatur, 654 C. — Qualis via sit contemplanda, 527 A. — Quid intelligatur per vias Dei, 35 B', 320 B, 321 D'. Increpantur qui in via Dei regrediuntur, 605 B'. Cur « viæ » vocentur opera hominis, 237 C, et viæ impiorum sint tenebrosæ, 237 D; quinam in viis suis confidant, 292 A. — Exitus viarum quid designent, 442 C'.

VIATOR. De nullo viatore desperandum est, quare, 624 A. — Viatoribus comprehensores succurrunt ac lucent, 319 A.

VIGILIÆ. Instantes vigiliis sanctis quomodo angelos imitentur, 76 A.

VINACIA uvarum quid sint et quid signent, 230 B'.

VINDEMIATORES. Per illos denotantur homines pestilentes, 441 B.

VINEA et Vitis. Per illam intelliguntur viri sapientes, 424 C', et perfecti, 319 D, 351 B; vel populus Israel, 282 A', seu Synagoga, 330 B; vel Ecclesia, 655 D, et fides, 613 A'. Mystice, quid sit vinea in agro, 712 B, quid vineæ amantissimæ, 404 A'. — Vinea Dei vocatur populus fidelis, 336 B'. — Christus est vitis vera, quo sensu, 655 D. — Vitis aquosa quid sit et quid signet, 282 C.

VINITORES mystice sunt pastores, 229 C, vel boni prædicatores, 336 A'.

VINUM quomodo prosit, 10 D', vel noceat, 12 A, 335 D, et cor auferat, 237 C'. — Designat sanguinem Christi, 279 C, contemplationem divinorum, 336 D, 350 C, spiritualem intelligentiam, 224 D, sive sapientiam, 279 C', et multiplex gaudium, 216 B', 228 B. — Vinum germinans virgines est sanguis Christi vel eruditio Scripturæ, 662 B'.

VIR eruditus, in Deo tranquillus, suavis est animæ suæ, 655 C. — Ecce vir, Oriens nomen ejus, quo sensu, 642 D', 643 C', 645 A'.

VIRGÆ duæ quosnam designent, 670 A, 673 A.

VIRGINES per equos albos figurantur, 624 C'.

VIRTUS in adversis potissimum probatur, 681 D. Omni actui virtutis annexa dicitur delectatio bona, 625 B'. — Virtutes sunt animæ splendida vestimenta, 631 D, et per ossa significantur, 410 A'; qui in illis non crescit, decrescit, 667 D'. — Virtutes cœli quid sint, 79 D, et quodnam sit officium angelorum qui Virtutes vocantur, 51 B'. — Virtuosi qua ratione peccatoribus auxilientur, 230 A'.

VISIO quid sit, 13 D', 14 A, 16 A', 101 A', etc. Alia est cordis vel mentis, 71 B', alia imaginaria seu capitis, 4, 69 B', 111 C, 115 D, etc., alia sensibilis sive oculorum, 4, 71 B'. Qualiter fiat visio imaginaria, 419 C. — Visio beatifica est æterna desponsatio, 229 D'.

VISITATIO in bono vel in malo accipitur, 219 A'. — Visitatio Dei alia est consolationis, alia punitionis, 382 A': hæc autem, correctionis aut damnationis, quo sensu, 382 B'.

VITA æterna quid sit, 159 B'. — Quomodo arcta simul et lata dicatur via quæ ad vitam ducit, 654 C.

VITIA, quæ sunt animæ sordidæ vestes, 631 D, provocantur delicato victu, 265 D. *Cf.* Peccatum.

VITULUS mystice est caro lasciviens, 271 D. Per vitulos sacrificia designantur, 317 B'. — Vitulus aureus Bethaven quantum a decem tribubus honoratus sit, 283 C'. Quid referatur de vitulorum aureorum sacerdotibus, 283 D', 284 C.

VOLUCRES quomodo sapientiam Dei manifestent, 58 B, et quosnam exprimant, 58 C, 73 C', 75 D'. — Volucres cœli mystice sunt superbi, 222 D, 235 D, 577 B'.

VOLUMEN volans Scripturam sacram qualiter

figuret, 640B'. Ejus longitudinis et latitudinis ratio qualis sit, 639A.
VOLUNTAS est origo meriti ac demeriti, 318B'. — Voluntas Dei consequens semper impletur, 257D.
VOTA non implere, quantum sit peccatum, 698A'.
VOX magna utrum in Scriptura solis bonis attribuatur, 185B'.

X

XERXES, Persarum rex potentissimus, Athenas succendit, 146C. — Quot fuerint ejus successores usque ad Alexandrum Magnum, 146D. — *Cf.* Persæ.

Z

ZACHARIAS, ultimus ex semine Jehu rex Israel, 205D'. Illum interfecit Sellum, 413C'. Post ejus mortem qualiter regnum decem tribuum a regibus Assyriorum afflictum sit, 206A.
ZACHARIAS propheta, quando vaticinari orsus fuerit, 618A, et quibusnam sermonem fecerit, 618B. Quis angelus ei locutus sit, 620A', et qualiter, 620B'. Quare tam sæpe Deum vocet « Dominum exercituum », 618A'. — Frequenter personas mutat, 146A, quo sensu, 145C'. Inter duodecim Prophetas obscurissimus dicitur, 617A. — Interpretatus « memoria Domini », quem designet, 623B, 629C', 634A, 637A, 644A'.
ZELUS alius est spiritualis, alius carnalis, 517C. — In igne zeli Domini devorabitur omnis terra, quo sensu, 582B, 592B.
ZENO, Stoicorum princeps, noverat esse inferos immortalesque animas, 15C.
ZOROBABEL, filius Salathiel, 601B, dux Juda, quo sensu, 601C, filius olei quare dicatur, 636C'; qualiter typus fuerit Christi, 603D', qui etiam ad litteram appellatur Zorobabel, 610A', 611A. — Ejus tempore habitatores Juda bonis abundaverunt, 622B. — Prænuntiatum erat ab illo templi ædificium esse complendum, 635C et seq.; de quo a Dario licentiam accepit, 601B'. — Interpretatus « magister in Babylone », quosnam designet, 603D, 612A.

INDEX GENERALIS

ENARRATIO IN DANIELEM PROPHETAM.

Prooemium 3
Articulus I. Explanatio primi capituli : Anno tertio regni Joakim regis Juda . . 7
Articulus II. Expositio capituli secundi : In anno secundo regni Nabuchodonosor. 15
Articulus III. Elucidatio capituli tertii : Nabuchodonosor rex fecit statuam auream. 31
Articulus IV. Prosecutio expositionis hujus capituli ab eo loco : Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem : in quo canticum, Benedicite omnia opera Domini Domino, exponitur 44
Articulus V. Expositio capituli quarti : Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea et florens 69
Articulus VI. Expositio capituli quinti : Balthasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille 83
Articulus VII. Expositio capituli sexti : Placuit Dario, et constituit super regnum suum satrapas centum viginti . 92
Articulus VIII. Expositio capituli septimi : Anno primo Balthasar regis Babylonis. 101
Articulus IX. Enarratio capituli octavi : Anno tertio regni Balthasar. 114
Articulus X. Enarratio capituli noni : In anno primo Darii filii Assueri, de semine Medorum 123
Articulus XI. Expositio capituli decimi : Anno tertio regni Cyri regis Persarum. 136
Articulus XII. Elucidatio capituli undecimi : Ego autem ab anno primo Darii Medi. 145
Articulus XIII. Elucidatio capituli duodecimi : In tempore autem illo consurget Michael. 158
Articulus XIV. Expositio capituli tertiidecimi : Et erat vir in Babylone habitans, et nomen ejus Joakim 165
Articulus XV. Elucidatio capituli quartidecimi : Erat autem Daniel conviva regis et honoratus 178

ENARRATIO IN OSEE PROPHETAM.

Prooemium 197
Articulus I. De quibusdam præambulis in expositione duodecim Prophetarum . . 199
Articulus II. Expositio primi capituli Osee prophetæ 201
Articulus III. Prosecutio expositionis hujus primi capituli : Et concepit adhuc et peperit filiam 206
Articulus IV. Expositio moralis hujus primi capituli 210
Articulus V. Declaratio secundi capituli : Dicite fratribus vestris : Populus meus. 212
Articulus VI. Prosecutio elucidationis hujus secundi capituli, ab eo loco : Et nunc revelabo stultitiam ejus. . . . 217
Articulus VII. Expositio moralis hujus secundi capituli 225
Articulus VIII. Elucidatio capituli tertii : Et dixit Dominus ad me : Adhuc vade. 230
Articulus IX. Expositio capituli quarti : Audite verbum Domini, filii Israel . . 233
Articulus X. Expositio moralis ejusdem capituli quarti 240
Articulus XI. Expositio litteralis capituli quinti : Audite hoc, sacerdotes, etc. . 243
Articulus XII. Expositio tropologica seu moralis ejusdem capituli quinti . . . 247
Articulus XIII. Elucidatio capituli sexti : In tribulatione sua mane consurgent ad me 250
Articulus XIV. De moralitate hujus capituli sexti 255
Articulus XV. Elucidatio litteralis capituli septimi : Quum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim. . . . 257

Articulus XVI. Declaratio moralis ejusdem capituli septimi. 263
Articulus XVII. Expositio litteralis capituli octavi : In gutture tuo sit tuba . . . 266
Articulus XVIII. De tropologico intellectu ejusdem capituli octavi 270
Articulus XIX. Expositio litteralis capituli noni : Noli lætari, Israel. 272
Articulus XX. Explanatio moralis ejusdem capituli noni. 278
Articulus XXI. Expositio litteralis capituli decimi : Vitis frondosa Israel 282
Articulus XXII. Elucidatio tropologica ejusdem capituli decimi 289
Articulus XXIII. Explanatio litteralis capituli undecimi : Sicut mane transit . 292
Articulus XXIV. Expositio ejusdem capituli undecimi tropologica 298
Articulus XXV. Elucidatio capituli duodecimi : Ephraim pascit ventum. . . . 301
Articulus XXVI. Moralis explanatio ejusdem capituli duodecimi. 306
Articulus XXVII. Declaratio capituli tertiidecimi : Loquente Ephraim, horror invasit Israel. 309
Articulus XXVIII. Expositio ejusdem capituli tertiidecimi tropologica. . . . 314
Articulus XXIX. Expositio capituli quartidecimi et ultimi : Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum 316

ENARRATIO IN JOELEM PROPHETAM.

Prooemium 325
Articulus I. Expositio primi capituli : Verbum Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel 327
Articulus II. Elucidatio tropologica ejusdem capituli primi 334
Articulus III. Explanatio litteralis capituli secundi : Canite tuba in Sion 338
Articulus IV. Expositio tropologica ejusdem capituli secundi. 347
Articulus V. Elucidatio capituli tertii : Et erit post hæc : Effundam spiritum meum 352

ENARRATIO IN AMOS PROPHETAM.

Prooemium 365
Articulus I. Expositio litteralis capituli primi : Verba Amos, qui fuit in pastoralibus Thecue 367
Articulus II. Expositio moralis ejusdem primi capituli 373
Articulus III. Elucidatio capituli secundi : Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum 375
Articulus IV. Expositio tropologica ejusdem capituli secundi 378
Articulus V. Expositio litteralis capituli tertii ; Audite verbum quod locutus est Dominus 381
Articulus VI. Explanatio moralis ejusdem capituli tertii 386
Articulus VII. Expositio litteralis capituli quarti : Audite verbum hoc, vaccæ pingues. 388
Articulus VIII. Expositio ejusdem capituli quarti tropologica 392
Articulus IX. Elucidatio litteralis capituli quinti : Audite verbum istud, etc. . . 395
Articulus X. Declaratio tropologica ejusdem capituli quinti 402
Articulus XI. Explanatio litteralis capituli sexti : Væ vobis, qui opulenti estis in Sion. 405
Articulus XII. Expositio moralis ejusdem capituli sexti. 408
Articulus XIII. Declaratio litteralis capituli septimi : Hæc ostendit mihi Dominus Deus 411
Articulus XIV. Expositio litteralis capituli octavi : Hæc ostendit mihi Dominus Deus. 416
Articulus XV. Elucidatio capituli noni : Vidi Dominum stantem super altare . 419

ENARRATIO IN ABDIAM PROPHETAM.

Prooemium 429
Articulus I. Visionis Abdiæ prophetæ litteralis expositio : Visio Abdiæ. Hæc dicit Dominus ad Edom 431
Articulus II. Explanatio moralis seu mystica visionis Abdiæ 438

ENARRATIO IN JONAM PROPHETAM.

Prooemium 447
Articulus I. Expositio litteralis capituli primi : Et factum est verbum Domini ad Jonam, etc. 449

Articulus II. De mystica explanatione ejusdem capituli primi. 454
Articulus III. Expositio litteralis capituli secundi : Et præparavit Dominus piscem grandem, etc. 456
Articulus IV. Declaratio capituli tertii : Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo 459
Articulus V. Expositio capituli quarti : Et afflictus est Jonas afflictione magna . . 463

ENARRATIO IN MICHÆAM PROPHETAM.

Articulus I. Elucidatio capituli primi : Verbum Domini quod factum est ad Michæam. 469
Articulus II. Elucidatio moralis ejusdem primi capituli 474
Articulus III. Expositio capituli secundi : Væ qui cogitatis inutile 478
Articulus IV. Expositio capituli tertii : Et dixi : Audite, principes Jacob 483
Articulus V. Elucidatio capituli quarti : Et erit in novissimo dierum mons domus Domini, etc. 487
Articulus VI. Expositio capituli quinti : Nunc vastaberis, filia latronis 494
Articulus VII. Elucidatio capituli sexti : Audite quæ Dominus loquitur. . . . 500
Articulus VIII. Mystica ejusdem capituli sexti expositio 504
Articulus IX. Expositio capituli septimi : Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos 506

ENARRATIO IN NAHUM PROPHETAM.

Articulus I. Elucidatio capituli primi : Onus Ninive, liber visionis Nahum . . 517
Articulus II. Expositio spiritualis ac mystica ejusdem capituli primi 521
Articulus III. Expositio litteralis capituli secundi : Ascendit qui dispergat. . . 524
Articulus IV. Elucidatio capituli tertii : Væ, civitas sanguinum 529

ENARRATIO IN HABACUC PROPHETAM.

Articulus I. Elucidatio capituli primi : Onus quod vidit Habacuc propheta . . 537
Articulus II. Expositio tropologica ejusdem capituli primi. 541
Articulus III. Elucidatio capituli secundi : Super custodiam meam stabo 544
Articulus IV. Explanatio moralis ejusdem secundi capituli. 549
Articulus V. Declaratio capituli tertii, scilicet cantici : Domine, audivi auditionem tuam, et timui 555
Articulus VI. Prosecutio expositionis hujus capituli tertii ab eo loco quo dicitur : Fluvios scindes terræ 561
Articulus VII. De expositione exordii cantici hujus secundum translationem Septuaginta interpretum, et expositio ejusdem cantici tropologica seu moralis. . 564

ENARRATIO IN SOPHONIAM PROPHETAM.

Articulus I. Elucidatio litteralis capituli primi : Verbum Domini quod factum est, etc. 573
Articulus II. Mystica expositio ejusdem capituli primi 577
Articulus III. Explanatio litteralis capituli secundi : Convenite, congregamini, gens non amabilis. 582
Articulus IV. Elucidatio tropologica ejusdem capituli secundi 586
Articulus V. Expositio litteralis capituli tertii : Væ provocatrix et redempta civitas, columba 589

ENARRATIO IN AGGÆUM PROPHETAM.

Articulus I. Elucidatio litteralis primi capituli : In anno secundo Darii regis. . 601
Articulus II. De spirituali et mystico sensu ejusdem capituli primi 603
Articulus III. Explanatio litteralis capituli secundi : In septimo mense 606
Articulus IV. De spirituali et mystico intellectu ejusdem secundi capituli. . . 612

ENARRATIO IN ZACHARIAM PROPHETAM.

Articulus I. Elucidatio litteralis capituli primi : In mense octavo, in anno secundo Darii regis 617
Articulus II. De spirituali ejusdem capituli primi intelligentia 623

Articulus III. Expositio litteralis capituli secundi : Et levavi oculos meos, et vidi. 626
Articulus IV. Elucidatio capituli tertii : Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum 630
Articulus V. Expositio capituli quarti : Et reversus est angelus qui loquebatur in me 634
Articulus VI. De spirituali et mystico ejusdem capituli quarti intellectu 637
Articulus VII. Expositio litteralis capituli quinti : Et conversus sum 638
Articulus VIII. Expositio litteralis capituli sexti : Et conversus sum, et levavi oculos meos 641
Articulus IX. Expositio capituli septimi : Et factum est in anno quarto Darii regis 646
Articulus X. Expositio litteralis capituli octavi : Et factum est verbum Domini exercituum ad me 649
Articulus XI. De spirituali ejusdem capituli octavi intellectu 653
Articulus XII. Explanatio litteralis capituli noni : Onus verbi Domini 656
Articulus XIII. Expositio litteralis capituli decimi : Petite a Domino pluviam . . 662
Articulus XIV. De spirituali et mystica ejusdem capituli decimi elucidatione. 666
Articulus XV. Expositio capituli undecimi : Aperi, Libane, portas tuas . . . 668
Articulus XVI. Elucidatio capituli duodecimi : Onus verbi Domini super Israel. 673
Articulus XVII. De alia ejusdem capituli duodecimi explanatione 676
Articulus XVIII. Elucidatio capituli tertiidecimi : In die illa erit fons patens domui David. 678
Articulus XIX. Declaratio capituli quartidecimi : Ecce dies Domini veniunt . . 682

ENARRATIO IN MALACHIAM PROPHETAM.

Articulus I. Elucidatio litteralis capituli primi : Onus verbi Domini ad Israel. . 691
Articulus II. De spirituali intellectu ejusdem primi capituli. 696
Articulus III. Explanatio litteralis capituli secundi : Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes 698
Articulus IV. De mystico ejusdem capituli secundi sensu 702
Articulus V. Expositio litteralis capituli tertii : Ecce ego mittam angelum meum. 704
Articulus VI. Elucidatio capituli quarti : Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus 709
Articulus VII. De spirituali intelligentia capitulorum tertii et quarti. 711
Index locorum S. Scripturæ 717
Index analyticus 727

Emendanda. Pag. 3, lin. 30 : Apollinarius, *lege* Apollinaris; — 11 D', lin. 5 : peccatum autem animæ, *dele* animæ ; — 147 B, lin. 4 : Nicanor, *lege* Nicator ; — 148 B', lin. 4 : Galericum,... Callinicum ; — 151 C, lin. 5 : Carthaginensium,... Carthaginiensium ; — 403 D, lin. 9 : rogare,... rogari ; — 495 C, lin. 4 : Bethleem,... Bethlehem ; — 498 D, lin. 5 : præbet,... præbeat ; — 526 D', lin. 11 : circuieundo,... circueundo.

Dubia. Pag. 422 C, lin. 11 : duro, *forsan* dura ; — 450 A, lin. 1 : Nemrod,... Assur ; — 651 C', lin. 2 : perfecte,... proferte.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.
3920.